


BIBLIOTHÈQUE CLASSIQUE LATINE

— OU —

COLLECTION

DES AUTEURS

CLASSIQUES LATINS

AVEC

COMMENTAIRES ANCIENS ET NOUVEAUX

FRAGMENTS INÉDITS, RECHERCHES, DISSERTATIONS, INDEX, PORTRAITS, CARTES GÉOGRAPHIQUES, PLANS DE SIÉGES ET BATAILLES, TABLEAUX, ETC.

PAR N. E. LEMAIRE,

ANCIEN DOYEN ET PROFESSEUR DE POÉSIE LATINE A L'ACADÉMIE DE PARIS.

[illegible]

SECONDE SOUSCRIPTION.



PARIS,

ON SOUSCRIT CHEZ M. EHRMANN,

RUE DE LULLI, N° 1, PLACE DE L'ANCIEN OPÉRA.



BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

On souscrit, à Paris,

CHEZ N. E. LEMAIRE, Éditeur, rue des Quatre Fils, n° 16, au Marais.
DEBURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.
TREUTTEL et WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.
F. DIDOT, imprimeur du Roi et de l'Institut, rue Jacob, n° 24.
BOSSANGE père, libraire, rue de Richelieu, n° 60.
DONDEY-DUPRÉ, impr.-lib. rue de Richelieu, n° 47 *bis*.
BRUNOT-LABBE, libraire, quai des Augustins, n° 33.
JUL. RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.
MONGIE aîné, libraire, boulevard Italien, n° 10.
H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.
ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Hautefeuille, n° 23.

Et chez tous les libraires de France et des pays étrangers.

M. T. CICERONIS

QUÆ EXSTANT

OMNIA OPERA

CUM

DEPERDITORUM FRAGMENTIS

IN QUATUOR PARTES DIVISA

ITEM

INDICES QUINQUE

NOVI ET ABSOLUTISSIMI

EXCUDEBAT AMBROSIUS DIDOT,

GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS.

M. T. CICERONIS

PARS TERTIA

SIVE

OPERA PHILOSOPHICA

AD OPTIMOS CODICES

ET EDITIONEM J. VICT. LECLERC

RECENSITA


CUM SELECTIS VETERUM AC RECENTIORUM NOTIS

CURANTE ET EMENDANTE

M. N. BOUILLET

IN SANCTÆ BARBARÆ COLLEGIO PHILOSOPHIÆ PROFESSORE

VOLUMEN SECUNDUM





PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXIX

M. T. CICERONIS

DE FINIBUS BONORUM ET MALORUM

LIBRI QUINQUE

NOVI EDITORIS PRÆFATIO.

Quum multi DD. VV. his edendis, castigandis et illustrandis de Finibus bonorum et malorum libris operam navaverint, posterioresque editores superiorum elucubrationes lucro apposuerint, diversasque eorum opiniones accuratissime perpenderint, satius nobis visum est unam aliquam inter novissimas et optimas editiones seligere, quæ hujusce nostræ quasi fundamentum esset, quam prorsus novum aliquid de nostro refingere; aliter forsan dicturi, sed non certe melius quam tot præstantissimi viri.

Itaque eam potissimum editionem adhibuimus quam Jo. Aug. Gœrenz, idem ille qui nobis tot auxilia præbuerat in edendis Academicis libris, paucis abhinc annis protulit (1); quippe quæ, omnium doctorum suffragio, aliis omnibus hactenus prolatis præstat: nam, ut ille omnia quæ in superioribus libris alicujus erant utilitatis exposuit, et æquis ponderibus examinavit, ita multa nova addidit, prava

(1) Hoc titulo : « M. T. Ciceronis de Finibus bonorum et malorum libri V. Ex scriptis recens collatis editisque libris castigatius et explicatius edidit Jo. Aug. Gœrenz. Lipsiæ, 1813, in libraria Weidmannia ». — Post editionem confectam, multa corrigenda, mutanda aut addenda ipse invenit, quæ in calce libri, sub Additamentorum et Corrigendorum titulo, apposuit; ea nos in suum quæque locum transferenda curavimus.

et corrupta correxit, obscura dilucide interpretatus est. Illius notas plerasque servavimus (nisi quod nonnulla minoris momenti, vel quæ sæpius iisdem fere vocibus repetita occurrebant, et multas disceptationes, quæ, etsi per se doctissimæ et maximi faciendæ, adventitiæ tamen et ab explicando loco cui apponebantur prorsus alienæ erant, supprimere necesse fuit); ita ut hoc volumine doctissimi illius viri fere integra prodeat editio. Præterea ejus præfationem, qua rationem quam in disponenda sua editione adhibuit, et auxilia quibus usus est, fuse exponit, exscripsimus (quam vide statim post hancce præfat.); sine qua ejus notæ intelligi vix possent.

Quum vero ex editione Davisiana (Cantabrigiæ, 1728), quæ diu, ante Gœrenzium, omnium optima habita fuit, nonnullas, tum ipsius Davisii, tum Victorii, Manutii, Camerarii, Ursini, Lambini, Gruteri, aliorumque magnorum criticorum, quæ integræ in exemplari, quod in manibus habebamus, reperiuntur (1), notas hauserimus, a Gœrenzio perperam, nostro saltem judicio, neglectas; pauca ex ipsius

(1) In manibus fuit Davisii editio, quam Rathius dedit hoc titulo : « M. Tullii Ciceronis de Finibus bonorum et malorum libros quinque, ex recensione Joannis Davisii cum ejusdem animadversionibus, et notis integris Pet. Victorii, P. Manutii, Joach. Camerarii, D. Lambini, ac Fulvii Ursini, edidit Rudolphus Godoholdus Rath, doctor philosophiæ et conrector gymnasii Halensis. Accedunt Gruteri notæ ex sex Palatinis codd. et editoris emendationes ad libros priores duos. Halis Saxonum, apud Carolum Augustum Kümmelium, 1804 ».

Davisii præfatione excerpemus, quibus libros quos præcipue sequutus est, et quos non nisi per brevissima compendia designat, ipse sic describit:

« Ut hi libri Ciceronis, quantum mea cura præstare potuit, emendatiores prodirent; præter codices, quos laudarunt alii, præterque conjecturas ex ingenio natas, adjutoribus octo MSS usi sumus, Eliensibus duobus, Balliolensi, Meadiano (1), Parisinis tribus, eoque quem servat Collegii Corporis Christi (2), quod est Cantabrigiæ, Bibliotheca. Quin et editiones nonnullas consuluimus, Venetam scilicet 1471, Ascensianam 1511, præsertim autem Victorianam Rob. Stephani 1538: nam ceteras magis proletarias haud memoro; quales sunt quas curarunt P. Manutius, D. Lambinus, J. M. Brutus, Aldus nepos, et Janus Gruterus. Illam vero quæ Lutetiæ cum Commentario Gulielmi Morelii prodiit ann. D. 1545 (3), nullus vidi, licet ei comparandæ diligenter studuerim (4). At M. A. Mureti notas, quæ divulgatæ sunt Ingolstadii 1602, non

(1) Suum Tullii de Finibus MS mecum communicavit Rich. Meadius; Parisinorum vero collationem suppeditavit Joan. Walkerus. Horum præstantissimorum virorum utrique me multum debere semper profitebor. Dav.

(2) Hic liber in notis initiali litera ter repetita designatur sic: CCC. Ed.

(3) Annum 1546 hujus editionis natalem fecit Cl. Fabricius Bibl. Latin. I, 8. Ego tamen Æg. Menagium sequor, qui de Gulielmo Morelio non pauca dixit Anti-Baiuleti Part. I, § LXVIII, pag. 226 seqq. eumque, si lubet, vide. Dav.

(4) Nos vero optimas Morelii notas, ab Oliveto in suo Commentariorum delectu exscriptas, servavimus. Ed.

multum quæsivi, quum, nisi pessima quæque decerpserit Cl. Verburgius, nihil tanto nomine dignum repræsentarent ».

Ante oculos habuimus quoque Oliveti commentariorum delectum, et Ernestii (Lipsiæ, 1776) editionem (1), et eam specialem quam (Turici, 1798) curavit Bremius (2); et Animadversiones in duos

(1) Audienda sunt quæ de Ernestii et quorumdam aliorum post Davisium editorum critico labore censeat V. D. R. God. Rathius: « Ernestii, Pearcii et quorumdam aliorum ex recentioribus, magna illa quidem nomina sunt ac grandia; sed eorum opera his in libris posita adeo parva est atque exigua, ut, si forte suspicetur quispiam, me eorum laudibus obtrectare velle, eum etiam atque etiam rogem, ut unum modo locum paullo majori difficultate laborantem ostendat, quem isti viri, qui summi viri appellabantur, et, si diis placet, criticorum principes, suo acumine expediverint ».

(2) Hoc titulo: « De Finibus bon. et mal. libri quinque, ex recensione et cum notis Jo. Henr. Bremii; Turici, apud H. Gessnerum, 1798. » — Tres tantummodo priores libri prelo mandati sunt; sed scriptas in sequentes libros notas in manibus habuit Gœrenz. Vide infra, Gœr. præfat. p. 4, lin. 6. — Legenda sunt quæ Bremius in præfatione de suo hos libros edendi consilio, et de superioribus editoribus scripsit: « Omnia Ciceronis scripta, philosophica præsertim, diligenter evolvens, præcipuo quodam unius amore, ut accidere solet, captus sum, librorum de Finibus bonorum et malorum, tum propter rem in iis tractatam, tum propter scribendi genus aliquanto accuratius. Ernestii tantum editione utens permultos statim locos animadverti vel corruptos, vel male habitos, vel hac illave de causa difficiles. Quorum quum magnam partem vel in integrum restituere, vel rectius explicare, vel tandem vindicare mihi posse viderer, institui, cuncta, quæ aderant, subsidia, excutere, nova conquirere, diligenti inprimis Ciceronis lectione judi-

priores libros, quas God. Rathius supra laudatæ editionis in calce addidit, tamquam amplioris laboris jamdiu propositi et inchoati specimina; sed fere sine

cium acuere. Primum igitur erat videndum, quid interpretes atque editores hucusque præstiterint; idque experiebar, quod neminem non Ernestiana tantum editione utentem experturum esse certo confido, multa, quæ primus ego animadvertisse videbar, jam dudum esse occupata, vel ab antiquioribus, Manutio, Victorio, Lambino, vel ab illo, qui proxime hanc ætatem antecessit, Davisio: in quibus ita Lambinus eminet, ut emendationes difficillimi cujusque loci non ab ingenio, quamvis magno profectas, sed ab ipso Cicerone traditas opineris. Neque tamen ita mihi cuncta e manibus erepta inveni, ut consilium abjiciendum putarem; immo per ipsas virorum doctorum annotationes aut ad vera, aut ad verisimilia saltem deductus sum, attentione in ejusmodi res conversa, quas ante vel præterieram, vel leviter nonnisi perstrinxeram. Inprimis vero ex intima Ciceronis scribendi ratione multa haurienda erant, quam, si Lambinum exceperis, reliquorum interpretum vix unus aliquantulum novit. Davisium quidem magnam librorum philosophicorum partem non sine doctrina illustrantem mireris sæpe omnem Ciceronianæ latinitatis sensum ita exuisse, ut vix ullam cum attentione paginam legisse eum credas. Aliquot annis ante eum item Anglus hos libros ediderat Thomas Bentleius; at quam dissimilis illius Richardi! qui quocumque in scriptore versaretur, nil nisi perfecta protulit, scribendi tædio potius quam emendationibus ex feracissimo ingenio proferendis defatigatus. Sed Thomas nil nisi avunculi audaciam sequutus et a felicitate et ab acumine dissimillimus erat. Quod si singulas ejus conjecturas excutere voluissem, ista facile res in voluminis haud parvi molem excrevisset. Tetigi ergo eas nonnisi, quæ vel veritatis quadam specie sese commendarent, vel a vero quam proxime abessent, vel utilem disputandi materiam præberent, vel denique virorum doctorum quamvis immeritam approbationem conse-

ullo fructu illa contulimus : namque quidquid in eis alicujus esset pretii Davis. et Gœr. lucro jam apposuerant. Majori vero cura conferendæ erant editiones quæ post Gœrenzium in lucem prodierunt; quippe in quibus hujus et ceterorum sententiæ novo examini subjici, errores deprehendi, nimia audacia reprimi, omissiones suppleri poterant; hujus generis duas tantum novimus, Schützii nempe et nostratis *Leclerc* horum librorum editiones, quæ in eorum generali editione (Schützii tom. XIII; *Leclerc*, tom. XXVII, ed. in-18) continentur. Sed in iis parum esse novi fatendum est, quum plerumque superiorum editorum sententias exponere, confirmare, aut damnare, nulla fere suæ opinionis allata causa, satis habeant.

Nonnullas criticas observationes excerpsimus ex iis perpaucis quas G. Henr. Moser in libros de Finibus recens scripsit (1), in quibus, quamvis et Gœ-

quutæ essent. Etenim concedendum est editori vel absolutam alicujus libri editionem molienti, ut delectum instituat eorum, quæ ab editoribus adhuc prolata sunt, manifesto falsa silentio premens, nota hodie et ab ipsis tironibus perspecta breviter attingens : longus autem sit in iis, quæ hodierna ætas quamvis falsissima ut vera amplectitur; partim grammatica subtilitate, partim exemplorum copia meliora edocens ».

(1) In peculiari dissertatione hoc titulo : « Symbolæ criticæ ad aliquot Ciceronis de Finibus bonorum et malorum loca; quibus examina publica in gymnasio regio Ulmano a. d. XIX sept. et qui sequentur diebus proximis rite instituenda, indicit Georgius Henricus Moser, phil. doct. et gymnas. reg. professor. Ulmæ, ex officina Jo. Danielis Wagneri, 1825 ».

renzii et Schützii merita libens agnoscat (1), nonnulla tamen in illorum editionibus mutanda exponit.

Denique quum superiores editores criticæ operæ multo magis quam exegeticæ incubuissent, multaque obscura aut intellectu difficilia sine explicatione reliquissent, nos, quantum saltem erat in nobis, lacunam hanc implevimus. In quo opere gallica versione, quam *Regnier Desmarais* condidit, J. V. *Leclerc* revisit et correxit, multum adjuti sumus, ipsaque illius verba sæpe exscripsimus, quum aliter longa paraphrasi ad quædam explicanda opus fuisset. Quamvis nonnullos in ea versione deprehenderimus errores qui graviores videbantur quam qui non exponerentur et refellerentur, plerumque tamen perspicuitatem et fidelitatem quæ requiri poterat præstat; neque illi

(1) Sic enim loquitur: « Quin tu... post Gœrenzii, quo non facile alius Ciceronianæ elegantiæ diligentior exortus est indagator et quasi venator, tu post ejus operam libris de Finibus navatam, post Schützii denique, in Cicerone tanta cum laude versati, omnium Ciceronis operum recognitionem, Iliada, quod aiunt, post Homerum canere meditaris: an emendandi libidine abreptus, quod illi vel bene correxerunt, vel certo judicio intactum reliquerunt, in pejus immutabis? Quibus ego illud repono, nullius hominis auctoritatem apud virum veritatis studiosum tantam esse debere, ut cum illo errare malit, quam ipse, quid verum sit, investigare. Ceterum ego in hac scriptione non id mihi sumo, ut magnum aliquid, et quo ægre carere possit eruditorum respublica, mihi protulisse videar: sed illud mihi propositum est, ut aliquot ejus scriptoris, quem in deliciis habeo, loca sive parva facilique mutatione ceteris similiora reddam, sive accuratius, quam adhuc factum est, explicem, sive minus recte esse tentata demonstrem ».

pauci lapsus quidquam e laude quæ doctissimo viro J. V. *Leclerc*, ob tantam et tam feliciter intra paucos annos absolutam operam, debetur, detrahere possunt.

Vix necesse putamus explicare quid significent compendia quibus usi sumus in notis, ea inprimis quibus citati aut memorati editores designantur; per se enim satis patet literas G. Gœr. Brem. Grut. Lamb. Davis. J. V. L. etc. pro Gœrenzio, Bremio, Grutero, Lambino, Davisio, J. V. *Leclerc* usurpari.

N. BOUILLET.

JO. AUG. GŒRENZII
PRÆFATIO.

Prodeunt hoc volumine libri Ciceronis de Finibus, in quibus nobis magnis cum difficultatibus conflictandum fuit. Etenim rerum, quas tractant, subtilitas, atque inde enata obscuritas, textusque creberrima, sed plerumque reconditior corruptio, in luce pariter atque medela suo cuique loco admovenda, vehementer nos exercuerunt. Dubitari enim nequit, quum res ipsa loquatur, hos libros omnium Ciceronis philosophicorum tractatu esse difficillimos.

Nos quidem ab utraque parte, quantum in hoc male lacero, quod tantillum his rebus supererat, otio licebat, pro facultate fecimus: sed qui in his perfectiora requisierit, iste quamquam per se justa requiret, hac tamen muneris occupatione nostri, vel benivole nobis otium benignius optabit, vel ab toto hoc scribendi consilio severe nos deterrebit. Non enim sic laudi scribere nostræ licet, sed utilitati aliorum; nec plenam hanc consectari, sed qualemcumque. Atque ita quidem hanc quoque operam, quantumvis etiam ab illo perfectæ editionis exemplo absit, in quo ubique applicando nemini minus placemus, quam nobismetipsis; tamen non sine fructu fore confidimus. Multis certe locis hi libri emendatiores nunc prodeunt, idque maxime sex codicum, quibus usi sumus, auxilio: in his vero præ ceteris binorum, Spirensis alterius, alterius Erlangensis. Illius collationem eidem Wegelio debemus, cujus in superioris voluminis præfatione (1) meminimus, ad-

(1) Vide superius volumen nostræ edit. pag. XVI, lin. 4 seqq.

scriptam exemplari Pauli Manutii editionis: hunc, num. II, 5, ipsi contulimus, ibidemque accuratius notavimus. Qui quidem licet gemelli, vel potius cum Palatino I trigemini jure dici mereantur (sunt enim omnes ex uno haud dubie exemplari descripti); tamen, si sex priora libri primi capita exceperis, in quibus in alia omnia diversim abeunt, vel expressa lectione, vel conciliatione horum inter se et cum reliquis, vel denique conjectura simpliciter ex ipsis nata, ad verum ita sæpe ducunt, ut eorum auctoritas his in libris pæne sola valeat. Sed sunt hi nostri Palatino I inde præstantiores, quod ille in IV libri capite 6 desinit, nostris pari fere præstantia ad ultimi usque finem pergentibus. Proximum quidem ab his pretium Davisiano Eliensi II statuendum: sæpius enim hic cum illis facit, interdum solus ipse veræ lectionis fulcrum est. Sed idem quoque cum tertio libro finivisse videtur, quum a quarto inde unius modo Eliensis mentio injiciatur, et, quamquam vel huic Davisius præ ceteris multum tribuit, tamen vix una et altera ex eo probabilis lectio erui possit: ut facile hujus Eliensem I agnoscas. His quatuor codicibus princeps scriptorum ad hos libros collatorum classis absolvitur: nam ceteri et olim et nunc primum adhibiti deteriori plerumque lectioni favent; quamquam in singulis hi quoque suum usum habent. Nam reliqui nostri, ut Gud. I, qui num. 17, 24, quaternis, charactere minori, seculum XV præ se ferente, in charta scriptus est, et simul libros de Divinatione complectitur; Gud. II, quem, proprio numero, ad priora quoque volumina contulimus; Basileensis, qui item ex illa Wegelii collatione nobis innotuit, et forte una cum his libris Academica quoque comprehendit; Monacensis denique Bibliothecæ regiæ codex, num. 328, quem Franciscus Xaverius Werferus, singularis spei juvenis, cujus ingenii vis suopte jam nomine ex Actis Philologorum Monacensium inclaruit, a libro quarto inde, accuratissime nobis contulit: hi igitur omnes ita sunt deteriori classi adscribendi, ut

singuli tamen singulis in locis suam quamdam fidem mereantur; haud raro certe probatiori lectioni momentum addant. Basileensis fere cum Gud. I facit: Gudianus autem II his in libris auctoritatem, quam in aliis jure obtinet, minus tuetur. Eumdem in censum veniunt quinque Oxonienses ι. U. (quos sæpe operæ nostræ prave E. V. signarunt); ξ. χ. ψ. Viennensis Alteri, cujus varietates Bremii diligentiam effugerunt: cumque his plus minus reliqui, dudum in criticos usus adhibiti. Possint tamen Oxonn. ι. et ξ. tertiæ alicui classi separatim adscribi; plures enim per se quidem minime contemnendas lectiones præbent: sed ita fere seorsim abeunt, ut magis doctam aliquam correctoris manum, quam genuinam auctoris prodere videantur. Inde noluimus hos ipsos cum Bremio principi illorum classi adscribi: quippe a qua multo sæpius discedant, quam cum ea conspirant. Ceterum haud parum dolemus, earum nobis collationum usum non esse concessum, quas, si recte numeravimus, sedecim numero censor Emendationum, a Rathio repetitæ Davisianæ horum librorum editioni additarum, in Ephemeridibus literariis Ienensibus, num. 63, mense martio, 1805, pag. 498, stabiliendi judicii sui causa adhibuit. Consulto autem ab istis l. l. enotatis varietatibus abstinuimus, ne in aliena invasisse videremur, vel certe alius usibus destinata.

Hæc de scriptis libris, quorum tabulam in classes distinctorum infra addidimus. Ex impressis autem veteribus, quos usui fore putabamus, plerosque omnes contulimus: inter quos tamen longe eminet Petri Marsi editio, quippe quæ non modo sæpe se melioribus addat, sed quater vel quinquies, insignibus fere locis, sola sequenda fuerit. Neque Marsus is erat, qui suopte ingenio, Lambini more, nimium tribueret: nam si quando, quod rarius accidit, a scriptis suis discedendum putat, religiose in commentariis lectores admonet; alias horum sectator nimis credulus.

Proximam ab hac Marsi laudem sibi vindicat Cratandria: firmat enim baud raro in textis, sæpius in margine, lectionem probatiorem, nonnumquam sua etiam ipsius auctoritate commendabilis. Reliquæ veteres fere numero magis quam pondere valent. Ex recentius editis multa debemus Davisio, plurima Bremio, qui vel ex eo sua in nos merita auxit, quod, consilio editionis absolvendæ deposito, ultro nobis suas ad duos posteriores libros adnotationes misit. Eas nos quidem, in liberos usus acceptas, quantum licuit, religiose adhibuimus, gratasque ipsas, ut nobis, sic lectoribus fore, certo confidimus.

In ceteris pauca Rosæ commentario, quædam Rathio, plura Augusto Matthiæ accepta referimus: cujus acumen, conjunctum cum accurata dictionis Tullianæ observatione, merito suspicimus. Privatim rexit etiam judicium nostrum Hermannus, recepta pro ejus singulari benivolentia, cum Schæfero amicissimo correcturæ molestia, ter vel quater, qua eximia pollet veri dijudicandi solertia, a lapsu nos continuit. Communicavit idem vir summus Reizianas in hos libros ad Ernestianæ exemplar, quod ipse possidet, adnotationes, sua ipsius manu exscriptas: atque sic in una hac re multiplici beneficio sibi nos devinxit. Hoc ad textum refingendum apparatu et auxilio nonnumquam fortasse cautius justo usi videbimur: sed tum fere rationes nos quædam interiores a corrigendo revocabant, quas nisi pluribus verbis, occupato jam spatio, expedire non licebat: odiosæ sunt enim paginæ, quarum adnotationi vix singulæ textus lineæ innatant. Cetera, in quibus hic illic lapsos nos videris, ut communi hominum, ita nostræ maxime conditioni indulgenter concedes.

DUPLEX FAMILIA

CODICUM SCRIPTORUM

QUI CONTINENT LIBROS M. T. CICERONIS DE FINIBUS BONORUM ET MALORUM.

Familia potior:

Palatinus I;
Eliensis II;
Spirensis;
Erlangensis.

Cum his faciunt sæpius Marsi et Cratandri editio.

Familia deterior:

Basileensis;
Gudianus I;
Gudianus II;
Monacensis.

Hisque accensenda est reliqua et codicum collatorum et editionum turba.

Eliensis I;
Parisiensis III;
Oxonienses ι. et ξ.

Tres hi libri aperte eruditam docti viri manum produnt.

JO. AUG. GOERENZII
INTRODUCTIO
AD CICERONIS LIBROS
DE FINIBUS BONORUM ET MALORUM.

Quæ aditum ad hos libros expeditiorem aperiant, ea potissimum hac triplici quæstione comprehendere licebit: quo tempore et ipsi scripti editique sint, et sermones eorum habiti fingantur: quæ sit universi operis delineatio: quos denique rerum tractatarum auctores Cicero sit in ipsis singulis libris sequutus. Ad hæc si, quantum fieri et potest et convenit, responderimus, facili via non solum errores haud pauci declinabuntur, quos quum ipsi interpretes, tum ii admiserunt, qui usibus aliis suis hos libros adhibuerunt; sed plurima quoque loca sua sponte patebunt, in quibus alias jure hæseris: atque omnino ea habebis, quæ his libris jure præmittenda erant.

I. Describendis igitur his libris integro septennio auctorem ante cogitasse, quam eos editos esse scimus, patet ex Legg. I, c. 20, 52, ubi « finem bonorum controversam rem » dicit, « et plenam dissensionis inter doctissimos, sed aliquando tamen judicandam ». Promit idem quoque in his, quæ ibi sequuntur, eamdem ipsam sententiam, quam in libris de Finibus amplectitur. Dudum autem cœpisse sibi Ciceronem colligere materiem, quam et horum, quos edidimus, librorum, et reliquorum omnino philosophicorum suorum argumento inclusurus erat, ut plane multa indicia sunt (cf. v. c. Acadd. I, 3, 11): ita hoc maximum certissimumque statuendum, quod, si cum libris de Republica et de Legibus Hortensium exceperis, cetera ejus philosophica omnia anni paucorumque mensium spatio absoluta et in publicum emissa esse constat. Tot autem varii generis scripta tantillo temporis

spatio sic elaborata putare, ut ipsam materiem eorum, multiplici accurataque lectione parandam, eodem isto tempore congestam existimes, per se sane absurdum est; si vel ignoraris, quantum Tullio otii hoc ipso tempore intempestivis hominum eum visitantium officiis, privatis clientium negotiis, eoque ipso dolore, cujus aculeos his studiis et literis evitare laborabat, perierit. Quid? ne probabile quidem videri debet, hanc ipsam tot librorum materiem indigestam hucusque ei in adversariis jacuisse, et tum demum a primis lineis esse inchoatam simul et absolutam: immo potius ex quo hic sibi ad libri alicujus argumentum satis collegisse videbatur, tum statim rebus ad ordinis legem adstrictis, orationis formam quamdam et colores induebat et aptabat. Cui rei, ut alia transmittamus, documento sunt et libri de *Legibus*, crasso tantum filo et prima auctoris manu, ὡσεὶ πρόπλασμα, scripti, et *Academica*, quorum formam ter mutatam, bis diversam editam scimus. Sed hæc, aliam opportunitatem nacti, accuratius videbimus: nunc ad libros de Finibus redimus, quorum primum confectorum vestigium reperitur Att. XII, ep. 45, ubi *duo* se Cicero *magna* συντάγματα *absolvisse* scribit. Dubitari enim recte nequit, cum Academicis prioribus hos quoque libros innui. Quare si nuper Schützius V. Cel. ad l. l. *duobus* illis συντάγμασι binos Academicorum libros solos dici vult (nam de altera ad Varronem editione auctor tum nondum cogitarat), hoc, ne alia moneamus, vel ideo parum probandum est, quod vox σύνταγμα de pleno tantum opere aliquo, non de singulis ejus libris, poni rite possit. Libri vero de Finibus eo ipso tempore, quo ista epistola scripta est, i. e. ante diem III nonas junias 708, *absoluti* esse debebant, quum eorum *secundum* auctor a. d. V kalendas quintiles Romam miserit (cf. Att. XIII, ep. 32), kalendisque sextilibus eosdem Atticus dudum non solum describendos acceperit, sed ab hoc etiam Balbus *quintum* eorum, ab hujusque librariis Cærellia quinque omnes, invito stomachanteque Cicerone, et antequam

Bruto, cui inscripti sunt, traderentur, sibi descripserint (vid. Att. XIII, ep. 21 et 22). Eaque ipsa causa fuit, quare auctor in quinto libro plura mutaret, ut hic liber denuo editus videretur, Atticumque urbane moneret, ne reliqui ante tempus in manus hominum venirent; nisi eosdem quoque mutatos, reliquamque librariorum ipsius operam perditam vellet. Cf. ibid. ep. 21 : « Scripsit Balbus ad me, se a te quintum de Finibus librum descripsisse : in quo non sane multa mutavi, sed tamen quædam. Tu autem commode feceris, si reliquos continueris, ne et ἀδιόρθωτα habeat Balbus, et ἕωλα Brutus ». Ex qua utraque veluti editione exemplaria propagata videntur : ita nobis quidem, præter alia quæ in adnotatione ad hunc librum tetigimus, miram loci illius (c. 8, 21) interpolationem satis apte explicari posse indicavimus. Simili certe ratione priora Academica in publicum elapsa, eorumque sic alterum librum ad nostra usque tempora servatum esse, in eorum introductione vidimus. Traditi autem Bruto hi nostri libri, id est, vere justeque editi, proxime ante idus sextiles videntur : tum enim ille cum Tullio in hujus Tusculano fuit (cf. ibid. ep. 45); neque postea temporis ulla eorum ad Atticum mentio injicitur. Ita absoluti quidem libri de Finibus prius sunt, quam posteriora Academica cœpta : sed paucis diebus post, quam hæc ab Attico Varroni traderentur (cf. ibid. ep. 37), in manus Bruti venerunt.

Hæc de horum librorum scriptione editioneque expedire nobis licuit. Jam de eo quoque tempore quærendum, quo sermones quique eorum habiti finguntur. Tres autem his quinque libris sermones vere diversi comprehenduntur, quum secundo et quarto libro illi præcedentium, sententia eadem in examen vocata, modo continuentur, loci etiam, temporis, et reliquarum διαλόγου παρασκευῶν ratio eadem ipsa obtineat. Tempus autem in eo commune habent omnes, quod ante civile bellum instituti esse putandi sint : quæ enim personæ præter ipsum principes introducuntur, hi vel

ante id bellum, vel in eo ipso occiderunt. Id quidem a se consulto factum auctor ipse testatur, Att. XIII, ep. 19 : « Quæ his temporibus scripsi, Ἀριστοτέλειον morem habent : in quo sermo ita inducitur ceterorum, ut penes ipsum sit principatus. Ita confeci quinque libros περὶ τελῶν, ut Epicurea L. Torquato, Stoica M. Catoni, Περιπατητικὰ M. Pisoni darem : ἀζηλοτύπητον id fore putabam, quod omnes illi decesserant ». Ita quidem auctor ad invidiam inter vivos vitandam ad morte defunctos confugerat. Sed quoad illum *Aristoteleum morem*, ex quo Cicero rerum disputandarum judicium in suam ipsius personam contulisse se dicit, locum hunc corruptum judicat Wyttenbach. V. Cel. in Epistola docta illa ad *Heusdii Specimen crit. in Plat.* p. 51; non convenire hæc cum alio Tullii loco, Divv. I, ep. 9, 67 : « Scripsi igitur Aristoteleo more, quemadmodum quidem volui, tres libros in disputatione et dialogo de Oratore » : nec cum alio Ammonii, διαλογικὰ δὲ, ὅσα μὴ ἐξ οἰκείου προσώπου συνέγραφεν, ἀλλ' ὥσπερ ὁ Πλάτων, ὑποκρινόμενος ἑτέρων πρόσωπα, κ. τ. λ. ex his enim colligi debere, Aristotelis in dialogis morem contrario loco non in eo constitisse, ut ex sua ipse persona loquutus sit, sed ut loquentes induxerit alios. Ammonii quidem locum ex ejus contextis judicare, quum eum in hujus *Vita Aristotelis* frustra quæsissemus, haudquaquam nobis facultas fuit : sed si de eo, quatenus excitatum legimus, judicium valet, posse hæc conciliari nihil dubitamus. Sic enim verba ejus vertenda videntur, « dialogica autem, quotquot eorum non ex sua ipsius persona, sed, Platonis exemplo, induens aliorum personas, scribebat » : ut his duplex Aristotelis dialogorum genus indicetur, alterum, quo hic et ipsius persona *principatum* illum obtinuerit, alterum, ubi sub alienarum personarum auctoritate delituerit : idque ipsum forte dupliciter, partim judicii summam ad unum aliquem conferens, ut Tullius in libris de Natura Deorum ad Cottam; partim eamdem inter plures distribuens, ut idem in illis de Oratore. Hanc vero loci vim desiderare vox ὅσα videtur, quum, si

auctor unum modo dialogorum genus notare vellet, ejus loco haud dubie *ā* scripsisset. Adde huc, quod rectius fortasse altero Tullii loco verba, *Aristoteleo more*, non tam ad dialogorum personas, et reliquam dialogi formam externam, quam ad rerum in iis tractatarum rationem et viam spectare dixeris: nam quæ adduntur, *in disputatione ac dialogo*, auctoris more per ἓν διὰ δυοῖν expressa, *disputandi per dialogum rationem* significant: ne moneamus, hunc, si duo imitationis genera ponere voluisset, *pariter ac*, vel similiter, scripturum fuisse. Addita insuper vel ideo etiam verba *Aristoteleo more* putari possint, ne hac in re Platonis ab illo diversissimum morem prave imitatus videretur, quum in reliqua disserendi ratione pæne totus ad hunc se applicasset: hoc certe nomine Tullium satis inepte vel hodie vituperari a pluribus solere, nemini non constat. Altero autem, quem tractamus, loco verba *in quo* æque non universum Stagiritæ in dialogis morem, sed ex parte modo spectatum, indicare videntur: valent enim « in quo more hoc quoque inest, ut sermo, etc. » Ita quidem hæc loca nihil inter se pugnabunt; idque magis tum apparebit, si ibidem post *morem*, ex crebra apud auctorem demonstrativi ante relativum omissione, *eum* cogitaris, atque coli, quod sequitur, loco virgulam posueris. Quod vero hæc, paulo fusius exposita, interjecimus, id eatenus excusatum volumus, quoad res ipsa ab his libris haud aliena videbatur: sed ad argumentum proxime redeamus.

Primi igitur secundique libri sermo in annum 703 conferendus est, et quidem in hujus exitum. L. enim Torquatus, qui, pariter atque C. Triarius, in ipso civili bello occubuit (vid. ad I, 5, 13), ut prætor designatus proponitur, præturam brevi initurus: quam hic vere gessit 704 (cf. Pighii annales h. a. p. 435). Huic tempori convenienter, ut alia, ita summa potentia, qua tum maxime Cn. Pompeius pollebat, commemoratur (cf. II, 18, 57); neque quidquam opus est, ut eo in loco cum aliis vel anachronismus sta-

tuatur, vel horum librorum scriptio ad illud usque tempus extendatur. Tertii deinde quartique libri sermo ad annum 701 applicatus videtur. Nam hoc ipso anno a Cn. Pompeio, tertium consule, lex illa de ambitu lata est, qua cautum, ne causarum patroni ternarum horarum spatium dicendo excederent: hæc autem ut brevi ante scripta commemoratur IV, 1, 1. Eodem ipso quoque anno fato functus est L. Lucullus, ex quo filium testamento in M. Catonis tutelam tradidisset, Tulliique simul curæ commendasset; vid. adnotata ad III, 2, 8. Hujus autem Luculli filii ita ibidem injicitur mentio, ac si inter hos de ejus educatione atque studiis tum primum sermo institueretur. His igitur duobus sermonibus se quinquagenarium Cicero venditat: at tertio libri quinti sermone eumdem, quasi Medeæ alicujus arte recoctum, repente adolescentulum viginti octo annorum vides, Antiochi magistri præceptis auscultantem, et quum maxime in nobilitatis illis Academiæ spatiis cum æqualibus deambulantem, de gravissimisque rebus, deque ipsis magistri decretis judicantem. Quod primo quidem adspectu nemini non mirum videri debet: sed accuratius si quæratur, ex necessitate quadam eum ita fecisse apparebit; atque sic demum dialogorum illa, qua hæc excusari solent, libertas recte admittetur. Erant quidem Brutus et Varro ex Antiocheis, qui disserentes introduci poterant, sed hi in vivis: ipse autem legem sibi scripserat, ne ex his nisi interlocutores, ut Quintus frater et Atticus, admitterentur. Ex mortuis restabat L. Lucullus, cui in priorum Academicorum libro posteriore partes primarias, ut Antiocheo, dederat. At libro vix edito, hoc a se factum ita ipsi displicebat, ut eam solam ob causam totum argumentum alia prorsus ratione elaborasse videri vellet. De re ipsa, veraque ejus causa, vid. Introd. ad Acadd. (vol. sup. p. 15 nost. ed.). Solus inde ipsi M. Pupius Piso occurrebat, decem fere annis Tullio major, re ipsa vero præ ceteris idoneus. Audierat hic enim non solum studiose Antiochum, sed etiam Staseam Peripateticum diu secum ha-

buerat: ut, quam philosophiam didicerat, eam non modo non neglexisset, sed magis etiam postero tempore excoluisset; cf. N. D. I, 7, 16. Præterea idem ille literis ita bene tinctus erat, ut « maxime ex omnibus, qui ante fuerant, græcis doctrinis eruditus » reperiretur; « acumine etiam quodam arte limato » polleret, eloquentiæque laude floreret; cf. Brut. 67, 236. At serius cum eo, quippe Clodii familiari, Tullius adeo discreparat, ut aperta inter eos inimicitia exerceretur; vid. Att. I, ep. 16. Redeundum igitur ad priora tempora erat, si uti ejus persona vellet. Quod quum semel esset faciendum, in ipsum illum annum sermonem cum eo instituendum rejecit, quem hi simul Athenis transegerant. Ad quod consilium fortasse hoc etiam auctorem commovit, quod sic optime L. Ciceronem, patruelem, intexere posset, quem præmatura morte 685 ereptum, ob singularem modestiam literarumque amorem eximie dilexerat; vid. ad V, 1, 1, cll. Ern. Clav. hist. h. n. Assignandus igitur quinti libri sermoni annus 674, vel certe proximi initium est, quo tempore studiorum causa auctor Athenis vixit, ibique, ut ipse testatur, « sex menses cum Antiocho, veteris Academiæ nobilissimo et prudentissimo philosopho fuit, studiumque philosophiæ, numquam intermissum, a primaque adolescentia cultum, et semper auctum, hoc rursus summo auctore et doctore renovavit »; vid. Brut. 91, 315.

II. Sed satis jam de vero scriptorum editorumque de Finibus librorum, deque ficto sermonum iis comprehensorum tempore: ad universi operis delineationem, quam secundo loco quærendam posuimus, veniamus. In quo mirabundos eos videre nobis videmur, qui, quæ hucusque ab aliis ad hos libros notata sunt, præsenti animo contineant: quum nusquam de aliqua totius hujus συντάγματος descriptione ne suspicio quidem injiciatur, neque facile interiore quodam ordinis filo tam diversi generis sermones cohærere posse videantur. Est quidem iis philosophorum familiis, quarum de Finibus sententiæ tractantur, harum rerum exponenda-

rum quædam pæne congrua series atque consentiens. Nam primo summum bonum quum ex natura universa, tum ex ea hominis deducitur; deinde ejus notio latius explicatur; porro secus de eo judicantium sententiæ examinantur; denique idem ipsum ad omnem virtutem vitamque ipsam accommodatur. Hæc disputandi via tribus his quidem sermonibus fere communis est: sed ista ipsa ratio non tam ad auctorem referenda, quam ad disciplinas ipsas, cum quibus eam natura pariter rei, atque usus communicarat: alia igitur hoc loco afferenda est, eaque in auctoris arbitrio posita. Atque hæc quidem, quum in sententiarum ipsarum expositione ordo disputationis semel receptus sequendus esset, in harum potissimum judicatione quærenda erit; quippe in qua liberius versari liceret : idque ipsum est, quod volumus. In hac autem Tullius ita versatur, ut, quæ in unaquaque sententia reprehendendum putat, ea prius paucis comprehendat, atque tum singulatim quæque resumpta non ex communibus quibusdam judicii regendi legibus, sed alterius disciplinæ sententia alteri opposita, utramque comparando magis, quæ sit probabilior, quærat, quam quæ ex his vera sit, dijudicet. Ita disertis verbis ille Epicureæ Stoicam ex adverso ponit (II, 14, 44), re magis, quam verbis, Stoicæ Academico-Peripateticam, ex Polemonis ratione propositam, objicit: (quamquam satis clare hæc quoque verba loquuntur, « universa illorum (Academicorum) ratione cum tota vestra confligendum puto » (cf. IV, 2, 3). Peripateticæ denique, ad Antiochi mentem explicatæ (quæ in paucis modo differebat), per ea Stoicæ occurrit, quæ in hac probabiliora judicabat. Ista quidem ratione auctor nusquam, quam sententiarum unice veram statuat, urget; sed utram ex duabus inter se collatis probabiliorem judicet, singulis his sermonibus sic ostendit, ut tota ipsius sententia ex toto opere conjicienda magis atque colligenda sit, quam ut ipsam claris distinctisque verbis expediat. Atque ita sane Ciceronem ex suæ philosophiæ ratione recte et sine justa

reprehensione fecisse, et facere potuisse, nemo non concedet, qui Academiæ recentioris hoc proprium fuisse intellexerit, ultra probabile in rebus cogitationis æque atque sensuum nihil dari, quum cognosci verum percipique nequeat. Ne poterat ille quidem sententiam, quam maxime sibi probabilem putasset, ita sequi, ut ad ejus quasi normam reliquas constanter exigeret: tum enim hanc ipsam ut veram posuisset; quod contra ipsius rationem erat. Academici enim hi *nihil affirmabant*, sed, *quasi desperata cognitione certi*, *id sequi* ubique *volebant*, *quodcumque* tempore quocumque ipsis *verisimile videretur;* cf. II, 14, 43. Idque ipsum etiam contra perpetuum ejus, si Academicum agit, morem fuisset. Alia enim res agitur, si Stoicam personam induit, ut in libris de Legibus, de Officiis, aliisque; quod huc plane nihil pertinet. Huc potius referenda ratio est, qua eum in libris de Natura Deorum sub Cottæ persona delitescentem disputare videmus.

Quæ quum ita sint, non sine magna injuria accusare auctorem videntur, qui inepte eum ridiculeque egisse autumant, Epicuri de finibus rationem ex illa Stoicorum confutantem; meram esse, quam vocant, petitionem principii, neque quidquam inde effici. Sed judicant isti sane ex suæ sententiæ modulo in re, quæ ex alterius sententia æstimanda atque metienda erat: et sic, quod in Tullio reprehendunt, ipsi committunt; petunt enim principium. Auctor quippe hac comparatione non id agebat, ut ex oppositorum comparatione (nihil autem Epicuri voluptati, εὐπαθείᾳ, magis opponitur, quam honestum, ἀπάθεια, Stoicorum), Epicuri sententiam falsam, eam contra Stoicorum veram esse doceret; tum enim ista ratio incongrua fuisset: sed ut, utra harum sententiarum probabilior esset, quodammodo ante oculos poneretur, et quasi sua sponte appareret. Id eo magis licebat, quum ex ipsa oppositione rei sive veritas, sive vanitas per se ipsa clarius illucescat: quibus enim gradibus alterius inde probabilitas augetur et crescit, iisdem illa al-

terius ex hoc ipso conflictu decrescat et imminuatur necesse est. Id ipsum volebat Chrysippus, quum « virtutis (id est, honesti) cum voluptate certationem » institueret, « totumque discrimen summi boni in eadem comparatione positum putaret »; cf. II, 14, 44. Hunc autem Tullio in hac ipsa comparatione exemplo præivisse, ut hic ipse locus docet, ita tertia quæstione accuratius videbimus. Jacet igitur illorum, qui hoc nomine auctorem carpunt, quamvis pervagata accusatio, istaque ipsa comparatio, ut hujus ἐποχῆ consentanea, et ex ea ipsa æstimanda, jure quodam suo defenditur.

III. Sed ad tertiam pergimus quæstionem, ut, « quos rerum tractatarum auctores Cicero singulis his libris sequutus sit », videamus. Nam illud bene de omnibus ejus philosophicis tenendum est, ipsum ubique certos quosdam e Græcis duces sequi, ad quos se quam proxime accommodet : ita tamen, ut, nisi si opus fuerit, haud anxie illorum verba premat, sed sua fere in verbis ipsis libertate et elegantia utatur. Id enim unice his scriptis expetebat, ut græca philosophia suo beneficio eleganter latine loqueretur; hoc idem ipse sibi, tum in his libris, tum alias sæpe, solum tribuit : neque ipsa in philosophia plus umquam vidisse vult, nec ad eam aliquid attulisse vero jure putandus est; licet philosophiæ historiæ scriptores plura commemorent, quibus hunc eam auxisse velint. Quid? quum ne tertio quidem Officiorum libro suus sit : ut ad hunc ipsum clare docebimus. Hæc igitur accurate tenenda sunt, si, quibus ex fontibus Cicero sua quæque hauserit, rite indagare velis, quum ipse raro, quos auctores sequatur, moneat, nonnumquam etiam vel consulto, quæ vestigia legerit, occultare videatur; conf. Introduct. ad librr. de Legg. Sed jam propius ad rem ipsam accedamus.

In librorum igitur de Finibus primo quæ Epicuri sunt, maximam quidem partem ex hujus κυρίων δοξῶν libello collecta sunt; reliqua enim, quæ ex cæteris ejusdem scriptis affe-

runtur, presse ad græca verba vertuntur: ut in his Epicurum ipsum sequutus videatur. Accedit quod in eo ipsum Epicureorum morem imitatus esse dici possit, quippe qui istas *ratas sententias*, ut eas ipse interpretatur, veritatis instar suspicerent, ipsas ediscerent, earum ubique velut indubitata auctoritate uterentur. Sed ex hoc ipso incertum relinquitur, anne ex Phædri Zenonisve scriptis hauserit, ad quorum auctoritatem ipse provocat (I, 5, 16); inprimis Zenonis, quem et ipse audierat (cf. ibid.), quique ex Philonis, Academici, judicio, cui Tullius plurimum tribuebat, *Epicureorum coryphæus* erat; vid. N. D. I, 21, 59. Ad hos certe referenda videntur, quæ ab Epicureis post Epicurum in hujus disciplina novata dicuntur, I, 9, 31, et 20, 66. At libro secundo, quo Epicurea sententia in judicium vocatur, dubitari nequit, Tullium esse auctorem Chrysippum sequutum. Sunt enim vere Chrysippea, quæ opponuntur, ut in adnotatis subinde monuimus. Ipse ille quoque decem libros περὶ τοῦ καλοῦ καὶ τῆς ἡδονῆς ad Aristocreontem scripserat (cf. Laert. VII, 202), in quibus Epicuream de finibus rationem cum Stoica in certamen vocabat, quorumque Cicero, II, 14, 44, paullo obscurius mentionem injicit, sic tamen, ut, eum inde sua derivasse, vix ambiguum sit.

Sed minus etiam obscurum est, Stoica ea, quæ tertio libro exponuntur, ad eumdem Chrysippum referenda esse, cujus περὶ τελῶν libri a multis laudantur, ex quorum primo locum conversum vides, III, 9, 31, ad eosdemque haud dubie ea quoque Chrysippi numeranda, quæ ibid. 5, 16; 14, 48, etc. a Tullio expressa contulimus. Omnia certe libri tertii ex mente ac sententia philosophi hujus, in Stoa principis, edisseri, subinde ad ipsum clareque docuimus. His vero Stoicis objicitur *quarto* libro Academica sententia, quatenus a Polemone exculta est et perpolita. Accommodarat autem Ethica Academicorum Polemo, Xenocratis, magistri antecessorisque, exemplo, ita proxime ad ea veterum Peripateticorum, ut utraque in rebus exacte conveni-

rent, paullum modo verbis differrent. Idem hic novam illam formulam proposuerat, qua *secundum naturam vivere* summum bonum dicebat, IV, 6, 14; 10, 25 et 27, etc. eamque ipsam deinde recentior Academia (nam Polemonem ultimum veteris cum Tullio numeramus), una cum ejus explicatione diligenter amplexa est, uno Antiocho Ascalonita, idque una tantum in re, excepto. Nam ne Carneades quidem quidquam serio mutavit: hic enim istam suam formulam disputandi modo causa posuit; vid. II, 11, 35. Inde hæc sententia proprie *Academico-Peripatetica* appellanda erat: sed auctor eam, ut etiam illam ex Antiochi mente expositam, simpliciter Peripateticam appellat, ratione nominis statim in oculos incurrente. Ipsa autem hæc Polemonis auctor non tam ex hujus scriptis petiisse, quam ex Philonis, qui solus ipsi in Academicis magister fuerat, vel institutione, vel libris hausisse videtur. Contra solos autem Stoicos hunc antecessorum more philosophiæ suæ tela acuisse et direxisse certum est; vid. Sext. Emp. Pyrrh. Hypot. I, 235, cll. Euseb. Præp. XIV, cap. 9. Et forte exstabant etiam quædam ejus in istorum ethica conscripta: Philonis certe libros Ciceronem ad suos usus diligenter adhibuisse, ad Acadd. II vidimus. Philo autem is maxime fuisse videtur, qui Stoicam ut in reliquis, ita in ethicis sententiam elevans, tam parum ab Academica Peripateticaque discrepare diceret, ut ratio probabilis nulla esset, cur Zeno nova rebus nomina imponendo singularem disciplinam condiderit. Hoc sæpius apud Tullium agitur, maxime vero IV, 5, 11; 7, 23, cum eoque tota libri disputatio arcte jungitur. Sed ne in his, quæ a conjectura pendent, moremur, ad librum *quintum* pergamus. In quo hucusque parum intellectum esse videtur, totam hanc Peripateticam de Finibus sententiam ex Antiochi expositione fluxisse. Hinc quædam dictionis proprietates ad hunc ipsum referendæ, quas subinde in adnotatione distinximus; hinc ad eumdem quoque præclarum illud pertinet, quod, Carneadis exemplo, sed enucleatius quæritur, *quot esse de fini-*

bus bonorum sententiæ possint; vid. V, 6, 7, cll. Augustin. de Civ. D. XIX, c. 1-3. Ita enim magnum momentum factum erat ad ipsos bonorum malorumque fines investigandos, ut, si hac via recentior ætas perseverasset, philosophi post renatas literas ad Kantium usque in principio morum doctrinæ constituendo minus vagi futuri fuissent. Illa quoque distinctius enodatiusque disputandi ratio Antiochum prodit, hominem acute et subtiliter disserentem, qualem eumdem, Acadd. II, sub Luculli persona vides. Denique ipsum summum illum Polemoneum finem, *secundum naturam vivere*, cujus explicationem Polemo nullam addiderat (vid. IV, 10, 26), verbis his additis, « vivere ex hominis persona undique perfecta, et nihil requirente », V, 10, 26, ad Antiochi usus accommodatum intelliges. Omnis igitur illa (ne per singula alia eamus) sententiæ Academico-Peripateticæ per Pisonem proposita explicatio, tota Antiochea est; uberior quidem, sed fida in reliquis atque rebus consentiens, et in sola *de vita beata* quæstione seorsim sentiens, et ab illa divergens. Dixit auctor igitur hanc quoque *Peripateticam*, a potiore item parte nomen usurpans. Quæ autem a Tullio objiciuntur, 26, 77; 29, 86, ea ad sententiam mere Antiocheam spectant: sed hæc ipsa quoque ex sola comparatione nata sunt, quum his Antiocheis Stoica opponantur. In quibus ipsum Diodoti Stoici judicio usum dicere licebit, quem multos annos domo sua secum habuerat, quique expresse ut Antiochea contemnens memoratur Acadd. II, 36, 115.

Hæc Introductio quo plenior sit, nonnulla addimus quæ Joannes Davisius, suæ editionis initio, monet de horum librorum inscriptione.

Licet opus ipsum, quod de Finibus bonorum et malorum concinnavit Tullius, eximias laudes ab omnibus meritum sit eruditis; tamen accidit ut index volumini præpositus nonnullis haud arriserit. Cælius enim Calcagninus (1) eam sententiam tenuit, ut hosce libros de Fine bonorum et malorum multo commodius inscripturum fuisse Ciceronem pronuntiarit. Sed, quemadmodum Jacobus Grifolus (2) optimo jure reposuit, « quum plures sint Philosophorum scholæ nec eumdem finem sibi proponant, quumque de omnibus Cicero scripturus esset, ut constat (3); recte *de Finibus* et non *de Fine* pulcherrimum illud opus inscripsit ».

Ast aliam litem movit J. C. Scaliger, cujus hæc sunt verba (4) : « Omnis finis est in genere bonorum. Quocirca non decuit M. Tullium vocem hanc tam ad mala quam ad bona retulisse in suorum librorum inscriptione ». Verum, ut libere dicam, toto cælo errat vir acutissimus, dum neque vim, quam *Fini* tribuit Cicero, nec usum loquendi satis attendit. Nam vocabulo *Finis* τὸ οὗ ἕνεκα non significatur : id enim certe vel est, vel videtur esse bonum, nec humanæ naturæ convenit, ut rem quamlibet tum temporis appetamus et consequi nitamur, quum plus eam detrimenti vel incommodi, quam jucunditatis aut emolumenti nobis allaturam censeamus. Τοῦ γὰρ δοκοῦντος εἶναι ἀγαθοῦ χάριν πάντα πράττουσι πάντες, ut olim dixit Aristoteles (5). Noster certe, quod pas-

(1) Disquisit. I in libros Ciceronis de Offic.
(2) Ad Calcagnini Disquisit. I, pag. 186.
(3) Id ipse Cicero testatur, Fin. I, 4.
(4) De Subtil. Exerc. CCL, pag. 726, ed. Wechel.
(5) Polit. I, 1. Vide sis et Ethic. Nicom. lib. I, capp. 1, 4.

sim monet (1), *finem* pro summo, vel ultimo, vel extremo ponit, et nihil impedit quo minus, ut est *summum ex rebus expetendis*, ita sit *extremum malorum*. Immo res sic se prorsus habet; nam *perspicuum est bonorum finibus malorum fines esse contrarios* (2). Quare si voluptas cum honestate, quod Callipho voluit, sit bonorum finis, dolor cum vitiositate finis est malorum : sin ad indolentiam et honestatem cum Diodoro bonorum summa referatur, molestiæ dubio procul et vitiositati est assignanda malorum summa : idemque judicium de reliquis hac in re philosophorum sententiis ferendum. Nec solus Tullius tali potestate verbum *finis* donavit, sed et alii plures. Senec. epist. 78 : «Tantum mortem desinamus horrere. Desinemus autem, si fines bonorum ac malorum cognoverimus. Ita demum nec vita tædio erit, nec mors timori». Apuleius, Apol. pag. 426 : «Utrum igitur putas majorem curam decoris suscipiendam... de finibus agrorum litiganti, an de finibus bonorum et malorum docenti?» Quin etiam Stoici (3) τελικῶν κακῶν meminerunt, eaque τοῖς ποιητικοῖς adjuncta τὴν κακοδαιμονίαν ἀποτελεῖν statuere. Scaliger itaque pater sibi plus quam par erat tribuit, quum latinos scriptores latine loqui docendos putaverit. In eodem tamen errore versatus est M. A. Muretus (4).

(1) Vide Fin. I, 4, 9; III, 7, 14.
(2) Acad. II, 42, 43.
(3) Vide Diogenem Laertium, VII, 97, et ibi Menagium.
(4) Var. Lect. XVII, 1.




M. T. CICERONIS

DE FINIBUS BONORUM ET MALORUM

AD BRUTUM

LIBER PRIMUS



ARGUMENTUM

LIBRI PRIMI DE FINIBUS.

In his quinque de Finibus libris (ut in Introductione pluribus vidimus) trium sententiarum principum, Epicureæ, Stoicæ et Peripateticæ enarratio et ponderatio ita continetur, ut primo ac secundo Epicuri, tertio quartoque Stoicorum, quinto denique Peripateticorum ratio proposita examinetur.

Primi autem libri exordio varias a se auctor reprehensiones amolitur eorum, qui hanc operam in philosophia latinis literis illustranda, ut principis Romani personæ parum accommodatam judicabant, ipsumque ad aliud scribendi studium avocabant. Respondet his partim rei ipsius dignitatem urgens, partim linguæ latinæ ab hac etiam parte excolendæ, et omnino ad Græcorum elegantiam evehendæ, necessitatem : fatigatque simul eorum fastidium, qui hæc græcis quidem literis exposita probabant, latinis, respuebant. Qua autem ipse olim opera forensibus in periculis civibus suis profuerit, eamdem jam quidem in his erudiendis collocaturum se profitetur. Eos vero, qui alia ab ipso scripta exspectabant, ad tot illa, quæ ante scripserat, ablegat, quot ante ipsum emiserit nemo. Esse etiam, quæ nunc paret, maximi ad vitam momenti, quum de fine agatur, ad quem omnia bene vivendi, recteque faciendi consilia revocari debeant, § 1—13.

A facillimis jam exorsurus Epicuri de finibus rationem primam in censum vocat, fingitque sermonem inter L. Torquatum, Epicureum, et C. Triarium, Peripateticum, cum ipso habitum, quum in Cumanum visendi ejus causa venissent. Mirabundum primo facit Torquatum, quod Epicuri rationem Tullius non probet, causamque ejus rei in sola orationis elegantia, ab hoc philosopho neglecta, quærentem. At hic, rem esse, quam non probet, non orationem; quum satis sit in philosopho, si, quæ sentit, plane dicat. Torquato autem, quæ non probet, requirente, hic per partes singulas totam illius philosophiam

percurrit, notans hic illic, quæ ex ea ipsi displiceant, § 13—17. In Physicis primo Epicurum totum pendere a Democrito, labique continuo, si quando eum corrigere conetur. Ita de atomis quum cetera illius vitia communicet, de harum motu recte hunc quidem vidisse, si ad lineam, ut solida corpora, deorsum ferrentur, nullam earum adhæsionem, atque ita nec mundum effici posse : sed pueriliter declinationem quamdam earum temerariam finxisse; in qua tamen vel sic nihil assequutus sit. Peccare eum etiam in solis magnitudine, quem fere bipedalem vocet, quum eumdem Democritus recte magnum dixerit. Cetera omnia esse Democriti, et tamen hunc, a reliquis laudatum, ab hoc ingrate vituperari, § 17—22. In logicis deinde Epicurum plane marcere. Rejicere eum definitiones, nihil præcipere de dividendo et partiendo, nihil de concludendi ratione : in sensibus ab eo unice verum poni. Fines denique bonorum et malorum ipsi, cum Aristippo, voluptatem esse et dolorem; qua sententia nihil sit homini, ad majora a natura nato, indignius, § 22—26.

Provocatus his dictis Torquatus, et a Triario magis etiam lacessitus, alio quidem tempore reliqua in Epicuro reprehensa defensurum se promittit; nunc autem rem in omni philosophia maximam expositurus, de ultimo bonorum ex ejusdem ratione in voluptate ponendo, agere instituit, atque ita exorditur, § 26—30.

Omne, ex quo natum sit, animal, voluptatem ut summum bonum appetere, dolorem ut summum malum refugere; idque ipsa natura duce. Ejus rei probatione nihil esse opus, quum æque sentiatur atque calor ignis, mellisque dulcedo; satis esse, si moneatur : neque, præter sensuum veritatem, ex sola ratione certi quidquam peti posse. Ita Epicurum. Sed esse quosdam ex ejus familia, qui in solo sensuum judicio non acquiescant, et rationali via probare nitantur, voluptatem ipsam per se expetendam esse, parique modo dolorem fugiendum, ex velut innata animis notione id repetentes. Alios hoc ipsum accurata argumentandi ratione docendum esse statuere : non enim nimis esse causæ fidendum, § 30—32. Hos Torquatus ipse sequutus, aperte docere, ex ipsis Epicuri dictis, pollicetur, quo ex errore voluptas a secus sentientibus rejiciatur, dolorque probetur. Neminem enim per se voluptatem accusare, doloremque laudare; sed

quod ex illa prave utentibus magni dolores, ex hoc interdum magnæ voluptates oriantur. Eos autem jure accusandos, qui cæco impetu in præsentes voluptates ferantur, nec, qui inde dolores sint oriundi, provideant: similes hos iis esse, qui animi mollitie, id est, dolorum fuga, officia sua deserant. Incidere enim tempora, quibus sæpe voluptates rejiciendæ, molestiæque suscipiendæ sint, ut rejiciendis illis majores aliæ parentur, his suscipiendis duriores declinentur. Ita Torquatum, quum filium morte multaret, saluti civium prospexisse, qui intellexerit, hac suam quoque contineri. Atque ita omnino viros claros fortesque fecisse, ut, voluptatibus neglectis, alias majores consequerentur, doloresque exciperent leviores, durioribus vitandis, § 32—37. Sed ad errorem imperitorum tollendum hoc inprimis facere, ut, quæ qualisque voluptas ipsa sit, teneatur. Non enim eam solam voluptatem habendam esse, quæ sensus suaviter afficiat, sed eam maximam judicandam, quæ insit in doloris omnis absentia. Quum vero expertes doloris, vacuique omni molestia, gaudeamus, omne autem gaudium voluptas sit: recte hinc illam doloris vacuitatem appellatam esse voluptatem, eamque summam; tum enim variari modo posse voluptatem, augeri non posse, § 37—40.

Eos igitur, qui contra naturam summum bonum sola in virtute ponant, maximo, si Epicurum audiant, liberari errore posse. Virtutes enim illas omnes, quas tantopere celebrent, ex eo ipso, quod voluptatem efficiant, laudabiles esse et expetendas. *Sapientiam* enim, quæ ars sit vivendi, ut artes ceteras, inde esse expetendam, quod voluptatem conquirat et comparet, removeatque ex animis terrores, cupiditates (quarum egregia sit triplex illa Epicuri partitio), falsasque opiniones. Non recte igitur eam propter semet ipsam expeti, § 42—47. Eodem modo esse vel *temperantiam* non propter se, sed quia pacem et tranquillitatem animis conciliet, expetendam. Hanc enim, ratione duce, non solum judicare, quid faciendum, vitandumve sit; sed perstare etiam in judicato debere: quod qui neglexerit, hunc, oblata specie utilitatis, libidinibus constrictum maximis doloribus improvidum patere; doloremque tum fugere, quum major ex eo voluptas enascatur, gravioresque dolores evitari possint, § 47—49. Nec aliam esse *fortitudinis* rationem: quippe

quam non per se ipsam expetamus, sed ut sine cura et metu vivamus. Ut enim mortis metui doloribusque succumbere miserum sit, atque inde tot parentum, amicorum, patriæ proditores exstiterint : ita esse fortem excelsumque animum omni cura immunem, mortis contemptorem, ad dolores ferendos paratum; quorum maximi morte finiantur, parvi crebris requietis intervallis distinguantur. Ita quidem timiditatem improbari et rejici, quod dolorem; fortitudinem laudari et optari, quod voluptatem pariat, § 49, 50. Relinqui *justitiam*, quæ item a voluptate sejungi nequeat, quum partim suapte natura animos tranquillet, partim spem præbeat, ea semper affore, quæ natura non depravata requirat. Injustitiam contra esse, quæ animum usque pœnæ metu excruciet, praveque factorum conscientia. Vocari igitur bene sanos a vera ratione ad justitiam, æquitatem, fidem. Ita quidem nec justitiam per se ipsam expetendam esse, sed quod multas vitæ commoditates jucunditatesque conciliet, § 50—54.

Si igitur ne virtutes quidem, a reliquis philosophis tantopere celebratæ, ratione vero consentanea laudari possint, nisi ad voluptatem referantur, sique voluptas sola nos invitet alliciatque per sese, et natura sua; certum esse, extremum bonorum in voluptate poni, beateque vivere, idem esse, quod, cum voluptate vivere, § 54. In ipsis igitur finibus bonorum et malorum, in voluptate atque dolore, errorem esse nullum; sed in his peccari, quod nesciant, unde hæc efficiantur. Animi quidem voluptates et dolores, ex iisdem corporis oriri, sed animi multo majores esse, quam corporis. Corpore enim nihil nisi præsens sentiri; animo præterita etiam et futura : inde magnum et voluptati, et dolori pondus accedere, ad vitam beatam pariter atque miseram, § 55—58.

Ita apparere, quomodo Epicurus, quem secus sentientes voluptatibus nimis deditum dicant, recte contendat, non posse jucunde vivi, nisi sapienter, honeste, juste, atque vice versa. Non beate vivere enim civitatem in seditione, in discordia domum, posse : multo minus animum a sese ipsum dissidentem ulla sinceræ voluptatis parte frui. Animi morbis, id est, cupiditatibus inanibus, ægritudine, mœrore, omnem prohiberi vitæ jucunditatem, exedique his animos. Stultum autem quemque

aliquo certe morborum istorum esse ægrum, atque ita miserum: sapientem contra semper beatum, § 58—61. Hæc tradere Epicureos melius rectiusque, quam Stoicos, qui honesti nomine inanem quamdam umbram virtutis complectantur, quum hanc ad beate vivendum se ipsa contentam statuant. Illos virtutem solidam quamdam rem facere, addita voluptate, qua sapiens numquam careat. Hunc enim, quum præterita grate meminerit, præsentibus fruatur, futura non timeat, ab illis vitiis, quibus stultorum vita evertatur, abesse plurimum: ita suam vitam cum ea istorum comparantem, magna voluptate affici, nihil doloribus, si qui incurrant, interrupta; semper enim plus esse, quo gandeat, quam quo angatur, § 61—65.

Dialecticam autem, de qua Stoici sibi multum tribuant, Epicurum minus curasse, quum eam neque ad melius vivendum, neque ad commodius disserendum quidquam conferre judicarit. *Physica* vero eum accurate coluisse, quippe quæ omnium rerum naturam tradant, superstitionem mortisque metum tollant, monstrentque, quæ natura desideret. Natura autem rerum perspecta, veritatem quoque sensuum perspici, qua demum ex Epicuri ratione probata, cognosci aliquid percipique possit. Cognitione vero sublata, omnem et vitæ degendæ, et rerum gerendarum rationem tolli, § 63—65.

Relinqui locum de *amicitia*, quam adversarii tolli statuant, voluptate ut summum bonum defensa, quam tamen Epicurus ad beate vivendum omnium maxime necessariam et dixerit, et vita factisque probarit. Quum enim tria modo ex omni antiquitate amicorum paria memorentur, illum in unam angustamque domum magnas intimorum amicorum catervas congregasse, § 65, 66. Disputari autem tripliciter ab Epicureis de amicitia. Alios nolle voluptates amicorum per se ipsas tam expetendas, quam nostras: nostram enim, ut in virtutibus, sic in amicitia nos petere voluptatem, non alienam. Sed ipsam amicitiam intime cum voluptate esse conjunctam, et firme ab hac sustentari, ut amicorum lætitia aut tristitia, æque ac nostra gaudeamus, doleamusve, § 66—69. Alios, secus sentientium convicia reformidantes, ingressus modo amicitiæ voluptate dirigi velle; sed, usu accedente, amorem ita augeri, ut amici propter se ipsos amentur: idque ipsum in rebus vel aliis, quibus adsueverimus, usu venire. Alios deni-

que, fœdus quoddam inter sapientes convenisse, dicere, ex quo amici ut nosmet ipsi diligendi sint : idque et posse fieri, et sæpe fieri, et in aperto esse, nihil tali fœdere ad jucunde vivendum esse aptius. Ita intelligi, amicitiam minime impediri, si voluptas summum bonum ponatur; sine hac vero ad amicitiam ne aditum quidem patere. Reliqua peroratione continentur, cum laude Epicuri, § 69—72.

M. T. CICERONIS

DE FINIBUS BONORUM ET MALORUM,

AD BRUTUM,

LIBER PRIMUS.

I. Non eram nescius, Brute, quum, quæ summis inge- 1
niis, exquisitaque doctrina philosophi græco sermone tractavissent, ea latinis literis mandaremus[1], fore, ut hic noster labor in varias reprehensiones incurreret. Nam quibusdam, et iis quidem non admodum indoctis, totum hoc displicet, philosophari. Quidam autem non id tam[2] reprehendunt, si remissius agatur; sed

I. 1. *Latinis literis mandaremus.* Ego et tu. Nam Brutus quoque in hanc exercitationem studiose incumbebat. Liber ejus de virtute quum alibi, tum hoc ipso in prooemio a Cicerone laudatur. Veteres grammatici citant librum ejusdem de officio, sive περὶ καθήκοντος, ut eum vocat Seneca, Ep. 95, med. Conf. Cic. Academ. lib. I, cap. 3 : « Brutus quidem, inquit, noster, excellens omni genere laudis, sic philosophiam latinis literis persequitur, nihil ut iisdem de rebus græca desideres ». Muretus.

2. *Non id tam... sed.* Voces *non id*, quo major vis in negativa esset, transpositæ sunt, ut, « non hoc ideo, non ego ». *Tam* servant bini nostri, Erl. *non tam id*, Gud. *tamquam* : reliqua turba cum reliquis *tantum* mutavit : ut pro lubitu scribæ solent, si vocis vim non assequuntur. Non enim Lallemandus sequendus est, qui sic edidit. Davis. *tum* ex conjectura; atque ita jam Pet. Marsus. Sed recte *tam* probat Bremi; modo non recta ratione, qui pro *valde* positum accipiat. Immo *tam* ut h. l. sic alias elliptice ponitur, *quam* intellecta. Orat. 48, 161 : « Quod si indocta consuetudo tam est artifex suavitatis (sc. *quam* docui), quid ab ipsa tandem arte... postulari dicamus? » Att. XIII, ep. 25 : « male mihi sit, si umquam quidquam tam enitar » (quam has ad Varronem literas). Sed etiam ad particularum juncturam, *non... tam..... sed*, attendendum erat. Brut. 15, 58, « quæ nunc quidem non tam est in plerisque, sed est ea

tantum studium, tamque multam operam ponendam in eo[3] non arbitrantur. Erunt etiam, et hi quidem eruditi græcis literis, contemnentes latinas, qui se dicant in græcis legendis operam malle consumere. Postremo aliquos futuros suspicor, qui me ad alias literas vocent : genus hoc scribendi, etsi sit elegans,
2 personæ tamen, et dignitatis esse negent. Contra quos omnes dicendum breviter existimo. Quamquam philosophiæ quidem[4] vituperatoribus satis responsum est eo libro[5], quo a nobis philosophia defensa[6] et collaudata est[7], quum esset accusata et vituperata ab Hortensio[8]. Qui liber quum et tibi probatus videretur, et iis, quos ego posse judicare arbitrarer, plura suscepi, veritus, ne movere hominum studia viderer, retinere non posse. Qui autem, si maxime hoc placeat[9], mo-

laus eloquentiæ certe maxima ». G.

3. *Ponendam in eo.* P. Marsus, aliæque vett. *in eo pon.* nec aliter tacite Davis. Quod ne cui præplaceret, virgulam bis præmisit Gœr. nam, inquit, *pon.* efficacius præmissum, ad *studium* quoque pertinet.

4. *Quamquam... quidem.* Bini mei cum ψ. *quidem* ignorant. Pessime. Posita est enim hæc part. pro, « quod attinet ad Ph. vituperatores »; quippe qui pars eorum essent, contra quos breviter dicendum. G.

5. *Eo libro.* Ante *eo libro* plures scripti *in* addunt : sed potiores recte ignorant, quum totus hic liber in eo ipso argumento occuparetur. G.

6. *Quo a nobis philosophia.* Multi scripti et veteres editi transposite, *phil. a nobis* : ut ad conjecturam rapiaris voc. *philosophia*, ob sedem vagam, inducendam esse. Sed notiones primarias repeti ex Ciceronis usu solere, alibi notavimus, Legg. I, 1, 2, etc. Verissimam autem vulgatæ seriem esse, ex oppositione patet, in qua auctor enuntiata invertere amat. Vide nos infra, V, 29, 88. G.

7. *Defensa et collaudata est*, *quum esset accusata et vituperata.* Oxonn. E. et ξ. « def. est atque collaudata », omissis vv. *et vituperata.* Quam quidem lectionem, licet blande in aures irrepat, ideo, quod paria membra sic perimuntur, jure rejicimus. Seorsim etiam hi bini codices ubique fere sentiunt, ita tamen, ut vix uno alterove loco consentire cum iis liceat. G.

8. *Ab Hortensio.* Hortensium abhorruisse a philosophis, vel hinc colligi potest. Neque sane mirum est, piscinario illi philosophiam parum probatam fuisse. Lege, quæ de eo narrat Macrobius, lib. III Saturnaliorum : non quæres, cur ejusmodi homini philosophis sorduerit. Muretus.

9. *Si maxime hoc placeat.* Malis forte, « si vel maxime » ; atque ita ex usu. Sed simplex *maxime*, soni pondere adjutum, idem valet. Eodem

deratius tamen id volunt fieri, difficilem quamdam temperantiam postulant in eo, quod semel admissum[10] coerceri reprimique non potest: ut propemodum justioribus utamur illis[11], qui omnino avocent a philosophia, quam his, qui rebus infinitis modum constituant, in reque eo meliore, quo major sit, mediocritatem desiderent. Sive enim ad sapientiam per- 3
veniri potest: non paranda nobis solum ea, sed fruenda etiam est[12]. Sive hoc difficile est, tamen nec modus est ullus investigandi veri, nisi inveneris; et quærendi defatigatio turpis est, quum id, quod quæritur, sit pulcherrimum. Etenim si delectamur, quum scribimus, quis est tam invidus, qui ab eo nos abducat? sin laboramus, quis est, qui alienæ modum

modo pro Quint. 10, 35, « si maxime velim ». G.

10. *Quod semel admissum.* Sic Davis. cum utroque Manutio, præeuntibus veteribus editis pluribus, scriptisque haud paucis confirmantibus. Prius *jam missum* edebatur, vel simpl. *missum*; ut codd. reliqui omnes. Recte probant idem Ern. et Bremi. Sed si hi viri de certamina monent, quo *admitti equi* dicuntur, in eo argutius facere videntur. Equidem *admissum*, sc. in animum, *studium* id puto, quod quis intentius amplecti cœpit. Ita certe accuratius contexta cohærent, hoc sensu: « Quod si semel se in animum insinuarit, totum occupat; sic ut certis quibusdam finibus circumscribi non possit ». Jam demum hæc cum verbis, « qui rebus infinitis modum constituant », aptius conveniunt. « Admittere in animum, in aures, etc. » haud raro sic dicitur: nec debet ellipticea ratio in tam facili contextu offendere. Adde denique quod, si illud præplacuerit, in proximis Cicero deseruisse tropum putandus sit. Ceterum simillimum addi Senecæ locum liceat de Ira, I, 7, 3, « facilius est excludere perniciosa, quam regere, et non admittere, quam admissa moderari ». G.

11. *Justioribus utamur illis.* Justiores in nos sint illi. Muretus.

12. *Non paranda nobis solum ea, sed fruenda etiam est.* Vulgo legitur: « sed fr. et. sapientia est ». Gœrenz servavit vulgatam lectionem, sed uncis inclusit [*sapientia est*]. Intactum, inquit, hunc locum reliquimus, ita tamen ut corruptum testaremur. Davis. quum in Eliensi v. *sapientia* non reperisset, abjecit, Ernestiusque ejus exemplum sequutus est. Sed, recte hoc factum esse, negat Bremi exemplis ejusmodi pleonasmum defendens, nobis certe h. l. non satisfacientibus. Ut aperte fateamur, nobis utrumque verbum, *sapientia est*, delendum videtur, quum ubique fere, si *etiam* in clausula ponitur, scribæ offendant. Vide nos ad Acadd. II, 35, 113 (pag. 396,

statuat industriæ? Nam[13], ut Terentianus[14] Chremes non inhumanus, qui novum vicinum non vult

Fodere, aut arare, aut aliquid ferre denique;

non enim illum ab industria, sed ab illiberali labore deterret: sic isti curiosi, quos offendit noster minime nobis injucundus labor.

4 II. His igitur est difficilius satisfacere[1], qui se latina scripta[2] dicunt contemnere; in quibus hoc primum est in quo admirer[3]: cur in gravissimis rebus non

not. 6, nostræ editionis). Verbi autem subst. ad participia futurorum passiva solemnem omissionem ad libb. de Legg. et Acadd. sæpius docuimus. Adde, si v. *sapientia* auctor denuo addi voluisset, vix ante *ea* additurus fuisset. Ceterum probatiore verborum serie Gud. 1, *ea nobis solum.*

13. *Nam, ut ... non inhumanus ... sic isti curiosi.* Recte vindicavit hæc Bremi contra Alemannum, qui hæc mente destituta judicabat. Adde hoc modo, quod auctor, ne ipse inhumanitatis incusaretur, in appositione *curiosi* pro *inhumanis* dixit. Illo enim ab *illiberali* labore deterrente, istis a *liberali*, eoque *non injucundo.* Ceterum *ut ... sic* opposita jungunt, ut alibi, cf. infra I, 21, 67; II, 31, 100, atque cogitari ad *sic*, *contra* debet: quæ alias additur. Tusc. V, 6, 16, « ut hi miseri, sic contra illi beati ». Parum recte igitur Bremi hoc, quod has partt. pro *quamquam ... tamen* græce positas accipit. G.

14. *Terentianus Chremes.* In Heaut. act. I, sc. 1, v. 117. Perplacet Bentleii conjectura, *facere* pro *ferre* reponentis. Errat enim Bremi, si *notionem nimium generalem* sic intrudi judicat: *aliquid* enim tum pro *aliud quid* accipiendum est, ut sæpissime, et paucis ante § 1, fin. *aliquos futuros suspicor.* Sic demum *denique* accurate coit. G.

II. 1. *His igitur est difficilius satisfacere, qui.* Primus h. l. offendit Rath. maluitque hæc ad præcedentia sic accommodari, ut ante *qui* puncto maximo posito, paullo post pro *in quibus*, legeretur *in iis.* Nolle enim auctorem dicere, videbat, illis *facilius* satisfieri posse, quam latina contemnentibus. Sed desierat auctor cum quadam indignatione, atque sic, ut tum solet, orationem abrupit. Vide nos ad Acadd. II, 41, 127. Jam hæc cum antecedd. ita cohærent, ac si scriptum esset: « Illis satisfacere, i. e. rationem hanc meam probare, si velint homines esse, paucis iis, quæ dixi, licet: his autem difficilius; longiorem igitur res orationem desiderat ». G.

2. *Latina scripta.* Recte: non *latine scripta*; quum *scripta* substantive ponatur, adjectivumque ideo præmissum sit, quod vis enuntiati in eo contineatur. G.

3. *In quibus hoc pr. est in quo admirer.* Alibi enim auctor fere, *in quibus... est, quod adm.* ut Th. Bentl. sine necessitate conjecit. Sed Bremi vulg. defendens, rem non confecit, quum, « in aliqua re admirari », recte dici defenderet: duplex constructio h. l. jungitur, « in homine, et in re aliquid admirari », cujus simile

delectet eos patrius sermo, quum iidem fabellas latinas, ad verbum de græcis expressas, non inviti legant. Quis enim tam inimicus pæne nomini romano[4] est, qui Ennii Medeam, aut Antiopam[5] Pacuvii spernat, aut rejiciat? qui se iisdem Euripidis fabulis delectari dicat [latinas literas[6] oderit.] Synephebos[7] ego, inquit, potius Cæcilii, aut Andriam Terentii, quam utramque Menandri legam? A quibus tantum dissentio[8], ut, quum Sophocles vel optime scripserit Electram, tamen male conversam[9] Attilii mihi legendam putem. De

exemplum ignoro. Sed amat Cicero formam « hoc est, in quo dubitem, læter, etc. » Sæpissime autem Cic. *admirari* de iis, quorum sentiendi et agendi ratio non conveniunt. G.

4. *Inimicus pæne nomini R.* Tres mei *pæne* post *nomini*. Offenderunt scribæ in vocis positu, ignorantes subjici eam solere, si sententiam mitigat. G.

5. *Antiopam Pacuvii.* Euripidis tragœdiam, quam Pacuvius Ennii nepos, in latinum verterat. Illius trag. quædam fragmenta supersunt, in Euripid. edit. *Barnes*, Camborit. 1694.

6. *Latinas lit. oderit.* Sic J. V. L. cum vulgatis edd. Gœrens pro *qui* legit *quod*, et illa quæ post *dicat* adduntur, nempe « Latinas literas oderit » ejicit.—Quæ, delete a nobis, inquit, quum Davis. in Paris. 2 non reperisset, ut spuria uncis coercuit; non improbante Ern. Bremi contra, Gulielmi exemplo, modo v. *literas* ad uncos damnavit. Ignorant eadem Gud. 2 et Spirens. idque merito. Sed recte videbant iidem, vel tum nondum reliqua coire: Davis. igitur *quique se*, cum Eliensi, Ern. *quum se*, de suo, suadet. Nos quidem ex Gud. 2, Erl. et Bas. qui *quod si* exhibent, *quod* recepimus idque præbent E. et ξ. simpliciter: nam lectt. *qui*, *quique*, et in his nostris *si*, ex eo ipso natæ videntur, quod scribæ sic pannum istum assuendum putebant. Neque melius loco consulitur, si modo *literas* deleris, quum, quæ tum resident, non magis Cicerone digna evadant: quippe qui et *illas* addidisset, et tam grave verbum vitasset. *Quod* autem est, *ea ratione quod*, ut sæpissime. Relinquitur igitur nos ex scriptorum auctoritate loco bene consuluisse. Laudantur autem hæ Ennii et Pacuvii tragœdiæ, ut ex suo genere inter latinas optimæ.

7. *Synephebos.* I. e. juvenes condiscipuli, Menandri comœdia, a Cæcilio, Ennii coævo translata.—*Inquit.* Nota objiciendi forma. Supple, *adversarius*.

8. *A quibus tantum diss.* Gœrens *a quibus tam diss.* Recte, inquit, Bremi *tam* revocat, quod Davis. et Ern. in *tantum* muterant: modo quod parum recte ad locum supra I, 1, ablegat, in quo penitus alia ratio est. Cohærent h. l. partt. *tam* ... *ut*, quarum in relationes *tam* pro *tantopere* ponitur; cf. Cœl. 7, 16.

9. *Conversam.* Reizius præpositionem, ut suspectam, in exemplari suo notavit: sed vide Mencken. Obss. L. L. v. *convertere*. G.

quo Licinius «ferreum scriptorem»: verum, opinor; scriptorem tamen [10], ut legendus sit. Rudem enim esse omnino [11] in nostris poetis, aut inertissimæ segnitiæ est, aut fastidii delicatissimi.

Mihi quidem nulli satis eruditi videntur, quibus nostra ignota sunt [12]. An [13],

10. *Ferreum scriptorem... scriptorem tamen*. Hæc, ut sesquitrochaicum, distinxit Davis. auctore Vossio de Poett. Latt. pag. 232. Ita sane, si pedes numeras. Sed tum sententiam mutilam dedisset auctor. Nam, ut verba sonant, accus. *ferreum script.* ad alium quem referendi sunt, quam quæ adduntur. Rectius igitur vulgata, quæ illa modo Licinio vindicat: atque id quidem vel ob *enim*, quæ sequitur. Sed proxima rectius interpungenda videntur, quum vulgo, « verum, opinor; scriptorem tamen, ut ». *Verum tamen* cohærent, vel alibi separatim positæ, sic ut voces interjectæ majori vi dicantur. Verr. II, 41, 101: « Mala et improba defensione, verum aliqua tamen, uti videtur, etc. » Alibi ipse auctor Attilium *durissimum poetam* vocat; cf. Att. XIV, ep. 20. Post *scriptorem* autem excidisse *enim* judicamus; ita enim hae in structura perpetuo more Cicero. Idque ob præced. syll. ex comp. facillime negligi potuit. G.

11. *Rudem enim esse omnino*. Gud. a *omnino* ignorat, quod ob verborum, quæ sequuntur, gravitatem haud recte probabitur. Vidimus etiam hunc cod. in omissa voce *omnis*, nescio cujus compendii culpa, haud semel peccare. Eamdem vocem G. 1 et Vien. post *nostris* rejiciunt. Excidisse nempe eam putabis, et deinde falso loco repositam. Si vero tamen in vocis hujus positu offenderis, notandum est, eam æque positam esse, ac si alias in enuntiati clausula solet. Verba enim, *in nostris poetis*, quasi ἐπίμετρον addita sunt, ad sententiam ab ambiguitate defendendam. G.

12. *Sunt*. Infringit Ern. vim sententiæ, si *sint*, pro *sunt*, legendum suadet. G.

13. *An .... quam hoc idem græcum: ... non placebit latine?* Ita legendum esse certissimum est. *An* quidem solus e nostris Spir. habet; sed idem duo Lambini referebant, ex ingenio commendatum a Mureto. Quam igitur part. cum Davis. pro vulg. *at* recepisset, recte sequuti sunt Ern. et Bremi: sed non tam argumentationis, quam constructionis ratione sic jubente. Respondent enim sibi *an*, et *non* apodoseos, pro *annon* .... *nonne* positæ, ut sæpissime. Suadebat quidem nuperrime vir sane doctissimus, « At ... quamquam hoc id. » ut ξ. præbet: sed ut vel sic *At* minus consecutioni favet, ita part. *quamq.* nihil opus est, quum vv. *nihilominus legimus*, *quam*, idem quod, *æque placent atque*, valeant. Referenda hæc sunt ad illa § 4, « quum iidem fabellas Gr.... non inviti legant ». Quæ autem his interposita sunt, ea recte quasi παρενθετικῶς inserta putabuntur. De ipso autem Ennianæ Medeæ loco, ab auctore toties laudato, præter alios cf. qui hujus fragmenta nuper collegit Planck. pag. 74. Cæterum huic loco similis ille

Utinam ne in nemore [14]..............

nihilominus legimus, quam hoc idem græcum; quæ autem de bene, beateque vivendo a Platone disputata sunt, hæc explicari non placebit latine? Quod si nos 6
non interpretum fungimur munere, sed tuemur ea, quæ dicta sunt ab his, quos probamus [15], eisque nostrum judicium, et nostrum scribendi ordinem adjungimus, quid habent, cur græca anteponant iis, quæ et splendide dicta sint, neque sint conversa de Græcis? Nam si dicent, ab illis has res esse tractatas: ne ipsos quidem græcos est cur tam multos legant, quam legendi sunt [16]. Quid enim est a Chrysippo prætermissum in stoicis? legimus tamen Diogenem [17],

comparandus est Acadd. I, 3, 10: « Quid enim causæ est, cur poetas latinos græcis literis eruditi legant, philosophos non legant? an, quia delectat Ennius, Pacuvius, Attius, multi alii, qui non verba, sed vim expresserunt græcorum poetarum... quanto magis philosophi delectabunt, etc. » ubi nos vide. Atque ne denique inter hæc et nostrum locum, cum Turnebo aliisque, pugnam statuas, sic satis jejune tollendam, ut vv. « qui non verba, sed vim expr. » non ad Enn. Pac. et Attium, sed ad *multi alii* referantur, quum illæ illorum fabulæ ad verbum de Græcis expressæ, § 4, dicantur: tenendum est, *non* ... *sed* pro *non modo* ... *sed etiam* dici, idque creberrimo exemplo. Sic continuo omnia complanantur. G.— Int. si græci versus e quibus hi sc. *utinamne* .... convertuntur, non obstant quin latinos legamus, cur etiam Platonis philosophiam latine expressam minus legeremus?

14. *Utinam ne in nemore*. Hoc est versus initium, qui cum cæteris ejusdem fragmenti citatur longius de Fato, cap. 15, et ad Herenn. II, 22. Sumitur e Medeæ tragœdia, quam Ennius ex Euripide converterat.

15. *Ab his, quos probamus, eisque*. Ita præter tres nostros, Oxon. E. P. Mars. aliæque edd. vett. marcet enim per se jam vulgatum *iis* inter *ea* et *eisque*.— In proximis *sint* a Davis. pro *sunt* recte repositum, servant duo etiam mei, Pet. Mars. aliæ: Itemque tres nostrorum *dicent* confirmant, non *dicerent*. G.

16. *Quam legendi sunt*. Quæ verba quum Ern. in insititiis haberet, alii pro *legi possint* accepta vellent, recte Bremi, et simpliciter, *legi debent* explicat, sc. « si docti et esse et haberi velint ». G.— Int. cur legant tam multos qui de iisdem rebus scripserunt, quos tamen legi debere fatentur?

17. *Diogenem... Posidonium*. Diogenes hic Stoicus fuit, ortus Babylone, Babyloniusque ideo dictus, discipulus Chrysippi: secundo bello Punico ab

Antipatrum, Mnesarchum, Panætium [18], multos alios, in primisque familiarem nostrum Posidonium. Quid Theophrastus [19]? mediocriterne delectat, quum tractat locos ab Aristotele ante tractatos? Quid epicurei? num desistunt de iisdem, de quibus et ab Epicuro scriptum est, et ab antiquis, ad arbitrium suum scribere? Quod si Græci leguntur a Græcis, iisdem de rebus alia ratione compositis [20], quid est cur nostri a nostris non legantur?

Atheniensibus Romam missus est cum Carneade Academico et Critolao Peripatetico. — Antipater discipulus fuit hujus Diogenis, oriundus Tarsi, vel Tyro, vel Sidone, et præceptor Catonis majoris, vel ejus tantummodo secundum alios amicus. — De Mnesarcho, quem non confundas cum Pythagoræ patre, nil nisi quod Cicero hic et alias (Orat. I, c. 11; Acadd. fragm.) dicit, novimus. — Panætius Stoicus, Rhodius, discipulus Antipatri, præceptor Scipionis, quem in Ægyptum sequutus est. Librum fecerat de officiis, quem Cicero imitatus est. — Posidonius, qui Rhodius dictus est, Apamea oriundus erat, Panætii discipulus; fuit inter Cic. familiares qui eum sæpe Rhodi audivit; auditus est etiam a Pompeio contra Mithridatem proficiscente.

18. *Mnesarchum, Panætium.* Horum nomina ex librariorum haud dubie negligentia sic transposita leguntur. Non semel quidem Cicero discipulum magistro præmittit, si ille hoc clarior, vel si consulto inverso ordine utitur: quorum neutrum huc pertinet. At forte memoriæ lapsu! Ita scilicet Viri Docti, ejusmodi si occurrunt, defendunt. Sed bene hoc ipse norat, quum scriberet Orat. I, 11, 46: « Vigebat auditor Panætii illius tui Mnesarchus »; quid tum, quum his in philosophicis habitabat? Idque magis hoc loco, ubi reliqui certa successione ponuntur. Voluisse autem auctorem justum ordinem servare, vel ex eo conjicere licet, quod alterum quoque Panætii discipulum Posidonium addit. Inde vix, atque inviti pæne manum cohibuimus, quo minus turbatam seriem restitueret. G.

19. *Quid Theophrastus?* Gœrenz dat *quid? Theophrastus.* Hic erat Lesbius: primum Platonem, mox Aristotelem audivit, a quo cognomen accepit Theophrasti ob fere divinam eloquentiam, quum antea Tirtamus vocaretur. Notus est opere inscripto *Caracteres.* Multa alia hujus de physicis et moralibus perierunt.

20. *Iisdem de rebus alia ratione compositis.* Hanc a Paris 2, Gud. 2, et Spir. absunt; eadem Davis. Ciceronis elegantia indigna judicans, cancellis coercuit. Quod equidem cum Bremio non assequor. Nam primum *legere aliquem de aliqua re* recte dicitur (unde etiam nihil est, cur cum Rathio *de* abjicias); deinde *componere* proprium verbum est de eo, qui res aut inventas, aut oblatas, ordinat, et orationi includit: ipsa hæc denique contexta requirunt, quum prima verba proximi segmenti eo referantur. G.

III. Quamquam si plane sic verterem[1] Platonem, 7
aut Aristotelem, ut verterunt nostri poetæ fabulas, male, credo, mererer de meis civibus, si ad eorum cognitionem divina illa ingenia transferrem. Sed id neque feci adhuc[2], nec mihi tamen, ne faciam, interdictum puto. Locos quidem quosdam, si videbitur, transferam, et maxime ab iis, quos modo[3] nominavi, quum inciderit, ut id apte fieri possit: ut ab Homero Ennius, Afranius a Menandro solet[4]. Nec vero[5], ut noster Lucilius, recusabo, quo minus omnes mea

III. 1. *Quamquam, si plane sic verterem ... male, credo, mererer.* Hujus loci ironiam recte vidit Matthiæ Miscell. Philologg. vol. II, Part. 1, pag. 95, collatis exemplis, quibus *credo* ironiæ servit, quæ ubique sunt frequentissima. Accedit, quod ante *sic verterem* in 4 meis *se* præmittitur, in quod *scilicet* corrumpi solet; ut igitur hoc aut addendum sit, aut fatendum, vel scribas ironiam vidisse. Posteriorem rationem amplectimur, quoniam nullus nobis auctoris locus innotuit, ubi utraque vox simul posita legatur. Non bene igitur Bremi ex binis codd. quibus se etiam P. Man. addit, *non* ante *male* intulit. Nam cur idem ab h. l. ironiam tam alienam putet, prorsus nihil videmus. Conjunctivi autem sunt optativorum græcorum loco accipiendi. — *Illa... transferrem. Transferre* ex peregrina lingua scriptoris ingenium, est verbum de verbo vertere, nihil de suo scriptori addere.

2. *Sed id neque feci adhuc.* Crederes hinc, non verum esse, Ciceronem Platonis Protagoram pressius vertisse. Nam in Œconomico et Timæo liberius versatus est, ut eorum fragmenta docent. G.

3. *Modo.* Ignorat Gud. 2, nec valde desiderabitur. G.

4. *Afranius a Men. solet.* In Bremiana transponitur, *a Menandro Afranius*, sed contra omnes et scriptos et vetus impressos, ordineque vere deteriore. G.—Tam felix fuerat in vertendis Menandri fabulis Afranius, ut de eo dicat Horat. Epist. II, 1, 57: « Dicitur Afrani toga convenisse Menandro ». Laudatur etiam a Quint. Inst. X. Coævus fuit Terentii.

5. *Nec vero.* Magna pars codd. et veterum editorum *nec enim* exhibent. Ex consimili videlicet utriusque compendio. Vulgata præferri meretur, quippe in qua asseveratio sit apertior: *enim* contra, vel si asseverat, semper causam indicat; quæ h. l. nulla præcedit. In proximis spectat auctor illum Lucilii locum, ex quo unus hic versus superest, « Persium non curo (mea) legere; Lælium Decimum volo »: quem vide ab ipso commentatum Orat. II, 6, 25. G. — Lucilius eques Romanus primus Romæ satyras scripsit, de quo Horat. sat. X, lib. I, egit. Vid. fragmenta Lucilii collecta a Francisco Douza, pag. 13. J. V. L. — Lucilii fragmenta invenies in nostra Persii editione.

legant. Utinam esset ille Persius[6]! Scipio vero, et Rutilius multo etiam magis : quorum ille judicium reformidans, Tarentinis ait se, et Consentinis, et Siculis scribere. Facete is quidem, sicut alias : sed nec tam[7] docti tunc erant, ad quorum judicium elaboraret; et sunt illius scripta leviora, ut urbanitas summa
8 appareat, doctrina mediocris. Ego autem quem timeam lectorem, quum ad te, ne Græcis quidem cedentem in philosophia[8], audeam scribere? Quamquam a te ipso id quidem facio provocatus gratissimo mihi libro, quem ad me de Virtute misisti. Sed ex eo credo quibusdam usuvenire[9], ut abhorreant a Latinis, quod inciderint in inculta quædam et horrida, de male græcis latine scripta deterius[10]. Quibus ego assentior, dum-

6. *Persius.* Hic de quo loquuti sumus in nota sup.—Scipio hic est Æmilianus. De his vid. de claris Orat. c. 21, 26. De Rutilio vid. ibid. c. 30.

7. *Sed nec tam.* Gœrenz *sed neque.* Sed cedendum fuit, inquit, nostris omnibus, binisque Oxonn. Davisio etiam ex suis sic edente. Quem tamen in eo sequuti non sumus, ut *tum* corrigeremus : nam hoc contextu illud rectius.

8. *Ne Græcis quidem cedentem in philosophia.* Nescio quid vitii aures hac in verborum collocatione suspicantur, quæ proprie hæc esse debebat, *in philos. cedentem :* quamquam ne sic quidem Ciceronis numerus coit. Sed in codd. horum verbb. series fluctuat. Nam Gud. 1, et Bas. *audeam in philosophia scr.* Quid igitur? si verba *in phil.* olim excidisse, in margineque addita, pro scribarum arbitrio reposita, putes, verum autem iis locum ante *ne Græcis qu.* assignes? Cf. Acadd. I, 3, 12 : « Brutus quidem noster, excellens omni genere laudis, sic philosophiam literis latinis persequitur, nihil ut iisdem de rebus Græcia desideret ». Sed cave quidquam mutes : eadem enim ratio obtinet, quam supra ab *omnino* tetigimus, § 5. Primaria nempe notio, per se quidem ex contextis clara, additur tamen, ne quid ambigui restet. Ad verba autem, « in philosophia, dico, puta, id est, etc. » cogitandum. Cf. Legg. III, 18, 40, « *nam* brevitas, non modo senatoris, sed etiam oratoris, magna laus est in sententia ». Inferius aliquoties ad idem recurremus. G.

9. *Usuvenire.* Hanc vocem Gœr. vult in duo vocabula distingui, vulgo uno verbo scriptam.

10. *De male græcis latine scripta deterius.* Alii *malis græcis lat.* etc. — Sequuti sumus Ernest. qui *male græcis* ex ingenio correxit : sic persuasi, vere hanc esse auctoris manum. Si enim vel omnia, quibus Bremi vulgatum late defendit, concesserimus; ipse vicissim vulgatæ ambiguitatem, et meliorem enuntiati

modo de iisdem [11] rebus ne Græcos quidem legendos
putent. Res vero bonas, verbis electis, graviter, or-
nateque dictas [12], quis non legat? nisi qui se plane
Græcum dici velit: ut a Scævola est prætore salutatus
Athenis Albucius [13]. Quem quidem locum cum multa 9
venustate, et omni sale idem Lucilius [14]; apud quem
præclare Scævola,

rationem, qua adverbium abverbio, *male ... deterius*, e regione ponitur, concedet. Si igitur consideraris, quam sæpe bæc adverbia corrumpantur; si ex vulgato Cicerooem inconcinnitatis, quam unum maxime vitat, jore accusaris; si denique ex eodem locum ambiguitate facile fugienda laborare videris: recte nobiscum facies in *male* corrigendo; quamquam vulgatam per se, et alio contextu minime contemnes. Ceterum mire *scripta* pro *versa* ponitur: quod sic excusari licet, ot auctorem liberius versa cogitasse putes. Alias facilis medicina in *de* delcta fuerit. *Amafiniorum* autem et *Rabiriorum* libros h. l. innui, dubitari vix licet. Vide nos ad Acadd. I, 2, 5. G.— Versio gallica dat: *Ils sont tombés sur des livres mal écrits en grec, et encore plus mal traduits.*

11. *Dummodo de iisd.* Al. « dummodo a se de iisd. »

12. *Graviter, ornateque dictas.* Servavimus vulgatam, licet veram non putaremus; etsi quidem Cicero recte sic scribere potuisset. Sed, quo res omnia redit, scripti, si unom apud Davis. excipias, omoes non *dictas*, sed *dictatas*, et ex nostris duo, *ditatas*, præbent. Inde, *dilatatas* auctorem scripsisse, vix dubitari posse poto. Ut coim ipse hoc verbum amat, ita scribit « dilatare argumentum, orationem, etc. » cf. Parad. præf. et Flacc. 5, 12. At erunt, qui cum Ern. (vid. Cl.) et aliis, quum *dilatare* idem qood *amplificare* putent, *ornate dilatatas* recte dici negent. Sed ex errore: nam illud simpliciter *latius exponere* notat, sive id fusius fiat, sive cum verborum delecto. G.

13. *Ut a Scævola est prætore salutatus Albucius.* Eluenda huic loco macula fuit, quæ nimium diu eum insederat, *prætore*, pro vulg. *prætor*, reponendo. Certum enim est, Albucium numquam Atheois prætorem fuisse, sed Scævolam. Intellexit id jam Davisius, qui sic edidit, et ante hunc Pighius ad ann. 652, ac *Bayle* Dictioo. Phil. voc. *Albucius*, quem vide: idemque ex loco Luciliano oculis ipsum se ingerit. Scribæ vel inde se decipi passi sunt, quod appositioni verbum subst. interjicitur. Quod licet haud ita raro exemplo fiat, tamen *est* h. l. abesse malim, ut hæc vv. ad illa « Græcum dici velit » proxime aptentur; quippe quæ ipsa aperte Lucilianis, « Græcum te ... Maluisti dici », accommodata esse videas. De ipsa hac denique Albucii græcomania cf. Brut. 35, 131. G.

14. *Quem quidem locum ... omni sale idem Lucilius.* In hunc locum docte commentati sunt VV. DD. an item vere, dubito. Firmius qoidem vulgatæ fundamentum quoddam jecit Matthiæ l. l. p. 95, quum doceret, *locum* de re gesta quaque, sive vera, sive ficta, si enarretur, poni posse.

Græcum te, Albuci, quam Romanum, atque Sabinum,
Municipem Ponti, Tritanni[15], centurionum,
Præclarorum hominum, ac primorum, signiferumque,
Maluisti dici. Græce ergo prætor[16] Athenis,
Id quod maluisti[17], te, quum ad me accedi', saluto:
Χαῖρε, inquam, Tite! Lictores[18], turma omni', cohorsque,

Et in hoc sane acquiescendum foret, si scripti sibi constarent. At Ursinianus codex pro « locum ... idem », « jocum... ridet ». Neque nos eum Bremio in fide Ursini labefactanda facimus, quum P. Marsum, fidum codd. suorum sectatorem, « locum... risit », exhibentem videamus. Debet igitur hoc verbum ex codicibus fluxisse. Hoc autem, selectius pro *irridere* positum, scribas non sapit, qui potius simplex, ubi sic legitur, in compositum mutant. Id magis scribarum est, ut hæc præsentia actionis præteritæ in perfecta corrumpant: sic ut, si quæstio sit, utrum verum sit, *videt*, an *risit*, illud haud dubie eligendum fuerit. Quid igitur statuendum? Hoc equidem puto: adscriptum olim ad *Quem* a torpente librario *locum* esse, idque ex glossa deinde in texta illatum, quum verbo *ridet* conciliari non posset, in causa fuisse, ut hoc, ex compendio scriptum, in *idem* mutaretur. Ita nec mirum fuerit, si Ursini codicis scriba, quum *jocum* scribendo se expedisset, id verbum integrum servabat. Id certe omnes dabunt, *locum* si deleris, et *ridet* reposueris, meliora his ne optari quidem posse. Cf. Nat. Deor. II, 29, 74: « Ita salem istum ... in irridendis nobis nolitote consumere ». Præpos. *cum* denique vix recte Matthiæ dubiam reddiderit. Tusc. IV, 6, 13, « si cum ratione fiet »; Orat. I, 31, 142, « agere cum dignitate et venustate »: atque ita sæpissime. Sed in vulgata non mirum est, si offenderis. G.

15. *Ponti, Tritanni.* De T. Pontio centurione, vide Cic. de Senectute, cap. 10. De Tritanno, sive Tritaunio, Plin. VII, 19.

16. *Græce ergo prætor.* Gœrenz dat « græce ergo ego ». Ausi sumus, inquit, aliquid; addidimus nostra sponte *ego*, quod abesse nequit. Ipse Cicero *ergo ego* jungit. Parad. V, 8: « Ergo ego semper civis ». Provv. Css. 8, 19: « Ergo ego senator, etc. » At durius hoc in poeta! Quod si est, non sine causa Lucilius ab Horatio audit, « durus componere versus! »

17. *Id quod maluisti.* Multi scripti, tresque nostri, *quod id.* Ex vernacula puta hanc scribarum sapientiam. — Paullo post plene scripsit Ern. *accedis* et *omnis;* hæc enim suppressa litera quidem pronuntianda esse, non scribenda. Si ad vocalium hiatuum similitudinem rem refers, vere præceptum: sed quum illas ex linguæ natura hiantes videris, literam *s* ex licentia poetica absorptam; secus statuendum videbitur. Abjecit certe auctor *s* Orat. 45, 153. G.

18. *Lictores.* Quæ proxime antecedunt verba ex persona Scævolæ sunt: hæc autem, *Lictores*, etc. ab ipso Lucilio pronuntiantur; quum dicat, post Scævolæ verba lictores ejusdem, cohortemque prætoriam, quo magis græca salutatione Albucius eluderetur, exclamasse simul omnes, prætoris exemplo, Χαῖρε. Erat autem hoc tempore adolescens Albucius. De quo in Bruto, cap. 35, et in oratione de Provinciis coss. cap. 7. Scævola hic est

Χαῖρε, Tite! hinc hostis mi Albucius, hinc inimicus.

Sed jure Mucius. Ego autem satis [19] mirari non queo, unde hoc sit tam insolens domesticarum rerum fastidium. Non est omnino hic docendi locus : sed ita sentio, et sæpe disserui [20], latinam linguam non modo non [21] inopem, ut vulgo putarent [22], sed locupletiorem etiam [23] esse, quam græcam. Quando enim, vel nobis dicam [24], aut oratoribus bonis, aut poetis, postea qui-

Q. Mucius augur, gener C. Lælii, socer L. Crassi oratoris, accusatus postea repetundarum ab hoc Albucio, ut legitur in Bruto, cap. 26. Quam accusationem spectavit Lucilius poeta in illo versu, « Hinc hostis Muci Albucius, hinc inimicus ». MANUTIUS.

19. *Ego autem satis mirari non queo.* Gœrenz delet *satis.* —Init. inquit, *satis* ex ingenio addiderunt. Non necessarium. *Mirari* enim causam ignorantis est : qui autem causam ignorat, *docere* eam nequit. Non igitur Cicero, si *satis* scripsisset, adderet, « non est omnino hic docendi locus ». Sensus igitur loci plenus hic, est : « Ego quidem causam rei video » (quæ in opinione sita est, pauperem esse vernaculam et inopem, in rebus maxime, quæ ad philosophiam referuntur), « nec locus est, ut eam uberius exponam : sed hoc omnino statuo ». G.

20. *Sed ita sentio, et sæpe disserui.* De Natura Deorum, lib. I, cap. 4, et bis de Finib. libris, III, 2. Sed hoc falso Cic. contendit; quippe qui hoc ipso in opere græca vocabula mutuetur, et Tuscul. II, 15, latinæ linguæ egestatem fateatur. Conf. infra III, 15, 51. J. V. L.

21. *Non modo non.* Quatuor optimi nostri posteriorem negationem abjiciunt. Ita solent scilicet scribæ, si inter « non modo non » et « sed etiam » enuntiatum interponitur. G.

22. *Ut vulgo putarent.* Recte Ern. vulgatum reposuit, quod Davis. in *putant* mutarat, imperf. docens a *disserui* pendere. Cf. Orat. I, 36, 165 : « quæ tu oratori cognoscenda esse dixisti, de naturis hominum, de moribus, de rationibus iis, quibus hominum mentes incitarentur, etc. » G.

23. *Locupletiorem etiam.* Intempestive ignorant ι. et ξ. *etiam;* cujus compendium sive præcedens syllaba, sive subseq. *esse*, hausit. G.

24. *Vel nobis dicam.* Davis. cum Lamb. *vel* in *ne* mutabat; conjicit præterea « vel de nobis d. » Ern. Lambini rationem probat, vulgatumque sensu destitutum dicit. At Bremi hanc ejus vim esse perhibet, « Ut vel de me dicam, qui oratoribus bonis, aut poetis, me non audeo annumerare ». Vellem docuisset, *ut* ad *dicam* ejusmodi in contextu vere subaudiri, quod rite posse valde dubito. Similis structura est, « nobis dicam, an oratoribus, aut poetis? » eaque Ciceroni satis frequens. Sens. est, « sive, vel nobis (i. e. mihi et tibi, Torquate) dicam, sive omnino oratt. bonis, aut poetis ». Modestius deinde pergit *imitarentur*. G. — J. V. L. quamvis vulgatam servet, vertit : *sans prétendre me citer moi-même.*

dem quam fuit quem imitarentur, ullus orationis vel copiosæ, vel elegantis ornatus defuit?

IV. Ego vero, quum forensibus operis, laboribus, periculis, non deseruisse mihi videar [1] præsidium, in quo a populo romano locatus sim: debeo profecto, quantumcumque possim, in eo quoque elaborare [2], ut sint opera, studio, labore meo doctiores cives mei, nec cum istis tantopere pugnare, qui græca legere malint, modo legant illa ipsa, nec simulent [3]; et iis servire, qui vel utrisque literis uti velint, vel, si suas habent, illas non magnopere desiderent [4].

IV. 1. *Mihi videar.* Gœr. scribit *videor.*—Ern. de suo dedit *videar*; ut olim quoque Clericus suaserat. Perperam. Non enim ad *mihi* attenderunt: sic conjunct. haud bene sibi conscientis foret. Recte autem vidit Bremi, *quum* h. l. ea relatione poni, ut, ante *debeo*, *tum* cogitandum sit. Sic ordine etiam inverso Orat. I, 30, 135: « rationem consuetudinis meæ, quæ quondam solitus sum uti, quum mihi in isto studio versari adolescenti licebat ». In *quondam*, *tum* latet. G.

2. *Elaborare.* Tres quoque mei, editique veteres sat multi *laborare*: ita scribæ pæne ubique hoc in verbo; vide Heusingg. ad Off. I, 1, 6. Sed Bremi h. l. compositi verbi discrimen a simplici constituens, nemini sane, qui de compositorum verborum ratione accuratius cogitavit, hoc persuadebit, ut, quum simplex summam industriam, omnemque virium intentionem notet, *elaborare* de aliqua, non autem maxima opera dicatur. Utroque potius opera cum gravi, atque inde etiam molesta nonnumquam, virium contentione, exprimitur; hac tamen differentia, ut, qui *elaboret*, rei quoque, in qua laborat, *effectum spectet*: quod plus minus ubique valere debet, nisi de composito recte posito jure sis dubitaturus. Hoc discrimen et verbi natura, et loca, quæ nos observavimus, omnia probant. Ita Orat. I, 59, 251, *elaborare* tentandum non erat: minus etiam Orat. II, 57, 231. G.

3. *Modo legant illa ipsa.* Gœrenz delet *illa*. Præter id, inquit, quod duo mei, veteresque editi multi, *ipsa illa*, et bini Oxonn. unusque ex meis, *ea ipsa* præbent; ignorat *illa* Spir. Cujus auctoritatem eo magis sequuti sumus, quod *ipse* sæpe sic auctori simpliciter pro *is* vel *ille ipse* dicitur; cf. Legg. II, 5, 12; 14, 34; et infra cap. 5, 13; II, 26, 82; 28, 93. Davisius corrigebat *illa ipsi*, quod ad hæc contexta friget.

4. *Nec cum istis... desiderent.* Nec volo vituperare eos qui dicunt se græca legere malle, dummodo non simulent se illa legere, sed re ipsa legant: sed potius cupio utilis esse iis qui utrisque literis uti velint, et iis qui contenti literis latinis non multum jam græcas desiderabunt.

Qui autem alia malunt scribi a nobis, æqui esse de- 11
bent, quod et scripta multa sunt, sic ut plura nemini e nostris[5]; et scribentur fortasse plura, si vita suppetet; et tamen qui diligenter hæc, quæ de philosophia literis mandamus, legere assueverit[6], judicabit nulla ad legendum his esse potiora. Quid est enim in vita tantopere quærendum, quam quum omnia in philosophia, tum id, quod his libris quæritur, quid sit finis[7], quid extremum, quid ultimum, quo sint omnia bene vivendi, recteque faciendi consilia referenda? quid sequatur natura[8], ut summum ex rebus expetendis? quid fugiat[9], ut extremum malorum? Qua de re quum sit inter doctissimos magna[10]

5. *Sic ut plura nemini e nostris.* Subeat forte mirari, cur non Varronem exceperit, quem et ipse πολυγραφώτατον appellat, Att. XIII, ep. 18, et de quo constat, ut Chrysippum inter Græcos, ita hunc in Latinis omnes librorum editorum multitudine superasse. Sed multa Varro posterius edidit, in quibus tum maxime amplum illud de latina lingua opus elaborabat. — Scripti in his fere peccant, « sient... memini ». G.

6. *Legere assuerit.* Contractam formam *consuerit* præbent E. et Bas. quam hoc in verbo et Cic. præ ceteris amat, et sæpe scribæ obliterant. G.

7. *Quid sit finis.* Gud. 2, *quis*; per se non male, sed sic facilius scribæ peccant, quam cum vulgata; quæ pæne perpetua Ciceronis auctoritate confirmatur. G.

8. *Quid sequatur natura.* In editis vett. multis *nostra* additur. Sed ex vaga sede jam se glossam testatur, voci enim, *natura*, partim præmittitur, partim subjicitur. G.

9. *Expetendis.* Peccant etiam scripti plerique omnes, pro « expetendis, axpetendum » referentes. G.

10. *Magna dissensio.* Gœr. dat *summa*. Ita, inquit, præter VII Davisii, V Oxonienses, omnes quoque nostri, multique denique cum P. Mars. et Crat. veteres impressi. Unus Gud. 2, « doctissima diss. », sic ut *doctissimos* ignoret. Recte igitur cum Davis. et Bremio pro vulgata *magna*, *summa* dedimus. Mirum autem est hoc apud librarios vitii genus, quo superll. sic in positivos mutantur. Inde labem illam abstersimus Legg. II, 11, 28, « ara vetus stat » : corrigendum etiam Catil. IV, 1, 2, « ex cæde miserrima », idque ex Erl. probantibus etiam superlativis, qui sequuntur. Vitium autem h. l. ex compendio *sma* derives : *s* enim propter antecedentem eamdem literam quum excidisset, reliquum *ma* erat, quod pro *magna* scribæ legerunt. *Summa* autem recte dicitur illa dissensio : nam major nulla cogitari potest, quam illa, v. c. ἀπαθείας et εὐπαθείας Zenonis atque Epicuri.

dissensio, quis alienum putet[11] ejus esse dignitatis, quam mihi quisque tribuit, quod in omni munere vitæ optimum et verissimum sit, exquirere?

12 An, « partus ancillæ[12] sitne in fructu habendus », disseretur inter principes civitatis, P. Scævolam[13], M'. Manilium; ab hisque M. Brutus dissentiet, quod et acutum genus est, et ad usus civium non inutile; nosque ea scripta, reliquaque ejusdem generis[14] et legimus libenter, et legemus: hæc, quæ vitam continent omnem, negligentur? Nam, ut sint illa vendibiliora[15], hæc uberiora certe sunt. Quamquam id quidem licebit iis existimare, qui legerint. Nos autem hanc omnem quæstionem de finibus bonorum et malorum, fere a nobis explicatam esse his literis[16] ar-

11. *Quis alienum putet*. Bene ad hæc Bremi *jure* intelligit, ne hæc cum superioribus pugnare videantur. Sic nihil est, ut cum Victorio, « quid alienum putem », Davisio probante et Ern. scribas. Recte autem sic licet, quum *alienum* cum vi præmittatur. G.

12. *Partus ancillæ sitne in fructu hab*. Satis hæc explicarunt Intt. Quum enim ex jure rom. *servi* non personarum jure fruerentur, sed rebus possessionis accenserentur: inde, teste Ulpiano Digestt. VII, t. I, leg. 68: « Vetus fuit quæstio, an partus ad fructuarium (jus) pertineret? Sed vicit Bruti sententia, fructuarium in eo locum non habere ». Intelligitur autem M. Junius Brutus JCtus, qui VII libros *de jure civili* scripsisse vulgo dicitur, quorum tamen Cic. Orat. II, 55, 222, *tres* modo numerat. G. — *Partus ancillæ*, etc. Vide sis et Justinianum Inst. lib. II, tit. 1, leg. 37. DAVIS.

13. *P. Scævolam*, *M'. Manilium*. Idem sine dubio est Mucius Scævola, de quo paulo supra, de quo etiam vid. Cic. Orator, ubi Crassus P. Mucium et M'. Manilium ut summos jurisconsultos laudat. Vid. etiam Aul. Gell. lib. XVII, cap. 7. J. V. L.

14. *Reliquaque ejusdem generis*. Omittit Bremiana ed. verba hæc, « reliqua ejusdem generis »: ex operarum vitio puta. Eodem vitio inferius in eadem *fere* desideratur. G.

15. *Illa vendibiliora, hæc uberiora*. I. e. quamquam illa scripta, ut orationes, et de arte oratoria, cupidius et quæruntur, et leguntur: hæc tamen, quibus philosophia enarratur, et inprimis ethica ista, ob uberiorem utilitatem, quam præbent, vel cupidius adeo quæri legique merentur. Ut autem « vinum vendibile », ita deinde « oratio, orator », et adeo « vis vendibilis », Ciceroni dicitur. G. — *Illa* nobis potius respicere videretur ex superioribus ad jurisconsultorum opera.

16. *His literis*. *His* præter Bas. mei omnes, neque aliter edd. vett. Vocem *literis* autem, quam vel nuper Rath. in *libris* mutandam indicat,

bitramur, in quibus, quantum potuimus, non modo
quid nobis probaretur, sed etiam quid a singulis phi-
losophiæ disciplinis[17] diceretur, persequuti sumus.

V. Ut autem a facillimis ordiamur, prima veniat 13
in medium Epicuri ratio, quæ plerisque notissima
est : quam a nobis sic intelliges expositam, ut ab
ipsis, qui eam disciplinam probant, non soleat accura-
tius explicari. Verum enim invenire volumus, non
tamquam adversarium aliquem convincere. Accurate
autem quondam a L. Torquato[1], homine omni do-
ctrina erudito, defensa est Epicuri sententia de volu-
ptate ; a meque ei responsum, quum C. Triarius[2] in
primis gravis et doctus adolescens, ei disputationi in-
teresset. Nam quum ad me in Cumanum[3] salutandi 14
causa uterque venisset, pauca primo inter nos de li-
teris, quarum summum erat in utroque studium ;
deinde Torquatus : Quoniam nacti te, inquit, sumus

veram esse certum est ; modo ne presse pro *libris* posita accipiatur, ut parum accurate Bremi, et reliqui intt. Respondent hæc plana nostris, *in dieser Schrift (dans cet écrit)*, quam vim ejus vocis h. l. verissimam non est ut pluribus doceamus. G.

17. *A singulis philosophiæ disciplinis.* Recte Bremi vulgatam contra Scaligerum defendit, qui « a singulis phil. discipulis », non tam conjecit, quam ex libro scripto commendavit ; ut etiam ex meis Gud. 2, et Spir. Sed orta est hæc lectio ex vulgati compendio. G.

V. 1. *Lucio Torquato... C. Triarius.* Hos idem Cicero Brut. 76, junxit, ubi commune utriusque elogium vide. Occubuit uterque bello civili. Ante hoc igitur tempus dialogi scena collocanda est. « Triarius adolescens » dicitur ; nam periit quadraginta et quatuor, vel quinque annos natus : ejusque liberis postea Cic. tutor fuit. Att. XII, ep. 28. G. — *L. Torquato.* Filio L. Manlii Torquati, qui consul fuit cum L. Aurelio Cotta, altero anno ante Ciceronem consulem. Hic bis accusavit P. Sullam ; semel ambitus, et condemnavit : deinde majestatis, quod Catilinariæ conjurationis particeps fuisset ; qua in causa Sullam Cicero defendit. MURETUS.

2. *Triarius.* In quo errat Seb. Corradus (in Bruto, cap. 76), qui, quod plena senectutis fuisse dicitur illius oratio, senem ex eo significari putat : ideoque non esse eumdem, qui hic adolescens vocetur. Quum revera hoc Cicero, tamquam admirabile, proponat, fuisse Triarii in illa ætate, nempe in adolescentia, plenam senectutis, i. e. senilis gravitatis orationem. MURET.

3. *In Cumanum.* Acad. I, 1.

aliquando otiosum, certe audiam, quid sit, quod Epicurum nostrum, non tu quidem oderis, ut fere faciunt, qui ab eo dissentiunt, sed certe non probes; eum, quem ego arbitror unum vidisse verum, maximisque erroribus animos hominum liberavisse[4], et omnia tradidisse, quæ pertinerent ad bene beateque vivendum: sed existimo te, sicut nostrum Triarium, minus eo delectari[5], quod ista Platonis, Aristotelis, Theophrasti orationis ornamenta neglexerit[6]. Nam illuc quidem adduci vix possum[7], ut ea, quæ senserit ille, tibi non vera videantur.

4. *Maximisque erroribus... liberavisse.* Ex Bas. omissa *que* (quam etiam Gud. 1 ignorat), et *terroribus* enotatur, quod primo esse aliquid videatur, quum Epicurei ex eo maxime magistrum suum celebrabant, quod ille ipsos a sempiternis deorum terroribus liberavisset. Cf. Nat. Deor. I, 20, 56. Sed ut h. l. id altius quæsitum foret, ita fulcitur vulgata alio loco inferius, 13, 42: « errore maximo, si Epicurum audire voluerint, liberabuntur ». Solent etiam alibi scribæ has voces confundere. G.

5. *Minus eo delectari.* Gœr. scribit *minus ab eo del.* Sic, inquit, codd. mei quoque, et omnes omnino, præter duos Parisinos, qui *ab* ignorare Davisio dicuntur; quam prius jam Victorius, Aldus, Lamb. P. Manut. rejecerant: rejecerunt etiam cum Davisio Ern. et Bremi. Hic ipsa re accuratius excussa, laudatis locis Orat. 57, et in Cæcil. 13, sic decernit: « Delector ab homine, vel re quæ adest, aut adesse fingitur, et gratum in me efficit sensum ». Sine præpositione tum dici, « si persona vel res non adsit, sed tamen voluptatem creet. Ita ab hoc loco, ut de mortuo, non valere ». Sed si vel hæc steterint, tamen scriptores, quum eorum scripta intelliguntur, ut præsentes, ut vivi, Ciceroni ubique ponuntur. Si *dicit* Plato, *errat* Chrysippus, etc. cur igitur, « ab Epicuro delectari », is recte dici non poterit, qui ejus scripta leget? — Hic Gœrenz disputationem instituit, quam nemo intelligere possit, nisi germanæ linguæ peritus, ob exempla ex hoc sermone tracta.

6. *Theophrasti orationis ornamenta neglexerit.* P. Mars. cum Bas. « ornamenta orationis ». Utrumque probari licet. Cf. Ligar. 5, 12, « studia denique generis ac familiæ vestræ virtutis, humanitatis, etc. » Tusc. IV, 17, 40: « ægre tulisse P. Rupilium fratris repulsam consulatus ». Illud tamen usitatius. De his autem duplicibus genitt. vel apud Græcos haud infrequentibus vide nos ad Leg. II, 17, 42. — Pro *neglexerit* Gud. 2 et Oxonn. s. et ξ. *contempserit*; quod in Epicurei ore utique melius videtur. Sed ita vulgata defendi potest, ut illud verb. Torquatus ex mente Ciceronis et Triarii posuisse dicatur. G.

7. *Adduci vix possum, ut ea... tibi non vera videantur.* Hanc dicendi formam accurate explicatam vide a

Vide quantum, inquam, fallare, Torquate. Oratio 15
me istius philosophi non offendit[8]. Nam et com-
plectitur verbis, quod vult, et dicit plane, quod in-
telligam: et tamen a philosopho, si afferat eloquen-
tiam, non asperner; si non habeat, non admodum
flagitem. Re mihi non æque satisfacit[9], et quidem lo-
cis pluribus. Sed quot homines, tot sententiæ: falli
igitur possumus. Quamobrem tandem, inquit, non
satisfacit? te enim judicem æquum puto; modo, quæ
dicat ille, bene noris. Nisi mihi Phædrum[10], inquam, 16
mentitum, aut Zenonem putas (quorum utrumque
audivi, quum mihi nihil sane præter sedulitatem pro-
barent)[11], omnes mihi Epicuri sententiæ satis notæ

Matthiæ l. l. p. 96. In pron. *tibi* autem cur Rathius hæserit, *mihi*, quod multo deterius est, suadens, non facile assequor, nisi quod ante Torquatus Ciceronem et Triarium simul alloquutus erat. Sed ejusmodi repentina transitio a pluribus ad unam aliquam personam, et vice versa, frequens auctori est, et plus quam semel, v. c. in libro I de Oratore, observari potest. Sic cf. 35, 160: « Quid est, Cotta, inquit, quod tacetis ». Dicendum proprie erat, « quod tu et Sulpicius tacetis ». G.

8. *Philosophi non offendit.* Gud. 1, « non offendit philosophi ». Bene: amat enim Cicero vocem *philosophus* gignendi casu in clausula positam; vide nos ad Acadd. II, 35, 113. Aptior etiam sensus inde prodit. Nam vox ea postposita ita accipienda est, ac si scriptum esset, « quum sit philosophus, non orator, etc. » Sed in cod. non admodum bono casus veritatem, ut solet, imitari potuit; sic ut scriba vocem prætermissam ita subjiceret. G.

9. *Satisfacit.* Plerique fere codd. ut multi etiam paullo post, *satisfecit.* Ex vitio nempe, quod data opera Lis in præs. scribæ committunt. G.

10. *Nisi mihi Phædrum.* Turbant scribæ in voce non intellecta. Plures codd. duoque mei, et Vien. pro *Nisi*, *Hic*, alii *hic nisi*, alii *hinc.* Victor. *Nisi tu*, omisso *mihi*, quod ex hujus solius auctoritate recepit Davis. Vulgatum est verissimum. Ironia autem notanda est, quæ in hac voce, sic posita, obtinet. Cf. Catil. II, 10, 23: « Nisi idcirco se facilius hiemem toleraturos putant, quod nudi in convivio saltare didicerunt ». — *Phædrum* et *Zenonem* Epicureorum celeberrimos fuisse, ejusque philosophorum familiæ tum principes, multa vel horum librorum loca testantur. Illum Cicero puer Romæ, hunc juvenis Athenis audierat. Cf. Divv. XIII, ep. 1, et Tusc. III, 17, 38. G.

11. *Quum... sedulit. probarent.* Hic *quum* est *licet. Sedulitas* deinde est omnino, « assiduitas in altero commendando »; hoc autem loco magistri

sunt. Atque eos, quos nominavi, cum Attico nostro frequenter audivi; quum miraretur ille quidem utrumque, Phædrum autem etiam amaret: quotidieque inter nos ea, quæ audiebamus, conferebamus; neque erat umquam controversia, quid ego intelligerem, sed quid probarem.

17 VI. Quid igitur est [1]? inquit: audire enim cupio, quid non probes. Principio, inquam, in physicis, quibus maxime gloriatur, primum totus est alienus [2]. Democrito adjicit, perpauca mutans [3], sed ita, ut ea,

studium notat, quo discentis opera omni modo adjuvatur. De hac voce Lexica parum accurate præcipiunt. Meliora quædam notavit Meneken. Animadvv. h. v. G.

VI. 1. *Quid igitur est?* Int. quid igitur est quod probes? Respicit Triarius finem cap. sup. *sed quid probarem*. Nobis autem sententia melior videretur, si scriberetur: « Quid igitur est, inquit (audire enim cupio), quod non probes? »

2. *Principio... primum totus est alienus.* Recte vindicarunt hæc Bremi et Matthiæ contra Davis. et Ern. qui in v. *primum* offenderunt, quum *Principio* præiret. Nam *Principio* refertur ad primam universæ hujus orationis partem, qua de Epicuri physicis agitur. *Primum* autem partem partis hujus continet, qua in his physicis iste totus ab aliis pendere dicitur. Apte laudat Bremi Orat. I, 31, 137, ubi eodem modo *principio* et *primum* se excipiunt. Atque inde forte defenditur etiam Sosicratis locus apud Rutil. I, 8, « sed initio ad bellum suscipiendum nos primum impulit Philippus ». Nolim igitur, in primis in tam abruptis a reliquo contextu verbis, eum Ruhnk. quamvis ingeniose, *invitos* corrigi. G.

3. *Democrito adjicit, perpauca mutans.* Gœr. scribit: « Democr. adjicit perpauca, mutans, etc. » — Partis partes binæ sunt, inquit: 1° totus alienus est: ita quidem, ut quæ corrigendo addere Democrito conetur, depravet; 2° in quibus hunc sequitur, non fere labitur, § 18. Intelligitur inde hoc: ita h. l. *primum* poni, ut pro *deinde*, *autem* legatur. Recte enim VV. DD. passim docuerunt, sæpius *primum* dici, *deinde* non sequente; si id simul teneas, particulam hanc tum fere alia aliqua compensari. Ita *etiam* Orat. I, 44, 197. *Quid?* Tusc. I, 24, 57—61, subsequitur, etc. *Autem* eodem modo succedit Off. I, 14, 7. Ceterum mire in verbo *adjicit* argutati sunt. Quum enim virgulam ante *perpauca* ponerent, non poterant, quin sibi crucem figerent. Inde *adjicit* pro *accedit*, *consentit*, ex scholio parum accurato Servii ad Virg. Æn. X, 182 (debebat enim *tercentum adjiciunt*, per *sibi addunt*, *conciliant*, enarrari) explicandum erat, aut ad conjecturas confugiendum, quibus h. l. facile caremus. Ern. *calculum* intelligit, qua durior ellipsis vix cogitabitur: nam nihil hunc faciunt, quibus Bremi huic rationi subvenire studet. Sed expediuntur omnia, virgula post *perpauca*

quæ corrigere vult, mihi quidem depravare videatur. Ille atomos[4], quas appellat, id est, corpora individua, propter soliditatem, censet in infinito inani[5], in quo nihil nec summum, nec infimum, nec medium, nec

rejecta. Nam *mutans* est h. l. « corrigens, corrigere conatus », ut in illa forma, « nihil muto », et alibi sæpe. Jam dicere auctor sic poterat, « ita mutans, ut » : at graviori vi ponit, « mutans, sed ita, ut »; i. e. « mutans, sed ita mutans, etc. » Similis altera ex parte constructio est Agrar. II, 1 : » Neque me tantummodo consulem, sed ita fecistis, etc. ». — Sensus est : « Ut initium a physicis faciam, quibus plurimum tribuit, primum tam parum in his suus est, ut totus aliunde pendeat. Addit quidem perpauca Democrito, quibus eum (ejus sententiam) corrigere conatur; at hæc ejus naturæ sunt, ut eum inde non correxisse, sed depravasse videatur ». G. — Democritus erat, ut alii docent, Abdera oriundus in Thracia, ut alii, Mileto in Ionia. Coævus fuit Socrati Platonique, systemaque atomorum invenit. Ei, dum viveret, statuæ positæ fuerunt, et sumptu publico, quum obiit, elatus est.

4. *Ille atomos, quas appellat...propter soliditatem*. Gœr. scrib. ἀτόμους, notatque : Matthiæ l. l. p. 98, verba, *id est... soliditatem*, in glossemate ponit : probat etiam Davisium, qui, ut item Bremi fecit, post *solid.* interpunxit. Nobis neutrum horum concedere licet. Nam quamquam verissimum est, Torquatum fugere non potuisse, quidnam ἄτομοι appellarentur : tamen duplex alia causa supererat, unde hæc explicatio adderetur. Altera linguam ipsam spectat; sic enim optime introducebat auctor latinam vocem, qua atomos appellat; cf. § 18, II, 23, 75, etc. altera causa refertur ad lectores, quum etiam a non Torquatis intelligi vellet. Hæc duplex igitur causa junctim cogitanda est, quoties ejusmodi græcarum vocum explicationes (quod sæpissime fit), his in libris leguntur. Additur autem, *quas appellat*, quum hæc græca vox, quam male h. l. vulgata latinis literis scribit, hanc propriam vim ab Epicuro accepisset.

5. *Propter soliditatem censet in infinito inani*. Haud recte fieri diximus, si virgula cum Davisio, suadente jam Camerario, post *solid.* transferatur. Ut enim miseram tautologiam non urgeam, quæ inest in « corpora individua propter soliditatem »; nam *indiv. corpus* per se est *solidum* (aliud enim est § 18, » individua et solida ») : prohibet etiam partim philosophiæ Epicureæ, partim linguæ ipsius ratio. Movendi enim atomorum vim Epicurus ab ipsarum soliditate, ut ex sola causa, derivat. Vid. Diog. Laert. X, 44 : ἥ τε στερεότης, ἡ ὑπάρχουσα αὐταῖς κατὰ τὴν σύγκρουσιν, τὸν ἀποπαλμὸν ποιεῖ. Infra § 18, est *suo pondere*, cll. Lucret. lib. II, vers. 18, sqq. et *Tennemann*, *Geschichte der Philosophie*, tom. III, pag. 381. Si igitur ex eo, quod solidæ sunt, atomi moventur, truncari loci sententiam hac distinctione necesse est. Quod si est, ratio quoque cernitur, cur voces *propter soliditatem* ab enuntiati initio et positæ sint, et poni debuerint. — In voce *inani* offendit Reizius; quippe quam in exemplo suo notarat. Malebat forte

ultimum, nec citimum[6] sit, ita ferri, ut concursionibus inter se cohærescant; ex quo efficiantur ea, quæ sint, quæque cernantur, omnia: eumque motum atomorum nullo a principio, sed ex æterno tempore intelligi [7] convenire.

18 Epicurus autem, in quibus sequitur Democritum, non fere labitur. Quamquam utriusque quum multa non probo, tum illud in primis, quod quum in rerum natura duo quærenda sint, unum, quæ materia sit, ex qua quæque res efficiatur; alterum, quæ vis sit, quæ quidque efficiat[8]: de materia disseruerunt; vim, et causam efficiendi reliquerunt [9]. Sed hoc commune vitium: illæ Epicuri propriæ ruinæ [10].

Censet enim, eadem illa individua, et solida corpora ferri suo deorsum pondere ad lineam [11]: hunc
19 naturalem esse omnium corporum motum. Deinde

immani: sed illud Epicuri χαινὸν ἄπειρον sollicitandum non est. G.

6. *Nec ultimum, nec citimum.* Scripsimus cum Alemanno *citimum*, i. e. *proximum* (cf. Timæus c. 7; Somn. Scip. c. 3, etc.) comprobatum uno Ursini, et binis Pariss. Bene opponitur sic *ultimum*, quum vulgata, *extremum*, langueat, si vel *ultimum* ad atomos ipsas proxime, *extremum* ad spatium, in quo ferantur, referatur. Hæsere dudum VV. DD. sed violentius loco consulere suadent, quum contra hæc optima sit expediendi ratio. G.

7. *Motum atomorum..... intelligi convenire.* Reizius in *convenire* offendit; immerito: nam hoc loco impersonale est: sed ægre certe ante *intelligi*, desideramus *esse*. — Forte pro *atomorum* legendum est *atomis*, ita ut ad *convenire* referatur. G.

8. *Quæ quidque.* Gœr. *quæ quodque.* Veram lectionem, inquit, debemus Spir. et Erl.

9. *Reliquerunt.* I. e. « non exposuerunt, neglexerunt »; cf. Legg. 1, 2, 6. G.

10. *Epicuri propriæ ruinæ.* Sunt vitia, quibus Epicuri sententia *ruit*. — Bremiana edit. *Epicuri* citra jus omittit. G.

11. *Ferri suo deorsum pondere ad lineam.* Bas. ignorat *deorsum*. Erl. et alii *deorsum suo*. Suspecta inde hæc vox videtur. Et sane nulla eam necessitas retinet; quum contextus vis in vv. *ad lineam* coeat; et quod pondere feratur, ferri sursum non possit. Alia ratio est paucis post, « deorsum e regione ferr. » Sed pari ratione scriptum vide N. D. I, 25, 69, « atomum, quum pondere et gravitate directo deorsum feratur ». Ubi ex nostris tribus *deorsus* reponendum est. Inde etiam nostro loco non negligen-

ibidem[12] homo acutus[13], quum illud occurreret, si omnia deorsum e regione ferrentur, et, ut dixi, ad lineam, numquam fore, ut atomus altera alteram posset attingere; itaque[14] attulit rem commentitiam: declinare dixit atomum perpaullum, quo nihil posset fieri minus[15]. Ita effici complexiones, et copulationes, et adhæsitationes atomorum[16] inter se; ex quo efficeretur mundus, omnesque partes mundi,

dum, quod Davis. e Pal. 1, *deorsus* scripsit: quamquam id fecit nostris renitentibus. « Ad lineam » est nobis, *nach der Schnur*: alias auctor « perpendiculo et linea », ad Q. Frat. III, ep. 1, 1. G. — Gallica versio: *les atomes se portent d'eux-mêmes directement en bas.*

12. *Deinde ibidem.* « Ibidem, in eadem re » notat. Non igitur Davis. *idem* suadere debebat. Gud. 2, *dem inde* (non *idem inde*, ut Bremi vult), non debet videri, se si quid pretio dignum vitio suo tegat; cf. Acadd. II, 14, 44: « deinde ibidem, inter falsa visa et vera nihil interesse »: ubi nos vide. G.

13. *Acutus* ex aperta ironia, ut sæpius. — *Illud occurreret.* Id est, « sententiæ ejus adversaretur ». Vide ad Acadd. II, 14, 44, ell. Bremi infra ad II, 33, p. 246.—Aliter versio gall. *venant à songer que.*—*E regione ferrentur.* Verti debuisset *parallèlement*, quod omisit versio gall.

14. *Itaque.* Post. parenth. quæ Davis. monet, huc quidem non proprie pertinent: sed verissimum est, post quamvis degressionem hanc partic. poni; cf. Legg. II, 1, 2; Nat. Deor. I, 20, 54, etc. Anacoluthia inde levis cum Bremio notanda est, quæ auctori, post quævis interposita, tam frequens est, ut nihil magis. Nihil igitur violenta Ernestii ratione opus est, qui *itaque* deleri jubet. G.

15. *Declinare ... quo nihil posset fieri minus.* Intellige: ita declinare, ut minor declinatio esse non posset. Vertit J. V. L. *un mouvement imperceptible de déclinaison.*

16. *Et adhæsitationes atomorum inter se.* Unus Spir. ex meis sic præbere videtur: sed reliqui parum abludunt. Gud. 1, et Bas. *adescitationes*, Gud. 2, *adhæsitiones.* Solus Erl. *adhæsiones*, ut ex aliis Crat. aliæque edd. vett. quædam. Atque ita Lamb. quem ideo Bremi sequutus est, quod verbum *adhæsitare* nusquam legatur. Sed vel vitiosi scripti sic peccant, ut vulgatam inde obliteratam videas; quæ etiam codd. multitudine nititur: nec sunt adeo raræ apud Ciceronem voces ἅπαξ λεγόμεναι. Huc si addideris, amare eumdem frequentativa vel rarissime obvia; ut « negitare, interrarescere, sessitare, petessere, observitare, etc. » eaque si a scribis ubique vel corrupta, vel in simplicia mutata videris (vide ad Acadd. II, 22, 69); sique denique frequentativi substantivum commodo loco positum intellexeris: tot rationum conflictui jure cedendum nobis fuisse videbis. Ceterum transponit Gud. 1, « inter se atomorum »; quod licet auribus blandius accidat, tamen soni ratio damnat.

quæque in eo essent. Quæ quum res tota ficta sit pueriliter, tum ne efficit quidem [17] quod vult. Nam et ipsa declinatio ad libidinem fingitur (ait enim declinare atomum sine causa): quum nihil turpius physico, quam fieri sine causa quidquam dicere [18]; et illum motum naturalem omnium ponderum, ut ipse constituit, e regione inferiorem locum petentium, sine causa eripuit atomis: nec tamen id, cujus causa hæc finxerat [19], assequutus est [20]. Nam si [21] omnes

Sæpe etiam hæc sic ponuntur. Att. VI, ep. 1, « Cicerones pueri amant inter se ». Orat. I, 8, 32, « quod colloquimur inter nos ». G.

17. *Quum... sit ... tum ne efficit quidem*. *Quum*, sequente *tum*, haud raro cum subjunctivo ponitur, una cum ejus structuræ ratione. Vid. Legg. II, 14, 36. Add. Tusc. IV, 23, fin. pro Sext. 1, 2; Quint. 23, 75. Male igitur Bas. et Crat. *tamen non eff.* Eadem Crat. ignorat etiam *quidem*, quæ part. miro consensu a Davisii scriptis abest, quum in nostris omnibus legatur. Inde non modo, sed quod aures etiam abjectam h. l. non probant, quodque eamdem ante *qu* a scribis sæpe neglectam vidimus, Davisio, qui *quidem* abjecit, non paruimus: licet *ne* pro *ne... quidem* a Cicerone dici (quamvis id ipsum h. l. Bremi dubitet), certo persuasi essemus. Cf. Acadd. II, 17, 52. G.

18. *Quum nihil turpius... dicere*. Pro *quum*, Gœrenz dat *quo*, nec parenthesin nisi post *dicere* claudit. —*Quo*, inquit, est *licet eo*, ut sæpe; cf. Acadd. II, 2, 4, *in quo*, i. e. « quamquam in eo »; 25, 79, etc. Probat idem in exemplari suo Reiz. laudans N. D. I, 15, 38. Quod si tenueris, omnia cadunt, quæ eis et ultra VV. DD. multis ad h. l. disputarunt. Omnium pessime judicarunt, qui cum Lambino hæc verba delenda censent, quum sic, quod tam turpe physico sit, parum clare pateat. Nec melius loco consuluere Brut. Davis. Ern. qui *quum* corrigunt. Bremi autem veram alias legem paullo obscurius applicat. Nam ex locis iis, quos laudat, N. D. I, 15, 38, *Quo* est *Sed hoc*, et de Am. 24, 90, *quod* pro *immo hoc* dicitur. Multifariam autem consecutionis vim in relativo inesse ii, qui attenderunt, observasse debent.

19. *Hæc finxerat*. *Hæc* defendit Bremi idoneis exemplis contra Ern. qui *hoc* malebat. Similiter « quæ, ea, illa, ista » dicitur: quæ negligentiæ adscripta noli, ut vulgo faciunt. *Hæc est*, *hæc et talia*. Vide ad Acadd. II, 29, 95. Græci eodem prorsus modo τάδε et ταῦτα. G.

20. *Assequutus est*. Hæc transposita inter se in Bremiana, causam, cur id factum sit, ne suspicari quidem permittunt. G.

21. *Nam si omnes .... sin aliæ*. Gœrenz dat: *nam si omnes .... sive aliæ*. Male, inquit, cum Davis. pro *sive*, quæ est codd. omnium (nam Gud. 2, *suavitate decl.* peccans, idem vulgatum defendit), *sin* edidit: ut recte vidit hoc loco Bremi. Accuratius hac de structura egimus ad Acadd.

atomi declinabunt, nullæ umquam cohærescent : sin aliæ declinabunt, aliæ suo nutu recte ferentur[22], primum erit hoc quasi provincias atomis dare, quæ recte, quæ oblique ferantur; deinde eadem illa atomorum, in quo etiam Democritus hæret, turbulenta concursio hunc mundi ornatum[23] efficere non poterit. Ne illud quidem physici, credere aliquid esse minimum[24] : quod profecto numquam putavisset, si a Polyæno[25], familiari suo, geometriam[26] discere maluisset, quam illam etiam ipsum dedocere.

Sol Democrito magnus videtur, quippe homini erudito, in geometriaque perfecto. Huic bipedalis fortasse[27] : tantum enim esse censet, quantus videtur,

I, 2, 7 : conferatur Tursell. 1189.

22. *Suo nutu recte ferentur.* Id est, « sui ponderis nisu ad perpendiculum fer. » quum *nutus* corporum cum pondere omnium proclivitas sit, qua ad terræ centrum (ut vocant) nituntur. Ita νεύειν quoque Græci philosophi. Paucis deinque post, « quasi provincias atomis dare », est, « pro arbitrio decernere, quæ atomi, etc. » G.

23. *Hunc mundi ornatum.* In voce *mundus* jam inest *ornatus* notio, ut in græca κόσμου : tamen et seriores Græci sæpe κόσμου διακόσμησιν dicunt. Erat videlicet tum vocis utriusque notio ita auribus adsueta, ut simpliciter *universi* vis ea intelligeretur. *Hunc* est, *quem vides*. G.

24. *Aliquid esse minimum.* Nempe « quod sit individuum : quum sit nihil omnino in rerum natura minimum, quod dividi nequeat » ; vide Acadd. I, 7, 27.—In continuo præced. « ne illud quidem phys. » plures et scripti et editi pro *illud*, *id* exhibent : ex compendio i^d puta, ut sæpe. G.

25. *Polyæno.* Polyænus erat Lampsacenus; de quo Acadd. II, 35, 106.

26. *Geometriam.* Gruter. ex quinque Palatt. *geometricam* notat : unde Bremi *geometrica* corrigere voluit, Jo. Fr. Gronov. Obss. II, c. 2, idem suadente ;) sed operæ non paruerunt. Optime sane, et sic pæne proprie bene Latini in artium nominibus : vide etiam eodem modo Tusc. I, 24, 57. Sed horum Palatt. nimis est una facies; nec ullus alius cod. ita præbere memoratur : nostri quoque et editi vett. vulgatam mordicitus retinent. Nec produnt iidem in *illam*, quod alias solent, ejusmodi lectionis vestigium. Quod secus est paullo post, ubi bini mei et unus Oxon. *geometrica* : sed ita non Cicero, ut ipse Bremi vidit. Vulgatam igitur deserere non licuit. G.

27. *Huic bipedalis fortasse.* Hic locus ne pugnare putetur cum illo Acadd. II, 26, 82 : « quantulus (sol) nobis videtur? mihi quidem quasi pedalis. Epicurus autem posse putat etiam minorem esse eum, quam videatur, sed non multum : nec majorem quidem multo putat esse, vel tantum esse, quantus videatur : ut oculi aut non multum mentiantur, aut nihil ».

21 vel paullo aut majorem, aut minorem. Ita, quæ mutat, ea corrumpit; quæ sequitur[28], sunt tota Democriti: atomi, inane, imagines, quæ idola[29] nominant, quorum incursione non solum videamus, sed etiam cogitemus[30]; infinitio ipsa, quam ἀπειρίαν vocant, tota ab illo est; tum innumerabiles mundi, qui et oriantur, et intereant quotidie. Quæ etsi mihi nullo modo probantur, tamen Democritum laudatum a ceteris, ab hoc, qui eum unum sequutus est[31], nollem vituperatum[32].

Nam auctor eo loco quasi minimam, qualis oculis se offert, solis magnitudinem refert, hoc nostro contra quodammodo maximam ponit. Sed notandum tamen est, Erl. referre *pedalem*. De iis, quæ adduntur, monendum est, loco citato auctorem ipsa Epicuri verba, hoc autem loco eorumdem modo mentem expressisse. G.

28. *Quæ sequitur.* Si Rathius Bremium consuluisset, non denuo ille ex codd. quibusdam *sequuntur* cum Davis. suasisset. Ut enim aperte *mutat* opponitur, i. e. « corrigere conatur », et, « integra in suam sententiam transfert » : ita nihil huc momenti facit, quod Epicurus in quibusdam alios præter Democritum sequutus est; quum certum indubitatumque sit, hunc illum sectatum omnium maxime. Unde quoque paulo post § 21, « qui eum unum sequutus esset ». Adde, quod *Ita* ex præcedd. colligit § 17, 18, ubi idem Epicurus ab uno Democriti exemplo pendere dicitur. Bene etiam Bremi *tota* urget. Recte autem, *sunt tota*, verbo substantivo cum asseveratione præmisso; ne *tota sunt* malis. G.

29. *Quæ idola nominant.* Gœrenz *quæ εἴδωλα nominant.* Recte, inquit, Bremi græcam vocem græcis literis. In *nominant* ne hæreas, intelliguntur Democritus et Epic. de quibus communiter agitur. Hic enim ab illo id acceperat, ut istas ἀποῤῥοὰς τῶν σωμάτων, εἴδωλα diceret; cf. Aristotel. de Divin. per somn. c. 2.

30. *Quæ id. . . . cogitemus.* His, inquit Gœrenz, parenthesis signa addidimus, quæ abesse nequeunt. Quod si Ern. vidisset, de *quarum* legendo minime cogitasset.

31. *Sequutus est.* Gœrenz *sequutus esset.* Vulgo, inquit, a Davisio inde *est* editur: sed omnes nostri *esset*; et sic omnes omnino præter Eliens. 1, unde ille sic scripsit. Reduximus quod corrigi non debebat; vera enim consecutio est, *qui* pro *quum* hic posito. Tum enim hic illum vituperabat, quum suæ philosophiæ σύστημα ipse conflasset.

32. *Vituperatum.* Refert Laert. X, 8, ab Epicuro Democritum Ληρόκριτον audisse. Eo referantur quoque hæc Nat. Deor. I, 33, 93: « quum Epicurus ... in Democritum ipsum, quem sequutus est, fuerit ingratus ». Nam hæc una ratio, qua ingratus ille dicatur, cogitari potest, quum Democritus Olympiade 71, vel ad summum 72, natus sit (errant enim, qui ad Olympiadem 80 ejus natalem

VII. Jam in altera philosophiæ parte, quæ est quærendi, ac disserendi[1], quæ λογικὴ dicitur, iste vester plane, ut mihi quidem videtur, inermis ac nudus est. Tollit definitiones; nihil de dividendo ac partiendo docet; non, quo modo efficiatur concludaturque ratio, tradit; non, qua via captiosa solvantur, ambigua distinguantur, ostendit. Judicia rerum[2] in sensibus ponit : quibus si semel aliquid falsi pro vero probatum sit, sublatum esse omne judicium[3] veri et falsi putat. 22

[In tertia vero parte[4], quæ est de vita et moribus,

referunt); Epicurus autem Ol. 109, 3, esse cœperit. G.

VII. 1. *Quærendi, ac disserendi, quæ λογικὴ dicitur.* Ponit partes logices; quæ alias eodem modo « in ratione et disserendo » cerni dicitur, Acadd. I, 8, 30, et de Fato, 1, 1, « totaque est λογικὴ, quam rationem disserendi voco », ut recte Bremi dedit : quæ omnia ad idem redeunt. In proximis singula capita prioris partis, i. e. dialectices, auctor percurrit, ut doceat, quam in hac arte nudus sit Epicurus et inermis. G.

2. *Judicia rerum.* Est κριτήριον, « ad quod rerum veritas æstimatur »; cf. Acadd. II, 9, 29, ubi de varia græcæ vocis apud Cic. expressæ ratione egimus. G.

3. *Judicium veri et f.* Male in Bremiana scribitur *judicium rerum*, quum altera lectio sit omnium codicum : nec melius in hac paullo superius omissa sunt verba « ut mihi quidem videtur ». Perperam Davis. « jud. et veri et falsi » correxit : idque contra verum notionis sensum pariter atque perpetuum auctoris usum. G.

4. *Putat.* [*In tertia*, etc. Nonnulli editores post *putat* lacunæ signa ponunt, et omnia quæ uncis inclusimus prætereunt. — *In tertia*, etc. Hoc totum, quod reperitur in libris vulgatis, ab hoc loco « In tertia vero parte, etc. » usque ad *confirmat*, etc. non reperi in libris nostris manuscriptis, quæ credibile est a docto aliquo esse assuta. Nam quum certum sit, hic aliquid deesse in libris manuscriptis, neque difficile admodum sit, quid desit, conjicere, hoc totum ille, quisquis fuit, non inepte supplevit : nisi forte in alio meliore exemplari reperitur. Ego in nostris libris manuscriptis non reperi, neque ullam reperi lacunam. Lambin. — Vetus exemplar, quo usi sumus, ea verba non habebat : vera tamen esse videntur. Sed adhuc quædam desiderari, verba quæ sequuntur satis indicant : ea enim apte cum illis non cohærent. Morellius. — *In tertia.* Verissime VV. DD. fecerunt quum in signo lacunæ ponendo, tum in extrudendis his verbis, quæ ante Davis. ex paucis quibusdam codd. hiatui complendo textis inserta legebantur : « In tertia vero parte, quæ est de vita et moribus, in constitutione finis, nihil generosum sapit atque magnificum ». Quæ quidem verba si per se spectes, præter vocem *finis*, cujus vice h. l. *finium* requiri-

in constitutione finis, nil generosum sapit, atque
23 magnificum]. Confirmat[5] illud vel maxime, quod ipsa natura, ut ait ille, adsciscat et reprobet, id est[6], voluptatem et dolorem. Ad hæc, et quæ sequamur, et quæ fugiamus, refert omnia. Quod quamquam Aristippi[7] est, a Cyrenaicisque melius liberiusque defenditur[8], tamen ejusmodi esse judico, ut nihil homine videatur indignius. Ad majora enim quædam nos natura genuit et conformavit, ut mihi quidem videtur. Ac fieri potest, ut errem: sed ita prorsus existimo, neque eum Torquatum[9], qui hoc primus

tur, nihil sane continent, cur intt. ea tantopere contemnant. At vix probabile est, auctorem tam præcipitate ad tertiam ethices partem transisse. Puat hæc autem ipsa, si vel in genuinis haberentur, tamen excidisse alia quædam putanda forent, quum ne sic quidem ea, quæ subjiciuntur, rite cohæreant. Ita saue nos quoque ea exclusimus, quibus nihil contexta adjuvarentur, quæque tut codd. nostrique omnes damnarent. G.

5. *Confirmat illud.* Gœreuz scribit « confirmat autem illud ». *Autem*, inquit, e Davisio addita, Oxonn. 5, totidemque nostris, Vien. veteribusque editis plerisque omnibus stabilitur. Parum recte eamdem denuo Ern. rejecerat.

6. *Id est.* Audacius Davis. probante Bremi, *id esse* suadet: quum et plena contexta desiderentur, et, si vel hoc non cures, vulgata tamen bene se habeat. Constructio enim est: « confirmat illud... quod nihil aliud est quam voluptas, etc. » Si contra *esse* scripseris, alius verborum ordo requiritur.

7. *Aristippi est.* Aristippus, hujus sectæ auctor, quæ voluptatem summum bonorum finem faciebat, oriundus erat Cyrene in Africa (hodie *Caïoran* vel *Curin*). Qui ex ea fluxerunt dicti sunt Cyrenaici.

8. *Melius liberiusque defenditur.* Quum Aristippus simpliciter in sensibus, Cyrenaica autem familia, in interiore tactu voluptatem, finem bonorum, poneret; cf. Acadd. II, 7, 20, fin. Epicurus eamdem idem post Aristippum simpliciter in sensibus. *Liberius* est minus exacte, rationibus majorem quamdam veritatis speciem præ se ferentibus. G.

9. *Neque eum Torquatum, qui... invenerit.* Cf. Tusc. IV, 22, 49: « Ego ne Torquatum quidem illum, qui hoc cognomen invenit, iratum existimo Gallo torquem detraxisse ». Ex quo loco id quasi monemur, *neque* hoc in nostro pro *ne ... quidem* accipi debere; vel, si mavis, pro *etiam non*, ut barbari loquuntur. Sic enim sæpius et *nec*, et *neque* dicitur. Ita quidem nihil opus est, ut excidisse auctorem constructione putes; etsi id quidem in exemplis afferendis haud raro observare licet. G. — *Eum Torquatum.* Ejus nomen erat Titus Manlius. Factum de quo agitur notissimum est.— Q. Claudius Quadrigarius, cujus ver-

cognomen invenerit, aut torquem illum hosti detraxisse, ut aliquam ex eo perciperet corpore [10] voluptatem; aut cum Latinis tertio consulatu conflixisse apud Veserim [11] propter voluptatem. Quod vero securi filium percusserit [12], privavisse se etiam videtur multis voluptatibus, quum ipsi naturæ patrioque amori prætulerit jus majestatis atque imperii. Quid? 24
T. Torquatus is [13], qui consul cum Cn. Octavio fuit,

ba, quibus banc historiam retulit lu literas, leguntur apud Gellium, lib. IX, cap. 13, putavit boc contigisse anno ab U. 386, M. Furio Camillo qnintum dictatore: ut testis est Livius, lib. VI, extremo. Ipse autem Livius, lib. VII, decem baud minus post annos. Idem tamen narrat id factum C. Sulpitio et C. Licinio Calvo coss. dictatore T. Quintio Penno: id est, sex annis posterius. Considera per otium. MURET.

10. *Corpore voluptatem.* Gœrenz *voluptatem corpore.* Quatuor, inquit, nostri, ut edidimus; modo quod Gud. 1, *corporis* peccat. Et Davisium etiam in suis ita legisse, inde patet, quod *corpore* ob vagam sedem ejici jubet: in quo recte a Bremio refutatus est. Sed transposita verba et soni ratio probat, et sane ita quoque auribus molesta ejusdem vocis in clausulis continuo se excipientis repetitio vitatur. Paruimus ergo rectiora præbentibus.

11. *Apud Veserim.* Complures scripti *Vesuvium*, in bisque bini mei. Nec aliter edd. vett. permultæ: ut inde *Veserim* (noli Vesevum), per compendium scriptum esse facile conjeceris. Sed vulgata vera est. Cf. Off. II, 31, 11: « Cujus (Torquati) tertio consulatu Latini ad Veserim fusi et fugati ». Cll. Val. Max. VI, 4. Erat autem *Veseris* fluvius in Vesuvii vicinitate: inter quem et montem hunc pugnam istam accidisse, tradit Livius, VIII, 8: « Pugnatum est haud procul radicibus Vesuvii montis, qua via ad Veserim ferebat ». A fluviorum autem vicinitate appellari ubique pugnæ veteribus solent. G.

12. *Securi filium percusserit.* Gœrenz dat *securi percusserit filium.* Vulgatus ordo, inquit, quum neque in nostris quinque, nec in Vien. reperiatur, sciolo alicui deberi videtur: ille enim codd. nostrorum multo præferendus est. Ita nempe v. *filium* cum vi in clausula posita est, idque ratione contextis aptissima. Nam quod *filium* supplicio affecerit, in hoc sententiæ cardo versatur. Nihil igitur sic corrigere dubitavimus. — *Fil. percusserit.* Quis sine jussu patris imperatoris contra hostem singulari prælio pugnaverat, licet e pugna victor rediisset. Inde dicta sunt *Manliana imperia* de severioribus imperiis.

13. *L. Torquatus.* Lego *T. Torquatus* ex lapidibus Capitolinis, e Valerio, lib. V, cap. 8; e libro LIV epit. Livii. MUR. — Vide et Val. Max. lib. VI, cap. 3. — Davisio monitore, ab Ern. *T. Torquatus* correctum est, quum scripti editique ante eum omnes (uno Paullo Manut. qui tacite rectius sequutus est, excepto), prave *L.* exhibeant. G.

quum illam severitatem in eo filio adhibuit, quem in adoptionem D. Silano emancipaverat, ut eum, Macedonum legatis accusantibus[14], quod pecunias prætorem in provincia cepisse arguerent, causam apud se dicere juberet, reque ex utraque parte audita, pronuntiaret, eum non talem videri fuisse[15] in imperio, quales ejus majores fuissent[16], et in conspectum suum venire vetuit : numquid videtur tibi de voluptatibus suis cogitavisse? Sed ut omittam pericula, labores, dolorem etiam, quem optimus quisque pro patria et pro suis suscipit, ut non modo nullam captet, sed etiam prætereat omnes voluptates, dolores denique quosvis[17] suscipere malit, quam deserere ullam offi-

14. *Accusantibus, quod... arguerent.* Miror in his VV. DD. nihil hæsisse, quum alias ejusmodi locis offendantur, ubi *quod* pro *quum* cum subjunctivo struitur. V. c. pro Cluent. 9, 44 : « ita quod ceteri propter liberos pecuniæ cupidiores soleant esse, ille propter pecuniam liberos amittere jucundius esse duxit ». Ibi ab Ern. inde *quum* pro *quod* ex conjectura sine omni justa causa correctum est. Vide ad Acadd. II, 20, 66. G.

15. *Videri fuisse.* Nostri quoque codd. præter Erl. et Spir. in v. *videri* peccant. Gud. 2, *fideli;* Gud. 1 et Bas. *fidei.* Sed nihil inde extricandum, quum *videri* verbum sit in sententiæ judicis pronuntiatione proprium; vitium a confusius dictante repetendum videtur. Locus autem classicus est Acadd. II, 47, 146 : « quæ jurati judices cognovissent, ea, non ut, esse facta, sed ut, videri, pronuntiarent ». G.

16. *Fuissent, et,* etc. Gœr. interpungit *fuissent; et*, etc. Semicolon, ait, ante *et* posuimus, ut *vetuit* cum verbo superius posito, *adhibuit*, conveniret : alias enim male tempora coirent, et cum Ern. *vetaret* desiderandum esset. Quæ autem his perfectis interponuntur, quasi per parenthesin dicuntur. Hac quidem ratione *et* pro *et ita* capiendum est. Cf. Orat. 53, 177. Per hanc *et* haud raro disparia tempora junguntur. Adde Herenn. IV, 10, 15; Acadd. II, 3, 8. Hæc particulæ vis, ne loca ex Cic. cumulem, in primis frequentatur apud Corn. Nep. ubi ne semel quidem notata est. Ceterum collegit ad hunc locum Bremi plura mutatæ legitimæ structuræ exempla, quorum pæne singula separatum quoddam judicium requirunt.

17. *Sed ut omittam... dolorem... dolores denique quosvis.* Corrupta hæc Davis. judicat et Bremi. Et sane, si ea simpliciter et quieto animo, quo non scripta sunt, examines, non talia quidem reperies, qualia hi putant : ejus tamen naturæ, ut ex animo aliqua ratione commotiore prolata dicas. Bremium Ern. monere poterat, ut accuratius attenderet. Differunt enim primo vere, « dolor, quem optimus quisque suscipit », et « dolores qui-

cii partem : ad ea, quæ hoc non minus declarant, sed videntur leviora, veniamus. Quid tibi, Torquate? quid huic Triario literæ, quid historiæ, cognitioque rerum[18], quid poetarum evolutio, quid tanta tot versuum memoria voluptatis affert[19]? Nec mihi illud dixeris: Hæc enim ipsa mihi sunt voluptati. Et erant illa Torquatis[20]. Numquam hoc ita defendit Epicu-

vis », quos idem « suscipere malit » : distinguuntur temporibus, hoc sensu : « Vir bonus pro patria et pro suis pericula, labores, et ea adeo, quæ dolorem excitant, subit, ita quidem, ut non modo voluptate nulla fruatur, sed etiam ab iis, quibus frui possit, se contineat : quid? ne abnegat ille quidem dolores vel graviores quosvis sustinere, quo minus deserere aliqua parte officium suum cogatur ». Ex quibus ipsis deinde hoc perspectu facile est, *dolores*, ut verbum gravius, etiam « pericula et labores » simul complecti, ut sæpe alibi. Denique aperte ista ex animo commotiore fluxerunt. Cogitabat Cicero « pericula et dolores consulatus sui » ; cogitabat « exsilii dolorem », et profitetur simul, vel his graviora se esse aditurum, si officium vocet. Hinc est, quod locus hic transitoria illa formula, *ut omittam*, incipit ; hinc, quod oratio repente abrumpitur. Conturbato autem auctoris animo turbatiorem quoque ejus orationem evadere, ut ex animi humani natura per se patet; ita ad libb. de Legg. sæpius occurrit ; cf. v. c. Legg. II, 17, 42 ; 43, 44. Nihil igitur mutandum. G.

18. *Quid historiæ, cognitioque rerum.* Gœrenz *quid cognitio rerum*, deletis ceteris ; qui observat : Sensit Bremi vulgatam *quid hist. cog. q. rerum* corruptam esse ; sed parum ei medetur, si suadet, « quid historiæ cognitio, cognitioque rerum ». Facile, si accuratius attenderis, videre est, *historiæ* glossam esse vocis *rerum*, quippe quam scribæ pro, « rerum gestarum » dici putarent : quum potius « cognitione rerum » philosophia intelligatur, atque ita paullo post repetite ponatur. Si vero hæc verba sic acceperis, et tamen *historiæ* retinebis, auctori sane injuriam facies, qui tam diversa uno *quid* comprehendere eum voluisse putaris. *Que* autem pariter, atque *vel*, glossis jungendis inservire, nisi notissimum esset, multis locis doceri posset. Ceterum hanc nostram rationem eam judicamus, quæ se peritis per se ipsa commendet.

19. *Affert?* Bini nostri recentiores *afferunt*. Ita scilicet peccant scribæ, si plura subsit, ad unum verbi singularem referuntur. Abunde hac de re egimus ad Acadd. II, 1, 1. G.

20. *Et erant illa Torquatis.* Rath. speciose sane *ut* suadet : sed non vere. *Et* autem *Et sane* valet : cujus frequentissimi usus exempla vide ad Legg. II, 3, 7. Duo modo loca addamus, quæ propter hanc particulæ vim corrigi merentur. Orat. 21, 71 : « nos dicamus sane decorum, de quo præclare et multa præcipiuntur, et res est cognitione dignissima ». Schütz cum Strebæo priorem *et* ante *præclare* transposuit : dele rectius, ut ante posterius colo distinguatur, ita locum persanatum habebis. Orat. II, 22, 93 :

rus: neque vero tu [21], Triari, aut quisquam eorum, qui aut saperet [22] aliquid, aut ista didicisset. Et, quod quæritur sæpe, cur tam multi sint Epicurei [23], sunt aliæ quoque causæ, sed multitudinem hoc maxime allicit [24], quod ita putat [25] dici ab illo, recta et honesta quæ sint, ea facere ipsa per se lætitiam, id est, voluptatem. Homines optimi [26] non intelligunt, totam rationem everti, si ita se res habeat [27]. Nam si concederetur, etiamsi ad corpus nihil referatur, ita sua

« Non potuisset accidere, ut unum esset omnium genus ». Cod. a me collatus probatissimus his *Et* præmittit, « Et non potuiss. », et sic transponit, « unum genus esset omnium ». Utrumque puta verissimum. G.

21. *Neque vero tu, Triari, aut q.* Gœrenz delet *Triari*. Bremi, inquit, quum hæc ad *Torquatum* pertinere videret, *Torquate* correxit. Neutrum a Cicerone esse facile persuadent Palatt. plures et ex nostris Erl. et Spir. Idque vel hujus collator intellexit, qui hoc scholion adjecit, « perapte abest, nam Triari falsum ». Codd. ne *Triari* quidem referunt: mei certe reliqui vel *troji* vel *Torii*. Adlevere scribæ *Triarii* nomen, quum proxime ante eum appellatum viderent. Prorsus autem nulla est nominis h. l. addendi necessitas.

22. *Saperet aliquid, aut didicisset.* Ne *saperet* et *didicisset* offendant, notandum est, *defendit*, quod præcedit, esse perfectum, et ex eo ad « neque vero tu, defenderes » esse cogitandum. G.

23. *Cur tam multi sint Ep.* Ita primus dedit Davis. nam ante *sunt* edebatur; quod per se quidem non simpliciter rejiciendum (cf. Wopk. pag. 145), sed hoc in contextu, ubi nulla asseveratione opus est, et *sunt* continuo redeunte, defendendum non est. Præbent etiam *sint* ex meis Erl. et Spir. G.

24. *Hoc maxime allicit.* Spir. Erl. Gud. 2, *hæc*, i. e. *causa*. Bene quidem. Sed sæpe sic auctor neutro pronominis utitur. Malim tamen *hæc*, probatum scriptis optimis. G.

25. *Putat.* Gud. 1 et Bas. habent *putant*, quod non minus latinum est; hoc item in Cratandriæ margine legitur. Inde facile credere liceat, plurium in verbo numerum ad collectivum esse Ciceronis.

26. *Homines optimi* per ironiam dicuntur, ut sæpius; cf. Off. II, 25, 7; Rosc. Am. 8, 23. Sic item βέλτιστος apud Platonem in allocutione sæpe. G.

27. *Si ita se res habeat.* Erl. Spir. Gud. 1, Pet. Mars. *res se*, ut tantum non semper Cicero. Sed vulgata defenditur ex Brut. 51, 192; Att. II, ep. 22; et Legg. I, 22, 58 Ex hoc vero loco errorem ad Acadd. II, 17, 54, commissum agnovimus, ubi pro vulgato « res se ita habeant », quod vere vitiosum est, *habet* correximus, quum *habeat* corrigi debuisset; sed effugerat nos hic locus, cujus lectionis veritas dubitari nequit. Rarissimum autem in hac forma subjunctivi usum esse, certissimum. G.

sponte, et per se esse jucunda, per se esset et virtus, et cognitio rerum, quod minime ille vult, expetenda. Hæc igitur Epicuri non probo, inquam. De 26
cetero vellem equidem, aut ipse doctrinis fuisset instructior (est enim, quod ita tibi videri necesse est, non satis politus iis artibus, quas qui tenent, eruditi appellantur), aut ne deterruisset alios a studiis: quamquam te quidem video minime esse deterritum.

VIII. Quæ quum dixissem, magis ut illum provocarem, quam ut ipse loquerer: tum Triarius leniter arridens, Tu quidem, inquit, totum Epicurum pæne e philosophorum choro sustulisti. Quid ei reliquisti, nisi te, quoquo modo loqueretur [1], intelligere, quid diceret? Aliena dixit in physicis [2], nec ea ipsa, quæ tibi probarentur. Si qua [3] in his corrigere voluit, de-

VIII. 1. *Quoquo modo loqueretur.* Ita Erl. et Spir. Crat. etiam ad marg. ut Grut. ex Pal. 1, et Davis. ex Eliens. 2, ediderunt. Reliqui mei, ut scripti fere omnes, *quoquo*, vel «quoque, ut id modo l.» Unde addidit Bremi *id*, sed uncis coercitum, quod delere noluit, quum *loqui aliquid* ex Ciceronis usu esset. Sed vellem V. D. ostendisset, quomodo pron. ad hæc contexta rite conveniret: nos certe, licet nos Ciceronis mos neutra pronominum vagius ponendi non fugiat, nihil eo jejunius reperimus. G.

2. *Aliena dixit in physicis. Dixit* est in Erl. Spir. et Bas. ut in aliis aliorum, idque Ern. loco vulgati *dicit* cum Grut. 1, et Davis. recepit. At insurgit contra hos Bremi, vulgatæ patronus, exemplorum nube, quibus, justam temporum rationem non ubique servari, probet. Multiplex ad ea requiritur responsio, quæ harum adnotationum brevitati non conveniat: sed hoc certi sumus V. D. ipsum videre ista ratione quævis scribarum in verborum temporibus vitia defendi et posse, et adeo debere. Quod si esset, nos quidem hanc provinciam, quam suscepimus, primo quoque tempore abjiceremus. Sed salva res est: multa enim loca, quæ sic laudantur, in suum orbem redeunt; alia contextus ratio, alia affectus, alia denique ἦθος orationis defendit: pauca relinquuntur, in quibus jure hæreas. Hoc in nostro equidem vulgatam minime defenderim, licet de scriptoribus Cic. proprio præsenti utatur: nam reponitur, per quamdam ἀνακεφαλαίωσιν, prægressa disputatio, in qua semper alias auctor præterito utitur. His al reliquorum rationem temporum, quæ sequuntur, compararis, dubitatio vix ulla relinquitur, *dixit* unice h. l. a Cic. proficisci potuisse. G.

3. *Si qua.* Gœrenz scribit *si quæ.* Ita, inquit, recte Bremi ex olim vulgata, quam edd. vett. plures tuentur, et ex meis Spir. Bas. et sic ex suis

teriora fecit. Disserendi artem nullam habuit. Voluptatem quum summum bonum diceret, primum in eo ipso parum vidit; deinde hoc quoque alienum : nam ante Aristippus [4], et ille melius. Addidisti ad extremum, etiam indoctum fuisse.

27 Fieri, inquam, o Triari [5], nullo pacto potest, ut non dicas, quid non probes ejus, a quo dissentias. Quid enim me prohiberet Epicureum esse, si probarem, quæ ille diceret? quum præsertim illa perdiscere, ludus esset. Quamobrem dissentientium inter se reprehensiones non sunt vituperandæ : maledicta, contumeliæ, tum iracundiæ, contentiones [6], concer-

Mars. Sed est ex græcismo explicandum, εἴ τινα, *quæcunque*. Vide ad Legg. II, 19, 49; cll. Acadd. II, 48, 181; et infra III, 9, 31. Plerique codd. his *Sed* præmittunt. At quis nescit, hanc partic. a scribis ubique intrudi solere? cf. Oudend. ad Invent. I, c. 41, p. 646. Ignorant eam ex nostris Erl. et Spir.

4. *Nam ante Aristippus, et ille melius*. Gud. 2, *Aristippus ante*. Post *melius* scriba aliquis (ut P. Manut. vidit), ad § 30, aberraverat, verba, « etenim quoniam detractis de homine sensibus », huc allinens; unde ea in tot codd. abiere : quæ tamen, præter Pal. 1, ex nostris Erl. et Spir. ignorant, nec agnoscunt P. Mars. Crat. aliæque vett. G.

5. *O Triari*. Pro *Triari* tres mei potiores *Triario*. Inde *o Triari* factum puto, quod ante Davis. vulgatum est, Ernestiusque et Bremi repetiere. Sed vel sua sponte addunt hanc interim librarii; quæ bonis scriptt. fere non, nisi in commotiore oratione ponitur. Sensus autem horum verborum, paullo obscurius enuntiatorum, hic est : « Necessarium est, ut, quum dissensum tuum ab alicujus sententia indicare velis, id ipsum expromas, quod non probes ». G.— Hæc nobis a Cicerone de se ipso dici videntur : se excusat quod tam male de Epicuro loquutus fuit, quia necesse erat, ut rationes afferret cur ab Epicuro dissentiret.

6. *Tum iracundiæ, contentiones*. Gœrenz scribit *tum iracundæ contentiones*. Miror, inquit, VV. DD. qui in vulgato *iracundiæ*, hoc in orationis tenore, acquiescere potuerint. Sunt enim vitia, quæ vel nudo veri sensui se prodant : tantum abest, ut admoto judicii lumine latere possint. Ex horum genere vel hoc æstimamus. Nam si modo aures adhibueris, respuere eas hanc juncturam senties. Deinde si particula *tum*, ut solet, si unde ponitur, structuræ mutatæ rationem indicat, quo demum modo eam positam dices vulgata comprobata? Certe transponenda foret, *tum cont.* At si *iracundæ*, ut P. Marsus præbet, et Lamb. Gulielmi, ac Allemandus exhibent, legitur, jam non solum parium membrorum ratio, « iracundæ contentiones, concertationes pertina-

tationesque [in disputando] pertinaces[7], indignæ mihi philosophia[8] videri solent.

Tunc[9] Torquatus, Prorsus, inquit, assentior: ne- 28 que enim disputari sine reprehensione[10], nec cum iracundia, aut pertinacia, recte disputari potest[11]. Sed ad hæc, nisi molestum est, habeo quæ velim. At me, inquam, nisi te audire vellem, censes hæc dicturum

ces », exsistit; sed eorum etiam inversa ratio, quam Cic. tantopere amat, clare cernitur. Cf. Orat. III, 35, 143: « malim, equidem indisertam prudentiam, quam stultitiam loquacem ». Atque ita denique paullo inferius, relate ad hæc, « iracundia aut pertinacia », accurate juncta videbis. Ceterum puta scribas offendisse, quod alias fere *iracundus* non de rebus, sed de hominibus. Sed dixit item Cic. « iracundas epistolas » Quint. Fr. II, ep. 3, etc. Cf. infra ad V, 29, 88.

7. *Concertationesque* [*in disputando*] *pertinaces*. Gœr. ejicit *in disputando*, probante J. V. L. Hæc, inquit, jam Davis. quum a Paris. 2 abessent, cancellis coercuit. In nostris binis Gud. 2, et Spir. quum itidem exsularent, ut merito glossis adscribenda, expulimus. Sic paria, quæ proxima nota dixi, membra sincere se produnt. Neque quidquam his in contextis ejusmodi additamento opus est; idque maxime, quum *concertationes* proprie sint verborum, atque ita quoque *concertare* proprie ponatur. His si addideris, glossatoris manum in eodem verbo, § proxima textis addito, cerni, justa nos ratione usos esse videbis, quum hæc deleremus.

8. *Indignæ mihi philosophia*. Gœrenz dat *indignæ philos. mihi*. Ordinem, inquit, verborum, quem nos dedimus, omnes nostri cum Vien. 1494, Crat. edd. vett. aliis multis servant. Vulgatus coactior est, nec rationem habet.

9. *Tunc*. Gœr. *Tum*. In hoc quoque, inquit, vulgata corrigenda fuit, quæ *Tunc* exhibet. Quod non modo per se hoc loco contra auctoris usum est; sed recepta a nobis est quoque lectio codd. et Oxonn. et nostrorum omnium. Ut particulæ utriusque discrimen videas, cf. § 29: « Tunc dicere exorsus est ». Ita recte: sed *sic* adde, et scribendum erit, « Tum sic dicere exorsus est ». Male igitur plures sibi scripti *Tum* referunt.

10. *Sine reprehensione*. Intellige, « adversarii, secus sentientis ».

11. *Recte disputari potest*. Gœrenz delet *disputari*. Si quis, inquit, vel parum de verborum latinæ linguæ collocatione perceptum habuerit; ejus certe aures verbum sic repetite positum respuant. Rationem, si quæris, in eo reperies, quod hoc modo vis, quæ ex contextæ tenore in *recte* inest, perit. Si contra deleris, redibit quod perierat pondus, quum *potest*, ut utrique enuntiato commune, separatim interpungendum sit. Id quidem vel hebetius judicium, si ad similia attenderit, verissimum agnoscet. Jam abest hoc verbum in Oxonn. s. ξ. Spir. et Gud. 1. Tot igitur veri testibus, fides addicenda erat.

fuisse[12]? Utrum igitur[13] percurri omnem Epicuri disciplinam placet; an de una voluptate quæri, de qua omne certamen est? Tuo vero id quidem, inquam, arbitratu[14]. Sic faciam igitur, inquit: unam rem explicabo, eamque maximam. De physicis alias, et quidem tibi et declinationem istam atomorum, et magnitudinem solis probabo, et Democriti errata, ab Epicuro reprehensa, et correcta permulta[15]. Nunc dicam de voluptate; nihil scilicet novi, ea tamen, quæ te ipsum probaturum esse confidam. Certe, inquam, pertinax non ero; tibique, si mihi probabis[16]
29 ea, quæ dices, libenter assentiar. Probabo, inquit: modo ista sis æquitate, quam ostendis[17]. Sed uti oratione perpetua malo, quam interrogare, aut interrogari. Ut placet, inquam. Tunc dicere exorsus est.

12. *At me... censes hæc dicturum fuisse?* Vacillant codd. in *At; atque*, *ac* et *an* exhibentes. Postremum ex binis suis edidit Davis. Sed nulla est mutatione opus. Offendunt librarii, si *at* in interrogatione positam vident. Ad *censes*, cogites *ne*, quæ toties intelligenda est. Cf. infra 10, 34: »Tu tam egregios viros censes tantas res gessisse sine causa?« G.

13. *Utrum igitur*. Hæc interpres gallicus fingit a Torquato dici, vertitque, *eh bien! reprit-il*, etc. quod, quamvis probabile sit ex sequentibus: « tuo, inquam, arbitr. », tamen nihil obstat quin ipse Cicero quum Torquatum videat disputationi paratum, ab eo petat, de quo disputare malit ejusque arbitratum se secuturum esse profiteatur.

14. *Tuo vero id quidem, inquam, arbitratu*. Quod si h. l. optare, quam judicare, malueris, conjecerim, « Tu vero... arbitratu tuo ». Neque deessent rationes, quibus hæc conjectura quum ex auctoris multiplici usu, tum ex aurium judicio, tum aliunde adjuvari posset. Sed vulgata vera est, si soni vim et naturam reputaveris. G.

15. *Ab Epicuro reprehensa, et correcta permulta*. Nollem Bremi *deprehensa* suasisset: nam vv. *tibi probabo* ad hæc quoque referenda sunt, hoc sententiæ nexu: « Nam tibi probabo, recte Epicurum Democriti errores et reprehendisse (quem tu ab eo vituperatum esse improbas § 21), et correxisse (licet eum, quæ mutet, pravare dixeris), permultos ». G.

16. *Probabis*. ε. ξ. et Gud. 2, *probaveris*. Bene. Vulgata ex *probaris*, ut solet, orta videtur. G.

17. *Quam ostendis*. Jac. Gronov. *qua*, quod Juntinæ est, commendat: sed id vix latinum fuerit, nisi *te* inserueris. Non meminerat V. D. sæpe Cic. *ostendere* ita adhibere, ut, « præ se ferre, promittere de se », notet, eaque vi posito, accus. rei addi. G. — *Qua* diceretur per attractionem, ut aiunt.

IX. Primum igitur, inquit, sic agam, ut ipsi auctori hujus disciplinæ placet: constituam, quid, et quale sit id, de quo quærimus; non quo ignorare vos arbitrer, sed ut ratione et via procedat oratio. Quærimus igitur, quid sit extremum, quid ultimum[1] bonorum: quod, omnium philosophorum sententia, tale debet esse, ut ad id omnia referri oporteat; ipsum autem nusquam[2]. Hoc Epicurus in voluptate ponit; quod summum bonum esse vult[3], summumque malum, dolorem, idque[4] instituit docere sic: Omne animal [5], simul atque natum sit, voluptatem 30

IX. 1. *Quid sit extremum, quid ultimum.* Davis. ex solo Pal. 1, *et* posterioris *quid* loco. Et sic ex meis Erl. et Spir. Gud. 2. Mira hæc est potiorum librorum conspiratio: neque tamen eam sequi fas est. Vide supra 4, 11: « quid sit finis, quid extremum, quid ultimum ». Cll. II, 2, 5, « sive finem, sive extremum, sive ultimum definiebas ». Ex hoc simul ipso loco vides, cur sic Ciceroni dicere licuerit. G.

2. *Ut ad id omnia ref.... nusquam.* Subintell. *referri.* Expressit Cicero græca verba apud Stob. Ecl. Eth. II, pag. 162: τέλος ἐςὶν ἐφ' ὃ πάντα τὰ ἐν τῷ βίῳ πραττόμενα καθηκόντως τὴν ἀναφορὰν λαμβάνει, αὐτὸ δὲ ἐπ' οὐδέν. Quod paullo aliter Sext. Emp. I, 25: Ἐςι μὲν οὖν τέλος, τὸ οὗ χάριν πάντα πράττεται, ἢ θεωρεῖται, αὐτὸ δὲ οὐδενὸς ἕνεκα. Conf. infra cap. II, 2, 5. G.

3. *Quod summum bonum esse vult ... dolorem.* Gud. 2, verba, *summum... vult*, ignorat, cujus erroris causam in duplici *summum* vides. Non igitur justa causa Davisio fuit; ut, quum idem omissionis vitium in Par. 2 deprehendisset, totum locum ad uncos damnaret. Nihil est glossæ in his subodorandum, licet superflue addita videantur. Talis abundantia in explicatione, relativo juncta, recurrit apud auctorem locis pæne infinitis. Vide nos passim ad libb. de Legg. Debebant autem hæc verba proxime post *hoc* addi: sed ideo sunt altius rejecta, ut, « summumque malum dolorem », adjici posset. *Quod* autem *idque* notat. Sed licet etiam *quod* pro *quam*, græca structura, positum putari: atque ita equidem malim. Haud raro enim auctor relativum ad sequens subst. applicat. Æque male inde Davis. *in dolore* suadet, quum acc. ad *vult*, non ad *ponit* referatur, ut recte Bremi vidit. G.

4. *Idque.* Vult Rath. *que* in *idque* deletam: miramur, quum toties *idque* pro *et id quidem*, ut h. l. dicatur, cf. § 30, etc. Contexta h. l. jungit copula, nostro *ferner* comparanda; in cujus positu ubique fere VV. DD. offendunt. Cf. Acadd. I, 6, 23, et sæpius. G.

5. *Omne animal.* Vide Sext. Emp. Pyrrh. Hypp. III, 194: τὰ γὰρ ζῷα, φασὶν (Ἐπικούρειοι), ἅμα τῷ γενέσθαι, ἀδιάςροφα ὄντα, ὁρμᾷν μὲν ἐπὶ τὴν ἡδονήν, ἐκκλίνειν δὲ ἀλγηδόνας. Cll.

appetere, eaque gaudere, ut summo bono; dolorem aspernari, ut summum malum, et, quantum possit, a se repellere; idque facere nondum depravatum, ipsa natura incorrupte atque integre judicante [6]. Itaque negat opus esse ratione, neque [7] disputatione, quam ob rem voluptas expetenda, fugiendus dolor sit. Sentiri hoc putat, ut calere ignem, nivem esse albam, dulce mel: quorum nihil oportere exquisitis rationibus confirmari [8]; tantum satis esse [9] admonere.

Diog. Laert. XI, 137: Ἀπόδειξει δὲ χρῆται τοῦ τέλους (ὁ Ἐπίκουρος), εἶναι ἡδονὴν, τῷ τὰ ζῶα, ἅμα τῷ γεννηθῆναι, τῇ μὲν εὐαρεστεῖσθαι, τῷ δὲ πόνῳ προσκρούειν φυσικῶς καὶ χωρὶς λόγου. Hæc, a Davis. jam laudata, expressit Cic. ita, ut tota apodosi unam vocem ἀδιάστροφα explicaret. G.

6. *Ipsa natura ... judicante.* Bini mei *indicante.* Non male, si post *ipsa*, *se* excidisse statuas. Sæpe etiam hoc in illud mutatur; cf. Tusc. V, 20, 61; Læl. 3, 11. Sed h. l. vulgata verissima est: vide paucis post, « a natura ipsa judicari », et sæpius. *Naturam* autem h. l. « hominis animum » dici, ad Ciceronem accedentibus sua sponte patere debet. G.

7. *Negat opus esse ratione, neque disput.* De dicendi forma *negat ... neque* pro, « dicit, neque ratione, neque disp. » pluribus egimus ad Acadd. II, 25, 79; cll. ibid. II, 47, 145. Sensum vero horum hunc putabis: « statuit Epic. nihil opus esse argumentis ex ratione petitis, eorumque docta expositione; experientia id ipsum clare patere ». Verba enim, « ratione neque disputatione », sunt ἓν διὰ δυοῖν posita pro, « disputatione e sola ratione petita », nostri *speculative Erörterung*. G.

8. *Confirmari.* Gœrenz *confirmare*, qui observat: Ern. ex suo dedit *confirmari*: sed locis laudatis satis ostendit Bremi, activum stare recte posse. At ratione, qua sic scribi dicit (vult enim *aliquem* intelligi) nihil opus est. *Oportet* enim, quod proprie, *es ist nöthig*, valet, hanc cum reliquis impersonalibus naturam communicat, ut et activo, et pass. jungatur. Ne autem tum h. l. *nihil* offendat, tenendum est, hanc vocem, ut infinitis locis, simpliciter *non* valere. Si autem Matthiæ pag. 100, dubitat, an recte Davis. et Ern. *oportere* cum aliis, pro *oporteret*, quod codd. omnium est, correxerint: errare primum in eo videtur, quod *esse* proximum ab iisdem pro *esset* repositum dicit, quum *esse* scriptorum sit omnium. Deinde firmatur *oportere* edd. vett. plurium, ut P. Mars. Crat. etc. auctoritate, locique maxime nexu: *quorum* enim est, *et horum*, atque *oportere* ipsum a *putat* pendet; neque hæc ex Torquati, sed ex Epicuri judicio dicuntur.

9. *Tantum satis esse admonere.* Ern. *tantum* deleri, ut nusquam hac in forma obvium; Rath. transponi post *admonere*, jubet. Contra ea idem suo cum positu defendit Bremi simili loco opportune laudato, Orat. II, 32, 139. At et qui id damnant, et qui retinent, in eo errant, quod

Interesse enim inter argumentum conclusionemque rationis, et inter mediocrem animadversionem atque admonitionem: altera, occulta quædam et quasi involuta aperiri; altera, prompta et aperta judicari[10]. Etenim quoniam detractis de homine sensibus, reliqui nihil est: necesse est[11], quid aut ad naturam, aut contra sit, a natura ipsa judicari. Ea quid percipit, et quid judicat[12], quo aut petat, aut fugiat

adverbium, non adjectivum, putant. Quod ut accuratius pateat, paullo altius repetendum est. Formula igitur Comicis frequentatur, *Tantum est*, nostro idiomate, *nur so viel*, i. e. præterea nihil addendum. Cf. præter Plaut. Casin. Prol. v. 82, et Mercat. II, 2, 12. Terent. Eunuch. V, 5, 26. « L. Numquid est aliud mali, damnive, quod non dixeris, reliquum? P. Tantum est ». Græcis ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα, vel eadem ratione, τοσοῦτόν ἐστι. Ita similiter Terent. Heaut. III, 7, 40: « Tantum sat habes? » verte, *hast du an so viel genug?* Quod si tenueris, perspectu haud difficile erit, hoc nostro loco, et eo, quem ex Orat. II excitavimus, *tantum est* eumdem sensum habere. Ita demum ipse videbis, voces *tantum satis* ex ordine junctas esse. Si denique etiam intellexeris, *satis esse* in his *sufficere* valere (prout in isto loco apud Corn. Nep. Hannib. 10, 5: « a ceteris tantum satis habeant se defendere », *satis habeant*, pro « ipsis sufficiat », ponitur; vide ad Acadd. II, 18, 58): nihil plane, verum nos vidisse, dubitabis. G.

10. *Aperta judicari.* Ita nostri omnes: sed quidam aliorum codd. ut solent, *indicari*, quod præfert etiam Nissenus, quum sic *aperiri* aptius conveniat. Sed *argumentis* et *rationibus judicatur*, non *indicatur*. *Aperta* autem *judicantur*, si in plena luce sua judicio ponuntur. G.

11. *Necesse est... ad naturam... judicari.* Recte rejecit Bremi miram Ern. conjecturam, *esse*: quum hæc structura auctori sit familiarissima. Tres nostri *secundum naturam*; ex glossa scilicet. Græci πρὸς φύσιν, quod imitatus est auctor. Ita, « ad nostrum morem, consuetudinem », et similiter, sæpe auctor. Post *judicari* denique inserunt æque nostri vv. « voluptatem etiam per se... fugiendum », ex seqq. perperam repetita. G. — *Quid aut ad naturam, aut contra sit.* Rectius (ut puto) legendum est, « quid aut ad naturam aptum, aut contra sit »: nullis enim exemplis adductis probant interpretes voces, *ad naturam*, significare *secundum naturam*, licet eas ita interpretentur. Pearc.

12. *Ea quid percipit, et quid judicat.* Gœr. scribit *Ecquid præcipit? ecquid judicat.* Sic, inquit, locum corruptissimum, multisque modis ad scribarum arbitrium refictum, restituisse nobis videmur. Nam ii, qui *ea quid* exhibent, ut Grut. Davis. Ern. atque Bremi, qui *at ea quid* dedit, non reputaverunt, *naturam* non dici posse *percipere*. Etenim si vel *natura* h. l. de animo humano dicitur, tamen id ipsa vocis interior vis respuit. Miræ autem in his scribæ turbant. Plures « Et quid... et quid », ut Bas. et sic

31 aliquid, præter voluptatem, et dolorem? Sunt autem quidam e nostris, qui hæc subtilius velint tradere, et negent satis esse, quid bonum sit, aut quid malum, sensu judicari; sed animo etiam ac ratione intelligi posse[13], et voluptatem ipsam per se[14] esse

olim vulgatum est, multi *En quid*, in 4 Oxonn. et Gud. 1. Lectio *Etenim quid*, quam editi vett. plures servant, videtur ex ingenio nata. *At quid* Ursiniani est. Gud. 2, *En vel ea*. (Vides igitur, *ea* variantem esse lectionem.) Erl. et Spirens. *ei quid*. Complures denique codd. ante posterius *quid aut*, non *et* præbent. Quas quisquilias si rite excusseris, vix aliud judicium inde referes, quam quod nos commovit, ut sic ederemus. Nam pronomen *ecquid* ita ubique a scribis obliteratum reperitur, ut, quod toties in Cicerone legitur, unice pæne VV. DD. acumini debeas. Et tamen hæc emendatio non a nobis profecta, sed Petr. Marsus priorem *Ecquid* exhibet, posterioris loco *aut quid* peccans: ut recte e scriptis illud profectum putari possit. Deinde cum Spir. Gud. 1, et Ven. 1494, *præcipit* pro vulgato *percipit* scripsimus, quippe quæ verba ubique misceantur, et hoc vix ac ne vix quidem in orbem cogi possit. Jam hic facilis sententiæ tenor exsistit: « Nihil natura præcipit, nihil judicio suo docet, cur aliud quid homini aut fugiendum sit, aut appetendum, quam voluptas et dolor ». *Judicare* autem natura tum dicitur, « si expressa vestigia eorum, quæ ipsa velit, jubeat, adsunt ». Turbas autem istas quoque inde ortas judicamus, quod plures scripti, in iisque Erl. Spir. Gud. 2, itemque cum Ven. 1494, veteres expressi quidam, verba inferius sequentis huc trahunt, « et voluptatem ipsam per se esse expetendam et dolorem... fugiendum ». Exciderunt olim ea scilicet, et sic, appicta margini, pravo loco reposita sunt.

13. *Sed animo etiam ac ratione intelligi posse. Animo* opponitur prægressæ v. *sensu* quod est *experientia*; ut Græcis νοῦς αἰσθήσει. Ne tamen in voce *animo*, Latinis paullo insolentius posita, obscuritas quædam relinqueretur, per *ac* explicativam *ratione* additum est. Græci hæc distinguunt τῇ κάτωθεν et τῇ ἄνωθεν ὁδῷ, « via experientiæ, et rationis ». Ceterum en tibi Epicureos, rationali via (quam Epicurus ipse contemnebat), voluptatem summum bonum esse, demonstrantes. Quinam isti fuerint, non constat: sed operæ sane pretium foret rationes, quibus hoc probaretur, accuratius cognoscere. Viam certe vides: voluptatis nempe dolorisque notionem in προλήψεσι ponebant, atque inde eam natura esse, docebant. Nam verbis, quæ paullo inferius sequuntur, « quasi naturalem atque insitam in animis notionem », auctor Epicuri verbum πρόληψις circumloquutus est. Quæ quidem vox, inventa ab Epicuro, adoptata deinde a Zenone est. Vide nos ad Legg. I, 9, 26. Hoc notavimus propter Tennem. Gesch. d. Philos. t. III, pag. 403, qui nobis hanc v. paullo vagius explicasse videbatur. Erat enim Suidas v. πρόληψις conferendus. G.

14. *Ipsam per se*. Hæc pinguius explicata puta, ut solent, cum Fr. Heusingero ad Off. II, 12, 6. *Ipsum per se* dicitur, quod sua solius vi ui-

expetendam, et dolorem ipsum per se esse fugiendum. Itaque aiunt, hanc quasi naturalem atque insitam in animis nostris inesse notionem, ut alterum esse appetendum, alterum aspernandum sentiamus. Alii autem (quibus ego assentior), quum a philosophis compluribus permulta dicantur, cur nec voluptas in bonis sit numeranda, nec in malis dolor, non existimant oportere nimium nos causæ confidere, sed et argumentandum, et accurate disserendum, et rationibus conquisitis, de voluptate, et dolore disputandum putant.

X. Sed ut perspiciatis, unde omnis iste natus sit 32
error, voluptatem accusantium, doloremque laudantium [1], totam rem aperiam; eaque ipsa [2], quæ ab illo inventore veritatis, et quasi architecto beatæ vitæ dicta sunt, explicabo. Nemo enim ipsam voluptatem, quia voluptas sit [3], aspernatur, aut odit, aut fugit;

titur, sic ut nulla rei alterius accessione, vel adjumento indigeat: at *propter se* causam moventem, et finalem, ratione fere utilitatis habita, indicat. Sic Læl. 21, 80: « amicitia per se, et propter se expetenda », dicitur. Hac ratione particulas istas, sæpe permutatas a scribis rectius dignosces. Hanc quasi normam admovebis ad II, 24, 82, ubi *per* reposuimus. G.

X. 1. *Doloremque laudantium*. Non quidem laudabant proprie dolorem Academici et Stoici; sed illi, eum non summum malum esse, hi, quum omnino malum non sit, contemnendum esse docebant. Debet igitur *laudantium* h. l. ex vi oppositionis pro, *non accusantium*, sed *defendentium*, intelligi, ut prorsus Græcis ἐπαινεῖν dicitur. Cf. Sturzii Lex. Xenoph. ad h. v. G.

2. *Eaque ipsa*, *quæ*. Simul explicantis est, et idem fere, quod *nempe*, valet. Tusc. IV, 37, 81: « Inveteratio autem, ut in corporibus, ægrius depellitur, quam perturbatio: citiusque repentinus oculorum tumor sanatur, quam diuturna lippitudo depellitur, etc. » Inprimis frequentat hanc *que* Corn. Nep. Cf. Alcib. 3, 6: « quod nefas erat more Atheniensium; idque non ad religionem, sed ad conjurationem pertinere existimabatur, etc. » Quod quidem h. l. non moneremus, nisi Bremium veram interpunctionem obliterasse vidissemus, virgulam coli loco ponendo. G.

3. *Quia voluptas sit... quia dolor sit*. Offendunt fere VV. DD. hac in constructione. Ita editur Tusc. I, 7, 13: « immo quia non sunt, quum fuerint, eo miseros esse » (mortuos). Sed reponendum cum Davis. *sint*,

sed quia consequuntur magni dolores eos, qui ratione voluptatem sequi nesciunt[4]. Neque porro quisquam est, qui dolorem ipsum, quia dolor sit, amet, consectetur, adipisci velit; sed quia nonnumquam ejusmodi tempora incidunt, ut labore et dolore magnam aliquam quærat voluptatem. Ut enim ad minima veniam, quis nostrum exercitationem ullam corporis suscipit laboriosam, nisi ut aliquid ex ea commodi consequatur. Quis autem vel eum jure reprehenderit, qui in ea voluptate velit esse, quam nihil molestiæ consequatur[5], vel illum, qui dolorem eum fugiat, quo
33 voluptas nulla pariatur? At vero eos et accusamus, et justo odio dignissimos ducimus[6], qui blanditiis

idque non tam, quod sic 4 mei, quam ex loci sententia; quum dicat hæc jam dubitans Atticus. Orat. 54, 180: « quibusdam enim non videtur : quia nihil insit in ea certi ». Off. I, 7, 4: « Ex quo, quia suum cujusque sit, etc. » recte pro *fit* Hens. Notavimus hæc ad locum, in quem prorsus dubitatio non cadit, quum in hujusmodi subjunctivos frequenter peccetur. G.

4. *Qui ratione voluptatem sequi nesciunt.* Vertere licet, *auf eine vernünftige Weise*, sic ut græco λόγῳ respondeat. Sed ambiguitatem quis non videt? Equidem vulgatam labefactari nolo : sed Spir. *recte ;* et notandum sane est, *ratione* et *recte* sæpissime a scribis ex comp. *r̄e* confundi. Cf. Rosc. Am. 39, 114, « si recte fiat »; ubi plures codd. *ratione*. Pro Quint. 17, 54 : « Profecto si recte vestram bonitatem . . . cognovi », ubi item duo mei *ratione*, etc. Priore loco nuper, suffragantibus Græv. et Ern. sic receptum est. In posteriore aperte falsum, ut sæpius codd. tractanti observare licet. G.

5. *Quam nihil molestiæ consequatur. Quam* clare referunt Erl. et Spir. Ante Lamb. *qua* edebatur, ut etiam reliqui mei præbent, quod cum Wopkensio Matthiæ p. 101, defendit. Sed videtur plane aliud esse, « in causa, sententia, esse, qua, etc. » pro « in qua », et « in voluptate esse, qua . . . consequatur ». Nam sensus non est de voluptate, in qua, sed « post quam nihil mol. conseq. » Neque Bremium audio, qui ut instrumenti ablat. *qua* defendi pro *per quam* posse putat. Si mordicitus *qua* retinebis, abl. ex omisso *propter* derivare licebit. Cf. Legg. I, 15, 43; ibid. III, 7, 15; adde h. l. § proxima : sed sæpissime lineolam super *quā* obliteratam vidimus. *In voluptate* autem *esse* ex vero græcismo dicitur; vide ad Acadd. II, 26, 83. G.

6. *Et j. odio dignissimos ducimus.* Recte defendit Bremi *justo :* nam *multa* foret etiam coactius. Sed superfluum *justo* cum eodem non dixerim, quum vim superlativi augeat. Jeremias Judex, qui hunc locum, p. 107, habet,

præsentium voluptatum deliniti atque corrupti, quos dolores et quas molestias excepturi sint, occæcati cupiditate non provident; similique sunt in culpa, qui officia deserunt mollitia animi, id est, laborum et dolorum fuga. Et harum quidem rerum facilis est et expedita distinctio. Nam libero tempore, quum soluta nobis est eligendi optio [7], quumque nihil impedit, quo minus id, quod maxime placeat, facere possimus, omnis voluptas assumenda est, omnis dolor repellendus [8]. Temporibus autem quibusdam [9], et aut

dignos præbet. Sed sæpius docuimus, superll. a scribis in positt. mutari solere. G.

7. *Nam libero tempore... eligendi optio.* « Liberum tempus » est, ubi, ut paucis post dicitur, nec debita officia, nec rerum necessitas urgent. « Eligendi optio », primo adspectu mire dicitur; sed gerund. pro *in eligendo* frequens est, et *eligere*, verbum philosophis proprium, h. l. simpliciter *malle* valet, hoc sensu, « quum in potestate nostra sit positum, pro lubito facere, quod malis ». G.

8. *Assumenda est, omnis dolor repellendus.* Minus bene Bremi suadet « dolor depellendus », contra Ernestium, qui *repellendus* corrigit, quod firmant Spir. et Erl. Nam utrumque quidem proprie de hoste ponitur; et Epicurei dolorem naturæ humanæ omnium maxime hostilem statuebant: sed *repelluntur*, quæ ad tempus removentur; quum *depellantur*, quæ plane arcentur, quod in dolore non licet. Ubique inde etiam auctor, « repellere dolorem », cf. § 30, et paucis post, « perferendis doloribus asperiores repellat ». Contra vero « famem sitimque depellere », vid. § 37, et talia, recte dicuntur. *Assumimus* contra, quæ « libenter recipimus ». G.

9. *Temporibus autem quibusdam, et aut officiis debitis, aut rerum necessitatibus sæpe eveniet.* Vere hoc loco VV. DD. in scirpo nodum sibi nexuerunt. Locus enim hic facillime expeditur, si *et* pro *et quidem* in explicatione, ut toties ponitur, acceperis; cf. Ruhnk. ad Vellei. II, 60, 2; adde nos ad Acadd. I, 6, 23; et ablatt. « officiis debitis ... necess. » per omissam *propter* explicaris, ut recte Matthiæ fecit. Grut. *et* mutare in *id est* voluerat. Quo nihil opus, quum idem notet, ut sæpius docuimus. At hoc mentem auctoris non admittere pugnat Bremi: addi illa duo, exempli modo loco, quum voce *temporibus* plura contineantur. Sed primum non video, quare? quum officia et necessitates vitam humanam complectantur, et his supra *liberum tempus* opponatur; deinde non melius ille loco consulit, si *et* deleri jubet. Tum potius *et* ipsi per *et maxime* explicanda erat; qua græca vi sæpe obviam est. Ne autem inania tractaremus, reliqua VV. DD. ad h. l. conamina tædio lectorum subtraximus. Ceterum hæc cum seqq. ipsis Epicuri verbis accommodata sunt; cf. hujus epist. ad Menœceum Laert. X, 129: Ἔστιν ὅτε πολλὰς ἡδονὰς ὑπερβαίνο-

officiis debitis, aut rerum necessitatibus sæpe eveniet, ut et voluptates repudiandæ sint, et molestiæ non recusandæ. Itaque earum rerum hic tenetur a sapiente delectus, ut aut rejiciendis voluptatibus majores alias consequatur, aut[10] perferendis doloribus asperiores repellat.

34 Hanc ego quum teneam sententiam, quid est, cur verear, ne ad eam non possim accommodare Torquatos nostros? quos tu paullo ante quum memoriter, tum etiam erga nos amice[11] et benivole collegisti. Nec me tamen laudandis majoribus meis corrupisti[12], nec segniorem ad respondendum reddidisti. Quorum facta quemadmodum, quæso, interpretaris? Siccine eos censes aut in armatum hostem impetum fecisse[13], aut in liberos, et in sanguinem suum[14] tam crudeles

μεν, ὅταν πλεῖον ἡμῖν τὸ δυσχερὲς ἐκ τούτων ἕπηται· καὶ πολλὰς ἀλγηδόνας ἡδονῶν κρείττους νομίζομεν, ἐπειδὰν μείζων ἡμῖν ἡδονὴ παρακολουθῇ πολὺν χρόνον ὑπομείνασι τὰς ἀλγηδόνας. G.

10. *Ut aut ... consequatur, aut.* Ita Lamb. confirmantibus Erl. et Spirensi. Atque hac sane optimorum nostrorum auctoritate opus erat, ut olim vulgatam *aut ut* non veram haberemus. Promisimus de ejusmodi particularum trajectionibus, dato loco, accuratius agere: monemus igitur nunc hoc tantum, ne talia ex ingenio mutentur; ut nuper toties factum vidimus. Nam vel ista certam quamdam regulam sequuntur, partim ab aurium judicio pendentia, partim a sono: quæ commista nolumus. *Consequatur*, *consectetur*, notat, quum *repellat* opponatur. Orat. 12, 38: « In Panathenaico autem Socrates studio se consequutum fatetur ». Cf. et Legg. II, 7, 18. G.

11. *Quum memoriter, tum etiam ... amice.* Omnes mei, præter Erl. et Spirens. *tum ... tum.* Sic alii quoque cum vett. edd. pluribus. Equidem nondum pro certo pronuntiare audeo; sed videtur non recte *tum... tum etiam* scribi posse, quum harum particularum ratio, *etiam* addita, mutetur; quippe quæ sic « non solum ... sed etiam » valeant. Nollem certe Orat. 33, 117: « Sed quum explanatius, tum etiam uberius », nuper ex solo Gud. 2, *tum* mutatum; quum scribæ in his toties in utramque partem turbent. Hoc loco quoque accedit, quod diversa junguntur. G.

12. *Corrupisti.* Ex nostris quoque tres, *corripuisti*, peccant. Sic *correptus* et *corruptus* confusa vide pro Balb. 25, 56, ubi tamen unice recte *correpta* legitur. G.

13. *Impetum fecisse.* Nescio quo jure Bremiana *irruisse*. G.

14. *Aut in liberos, et in sanguinem suum.* Gœr. scribit *aut in liberos, atque in sanguinem suum*. Vulgabatur olim, inquit, *aut in sang.* quod mutatum

fuisse, nihil ut de utilitatibus, nihil ut de commodis suis cogitarent? At id ne feræ quidem faciunt, ut ita ruant, itaque turbent[15], ut, earum motus et impetus quo pertineant, non intelligamus[16]. Tu tam egregios viros censes tantas res gessisse sine causa? Quæ fuerit causa, mox videro; interea hoc tenebo : si ob aliquam causam ista, quæ sine dubio præclara sunt, fecerint, virtutem his ipsam per se[17] causam non

in *et* est a Davis. et Ern. Bene quidem : sed ex ingenio. Brem. verba, *aut in liberos*, ut glossam ad uncos condemnavit. Neque hoc sine idonea ratione, eaque præferenda. Conjeceram olim *ut in sang.* sed verum auctoris vocem reddunt Erl. et Spir. *atque.* Hujus particulæ vim explicativam vide infra 16, 50, « sermo atque fama »; pro L. Manil. 24, 69, « quidquid hoc beneficio P. R. atque hac potestate prætoria ... possum ». Vocat orator *potestatem præt.* populi rom. *beneficium*. Catil. IV, 1, 2 : « vacui mortis periculo atque insidiis »; addit nempe, cujus generis sit h. *mortis periculum*. Atque sic, ut alia multa transmittam, ubi ignorata hæc particulæ vis interpp. exercet, intelliges Corn. Nep. Iphicr. 1, 3, « et pro sertis (loricis) atque æneis linteas dedit ».

15. *Ut ita ruant, itaque turbent.* Gœr. dat *ut ita ruant, atque turbentur.* Primo, inquit, admittendi scripti sunt, qui cum olim vulgata *atque*, pro *itaque*, offerunt, ut tres nostri, iique optimi. Nam si cum vi auctor *ita* reponi voluisset, simplex repetisset, non *que* addita : sic enim non solet. Transposuisset etiam, « ita turbentur, ita ruant », quum *ruant* gravius verbum sit. Contra vero *atque* explicat, pro *id est* posita; ut toties ponitur, et h. l. egregie convenit. Recte deinde, sed oraculi instar, uno verbo probat Rath. *turbentur* (quæ lectio est codd. tantum non omnium): et frustra est, quod Bremi contra monet, *turbare* absolute dici, quippe quod huc non pertineat : immo huc pertinebat, *turbari* absolute dici, intellecto *animo ;* ad quem pari ratione *motus* et *impetus*, qui sequuntur, ita referes, ut *motus* ad *turbentur*, *impetus* ad *ruant* pertineat. Ceterum *ruere* Cic. de « furore mentis quodam percitis » sæpe, cf. Meneken. h. v. Qui autem *furit*, i. e. « inani animi motu et impetu fertur », eum animo esse *turbato*, nihil est, ut doceamus. Sæpe denique *activa* et *passiva*, sæpius etiam neutra et pass. ut h. l. junguntur. Cf. Corte ad Sallust. Cat. 51; Drakenb. ad Liv. XIX, 4, init.

16. *Intelligamus.* Sic nostri omnes. At Bremi dedit ex uno Gronovii et altero Davisii *intelligantur*, laudans N. D. 1, 38, 106. Posse sic scribi, nemo recte negabit. Sed caute in talibus versandum est, quum scribæ ob ultimas verborum syllabas, per compendium scriptas, ab utraque parte sæpissime peccent. Facilius judicare licebit, si rem ad oculos voces, *intelliga*^{us} et *intelliga*^{ur}. G.

17. *Virtutem his ipsam per se.* Bini mei et veteres editi plures cum P. Marso *per se ipsam*. Ita scribæ ad suam crepidam scilicet. G.

fuisse. Torquem detraxit hosti. Et quidem se texit, ne interiret. At magnum periculum adiit. In oculis quidem[18] exercitus. Quid ex eo consequutus est[19]? Laudem et caritatem: quæ sunt vitæ sine metu degendæ præsidia firmissima. Filium morte multavit[20]. Si sine causa, nollem me ab eo ortum, tam importuno, tamque crudeli. Sin ut dolore suo sanciret militaris imperii disciplinam, exercitumque in gravissimo bello animadversionis metu contineret; saluti prospexit civium, qua intelligebat[21] contineri
36 suam. Atque hæc ratio late patet. In quo enim maxime consuevit jactare vestra se oratio, tua præsertim, qui studiose antiqua persequeris, claris et fortibus viris commemorandis, eorumque factis non emolumento aliquo, sed ipsius honestatis decore, laudandis, id totum evertitur eo delectu rerum[22], quem modo dixi, con-

18. *In oculis quidem.* Forte scribendum *et in oculis quidem ex.* quum Gud. 2 et Bas. *et in oculos* peccent. In proximis diverbia dinotavit Matthiæ, qui idem simul primus animadvertit, bis voces, *et quidem*, inservire. Præter ea loca, quæ ipse, p. 102, habet, cf. Orat. 50, 168: « non erat hoc apud veteres ... Et quidem nihil aliud fere non erat ». Diverbii signa æque ibi editis addes. G.

19. *Quid ex eo consequutus est?* Gœr. scrib. *quod ex eo est consequutus?* Ita, inquit, transponi jusserunt Erl. Spir. Gud. 1, Bas. Nec aliter edd. vett. cum P. Mars. et Crat. plures. Gud. 2, *consequitur* peccat. Vulgo *consequutus est.* Coegit illum verbi ordinem nostrum facere soni ratio, quum in *quid... consequutus* loci vis sit.

20. *Multavit.* Quæres in *multavit*, quæ rectior sit scribendi ratio? si Bremium videris *mulctavit* edentem. Nos quidem duo modo distinguimus, *mulcare*, quod ejus loci non est, et *multare*, ut edidimus: tertiam formam librariis adscribimus. Atque ita etiam celebrem illum Bremii magistrum judicasse videmus Tusc. I, 22, 50. Nec aliter docuere uno consensu Victorius, Lambinus, Lipsius, Torrentius, etc. G.

21. *Qua intelligebat. Qua* est *quia hac*, ut sæpe. Et verba, « hæc ratio late patet », quibus plures et scripti, et editi, *ad* male præmittunt, notissima esse debent Ciceronem cum fructu legentibus. G.

22. *Eo delectu rerum.* Verissima est vulgatæ lectio; sed mirum quod scribæ in omnia alia, « deflexu, defluxu, defectu », vagantur. Forte inauditus erat istis vocis hic quartæ flexionis usus, quum degenerata latinitas *electio* ponat. G.

stituto, ut aut voluptates omittantur, majorum voluptatum adipiscendarum causa, aut dolores suscipiantur, majorum dolorum effugiendorum[23] gratia.

XI. Sed de clarorum hominum factis illustribus et 37
gloriosis, satis hoc loco dictum[1] sit. Erit enim jam de omnium virtutum cursu[2] ad voluptatem proprius disserendi locus.

Nunc autem explicabo, voluptas ipsa quæ, qualisque sit, ut tollatur error omnis imperitorum; intelligaturque ea, quæ voluptaria, delicata, mollis habeatur disciplina, quam gravis, quam continens, quam severa sit[3]. Non enim hanc solam sequimur[4], quæ suavitate aliqua naturam ipsam movet, et cum jucunditate quadam percipitur sensibus; sed maximam il-

23. *Effugiendorum*. Gud. 1 et Bas. *fugiendorum*. Atque sæpe sane auctor simplex pro comp. Tusc. I, 22, 50: « an tanta sit ejus tenuitas, ut fugiat aciem » (oculorum). Inde causam nullam video, cur Ern. et Sch. Orat. III, 25, 99: « facillime effugiant satietatem », quum codd. optimi quique *fugiant*: si vel non Verr. III, 43, 103: « fugiendamque vestram satietatem » legeretur. Pendet hinc etiam forma illa, « hæc me fugiunt ». Ita quoque « fugiens vinum », cujus vis evanescere cœpit. Pari denique modo græci φεύγειν pro ἐκφεύγειν. Ne moneam, ita in aliis quoque verbis Latinos solere: ut « dicere, legere, levare, etc. » pro *edicere*, etc. Quid *igitur* h. l. statuendum? Scilicet non esse horum binorum codd. eam auctoritatem, ut iis solis confidere liceat; et haud ita raro scribas sic peccare, ut casus veritatem imitatus esse videatur. G.

XI. 1. *Satis hoc loco dictum sit*. Spir. et Gud. 1, *est*: unde *sit* suspectum de glossa redditur. Et sane verbo subst. nihil h. l. opus est: melius etiam *enim*, quæ sequitur, cum his coire videtur. Sed pronuntiandum est, rem non liquere: raro certe ad *satis*, *est*, etc. omittitur. G.

2. *Virtutum cursu*. In his ne arguteris; nihil notant nisi, « omnes virtutes ad voluptatem feruntur ». Ita Att. V, ep. 15, *cursus animi*, studium est, quo quis ad rem aliquam fertur. G.

3. *Nunc autem... severa sit*. Totus hic locus verborum collocationis regulis egregie convenit. Sed delenda virgula erat post *ipsa*, quum non vidissent intt. constructionem esse, « quæ qualisque voluptas ipsa sit »; et monendum, « quæ... habeatur », pro « licet ea hab. » dici; ut sit post « quam », « tamen » intelligendum ut sæpe. G.

4. *Non enim hanc solam sequimur*. Oxonn. E. et ξ. *consequimur*: sed videntur scribæ verbi *sequi* vim non cepisse. G.

lam voluptatem habemus[5], quæ percipitur, omni dolore detracto. Nam quoniam, quum privamur dolore, ipsa liberatione et vacuitate omnis molestiæ gaudemus; omne autem id, quo gaudemus, voluptas est; ut omne id, quo offendimur[6], dolor: doloris omnis privatio[7] recte nominata est voluptas. Ut enim quum cibo et potione fames sitisque depulsa est, ipsa detractio molestiæ consecutionem affert voluptatis: sic in omni re doloris amotio successionem efficit volu-
38 ptatis. Itaque non placuit Epicuro, medium esse quiddam[8] inter dolorem, et voluptatem. Illud enim ipsum, quod quibusdam medium videtur, quum omni dolore caret[9], non modo voluptatem esse, verum

5. *Sed maximam illam voluptatem habemus*. Erl. *voluptatem illam habemus ;* quod est vulgato ordine melius. Atque sic sane recepissemus, nisi quoque *voluptatem* a scribis additum esse putari liceret : quamquam quidem, tot interpositis, primariam vocem auctor repetere solet. *Habemus* autem *judicamus*, *existimamus* valet, ne cum Grut. pro *avemus* dictum, aut plane abjiciendum, putes. G.

6. *Ut omne id, quo offendimur*. Gœr. *ut omne, quo*. Omnes, inquit, nostri, quatuor Davisii totidemque Oxonn. P. Mars. cum veteribus edd. pluribus *id*, Davisii exemplo, ejicere nos coegerunt, quod ante *quo* vulgatur. Atque languet utique locus ex hac ejus repetitione, quæ alias auctori haud infrequens est.

7. *Doloris omnis privatio*. Verba Epicuri sunt, ἡ παντὸς τοῦ ἀλγοῦντος ὑπεξαίρεσις. Cf. A. Gell. Noct. Att. II, cap. 6. G.

8. *Quiddam*. Gœr. *quoddam*. Prave, inquit, vulg. *quiddam :* tum enim auctor *quidquam* dixisset. Rectius obtulerunt Spir. et Erl. Alia ratio est Orat. III, 61, 227 : « est quiddam medium », ubi Ern. et Schütz. *quoddam* sine justa causa dederunt : additur enim, « sed suum cuique voci ».

9. *Quod quibusdam medium videtur, quum omni dolore caret*. Gœr. verba *quod... videtur* parenthesi includit et scribit *careret*. Sic, inquit, exhibent 5 Davisii, 4 mei, bini Oxonn. ed. Mars. alii, aliæque. Verissime : nam vulg. *caret* inde ortum, quum linea super *re* negligeretur; vel etiam, ut ad *videtur*, accommodaretur. Sed non est, ut Matthiæ vult, pro præsenti positum, immo, pendens a *placuit*, et ex Epicuri mente dictum, proprio tempore. Ceterum recte idem vidit, parentheseos verba explicationis causa a Torquato ipso interseri. *Quod* autem *quale* notat, ut fere, si parenth. inchoat, solet. Bremi, *quum... carere*, prout P. Manut. conjecerat, uno J. Gronovii cod. *quum* ignorante. Sed ad *careret* cogitabis *voluptas*, ut sæpissime. Sine causa Rath. etiam *videretur* conjicit. Explicandus autem hic verborum positus ex eo est, quod vox primaria cum vi in clausulam rejecta

etiam summam voluptatem. Quisquis enim sentit, quemadmodum sit affectus, eum necesse est aut in voluptate esse, aut in dolore. Omnis[10] autem privatione doloris putat Epicurus terminari summam voluptatem : ut postea variari voluptas[11], distinguique possit; augeri, amplificarique non possit. At etiam 39
Athenis, ut a patre audiebam[12], facete et urbane stoicos irridente[13], statua est in Ceramico[14], Chrysippi sedentis, porrecta manu : quæ manus[15] significet, il-

est. Sic prorsus nihil causæ videbis, cur vv. *quum dol. car.* Davisii exemplo, cancellis addicas.

10. *Omnis ... doloris.* Sic recte a Lambino primum editum est, scriptis omnibus *omni*, ut solent, peccantibus. G.

11. *Ut postea variari voluptas.* I. e. « Ita, ut si illa voluptas ad hunc summum gradum pervenerit, abinde non crescere amplius, sed varimode affici (vulgus modificari dicit), possit ». Ern. hoc in posito alibi *post ea*, dirempta voce scribit, cf. pro Arch. P. 10, 25, cujus equidem sufficientem causam video nullam. Deinde *variari* verbum Epicuri ποικίλλεσθαι reddit; cf. Laert. X, 144, κυρ. δοξ. XIX. *Distingui* explicationis causa additur. Vide infra II, 3, 10. G.

12. *Ut a patre audiebam.* Gœr. scr. *ut e patre aud.* Sic, inquit, reponi jubebant Erl. Spir. Gud. 2, et ex editis Crat. aliæque. Forma hæc, e Græcis imitata, auctori est admodum familiaris. Orat. II, 33, 144 : « ex eo audivi, quum diceret ».

13. *Irridente.* Gœr. dat *ridente.* Ita, inquit, cum Spir. scripsimus pro vulgato *irridente.* Offenderat nos prius jam compositum, quum plures scriptos, veteresque editos, *arridente*, cum reliquis nostris, et quatuor Oxonn. et vett. impressis cum Marso, Crat. plerisque omnibus exhibere videremus; et auctorem non tam nostrum *verlachen*, quam *über etwas scherzen*, exprimi voluisse appareret. Tum autem *ridere* Latini. Vide de *Hirro* illo Div. II, ep. 9, « ut dederis nobis ... quem semper ridere possemus ». Atque ita sæpe. Neque urbanitatis est *irridere*; sed *ridere* ad hanc proprie pertinet. Causas igitur non leves sequuti sumus, quum ita corrigeremus.

14. *Ceramico.* Duo erant hoc nomine loci Athenis : alter, in quo meretrices habitabant; alter in suburbiis, ubi publica impensa humabantur bello defuncti : de quo forsan altero hic agitur.

15. *Quæ manus significet, illum in hac esse rogatiuncula delectatum.* Gœr. *delectatum* uncis includit, notatque : aut parum omnino judicio valemus, aut vincimus, cancellos a nobis h. l. recte esse adhibitos. Nam si formulam, « esse in aliqua re », εἶναι ἐν τινὶ, consideres, qua vel « in statu aliquo esse », vel « occupari quum maxime in re quadam », dicimur; ut « esse in negotio, labore, cura, mœrore, vitio »: obliteratam eam per ignorantiam hoc glossemate non ineptis judicabis. Si deinde consideres, verba, « quæ manus

lum in hac esse rogatiuncula delectatum. «Num quidnam manus tua[16] sic affecta, quemadmodum affecta nunc est[17], desiderat? Nihil sane. At, si voluptas esset bonum, desideraret? Ita credo. Non est igitur voluptas bonum. » Hoc ne statuam quidem dicturam[18] pater aiebat, si loqui posset. Conclusum est[19] enim

significet », ad consilium artificis referri; denique si formam, « delectari in aliqua re », ad hæc contexta prorsus absonam, videris (nam *in*, quæ codd. omnium est, stare h. l. nequit): vix dubitabis, veram conjecturam nos esse sequutos. Postremo loco si de soni ratione quæsiveris, plane certus eris, scripturum Ciceronem fuisse « delectatum eum esse hac rog. » si hoc participium addi voluisset. De voce *rogatiuncula*, conclusionis vi posita, vide nos ad Acadd. I, 2, 5. Sæpe etiam Seneca vv. *interrogatio* et *interrogatiuncula* hac vi utitur; cf. ep. 82 fin. « interrogatiunculas nectis, etc. » Nugas autem tractat Davis. quum *manus* ideo abesse malit, ut *quæ* ad *statuam* referatur. Sed illud non statua significabat, immo *manus*: idque ne in obscuro esset, vox eadem denuo addita est. G.—Etiam hanc hodie statuam videri putat Carlo Fea in Italia, et in villa Borghesi latere sub falso nomine Belisarii, qua alii Diogenem exprimi putant. J. V. L.

16. *Manus tua*. Odoravit Th. Bentl. vitium, ubi nullum erat. Non igitur sequi eum Bremius debebat, uncis *tua* lacessens. Recte stare pron. 2 personæ et potest, et debet, ob Stoicorum, maxime Chrysippi, in ejusmodi interrogatiunculis morem, ad alterum aliquem orationem dirigentium. A statuario autem hæc ratio non aliter exprimi poterat, quam ut ipse Chrysippus manum sic extendens fingeretur. G.

17. *Sic affecta, quemadmodum affecta nunc est.* Oxoun. E. et ξ. prius *affecta* ignorant. P. Mars. « sic affecta, ut nunc est ». Ad prius haud dubie pronus ibis: nec sane illa contemnenda lectio; quum hæc magis scribarum manum prodat. At observavimus, Ciceronem, ut alibi, ita maxime in conclusionis ratione notionem potiorem repetere solere; id quod ex illis ratiocinationibus, quæ Acadd. II, et de Divinat. II, passim leguntur, abunde patet. Cf. ad Legg. I, 1, 3. Inde non sine causa utramque lectionem ex correctione ortam putamus. Atque si insuper græca cogites, forte hæc, οὕτως ἔχουσα, ὡς νῦν δὴ ἔχει, magis etiam vulgatam retinebis. De ipsa Chrysippi statua vid. Diog. Laert. VII, 182, ad eumque Menag. qui Ceramicum interiorem intelligendum esse, non sine causa statuit. G.

18. *Hoc ne statuam quidem dicturam.* Omnes nostri (præter Erl. qui *quam* ref.) *quidem* servant; sed vago loco, sic ut tres eam post *dicturam* rejiciant, atque ita quoque P. Marsus: ut fidem nostram Ruhnkenio ad Rutil. II, 16, p. 129, addicamus, qui cum Leidensi cod. hanc part. h. l. delendam judicat. Atque si ad locum ipsum aures rite applicaris, non solum omissam malent, sed tum etiam verba fortius cadere sentient. De *ne* pro *ne quidem* alibi judicavimus, vide ind. ad Acadd. h. v. G.

19. *Conclusum est.* Etiam nostris tribus miserum glossema *verum* ante

contra cyrenaicos satis acute : nihil ad Epicurum. Nam si ea sola voluptas esset, quæ quasi titillaret sensus, ut ita dicam [20], et ad eos cum suavitate afflueret et illaberetur [21] : nec manus esse contenta posset ulla vacuitate doloris [22] sine jucundo motu voluptatis. Sin autem summa voluptas est, ut Epicuro placet, nihil dolere : primum [23] tibi recte, Chrysippe, concessum est, nihil desiderare manum, quum ita

conclusum est adhæsit ; quod recte Erl. et Spir. ignoraot. Toties autem hæc vox intruditur, nt inde Davisio nullnm plane jns esset, *et vere* conjiciendi. — *Conclusum est.* Chrysippi rogatinnculam, quæ contra Epicuri sententiam facere videbatur, artificiose rejicit in Cyrenaicos, qui solom, ut dixit, motum illnm jucundnm et suavem nomine voloptatis intelligebant. MORELIUS.

20. *Quasi titillaret ... nt ita dicam.* Verba γαργαρίζω et γαργαρισμὸς sunt ipsius Epicuri; cf. Nat. Deor. I, 40, 113: « volnptates, quibus qnasi titillatio (Epicuri enim hoc verbum est), sensihns adhibetur ». Quum autem Latinis hoc tenore verbnm in usu non esset, dupliei mitigatione auetor usus est, ut alias « quasi, quodammodo » dicit, et ad snhstantt. « quasi præstigiis quibusdam, etc. » Acadd. II, 14, 45. G.

21. *Ad eos ... afflueret et illaberetur.* Davis. conjicit *allaberetur* : qnod Ern. landat; ego contra vituperandum jndieo. Nam *illaberetur* est, *se insinuaret*, ut *et* pro *et ita* ponitur. Vide supra 6, 24. Quem autem fugit figura illa, Zeugma Grammaticis dicta? Debuisset proprie *et in eos ill.* scribi, sed respnebat auetor pronomen repetitum. Haud ita raro sic vel coactius pron. *is* abjici videa. Infra Fin. III, 2, 6 : « neque nt ea cognoscas, quæ tibi notissima snnt, ad te mitto » (sc. *ea.*) Adde qnod tædiose superfluum foret *allaberetur*, qoom plane non dispicias, qnid hoc loco duplex idem notans verbom velit. Nam si ejusmodi synonyma pounntur, ubique, eur ponantur, intelligitur : qnod hoc loco secus foret. G.

22. *Nec manus esse contenta posset ulla vacuitate doloris.* Pal. 1 : « posset nec ulla par vacuit. dol. » Erl. « posset nt ulla ». Gnd. 2 : « p. illa ». Bas. « p. ne nlla parvitate d. » Videntnr ista omnia ex eo profecta, quod scribæ in *ulla* hærerent, qunm sibi « vacuitatem doloris » non nisi unam et simplicem cogitarent. Huc etiam Crat. pertinet, quæ in marg. alii, « ut nlla pars valuit ». Nihil igitur Davis. suadet, « nec nlla pars », nihil Gnlielm. *illa* conjectans. Illud vel inde mareet, quod, ut Ern. vidit, tum etiam *corporis* addi debuisset ; huic vulgata longe est præferenda. Nam *ulla* notat, « qualemcumque tibi eogites ». G.

23. *Primum tibi recte, Chrysippe, concessum est, nihil...secundum.* Sc. conoexi seu effati. Ita Græci qnoque πρῶτον ... δεύτερον; itemqoe ἡγούμενον ... ἑπόμενον vocant : auctor alibi « superius ... inferius » ; cf. Acadd. II, 30, 96. G.

esset affecta; secundum non recte, si voluptas esset bonum, fuisse desideraturam[24]. Idcirco enim non desideraret, quia, quod dolore caret, id in voluptate est.

40 XII. Extremum autem esse bonorum voluptatem, ex hoc facile perspici[1] potest. Constituamus[2] aliquem magnis, multis, perpetuis fruentem et animo et corpore voluptatibus, nullo dolore nec impediente, nec impendente: quem tandem hoc statu præstabiliorem, aut magis expetendum possumus dicere[3]? Inesse enim necesse est in eo, qui ita sit affectus, et firmitatem[4] animi, nec mortem, nec dolorem timentis, quod mors sensu careat; dolor in longinquitate, levis; in gravitate, brevis soleat esse: ut ejus magni-

24. *Fuisse desideraturam.* Gud. 2 et Bas. « fuisse desideratura »: sed non attenderunt scribæ ad conclusionis supra positæ rationem. In fine capitis sine jure Bremiana transponit, « id est in voluptate ». G.

XII. 1. *Facile perspici.* Gœr. *facillime.* Ita, inquit, 5 Davisii, mei omnes, tres Oxonn. et vett. editi plerique omnes. Vulgo *facile*, ex compendio puta, per quod toties superlativi obliterantur; vide supra 4, 11. Ceterum unus meorum et duo Oxonn. *percipi*: qua permutatione nihil frequentius.

2. *Constituamus.* Gud. 1 et Bas. *autem* addunt. Natam partic. ex compendio præcedentis verbi putabis. Ceterum conferas similem *beati* ex mente Epicuri descriptionem apud Laert. X, 133, qui locus omnino cum seqq. comparari meretur. G.

3. *Possumus dicere?* Gud. 1 et 2 cum Bas. *possimus.* Sed indicativum subjunctivo anteponendum videtur; namque hæc oratio non tam modesti est, quam sibi fidentis, ut Epicurei. — Recte autem Cicero in proxime antecedd. *statu*, quum talis voluptas etiam de futuro tempore secura esse possit, dolore nullo *impendente*. G.

4. *Et firmitatem.* Deleri Rath. cum Davis. *et* jubet, quæ recte ponitur. Verum enim vidit Bremi, *et* h. l. esse partitivam, et deinde per anacoluthon altera parte orationem his verbis pergere, « ad ea quum accedit ». Ita per anacoluthon Cicero plus quam centenis locis; et semper fere, si enuntiationes explicativæ interseruntur. Ejus generis sunt ex maxima parte exempla, quæ Hotting. ad Divin. I, 30, 63, collegit in quibusque *et* pro *etiam* dici statuit. Uberiores h. l. foremus in exemplis addendis, nisi eorum satis collegisset Bremi, nisique spes esset, Matthiæ, virum his in rebus sagacissimum, quum nuper hunc de anacoluthis locum, desertum huc usque et nimis neglectum, tractare cœperit, etiam hoc illorum genus non esse

tudinem celeritas, diuturnitatem allevatio[5] consoletur.
Ad ea quum accedit, ut neque divinum numen 41
horreat, nec præteritas voluptates effluere patiatur,
earumque assidua recordatione lætetur : quid est,
quod huc possit, quod melius sit, accedere[6]? Statue
contra aliquem confectum tantis animi corporisque
doloribus, quanti in hominem maximi cadere possunt,
nulla spe proposita, fore levius aliquando,
nulla præterea nec præsenti, nec exspectata[7] voluptate:
quid eo miserius dici, aut fingi potest? Quod si

prætermissurum. Ceterum vide nos ad Acadd. II, 42, 129.

5. *Ut ejus magnitudinem celeritas, diuturnitatem allevatio.* Spir. Erl. et Gud. 2, *at* pro *ut*. Quod haud parum arridet, si *et* pro *et ita* acceperis : nec satis bene ad hæc *ut* apodoseos quadrat. Deinde Bas. et Vien. « allevationem diuturnitas ». Sed hujusmodi vitia, nescio qua scribarum negligentia, creberrima sunt, v. c. § 41 fin. bini mei « et dolores ad ægritudinem ». Aures sane, si eas consulueris, addicunt. In *allevatio* scripti variant : bini certe mei *elevatio*, quod æque bonum; sed haud dubie ex correctione. G.

6. *Quod huc possit ... accedere.* Gœr. dat *quod huic p.... accidere.* Erl. inquit, et Spir. *huc p. accidere*; Gud. 2, cum scriptis plerisque *huic p. accidere* : sic etiam Mars. et edd. vett. complures. Gud. et Bas. *hinc ... acced.* Vulgata refert *huc p.... accedere.* Sed paucis ante, « ad ea quum accedit », præcesserat; nec sermo est de statu, in quo homo fingitur, sed de homine, qui in statu fingitur : rectius igitur *huic... accidere*; idque magis, quum longe frequentius *accidere* in *accedere*, quam vice versa, mutetur. Adde huc, auctorem, si *accedere* dedisset, vix, « quod melius sit », adjunxisse.

7. *Nulla præterea nec præsenti, nec exspectata.* Gœrenz scribit *nulla pr. neque præsenti, neque exspectata*, notatque : Bremi putat P. Manut. *præterita* scribere voluisse, quum se *præterea* reposuisse dicat. Illud servat etiam Oxon. ξ. et Crat. Idque ille inde non repudiat, quod Epicurus præteritæ voluptatis memoriæ haud parum tribuat. Vocem olim ex compendio scriptam testatur Gud. 2, qui *prava* peccat. Et sane si præcedd. videas, ubi summa voluptate fruens is dicitur, qui « nec præteritas voll. effluere patiatur, earumque assidue recordatione lætetur » : in hac oppositione *præterita* recte legi posse statues. Posse, concedo : sed debere nego; nam tum auctor, ut solet, vel « nulla nec præterita » scripsisset, vel ter *nulla* repetivisset. Nec in dolore solatur præterita voluptas, sed hujus recordatio illum fere acerbiorem reddit, nisi spem lætioris in posterum sortis referre inde liceat. Ceterum omnes nostri, quatuor Oxonn. et Davisii exemplum idemque P. Marsi aliarumque, *neque ... neque*, pro vulg.

vita doloribus referta, maxime fugienda est, summum profecto malum est, vivere cum dolore. Cui sententiæ consentaneum est, ultimum esse bonorum cum voluptate vivere[8]. Nec enim habet nostra mens quidquam, ubi consistat, tamquam in extremo; omnesque et metus, et ægritudines[9] ad dolorem referuntur; nec præterea est res ulla, quæ sua natura
42 aut sollicitare possit, aut angere[10]. Præterea et appetendi, et refugiendi, et omnino rerum gerendarum initia proficiscuntur aut a voluptate, aut a dolore. Quod quum ita sit, perspicuum est, omnes rectas res atque laudabiles eo referri, ut cum voluptate vi-

nec . . . nec reponere coegerunt, auribus idem suadentibus.

8. *Cui sententiæ . . . cum voluptate vivere.* Hæc in spuriis ponunt Th. Bentl. Walk. et Davis. Causam Bentl. affert, quod ad hæc non recte verba coeant, « metus et ægritudines ad dol. ref. » Defendunt contra Bremi et Rath. Ille, elegantius ista quidem abesse, sed Ciceronem nonnumquam ejusmod. enuntiationes, antecedenti oppositas, inserere, ut infra II, 27, 86; hic, esse hæc Ciceronis *senis* scil. Equidem, ingenue fateor, tales in bona causa patronos mihi non optem! Concludi a contrario nemo non videt: prorsus igitur nescio, quid impediat, quominus conclusio prius plene proposita, ipsa deinde ab utraque parte probetur. Id autem omnium minime placet, Ciceroni, sexagenario, exprobrare senectutem, quippe quem, si a tali errore tibi caveris, hac ipsa ætate animo florentem videas maxime. G.

9. *Omnesque et metus, et ægritudines. Que* est adversativa, ut post negationem solet, et valet h. l. *immo potius*, cf. Acadd. II, 15, 45, adde infra 14, 48. Quam copulæ vim quum VV. DD. non assequerentur, haud raro peccarunt. Ut unum locum afferamus, Orat. I, 28, 126, sic distinguendum: « tamen non patiebatur, eos, quos judicabat non posse oratores evadere, operam apud se perdere; dimittebatque, et ad quem, etc. » Colon enim prave post *dimittebatque* ponitur. Ceterum « metus, ægritudinis » sunt partes; cf. Tusc. IV, 20, 46, seqq. Notant hæc igitur « et m. et omnino ægritudines »: sic inf. II, 10, 31. « Hæc et tu ita posuisti, et verba vestra sunt ». G.

10. *Aut sollicitare possit, aut angere.* Scripti plerique *tangere*; atque sic nostri omnes. Alii *frangere*, ut P. Mars. Receptum primus dedit Victorius. Recte. *Angere* autem est plane græcum ἄγχειν, et item proprie de faucium doloribus, quibus respiratio impeditur. Inde *angina*, quam Fest. ab ἀγχόνη deducit. De animo sic dicitur, ut verba *conturbo*, *crucior*, junguntur; omnium vero maxime *sollicito*. Adde his, quæ Bremi laudat, Cat. M. 19, 66; Att. I, ep. 4, etc. Atque sic item recte nuper, pro *tangit*, restituit Schütz Brut. 97, 331: « his me dolor

vatur[11]. Quoniam autem id est vel summum bonum, vel ultimum, vel extremum[12], quod Græci τέλος nominant[13], quod ipsum nullam ad aliam rem, ad id autem res referuntur omnes: fatendum est, summum esse bonum jucunde vivere.

XIII. Id qui in una virtute ponunt, et, splendore nominis capti[1], quid natura postulet, non intelligunt, errore maximo, si Epicurum audire voluerint, liberabuntur. Istæ enim vestræ eximiæ[2], pulchræque virtutes, nisi voluptatem efficerent, quis eas aut laudabiles, aut expetendas arbitraretur? Ut enim medicorum scientiam non ipsius artis, sed bonæ valitudinis causa probamus; et gubernatoris ars, quia bene navigandi rationem habet, utilitate, non arte laudatur[3]: sic sapientia, quæ ars vivendi putanda est,

angit, hæc me cura sollicitat». Nec minus sæpe *sollicitus* et *anxius* copulantur. G.

11. *Omnes r. res... eo referri, ut v.* «Rectæ res», alias *recta*; ut *bonæ res*, pro *bonis* ipsis § 43. Ut autem «recta et honesta», ita h. l. «rectæ res atque laudabiles» sociantur. Verbi denique *referri* loco Gud. 1, et Bas. *ferri*. Quod ipsum probum est; sed vulgata vera: nam Cic. proprie *referri* (ἀναφέρεσθαι) de iis, quæ ad finem bonorum pertinent, vide 9, 29. Et ut vitium clare cernas, iidem paullo post eodem modo peccant. G.

12. *Vel summum bonum, vel ultimum, vel extremum*. Gœr. dat *vel summum bonorum*: sic, inquit, Davis. ex suis dedit, ut editi plerique omnes. Neque Ern. vulgatum *bonum*, retrahere debebat, cf. supra 9, 29: «quid sit extremum, quid ultimum bonorum». Ex quo ipso loco præferenda videatur lectio qua Spir. Erl. Gud. 2, *bonorum* post *extremum* rejiciunt: sed aures non addicunt. Mutant etiam haud raro ex libidine scribæ, si adjectivis subst. regens interponitur.

13. *Quod græci* τέλος *nominant*. His Gœr. cum Bremi parentheseos signa addidit. Alias, inquit, scribendum foret, *quodque ipsum*; idque pæne prætulerim, quum *que* post relativum toties exsulet.

XIII. 1. *Et splendore nominis capti*. Recte reposuit Bremi *et* ab Ern. ex errore abjectum: modo virgulam, ut par erat, post copulam addidisset; ea posita, nemo facile sic erraverit. G.

2. *Eximiæ pulchræque*. Offert Gud. 2, *eximiæque*, *pulchræ* omisso: quod nonnullis non sine causa videbitur. At ex ironia hæc dicuntur. G.

3. *Utilitate, non arte laudatur*. Abll. sunt ex omisso *propter* explicandi. *Arte* est igitur «propter artem, quatenus ars est, propter se ipsa», ut dudum recte vidit Matthiæ p. 102.

non expeteretur, si nihil efficeret[4]; nunc expetitur, quod est tamquam artifex conquirendæ et compa-
43 randæ voluptatis. Quam autem dicam[5] voluptatem, jam videtis, ne invidia verbi labefactetur oratio mea. Nam quum ignoratione rerum bonarum, et malarum, maxime hominum vita vexetur; ob eumque errorem et voluptatibus maximis sæpe priventur, et gravissimis animi doloribus[6] torqueantur: sapientia est adhibenda[7], quæ et terroribus, cupiditatibusque[8] detractis, et omnium falsarum opinionum temeritate

Laudatur denique, ut gr. ἐπαινεῖται, pro « laude digna censetur ». Ceterum ad hæc comparanda sunt, quæ Laert. X, 138, ex Diogenis Tarsensis Ἐπιλέκτων lib. XX, laudat: Διὰ δὲ τὴν ἡδονὴν καὶ τὰς ἀρετὰς δεῖν αἱρεῖσθαι, οὐ δι' αὐτάς· ὥσπερ τὴν ἰατρικὴν διὰ τὴν ὑγίειαν. G.

4. *Si nihil efficeret*. Εἰ μή τι ἐξεργάσαιτο; i. e. « nisi utilitatem fructumque afferret aliquem ». De hac verbi vi cf. Ern. Clav. h. v. Ceterum ex vitio Bremiana *afferret* pro *efficeret* refert. G.

5. *Quam autem dicam*. Gud. 2 Erl. Spir. *quam autem ego d.* Sed novari h. l. nihil placet. Tum enim pergere oratio deberet *vos jam v.* Satis etiam est, *mea* in clausula esse additum: ne moneamus, sæpe sic auctorem primæ personæ pronomen omittere. G.

6. *Et gravissimis animi doloribus*. Ern. sequuti sumus, etsi parum nobis de vera hujus loci lectione liqueat. Scripti duplici lectione differunt, vel *pravissimis*, vel *purissimis* exhibentes. Ex illo intt. *gravissimis*, ex hoc *durissimis* fecerunt. Equidem tertiam aliquam vocem scribis inauditam, vel ex comp. male captam, his subesse vix dubito. *Gravissimis* ex scribis maluimus, quod infinitis apud Cic. locis *maximus* et *gravissimus* junguntur. *Durissimis* cum Bremio nobis quoque, poetarum magis esse, quam auctoris videtur. G.

7. *Sapientia est adhibenda*. Gud. 2 et Bas. *adhib. est*. Erl. et Spir. *est* ignorant: quod verum videtur. Sæpius enim docuimus, Cic. in præcipiendo, et maxime ad futt. particc. in *dus* verbum subst. omittere. (Quem colorem oratio ejus ex Platone traxisse videtur: nullum enim Græcorum auctorum novi, qui in eo verbo omittendo cum hoc sit comparandus.) Hoc quidem loco omnes tres rationes ferri possunt; sed vulgata reliquis deterior: quod patebit, quum de sono accuratius egerimus. G.

8. *Quæ et terroribus, cupiditatibusque*. Barbare loqui Ciceronem posse confidit Davisius, si *quod* ex suis quinque pro *quæ* legendum commendat. *Quæ* est, *ut ea*, idque nostri unice probant. At tres ex his cum Oxon. E. *erroribus*. Et quis neget hæc recte jungi posse? Sed hoc loco nolí. Nam vult auctor idem dicere, quod inferius § 46, « libidinum impetum et formidinum terrorem », expressit: hæc enim adversantur *indolentiæ*, summo Epicuri bono, quæ ἀταραξίᾳ et ἀπονίᾳ continetur. Vide infra l. l. G.

dempta[9], certissimam se nobis ducem præbeat ad vo-
luptatem. Sapientia enim est una[10]; quæ mœstitiam
pellat ex animis, quæ nos exhorrescere metu non si-
nat : qua præceptrice, in tranquillitate vivi potest,
omnium cupiditatum ardore restincto. Cupiditates
enim sunt insatiabiles; quæ non modo singulos ho-
mines, sed universas familias evertunt; totam[11] etiam
labefactant sæpe rempublicam. Ex cupiditatibus odia, 44
dissidia[12], discordiæ, seditiones, bella nascuntur. Nec
hæ sese foris solum jactant, nec tantum in alios cæco
impetu incurrunt; sed intus etiam in animis inclusæ
inter se dissident atque discordant. Ex quo vitam
amarissimam necesse est effici; ut sapiens[13] solus,

9. *Detractis . . . dempta*. Gœr. dat *derepta*. Ita, inquit, Lamb. ex scriptis dedit, idque confirmant ex meis Erl. et Spir. reliqui *direpta*, vel *dirempta*. Davis. contra et Ern. ex 3 Parisinis *demptis* ediderunt. Sed recte reduxit Brem. *derepta*. Nam *deripere* pro *eripere* sæpe Cicero. *Errorem* autem, « sollicitudinem, curam *eripere* » sæpe. Hoc loco auctor propter *detractis* illud prætulit.

10. *Sapientia est enim una*. Sic Gud. 2 Sipr. et Bas. Sed Erl. *enim* ignorat. Vulgo *enim est* scribitur. Ita scilicet scribæ solent, si *est* ante *enim* positum vident : transponunt *enim*, vel abjiciunt. Hujus generis exempla infinita sunt. Jam quidem hoc sufficiat, recte ita dici, ut correximus. Cf. infra 14, 47, «Temperantia est enim ». Nat. Deor. II, 53, 133, « Ratio est enim, quæ præstat omnibus, etc. » Ita ex binis meis optimis corriges Catil. IV, 7, 14 : « Causa est enim post urbem conditam hæc inventa sola ». Ratio autem hujus vv. collocationis eadem plane est, quam in *quid est enim* alibi docuimus : nam sic in asseveratione loci vis cernitur; at *enim* præposita, causa prævalet. G.

11. *Totam etiam labefactant sæpe rempublicam*. Ne mireris, *etiam* secundo loco *adeo* valere, sic proprie solet tertio in enuntiato, præmissis *non modo...sed*. Scripti in *sæpe* turbant. Unus meorum cum P. Marso part. omittit, alter ante *labefactant* transmittit. Sed offendit scribas ejus positus, vere Ciceronianus. Sic paucis ante « maximis sæpe priventur, etc. » Atque si vel aures adhibueris, neque transpositam, nec omissam, males. G.

12. *Dissidia*. Sic verissime loco olim vulgatæ *discidia* edi, præter rationes quas VV. DD. attulerunt, docet non solum gradatio, quæ loco inest, quæque alias periret; sed vitia quoque codicum. Bini enim mei *desidia*, ut etiam Jerem. Judex Epit. Sap. p. 187, a. qui hunc locum laudat. G.

13. *Ut sapiens solus . . . possit . . . vivere*. Gœr. scrib. ut sapiens *solum*. Recte, inquit, revocavit h. l. Ernestium Bremi ab ista intemperantia,

amputata circumcisaque inanitate omni et errore [14], naturæ finibus contentus, sine ægritudine possit, et sine metu vivere. Quæ est enim aut utilior, aut ad bene vivendum aptior partitio, quam illa, qua est usus Epicurus? qui unum genus posuit earum cupiditatum, quæ essent et naturales, et necessariæ [15]; alterum, quæ naturales essent, nec tamen necessariæ;

qua ille ubique adverb. *solum* in adjectivum sua sponte mutat, quoties idem ad unitatem personæ refertur. Sed hic si id ipsum ex philosophica notione verum judicat, sic ut tum solo loquendi usu adverbium defendatur; primum miramur hunc tyrannum, qui omnes, quas novimus, linguas pari vitio contaminarit : nam utrumque sic, et adv. et adj. in plerisque omnibus linguis poni licet. Deinde eadem quoque ratio in *unice* et *unus* obtinere debet; ut alia taceam. Immo potius, ut hoc, sic illud linguæ philosophia probat : ita tamen, ut sensus paulum modificetur. Adv. *solum*, pro *solummodo*, ad modum et rationem refertur, quæ in personam aliquam cadit, quum adjectivum ad personam ipsam spectet. Neque hoc de personis tantum valet, sed de rebus etiam, quæ ad personas referuntur. Vid. Philipp. II, 33, 81 : « Nos (augures) nuntiationem solum habemus : consules .... etiam spectionem ». Adverbio notatur, modo nuntiationis *rationem* in augures cadere : at si *solam* auctor scripsisset, tum sensus simpliciter foret, « nihil præter nuntiat. » Att. V, ep. 17, « id quod Scævolæ contigit, qui solos novem menses Asiæ præfuit », i. e. non plures quam. At si *solum* scriptum esset, proprie ad annuum provinciæ regendæ spatium respiceretur. Quod si est, facile intelligitur, nihil h. l. necesse esse, ut contra omnem scriptorum fidem, « sapiens solus (i. e. nemo præter sapientem) », scribatur : nam *sapiens solum* indicat, nulla alia *ratione*, quam sapientis, animo naturæ finibus contento, vivi posse.

14. *Inanitate omni et errore.* Est singularis illa Epicuri distinctio, qua eas ille cupiditates κενὰς appellabat, quæ nihil ad vitam conferrent, quum nec naturales essent, nec necessariæ. Hinc in seqq. *inanium cupiditt.* sæpius mentio injicitur, cf. § 46, etc. Has hac in voce auctor cogitasse videri potest : sed rectius putabis, per ἓν διὰ δυοῖν expressam his esse græcam vocem κενοδοξίαν, Epicuro frequentatam, cf. Diog. X, 149, quippe quæ ipsa illarum fons sit atque origo. G.

15. *Et naturales, et necessariæ.* Priorem copulam multi codd. tresque nostri prave omittunt : valet enim *et* repetita h. l. « non solum, sed etiam ». Sequitur triplex ista cupiditatum ex Epicuri ratione divisio, de qua nos infra vide II, 9, 26. G. — *Naturales.* Epicurus : « Si ad naturam vives, numquam eris pauper : si ad opinionem, numquam dives. Exiguum natura desiderat; opinio immensum. Naturalia desideria finita sunt : ex falsa opinione nascentia ubi desinant, non habent : nullus enim terminus falso est ». Seneca, Epist. XVI, fin. MURETUS.

tertium, quæ nec naturales, nec necessariæ. Quarum ea ratio est, ut necessariæ [16] nec opera multa, nec impensa expleantur. Ne naturales quidem multa de- 46
siderant, propterea quod ipsa natura divitias, quibus contenta sit, et parabiles, et terminatas [17] habet. Inanium autem cupiditatum nec modus ullus, nec finis inveniri potest.

XIV. Quod si vitam omnem perturbari videmus errore et inscientia [1], sapientiamque esse solam, quæ

16. *Quarum ea ratio est, ut necessariæ.* Est anacoluthon, haud ita raro obvium. Debebat proprie sic scribi : « quarum, necessariarum, ea r. est, ut nec, etc. » nam constructio deinde alia abit. Recte igitur Ern. pleno puncto ante verba, *ne naturales qu.* distinxit; quod Bremi non bene cum colo permutavit. G.

17. *Divitias quibus contenta sit, et et parabiles, et terminatas.* Offenderunt scribæ in *sit* : quod Gud. 2 et Bas. ignorant. *Divitiæ* pro *rerum affluentia* dicuntur. Eæque *terminatæ* sunt, i. e. non vagæ, sed certis suis finibus circumscriptæ : quod contra fit in cupiditatibus *inanibus*. Ceterum verba, « ipsa natura divitias ... et parabiles, et terminatas habet », plene et accurate expressa vide ex Epicuri κυρ. δοξ. XV, Laert. X, 144 : Ὁ τῆς φύσεως πλοῦτος καὶ ὥρισται, καὶ εὐπόριστός ἐστιν. G.

XIV. 1. *Errore et inscientia. Inscitia* Spir. Bas. Oxonn. E. ξ. P. Mars. aliæque : nec aliter olim Aldus. Sed parum in his vocibus auctoritates valent, quum utriusque commune compendium, *inscia*, ad scribarum libidinem expleatur. At ne vocum quidem ipsarum notiones a VV. DD. huusque accurate distinctæ sunt : quamquam grati agnoscimus, quæ Bremi ad lib. de Fato, c. 26, et ante hunc Heusing. I, 40, 9, aliique monuerunt, quippe qui nobis viam præmuniverint. Altius igitur repetendum est, si forte res plene expediri possit. Primum igitur bene tenendum, *sciens*, et *scitus* esse participia verbi ejusdem, atque in illo vim *præsentis*, in hoc eam *præteriti* diligenter ubique observandam. Quum enim *sciens* is dicatur, qui *quum maxime quid sciat; scitus* is erit, qui, « quod sciat, rite applicare possit ». Ita quidem (ut exemplis adverbiorum utamur, quibus res facilius perspicitur), « Epaminondas scienter tibiis cantasse » dicitur; quippe quam artem a celebri illo magistro Olympiodoro didicisset. Qui si *scite* cantasse diceretur, propria ipsius ars, quæ simul est ingenii ad rem apti, designaretur. Atque sic Cicero, « scite dicere, facere aliquid » de eo, qui dicendi faciendique leges rite et novit, et applicat. Ex his sua sponte sequitur, *scite*, et *scitus*, nostro *geschickt*, *gescheut* respondere : id quod abunde dicendi rationes, « scitum inventum, dictum, consilium, mendacium », probant. Ita v. c. meretricula Leontium Nat. Deor. I, 33, 93, « scito sermone et Attico », scripsisse dicitur, i. e. non ad leges solum, quibus probati Attici solent, sed his etiam apte et cum ingenio

nos a libidinum impetu, et formidinum terrore[2] vindicet, et ipsius fortunæ modice ferre doceat injurias, et omnes monstret[3] vias, quæ ad quietem et tranquillitatem ferant: quid est, cur dubitemus dicere[4], et sapientiam propter voluptatem expetendam, et in-

applicatis. Nihil jam est, ut de *inscitus* agatur, quod illi recta regione opponitur. Neque mirum videri debet, quod, quum *scientia* dicatur, *scitia* nuspiam occurrat: tum enim Latini communi voce *artis* utuntur. Ut jam ad *inscitiam* ipsam descendamus, vidisse Bremium aliquid, negari nequit, quum vocem hanc « defectum facultatis faciendi aliquid » definiret. Idem quoque in hoc recte judicavit, *inscitiam* cum *stultitia* non semper esse eamdem. At hoc simul patet, notionem ab eo propositam latius, quam par est, patere, quum iste *defectus facultatis* ita circumscribendus sit, ut solummodo ad rerum idoneam applicationem referatur. Quod si est, alia quoque ei notio adhæret, quam quæ est in *stultitia*: ita tamen, ut hæc illi frequenter omnes adsit. Sed idem ille, notionis illius, nimis late patentis, culpa, falso statuit, *inscitiam* pro *inscientia* recte dici posse, quippe qua sententia hæc omnia denuo confunduntur. Sed declinemus in viam. Hoc loco ne his quidem, fusius expositis, continuo tete expedieris: quum *inscientia*, utpote mater erroris, præponenda fuisse, et paucis post *insipientia* posita, *inscitia* explicari videatur. At notandum est, Ciceronem sæpe aio *errori inscientiam* subjicere, ut copula *et*, *omnino* valeat; cf. Invent. I, 1, 2: « Ita, propter errorem atque inscientiam, cæca ac temeraria dominatrix animi cupiditas, etc. » pro Sull. 14, 40: « in tantis tenebris erroris et inscientiæ, clarissimum lumen prætulistis menti meæ ». Atque ne vel his in locis dubites, quum etiam ibi non constans sit lectio, vid. Nat. Deor. I, 1, 2: « In summo errore atque in maximarum rerum ignoratione versari ». G.

2. *Et formidinum terrore*. Gœr. *et a formidinum*. Vulgo, inquit, *a* desideratur: sed Davis. ex suis quatuor addidit, sequente hunc Bremio; Ern. contra prave ad vulgatum relabente. Ita enim repetitis ubique præposs. Cic. in rerum, personarumque diversitate solet. Eodem modo ex binis meis repones Ligar. 8, 25: « etiamsi a Varo, et a quibusdam aliis, probibiti essetis ». Vulgo *a* posterior deest. Nostri omnes *a* repetunt. Ceterum his duo Epicuri verba exprimuntur ἀπονία et ἀταραξία. Cf. Diog. X, § 136.

3. *Monstret*. Gud. 1. X. V. cum P. Mars. hoc verbum plane ignorant, cujus loco tres Oxonn. et Gud. 2, *doceat* (ex proximis videlicet ante repetitum), exhibent. At quum hac structura verbo illo ægre careas, quumque idem in optimis meis, Erl. et Spir. legatur, casu id excidisse malim, quam intrusum putare. G.

4. *Dubitemus dicere*. Existimare licet, *dicere* glossam adhæsisse. Sed frequentissime verbum hoc auctori *statuere* valet: nihil est igitur, cur abjectum velis, quantumvis sæpe etiam a scribis adjectum reperiatur. Recte autem infinitum tempus cum vi in clausula positum putabis. G.

sipientiam propter molestias esse fugiendam? Eadem- 47
que ratione ne temperantiam quidem propter se expetendam esse dicemus, sed quia pacem animis afferat, et eos quasi concordia quadam placet ac leniat. Temperantia est enim [5], quæ in rebus aut expetendis, aut fugiendis, rationem ut sequamur, monet. Nec enim satis est judicare, quid faciendum non faciendumve sit; sed stare etiam oportet in eo, quod sit judicatum. Plerique autem, quod tenere atque servare id, quod statuerunt [6], non possunt, victi et debilitati, objecta specie voluptatis, tradunt se libidinibus constringendos [7], nec, quid eventurum sit, provident [8], ob eamque causam propter voluptatem et parvam, et non necessariam, et quæ vel aliter pararetur, et qua etiam carere possent [9] sine dolore [10], tum

5. *Temperantia est enim.* Σωφροσύνην cogita, ut ex vocis definitione patet. C. Plat. IV, de Rep. p. 349. Bip. Κόσμος πού τις ἡ σωφροσύνη, καὶ ἡδονῶν τινῶν καὶ ἐπιθυμιῶν ἐγκράτεια. Quem locum Cic. sic imitatus est Off. I, 27, 1: « in qua (reliqua honestatis parte) verecundia, et quasi quidam ornatus vitæ, temperantia... cernitur ». Ceterum nihil mirum, si scripti quidam veteresque impressi *enim est* transponunt, ut Gud. 2, et Bas. cf. supra § 43. G. — Sic Horat. Sat. I, 1, 106: « Est modus in rebus, sunt certi denique fines, Quos ultra citraque nequit consistere rectum ».

6. *Quod statuerunt.* Spir. et Erl. *ipsi* his inserunt: quod ferri possit, si pro « sua sponte, libero mentis consilio », ut sæpe *ipse* dicitur, acceperis. Sic excipientur ii, « qui quid precario, aut necessitate coacti, faciendum statuunt ». G.

7. *Tradunt se libidd. constringendos.* Dictum est cum respectu ad *victi. Victi* enim qui se hosti tradunt, vinculis *constricti* in captivitatem abducuntur. Unde toties « captivorum, captivitatis vincula » dicuntur. G.

8. *Eventurum... provident.* Si vere Ursin. in suo *porro event.* reperit, vera hæc lectio putanda est, quum tot codd. *proventurum*, et in his tres nostri, quumque *porro* sæpe ad Græcum εἶτα accommodatum ponatur. Erl. tamen et Spir. *eventurum*. G.

9. *Vel aliter pararetur... possent.* Bremi, quod non debebat, hæret in *vel*, quæ gradationem adjuvat, clare hoc in loco conspicuam. Deinde conjicit ex misero contextus fulcro, *sic* post *aliter* in codice aliquo reperto. Davis. *sibi;* quod vel jejunius etiam. Ceterum sunt hæc impp. subjunctt. optativorum loco. G.

10. *Sine dolore.* H. e. sic ut in carendo hac voluptate dolor nullus sit perferendus.

in morbos graves, tum in damna, tum in dedecora incurrunt; sæpe etiam legum judiciorumque pœnis
48 obligantur. Qui autem ita frui volunt voluptatibus, ut nulli propter eas dolores consequantur; et qui suum judicium retinent[11], ne voluptate victi faciant id, quod sentiunt, non esse faciendum : hi voluptatem maximam adipiscuntur, prætermittenda voluptate[12]. Iidem etiam dolorem sæpe perpetiuntur, ne, si id non faciant, incidant in majorem. Ex quo intelligitur, nec intemperantiam[13] propter se fugiendam esse[14]; temperantiamque expetendam, non quia voluptates fugiat, sed quia majores consequatur.

49 XV. Eadem fortitudinis ratio reperietur : nam neque laborum perfunctio, neque perpessio dolorum, per se ipsa allicit ; nec patientia, nec assiduitates[1], nec vigiliæ, nec ea ipsa, quæ laudatur[2], indu-

11. *Suum judicium retinent.* Dicuntur, qui in iis perstant, quæ, ut optima, sequenda esse judicarunt.

12. *Voluptatem maximam adipiscuntur, prætermittenda voluptate.* Quod ὀξύμωρον sic Epicuri verbis explicaveris : τὴν ἡδονὴν τὴν καταστηματικὴν εὑρίσκουσι, τῆς ἐν κινήσει οὔσης ἡδονῆς καταφρονοῦντες. De re ipsa cf. Tennem. *Gesch. d. Philos.* IV, pag. 360. Neque sane poterat Epicurus summam voluptatem in *indolentia* sitam putare, si summum bonum ponere volebat, vagum et ἄστατον. G.

13. *Nec intemperantiam ... temperantiamque. Nec ... que* sibi respondent crebro exemplo, ut Græcorum οὐδὲ... καὶ; vide ad Legg. I, 15, 42. Eamdem juncturam verissime nuper Beckius restituit, Catil. II, 13, 28 : « ut neque bonus quisquam intereat, paucorumque pœna vos jam salvi esse possitis ». Sic ibi duo quoque mei; vulgo, « ut ne quis bonus int. » Inde clarum est Bas. qui h. l. præbet, « ne qui intemperantiam ... fugiendam esse putet », corruptricem manum esse passum. Ex proximis, *propter se*, variant E. ξ. *per se*, quod illius loco dici solet; cf. etiam Offic. II, 12, 6, ibique Heusingg. G.

14. *Fugiendam esse.* Spir. et Erl. *esse fugiendam* transponunt. Malim *esse*, ut in præcipiendo solet, omissum. Offic. I, 13, 9 : « non male præcipiunt ..... operam exigendam, justa præbenda ». G.

XV. 1. *Assiduitates.* Non nihil dubito, an plurium numero recte h. l. dicatur. Potiores certe mei omnes *assiduitas*. Neque me Gruterani movent, ut aliter sentiam, quippe qui sæpius in vitio conspirent. G.

2. *Nec ea i. q. laudatur, ind.* Gœr. delet *ea*. Hoc, inquit, Gud. 2, Erl. Spir. Bas. ignorant. Notissimum au-

stria, ne fortitudo quidem[3] : sed ista sequimur, ut sine cura, metuque vivamus, animumque et corpus, quantum efficere possimus, molestia liberemus. Ut enim mortis metu omnis quietæ vitæ status perturbatur; et ut, succumbere doloribus, eosque humili animo imbecilloque[4] ferre, miserum est; ob eamque debilitatem animi[5], multi parentes[6], multi amicos, nonnulli patriam, plerique autem se ipsos penitus perdiderunt[7] : sic robustus animus et excelsus, omni est liber cura et angore[8], quum et mortem contemnit, qua qui affecti sunt, in eadem causa sunt, qua antequam nati; et ad dolores ita paratus est, ut meminerit, maximos morte finiri, parvos multa habere intervalla requietis, mediocrium nos esse dominos :

tem est *ipse* sic frequenti usu poni, ut *is* intelligendum sit; conf. Legg. II, 5, 12, et quos ibi laudamus. Vim augeri h. l. in *ipsa*, abjecto *ea*, sponte patet. Quid autem est, quod additur, *quæ laudatur?* quasi, quæ præcesserunt virtutes, vituperentur! Sed meminisse oportet, Epicureum loqui, cui ob illam ἀταραξίαν et ἀπονίαν vita otiosa negotiis plenæ præferenda erat. Judicat igitur Torquatus ex aliorum sententia.

3. *Ne fortitudo quidem.* Commentatur his et seqq. auctor in verba Epicuri ap. Laert. X, 120: τὴν ἀνδρείαν φύσει μὴ γίγνεσθαι, λογισμῷ δὲ τοῦ συμφέροντος. G.

4. *Imbecilloque.* Bremiana *imbecillique;* nisi ex vitio irrepserit, causam nescio. G.

5. *Debil. animi.* Eleganti tropo v. *debilitas* auctor ad animum transfert, quæ de corpore eam hujus conditionem notat, qua ejus membrorum usu, vel omnino, vel ex parte, destituimur. Ita animi debilitas ea est, qua *ipse se* in potestate non habet, neque liberum suum judicium sequitur. Ita supra § 47 : « victi et debilitati » (sc. animo) dicuntur. Similiter, « frangi debilitarique animum », Cicero sæpissime. G.

6. *Multi parentes.* Addunt vett. editi *reliquerunt* post *parentes:* quod scripti nostri jure omnes rejiciunt. G.

7. *Perdiderunt.* Est perfectum hoc aoristi græci loco, i. e. perdiderunt, etiamnum perdunt et olim quoque perdent. Quod tenendum est, quum præsentia antecedant. Nusquam enim *et* tempora vere diversa jungit. Hunc enim hæc quoque verbi gr. pro Cluent. 39, 108 : « Paucis enim diebus ille et ipse privatus est factus, et hominum studia deferbuisse intelligebat », i. e. intelligere cœpit, etc. G.

8. *Liber cura et angore.* Camerar. hæc vitiosa judicans, e Ven. « et rigore animi etiam » commendat. Sed Epicuri toties jam variata verba, ἀταραξία et ἀπονία, exprimuntur. Supra § 41, sic *sollicitare et angere* juncta vidimus. G.

ut, si tolerabiles sint, feramus; sin minus[9], æquo animo e vita, quum ea non placeat, tamquam e theatro[10], exeamus. Quibus rebus intelligitur, nec timiditatem ignaviamque vituperari, nec fortitudinem patientiamque laudari suo nomine : sed illas rejici, quia dolorem pariant; has optari[11], quia voluptatem.

XVI. Justitia restat[1], ut de omni virtute sit dictum; sed similia fere dici possunt. Ut enim sapientiam, temperantiam, fortitudinem, copulatas esse docui cum voluptate, ut ab ea nullo modo nec divelli, nec distrahi[2] possint : sic de justitia judican-

9. *Sin minus*. Gœr. *si minus*. Sic, inquit, nostri ad unum omnes cum Vin. quod pæne eadem frequentia in oppositione dicitur : sic ut frustra normam quæras, qua hæc usu differre dixeris. Sed editi vett. vulgatam sequuntur. Nos nostrum esse judicavimus, ut nostrorum consensum sequeremur.

10. *Tamquam e theatro*. Hæc non ad histriones, sed ad spectatores referenda, qui, quum fabula, quæ docetur, displicuerit, theatrum ante *Plaudite* relinquant. Tertium comparationis, quod vocant, in *libertate* positum est, qua æque vitam atque theatrum relinquere liceat. Ceterum videtur his Stoicorum oratio imitata esse, quorum illud præceptum proprium erat : quum contra Academicis, φρουρᾶς λύειν ἑαυτόν, cf. Plat. Phæd. cap. 6, « vincula carceris rumpere » Tusc. I, 30, 74, vetitum esset. Hanc autem rationem vere ab Epicuro profectam esse, docet Lucretius, III, 950-956. G.

11. *Optari*. Propria verbi vi *eligi* notat, ut recte vidit Davis. G.

XVI. 1. *Justitia restat*. Nam de cardinalibus tribus reliquis virtutibus (conf. Offic. I, 4), auctor in prioribus egerat, ut ipse addit: « Restat ea, quæ omnem vitæ actionem complectitur et continet, et ad quam referenda sunt omnia ». Offic. I, 14, 2. Sic enim, abjecto *hæc*, ibi scribendum, jussu meorum quatuor codd. et perpetuo, hac in dicendi forma, auctoris more. G.

2. *Nec divelli, nec distrahi*. Duplex *nec* monet, hæc ad diversa applicari; quod negligendum minime. Hoc autem monere, est, notiones diversas confundi nolle. *Divelli* igitur de extranea vi, *distrahi* de sententia, quæ animo fovetur, intelligendum. Inde vides etiam de ὑστερολογίᾳ non esse cogitandum, quam VV. DD. in ejusmodi locis inani studio venantur. Simillima sunt illa, Offic. I, 6, 2 : « Omnes trahimur et ducimur ad cognitionis et scientiæ studium », i. e. trahimur naturali impetu, ducimur rationis jussu; cll. pro Arch. 11, 26, et Terent. Adelph. III, 2, 8 : « Quem neque fides... repressit, neque reflexit ». Alia ratio est v. c. Verr. III, 57, 90 : « Hæc te vox non perculit ? non perturbavit ? non, ut capiti fortunisque tuis prospiceres, excitavit ? »

dum est; quæ non modo numquam nocet cuiquam, sed contra semper alit aliquid tum vi sua atque natura[3], quod tranquillet animos, tum spe, nihil earum rerum defuturum, quas natura non depravata desideret[4]. Quemadmodum[5] temeritas, et libido, et ignavia semper animum excruciant, et semper sollicitant, turbulentæque sunt : sic cujus in mente consedit[6], hoc ipso, quod adest, turbulenta non

Inest in his retrogradatio; igitur *non ante per.* « ne ..... quidem » valet. Quod si Ern. reputasset, non ibi sua sponte *percussit* edidisset. Adde nos ad Legg. I, 22, 59. Prave inde, hoc nostro loco, E. ξ. et Bas. *nec* priorem omittunt. G.

3. *Alit aliquid tum vi sua atque natura.* Gœr. « allicit, quum vi sua atque natura ». Egregia est, inquit, Rathii hæc emendatio et omnium verissima, qua vulgati locu, « alit aliquid », *allicit* suadet. Nam hæc verba idem plane sonant, quod paucis ante § 49, « per se ipsa allicit »; coll. § 54, « et alliciat suapte natura », quibus omnis dubitatio tollitur. Notat autem Cic. hoc verbo vim, quam, ex Epicuri mente, voluptas in virtutes habeat. Nam de voluptata idem ubique adhibet; conf. infra II, 10, 32. Quum autem voluptas tam in corpore sit, quam in animo, vix aptius verbum cogitari licebit. Dicitur autem h. l. « justitia per se ipsa allicere », sc. ad se, ex eo, *quod tranquillet* (i. e. tranquillare possit) *animos;* quoniam, ut in corpore τὸ μὴ ἀλγεῖν, ita in animo τὸ μὴ ταράττεσθαι, id Epicuro est, quod sit omnium maxime expetendum; conf. Laert. X, § 131. Malim tamen non *quod*, sed *quo* legi : tum enim decurtata dicendi ratio foret, pro, « allicit animos, quo eos tranquillet »; eaque auctori frequentissima. Sæpe autem *quo* in *quod* mutatur. Ne vero vulgatam ferendam existimes, reputabis, vix latine dici, « justitia alit aliquid vi sua », pro « continet in sese »; nedum ut probes « alit just. spe »: nam si vel hos abll. ex omissa *propter* interpreteris, tamen locus marcebit. At *allicit just.* rectissime *spe, nihil ... defuturum*, quum hoc curare proprium ejus munus sit, quippe quæ etiam benignitatem complectatur.

4. *Quas natura non depravata desideret. Non* præbent Erl. et Spirens. reliqui mei cum multis aliorum negativam ignorant. Sed nihil sæpius fit, quam ut negativa a scribis omittatur. Quæ res tamen in causa fuit, ut Muretus vocem *depravata* quoque deletam vellet. G.

5. *Quemadmodum.* Gœr. *et quemadmodum. Et*, inquit, certissima ex conjectura Matthiæ recepimus. Quæ particula ad contextorum tenorem necessaria, ultimaque præcedentis vocis syllaba absorpta, utique addenda fuit.

6. *Sic cujus in mente consedit... turbulenta non potest fieri.* Gœrenz dat : « sic injustitia cujus in mente consedit, hoc ipso, quod adest, turbulenta », deleto « non potest fieri ». Quem audiamus : Omnium, qui hunc

potest fieri; et si vero molita quippiam est[7], quamvis occulte fecerit, numquam tamen confidet id[8] fore semper occultum. Plerumque improborum facta primo suspicio insequitur; deinde sermo atque fama[9]; tum accusator, tum judex[10]: multi etiam, ut te consule,
51 ipsi se indicaverunt. Quod si qui satis sibi contra hominum conscientiam septi[11] esse et muniti videntur,

locum conjecturis suis (quas enumerare infinitum foret), mactarunt, proxime ad verum Rathius accessisse videtur, quippe qui primus intelligeret, verba « non potest fieri », quæ vulgo post *turbulenta* adduntur, delenda esse. In eo tantum ille errat, quod vocem *injustitia* post *consedit* ponit, quum sententiæ vis in *injustitia*, et in *turbulenta*, insit, illa igitur verborum quasi agmen ducere, hæc idem claudere debeat; ut innumeris pæne locis, et certa ex soni lege, observare licet. Verba autem ista vere a scriptis pluribus abesse, docent, præter Pal. 1, ex meis Erl. et Spirens. in quorum nullo comparent. Quo autem nos loco v. *injustitia* reposuimus, eodem eam Ursin. in suis scriptis reperisse dicit. Constructio autem fere eadem est, quæ paullo inferius legitur § 53 : « improbitatem... quod, cujus in animo versatur, numquam eum sinit respirare ». Neque opus sane, ut *est* post *turbulenta* addatur, quippe quod omissum loco etiam vim quamdam addat. Ipsa autem verbi subst. absentia, in causa fuit, quod scribæ glossema istud adjecerunt.

7. *Et si vero molita quippiam est.* Male suadent, quibus hæc *et* h. l. displicet. *Molita est*, i. e. turbare cœpit; nempe mens, in qua injustitia consedit. G.

8. *Confidet id.* Gœr. *id confidet.* Hanc, inquit, transpositionem Spir. et Erl. debemus, cum quo haud dubie Pal. 1 consentit: non enim scribarum est, sed Ciceronis, verbum regens accusativo c. inf. interponere. Vide supra 10, 34 : « Siccine eos censes aut in armatum hostem irruisse? » Legg. II, 2, 5 : « Id enim te accipio dicere Arpinum » : et sic locis innumeris.

9. *Sermo atque fama. Atque* explicantis est, et *id est* valet. Cavere enim auctor voluit, ne *sermo* alia, quam par erat, vi acciperetur. Confer 10, 34. G.

10. *Tum accusator, tum judex.* Male Lamb. Th. Bentl. Allemann. *index.* Nam *index*, ut in re occulta, necessario *accusatorem* præcedere debebat. At non displicet, si quis *vindex* legi malit. Apertius sic auctor, quod in vulgata modo per consequentiam intelligitur. Proprie enim « peccatorum vindices » judices dicuntur. Invent. II, 34, 104 : « Difficile est ab eo, qui peccatorum vindex esse debet, ut ignoscat, impetrare ». Facile certe, ut alibi, ita h. l. per prægressam literam *u* excidere potuit. G.

11. *Sibi contra hominum conscientiam septi.* In his varimode transponendis peccat scribarum latinitas, qui cum voce *conscientia* eam h. l. notionem jungebant, quam vernacula *Gewissen* significat. Quam vagam vocis *hominum* sedem quum Cratandriæ

deorum tamen horrent, easque ipsas sollicitudines, quibus eorum animi noctes atque dies[12] exeduntur, a diis immortalibus supplicii causa importari putant. Quæ autem tanta ex improbe factis[13] ad minuendas vitæ molestias accessio fieri potest, quanta ad augendas, quum conscientia factorum, tum pœna legum, odioque civium? Et tamen in quibusdam neque pecuniæ[14] modus est, neque honoris, neque imperii, nec libidinum, nec epularum, nec reliquarum cupiditatum; quas nulla præda unquam improbe parta minuit; potius inflammat[15]: ut coercendi magis, quam

editor vidisset, ipsam delevit. In proximis ad *deorum* recte Ern. eamdem illam vocem cogitatione repeti jubet. Sed Gruterum operæ prohibuerunt, quo minus glossam adderet: in erratis enim v. *numina* addi textis jubet; quam vocem mei omnes ignorant. Cicero *numen* scripsisset. G.

12. *Noctes atque dies.* Vulgatam hanc, quum sit a scriptis profecta, deserere ausi non sumus: nam adduci non possumus, ut lectionem, quam Davis. et Bremi cum Victorio secuti sunt, « noctesque diesque », quæque mere poetica est, a Cicerone profectam putemus; licet eam scripti nostri confirment omnes. Neque huc pertinet, quod Bremi docet, auctorem *que... que* pro *et... et* ponere, de cujus repetitione ad Acadd. I, 6, 13 egimus. Raro Cic. hac in forma *noctes* præponit, v. c. Orat. I, 61, 260, « noctes et dies ». Forte scriptum olim erat « noctes diesque »: ita certe pro Marcell. 7, 22, « dies noctesque »: et sic bini mei pro Dejot. 18, 38, ubi « et dies et noctes » vulgatur. Neque putes respici his ad locum aliquem veteris poetæ: nam verba *exedere* et *importare* hoc sensu adhibet crebro auctor. G.

13. *Ex improbe factis.* Gœr. scrib. *ex improbis factis*, notatque: Ernest. de suo *improbe factis*: quod si vel melius esse concesseris; tamen non semper melius etiam verius. Vide sup. 2, 4., « latina scripta »; cll. Scheller Obss. p. 195. Discrimen græca brevius aperiunt, ἐκ κακῶν πράξεων et ἐκ κακῶς πεπραγμένων.

14. *Pecuniæ.* Supple, appetendæ.

15. *Potius inflammat.* Gœr. dat: « sed auget potius atque inflammat », notatque: Grut. ex Pal. 1, qui reliqua ignorat, *potius inflammat* dederat; quem secutus est Ernest. Consentit cum Pal. 1 Erl. At Gud. 2 et Spir. unum *auget* ignorant: unde vitii ratio conjici posse videtur. Positum *auget* olim post *potius* erat, sic ejus compendium deinde per primam syllabam in *atque* obliteratum est. Tum etiam *atque* abjectam esse nihil miraberis. Amat autem Cicero verbum *augere* ob vim ejus tam late patentem alio verbo addito explicare: sic « auget et ornat, amplificat, exaggerat; auget laudando, inflammando »; cf. Orat. II, 81, 332, etc. Quod monendum erat, quum altera lectio, per se quidem spectata, minime sit contemnen-

52 dedocendi esse videantur. Invitat igitur vera[16] ratio bene sanos ad justitiam, æquitatem, fidem: neque homini infanti[17] atque[18] impotenti injuste facta conducunt; qui nec facile efficere possit, quod conetur, nec obtinere[19], si effecerit: et opes vel fortunæ, vel ingenii, liberalitati magis conveniunt[20]; qua qui utuntur, benivolentiam sibi conciliant, et, quod aptissimum est ad quiete vivendum, caritatem: præsertim quum omnino nulla sit causa peccandi. Quæ enim cupiditates a natura proficiscuntur, facile explentur sine ulla injuria[21]: quæ autem inanes sunt, his parendum

da. *Atque* valet *et adeo*, ut sæpe; vide nos ad Acadd. II, 11, 36, etc.

16. *Vera ratio* plane Græcorum ἀληθὴς λόγος, qui toties in Platone occurrit. G.

17. *Infanti. Infans* proprie dicitur de eo qui caret facultate bene eloquendi, remotiori sensu, de eo qui caret ingenio.

18. *Atque*. Gœr. scribit *aut*. Sic, inquit, Davis. Oxonn. et nostri recte omnes servant. *Aut* enim pro *et*, vel rectius, pro *aut potius*, *aut omnino*, dici, certissimum est; conf. Legg. I, 15, 42; Acadd. II, 7, 21.

19. *Obtinere*. I. e. retinere, servare id, quod adeptus fuerit.

20. *Neque homini infanti...liberalitati magis conveniunt*. Interpretum, qui hæc non junctim spectarunt, culpa est, quod se non expediverunt; non loci, qui optime se habet: inani igitur nisu conjecturas suas effuderunt, quas et tot et tam diversas vix alius ullus expertus est. Respondent sibi « Neque... et », ut sæpe. Orat. I, 39, 179, « homo neque meo judicio stultus, et suo valde sapiens ». (Quam structuram sic solves: « neque suo, quo est valde sapiens »; refertur enim ad accurate dicendi rationem.) Jam opponuntur sibi *infans* et *opes ingenii*, i. e. eloquentia partæ, atque *impotens* et *opes fortunæ*, i. e. eorum, qui vel nobilitate generis, vel divitiarum magnitudine, insignem in civitate auctoritatem sibi peperere. *Infanti* autem et *impotenti* injuste facta non conducere dicuntur, quum nec eloquentia, nec potentia, ipsi suppetant, quibus agendi rationem vel defendere, vel probare imperitis possit. *Opibus* contra *fortunæ* et *ingenii*, rectius *liberalitatem*, quam injuste agendi rationem, convenire, etc. Inde simul hoc intelligitur, ante *neque* non colon, ut vulgatur, stare posse, sed punctum minus requiri, quod posuimus. Malim tamen post *neque*, *enim* addi, quæ toties post e ex compendio a scribis neglecta reperitur. Ceterum *infans* et *ingenium*, eo modo quo explicavimus, Ciceroni frequenter dici, iis, quibus hæc scripsimus, notum esse debet. G. — *Conveniunt*. Int. divitibus et ingenio præditis liberalitas magis conducit, quod probat auctor sequentibus.

21. *Sine ulla injuria*. Tres mei *ulla* post *injuria* ponunt. Bas. cum P.

non est. Nihil enim desiderabile concupiscunt, plus- 53
que in ipsa injuria detrimenti est, quam in iis rebus emolumenti, quæ pariuntur injuria [22]. Itaque ne justitiam quidem recte quis dixerit per se ipsam optabilem, sed quia jucunditatis vel plurimum afferat. Nam diligi et carum esse, jucundum est, propterea, quia tutiorem vitam, et voluptatem efficit pleniorem [23]. Itaque non ob ea solum incommoda, quæ eveniunt improbis, fugiendam improbitatem putamus, sed multo etiam magis, quod cujus in animo versatur, numquam sinit eum respirare, numquam
acquiescere. Quod si ne ipsarum quidem virtutum 54
laus, in qua maxime ceterorum philosophorum exsultat oratio, reperire potest exitum [24], nisi dirigatur ad

Marso *ulla* delent. Inde non sine causa adj. scribis addicendum videbitur; nam in clausula vix recte steterit. Sed voce ægre carebis, si attenderis ea asseverationem augeri, quæ loco inest. Aures etiam sentient, hoc abjecto, sibi aliquid, quod requirant, detrahi. Inde recte putabis, vocem olim excidisse, et, in margine deinde positam, non suo loco redditam esse. —Sensus horum est: Naturales cupiditates facile sic expleri possunt, ut nulla ex parte justitia et honestas lædantur. G.

22. *Pariuntur injuria.* In binis meis libris et edd. vett. sat multis hæ voces prave transponuntur, *injuria pariuntur:* id quod vel aures haud distortæ sentiant. G.

23. *Et voluptatem efficit pleniorem.* Tres mei potiores, « pleniorem vol. eff. » Crat. et aliæ, « v. pl. efficit ». Offenderunt nempe scribæ in hoc verborum positu, quem sæpius explicavimus, quique a soni ratione unice pendet. Quum enim prius adjectivum *tutiorem* recte auctor cum vi præposuisset, posterius hoc in sententiæ clausula collocavit, quippe in qua semper fere enuntiati postremi pondus hæreat. Quod igitur nisi ex soni natura dijudicare didiceris, semper te in ejusmodi locis vagus sensus modo huc, modo illuc impellet. Atque hinc inde est, quod adhuc tot hujus generis loca vel neglecta jacent, vel data opera corrupta reperiuntur. G.

24. *Ne ipsarum quidem virtutum laus . . . reperire potest exitum.* Pertinent hæc ad decurtatam dictionem, et hanc sententiam involvunt: « ne id quidem, quod, virtutes per se ipsas expetendas esse, oratione maxime se jactante, prædicant reliquarum disciplinarum philosophi, vero consentaneum esse potest, nisi ratione voluptatis habita ». *Laus* hoc loco id est, *quod laudatur:* et *exitus* de *eventu optato*. G. — *Ne ipsarum quidem virtutum laus, in qua,* etc. Sensus est: Nec ipsa laus virtutis vera videri potest.

voluptatem, voluptas autem est sola[25], quæ nos vocet ad se et alliciat suapte natura: non potest esse dubium, quin id sit summum[26], atque extremum bonorum omnium; beateque vivere, nihil aliud sit, nisi cum voluptate vivere.

55 XVII. Huic certæ stabilique sententiæ quæ sint conjuncta, explicabo brevi.

Nullus in ipsis error est finibus bonorum et malorum, id est, in voluptate, aut in dolore; sed in his rebus peccant[1], quum, e quibus hæc efficiantur, ignorant. Animi autem voluptates et dolores nasci fatemur e corporis voluptatibus et doloribus. Itaque concedo quod modo dicebas, cadere causa[2], si qui e nostris aliter existimant[3], quos quidem video

25. *Voluptas autem est sola*. Ex præcedente *si*, altera *si* cogitanda est. Neque *sola est* malis, quum auctor vim in adjectivo, non in verbi substantivi asseveratione quæri voluit. Inde anacolothon natum est, qualia in concludendo haud raro consulto admittit Cicero, qui vim enuntiato sic formato conciliet. G.

26. *Id sit summum. Id*, e Græcorum more, ut toties relativ. *quod*, ad seqq. *summum ... bonorum* applicatum est, quum ad *voluptatem* pertineret, et proprie *ea* scribendum fuisset. Quod Ern. et Bremi non vidisse videntur: alias enim seqq. non dispunxissent, colo ante *beateque* posito. Virgulam igitur quæ ante *que* explicativam requiritur, ejus loco reduximus. G.

XVII. 1. *In his rebus peccant*. Sensus est, « non in finibus ipsis errant, sed errant in hoc, quod nesciunt, unde hi fines exsistunt, constituuntur ». *In his rebus* nihil aliud est, quam *in his*, *quæ huc referuntur*. Scribæ in *his* offenderant: inde duo mei *iis*, et P. Mars. *ipsis*. G.

2. *Quod modo dicebas, cadere causa*. Referuntur hæc ad § 25: « Homines optimi non intelligunt, totam rationem everti, si ita res se habeat », sc. recta et honesta ipsa per se facere lætitiam, i. e. voluptatem; nec animi voluptatem, etc. e corporis voluptate nasci. Ceterum etiam nostri codd. *cedere causæ* peccant, ut hac in forma omnium ubique fere omnes. Bini mei et Vien. veram lectionem produnt, quum *cedere causa* referant. G.

3. *Si qui ... existimant*. Ern. invitis scriptis editisque omnibus, et adversus quoque loci sententiam *existiment* edidit. Nam Bremium accuratius attendere oportebat, quum ob præc. *si qui* Ernestianam correctionem probaret; quippe qui diversa misceat. Ut Græcum εἴ τις pro ὅςτις, ita infinitis locis Ciceroni *si qui* pro *quicumque* sine omni dubitatione ponitur. Legg. II, 23, 58: « Credo fuisse ... eos, si qui hoc virtutis causa, soluti legi-

esse multos, sed imperitos. Quamquam[4] autem et lætitiam nobis voluptas animi[5], et molestiam dolor afferat : eorum tamen utrumque et ortum esse e corpore, et ad corpus referri; nec ob eam causam non multo[6] majores esse et voluptates, et dolores animi, quam corporis. Nam corpore nihil, nisi præsens, et quod adest[7], sentire possumus; animo autem, et præterita, et futura. Ut enim æque doleamus animo, quum corpore dolemus[8]: fieri tamen permagna accessio potest, si aliquod æternum et infinitum[9] im-

bna, consequuti sunt ». Atque si tum conjunct. ponitur, pendebit ille a contextorum tenore, non ab harum vocum junctura. Ita quoque accus. c. infinit. se habere, post Heusingeros omnibus, qui judicare didicerunt, indubitatum esse debet. G.

4. *Quamquam.* In voce *quamquam*, subjunctivo addita, ne hæreas, ut *quum* malis, cum qua illa toties confunditur; vide nos ad Legg. III, 8, 18. Scribas hæsisse ex lectionis varietate cernitur : nam alii codd. *affert*, *afferet*, et *afferret*. G.

5. *Voluptas animi.* Non caute fecit Rath. quum h. l. *animi* deleri juberet. Id enim agitur, ut animi voluptatum ortus a corpore derivetur. Etsi igitur in his *animi* per contexta intelligi poterat; tamen auctoris mos non obliterandus erat, ex quo voces eæ de industria reponuntur, in quibus sententiæ vis cernitur; idque magis, quum hujus moris exempla plane sint infinita. Accedit, quod scripti sine exceptione omnes vocem servant. G.

6. *Nec ob eam c. non multo.* Bene vertit Desmarais : « ce qui n'empêche pas de reconnaitre que les voluptés et les peines de l'esprit sont plus grandes que celles du corps ».

7. *Nam corpore nihil, nisi præsens, et quod adest. Corpore* propter vim soni pro, *quod ad corpus attinet*, dicitur. Ceterum recte Bremi *præsens* ad tempus, *adest* ad locum, refert : utrumque formæ dicendi Cornelianæ, *in præsentia*, et *in præsentia rerum*, complecti videntur; nam *in præsentiarum* equidem non concoquo. Egregie autem his doceri, recte ex Epicuri ratione animi voluptatem majorem dici ea corporis, nemo non videbit : patebit igitur etiam, hac ex parte Epicuro a reliquarum disciplinarum philosophis fieri injuriam. G.

8. *Ut enim æque doleamus . . . dolemus.* Scribæ turbant : bini mei, pro *enim*, *non* referunt : quam part. alii duo ante *doleamus* inserunt. Nihil mirum hoc in contextu, cujus sententia hæc est : « licet enim dolor animi cum eo corporis par sit : tamen inde ille major multo evadere potest, etc. » G.

9. *Æternum et infinitum . . . malum.* Primo hæc sic capias, ut *et* sit explicantis : deinde a Davisio inde recte *malum* editur, quum prius *malorum* vix latine vulgaretur. Nam ne ex græcismo quidem recte sic scribi poterit, nisi *aliquid* corrigatur : quod,

pendere malum nobis opinemur[10]. Quod idem licet transferre in voluptatem; ut ea major sit, si nihil
56 tale metuamus[11]. Jam illud quidem perspicuum est, maximam animi aut voluptatem, aut molestiam plus aut ad beatam, aut ad miseram vitam afferre momenti, quam eorum utrumvis, si æque diu sit in corpore[12]. Non placet autem, detracta voluptate, ægritudinem statim consequi, nisi in voluptatis locum dolor forte successerit[13]: at contra gaudere nosmet

sed multo deterius, plures et scripti, et editi, referunt. Nullus meorum cum olim vulgatis. G.

10. *Opinemur.* Bremiana prave *arbitremur*. G.

11. *Quod idem licet transferre in voluptatem; ut ea major sit, si nihil tale metuamus.* Dudum est, ex quo hic locus de glossemate suspectus nobis fuit: quippe qui jam ante hos duodecim annos verbis, *ut ... metuamus*, cancellos addidissemus. Putabamus enim translationem hanc ab auctore potius eam innui, qua præteritorum futurorumque cogitatione præsentis temporis voluptas exacuatur. Videbatur etiam in voce *voluptatem* sententiæ clausula optime exire. Huc nunc accedit, quod nescio quid subdititium verba ista redolere videntur, ex quibus insuper ultima, *si ... metuamus*, Gud. 2, ignorat. At si contra consideres, præterita et futura ab Epicuro magis ad malorum dolorumque solatium adhiberi, quam ad voluptatis quasi supplementum; sique hæc ad proxima bene aptata videas; atque denique *ut*, si vel apodoseos non est, pro *ita ut*, auctori perfamiliare noris, cf. Acadd. II, 4, 10, vix erit, quod pleno jure hoc in loco offendas. Ceterum creberrima ejusmodi omissionum exempla in codd. omnibus, maxime vero in Gud. 2, deprehenduntur. Bremi pro *ea*, *eo* suadet; quod nihil necesse. Sed *ea* forte cum Bas. et P. Marso deleri liceat: sic *major* cum vi, loco aptata, ponetur. G.

12. *Quam eorum utrumvis, si æque diu sit in corpore.* Rath. hæc enuntiata transponi jubet. Sed vellemus, ut tum etiam transpositorum sensum nobis indicasset, quibus nos tolerabilem aptare nullum valemus; quum ex vulgatæ ratione probus et expeditus hic sit. « Si maximam animi voluptatem, etc. cum æque maxima corporis contenderis, clarum jam erit, illam ad vitam beatam, etc. plus conferre. » In *utrumvis* ne hæreas, neutrum, ut sæpe, ad totam sententiam referendum est. Eodem modo infra II, 4, 14, *utroque* ponitur. Reizius in exemplari suo virgulam post *utrumvis* delevit. Sed *si* est pro *siquidem*. Si autem hæc uno enuntiato efferre voluisset auctor, haud dubie *eorum* omisisset, quum alias in præmisso *utrumvis* ratio lateret. Vide quæ alia exempla collegimus ad Legg. III, 8, 19. Bas. et ξ. deinde *sint* exhibent: sed est vulgatum probatius. G.

13. *Nisi ... forte successerit.* Ne altius justo *forte* rejectum putetur, et inde glossæ suspicionem moveat, quum ejus loco ex Bas. *fere* notetur,

omittendis [14] doloribus, etiam si [15] voluptas ea, quæ sensum moveat, nulla successerit. Eoque intelligi potest, quanta voluptas sit non dolere [16]. Sed ut iis 57
bonis erigimur, quæ exspectamus; sic lætamur iis, quæ recordamur. Stulti autem malorum memoria torquentur; sapientes bona præterita, grata recordatione renovata, delectant [17]. Est autem situm in nobis [18], ut et adversa quasi perpetua oblivione obrua-

hoc ex certa latinitatis regula monendum est. *Nisi forte* junctim positæ, non nisi cum quadam ironia, et maxime ad instantias, quas vulgo vocant, dicuntur : si secus feceris, elegantis latinitatis leges migrabis; quandoquidem elegantia (ne Schellerorum stomachos moveamus), a vera scriptura sejungi nequit. Olim quidem hunc usum docuimus, cf. Legg. I, 1, 2, nunc legem ipsam scribimus, tot exemplis firmatam, quorum dubitationem injicit nullum. Addimus hoc æque firmum, ad has partt. junctas unice *indicativum* poni posse. Bina quidem loca aliter suadent, ad Herenn. IV, 4, 6 : « nisi forte etiam, si vestra manu fabulas, aut orationes totas, transcripsissetis, gloriosum putaretis » : et Cato Maj. 10, 33 : « nisi forte ... debeant requirere ». Sed illo loco unice audienda est Ven. 1474, quæ « transcripseritis ... putatis », reponit : in altero tres mei recte *debent* exhibent. At contra si particulæ illæ sejunguntur, tum plerumque *forte* verbum proxime antecedit; cf. Orat. II, 58, 237 : « nisi si *se* forte jactant, etc. » atque ita quoque *si* haud raro. Divin. in Cæcil. I, 1 : « si quis vestrum, judices, aut eorum, qui adsunt, forte miretur ».

14. *Omittendis*. Decepit se ipse Ern. quum *amittendis* mallet. Præter id enim, quod *amittit*, qui habet; *omittit*, qui vel præterit, vel non suscipit, ut recte Bremi : *amittere* quoque est invite, *omittere* sponte a se dimittentis, etc. Unde quam parum ad hæc contexta *amittere* conveniat, nemo non videt. Quod quidem verborum discrimen si ubique adhibueris, Burmanni ad Phædr. I, fab. 13, 10, querelam, de difficulter dignoscendis, haud valde curabis. G.

15. *Etiam si*. Duo mei, pro *etiamsi*, *etsi*; et ponitur sane hæc part. plus semel cum subjunctivo : sed hæc facilius ex illa, quam vice versa, pravatur; cf. Heusingg. ad Off. I, 24, 12. G.

16. *Sit non dolere*. Bini optimi mei, Erlang. et Spirens. *si non dolere*; reliqui, ut Davis. et vett. editi plures, *non dolere sit*, quod purgatæ aures non ferunt. G.

17. *Grata recordatione renovata, delectant*. Vide de propria hujus verbi vi nos ad Acadd. lib. 1, cap. 4, § 14. G.

18. *Est autem situm in nobis*. I. e. « hoc autem a natura habemus », vid. de forma « situm esse in aliquo » ad Legg. I, 15, 42. Ne vero, quæ ibi de v. *positus* diximus, parum convenire videantur cum Cluent. 6, 17 : « si hoc, quod in communibus hominum sensibus, atque in ipsa natura, posi-

mus, et secunda jucunde ac suaviter meminerimus. Sed quum ea, quæ præterierunt, acri animo et attento intuemur[19], tunc fit[20], ut ægritudo sequatur, si illa mala sint; lætitia, si bona.

XVIII. O præclaram beate vivendi, et apertam[1], et simplicem, et directam viam! quum enim certe nihil homini possit melius esse[2], quam vacare omni dolore et molestia[3], perfruique maximis et animi, et corporis

tum atque infixum est » : tenendum est cogitari ibi *a diis* debere. Et sic etiam in aliis quibusdam locis accuratius attendendum. G.

19. *Acri animo, et attento intuemur.* Tres optimi nostri *intento;* quod utique videtur melius, similitudine ab oculorum acie desumpta. Tusc. IV, 17, 38, « acrem in omnes partes aciem intendit ». Flacc. 12, 26, « intentis oculis acerrime contemplari ». At vulgata etiam recte se habet; cf. Orat. III, 5, 17: « in acerrima atque attentissima cogitatione ». Adde etiam, parum aures duplicem *in* probare. G.

20. *Tunc fit.* Gœr. dat *tum fit.* Vulgatur, inquit, *quum ... tunc :* quod ne latinum quidem judicamus; nobis certe nullum usquam tale exemplum observatum est, in quo non scripti rectius suadeant. Peccatur hac ex parte maxime apud poetas, et nominatim apud Tibullum. In quo nuper Vossius pag. 141, statuit *tunc* aliter quam ante vocalem non poni debere, quod ad prosæ scriptores translatum nolimus. Verum igitur h. l. vitium sustulisse arbitramur, quum e tribus nostris, totidemque Oxonn. *tum* edi curavimus; cf. Verr. V, 57, 147: « Quum completus jam mercatorum carcer esset, tum illa fiebant, quæ L. Suetium dicere audistis ». Paullo post ordine inverso Erlang. *si bona, lætitia*, quod ex auctoris enuntiata sibi opposita invertendi more probamus.

XVIII. 1. *Apertam.* I. e. *planatam, munitam;* ut *simplex* unam eamque veram innuit, *directa* denique, quæ non per ambages, sed ad rectam quasi lineam ducit. G.

2. *Melius esse.* Quod si h. l. simplicem veri rectique sensum sequi velis, nulli interiori, et ad regulam revocatæ, observationi adstrictum, *esse melius* suadebis, ut Bas. refert : aures enim hunc positum probabunt, quæ tum fere judicium regunt. Atque hoc ipsum est, in quo toties Ern. lapsus est, qui, quoties aliquo modo licuit, hoc *esse* delevit, delerive jussit. Rectissime autem sic *esse* clausulam facit, si loci vis in asseveratione ponitur. Herenn. IV, 17, 24 : « Egens æque est is, qui non satis habet, et is, cui nihil satis potest esse ». Tusc. V, 21, 62, « denique exoravit (Damocles) tyrannum, ut abire liceret, quod jam beatus nollet esse ». N. D. I, 14, 36: « æthera deum dixit esse », ubi jam Davis. *esse* sustulit. Sed cf. ibid. § 38, « tum ipsum mundum deum dicit esse, etc. » Cf. Acadd. I, 1, 3. G.

3. *Quam vacare omni dolore et molestia.* Una Epicuri vox ἀπονία exprimitur. G.

voluptatibus : videtisne[4], quam nihil prætermittatur, quod vitam adjuvet, quo facilius id, quod propositum est, summum bonum consequamur? Clamat[5] Epicurus, is, quem vos nimis[6] voluptatibus esse deditum dicitis, non posse jucunde vivi, nisi sapienter, honeste, justeque vivatur; nec sapienter, honeste, juste, nisi jucunde[7]. Neque enim civitas[8] in seditione, 58
beata esse potest, nec in discordia dominorum domus : quo minus animus a se ipse dissidens[9], secum-

4. *Videtisne*. Dubitari liceat, anne auctor *videtis*, *ne* omissa, scripserit, pro « videre vobis licet », ut toties solet : ignorat enim Spir. *ne*, quæ ad *vides*, hac in structura, addi solet. Sed tum Cicero, nisi plane fallimur, *sane*, vel aliam asseverantis particulam, adjecisset. G.

5. *Clamat*. I. e. « clarissimis verbis docet » : ut enim *clamat* de clara, et cum vi expressa, voce dicitur, ita h. l. ad clare et graviter expressam sententiam eleganter transfertur. G.

6. *Nimis*. In hoc hæreas, si ignoratum a Gud. 2 videas; quippe quod non suo loco positum videatur. Atque nos quidem sane olim haud absona conjectura *nimirum* legendum putaramus, cujus comp. *nimir.* facile, nec sine exemplo, cf. Legg. I, 19, 50, cum *nimis* confusum videri possit. At sæpe *nimis* a scribis abjicitur; ut l. l. ab ipso Gud. 2 factum vides : offendunt enim, ut VV. DD. ita scribæ quoque, in ejus positu, ab ipsorum sensu abhorrente. Sic nuper factum est, ut hæc vox sine justa causa deleretur Orat. II, 71, 288 : « Sed hæc ipsa nimis mihi videor multa in genera descripsisse ». Præmissa enim ibi cum vi particula eo minus offendere debet, si creberrimum auctoris morem teneas, quo verba opinionis et dicendi mediis accusativis cum inff. interponuntur. G.

7. *Non posse ... nisi jucunde*. Recte vidit Davis. his ipsa Epicuri verba exprimi, cf. ex ejus κυρίαις δόξαις apud Laert. X, 140 : Οὐκ ἔστιν ἡδέως ζῆν ἄνευ τοῦ φρονίμως, καὶ καλῶς, καὶ δικαίως· οὐδὲ φρονίμως, καὶ καλῶς, καὶ δικαίως, ἄνευ τοῦ ἡδέως. Vide eadem expressa inf. II, 16, et in Tusc. Dispp. sæpius. Græca verba ex parte laudantur Divv. XV, ep. 19. Ceterum ignorat Gud. 2 verba « nec sap. ... jucunde » : ita solet scilicet in oppositionibus. G.

8. *Neque enim civitas*. Tres optimi mei *enim* delent. Sed librarii in hac particula haud raro offendunt, si, ex græci γὰρ usu, exemplum afferentis est, ut h. l. Neque id mirum, quum eam tum vel VV. DD. sollicitent : cf. pro Mil. 3, 8 : « Neque enim posset aut Ahala, etc. », ubi *enim* Ern. Scheller, alii, vel damnant, vel perverse explicant. Eadem ratio est in *nam*, quæ tum fere in *jam* pravari solet, cf. ad Acadd. I, 9, 34. G.

9. *A se ipse dissidens*. Ante Davis. edebatur, « a se ipso dissidens ipse » : duplicem nempe lectionem scribas junxisse putabis. Gud. 1, *ipso dissentiens*, ex glossa scilicet. Sed hoc testatum voluimus, nostros omnes *ipso*

que discordans, gustare partem ullam liquidæ[10] voluptatis et liberæ potest. Atqui pugnantibus et contrariis studiis consiliisque semper utens, nihil quieti videre,
59 nihil tranquilli potest[11]. Quod si corporis gravioribus morbis vitæ jucunditas impeditur : quanto magis animi morbis impediri necesse est? Animi autem morbi sunt cupiditates immensæ et inanes[12], divitiarum, gloriæ, dominationis, libidinosarum etiam voluptatum. Accedunt ægritudines, molestiæ, mœrores, qui animos exedunt conficiuntque curis hominum non intelligentium[13], nihil dolendum esse animo, quod

referre : quod hoc loco pæne rectius judicamus. Nihil movimus, quod *ipse* scriptorum esse dicitur : sic enim scribæ non peccant. G.

10. *Liquidæ*. Ne forte *licitæ* tentes; quamquam sæpe *licitus* et *liber* copulantur : liquida voluptas, ut aqua liquida, turbatæ, impuræ opponitur; quæ *libero* animo, non *servo*, gustatur. Cf. Lucret III, 40 : « neque ullam Esse voluptatem liquidam puramque relinquit. » G.

11. *Atqui pugnantibus ... potest*. Gœrenz scribit *atque pugnantibus*, puncto et virgula ante *atque* distinguens, et *potest* uncis includit. *Atque*, inquit, est in Spir. et Oxon. ξ. et ita vel invitis scriptis omnibus corrigendum fuisset. Satis jam Bremi vidit, vulgatam *atqui* ab his contextis esse alienam, *atque* legendum commendans. Quod vere ita esse nihil amplius dubitabis, si intellexeris, *atque* h. l. *atque ita* valere, ut sæpe. Cf. infra II, 10, 30. Sic per se patet, *potest* hoc, tertia vice repositum, non esse auctoris, quod vel vulgatam misere afficiat. Neque huc pertinet, quod alibi auctor hoc verbum data opera repetere amat : ista enim loca longe aliam præ se ferunt faciem. Cf. Matth. l. l. pag. 93. Pari ratione repetita vice *potest*, a scribis additum, delevit Wolf. Tusc. I, 36, 85. Ita quidem huic cancellos admovimus, reliquis rectius distinctis. Jam hæc ad præcedens *potest* referenda, idque exemplo creberrimo; sic v. c. Tusc. V, 13, 37, ad prægressum *voluit* septem enuntiata applicantur.

12. *Cupiditates immensæ et inanes*. Recte tuentur Ern. et Bremi et Matthiæ *inanes*, quum ex suis pluribus Davis. *immanes* dederit; ut etiam bini nostri, editique vett. plurimi. *Et* enim explicantis est, atque *inanes* cupiditt. (quales Epicuro proprie dicuntur), ideo *immensas* vocat, quod non, ut *naturales*, certis finibus continentur. Inde supra § 43, *insatiabiles ; naturales* contra *terminatæ* § 46. G.

13. *Animos exedunt conficiuntque curis hominum non intelligentium*. Hi genitivi a substantivo regente tam longe distracti, instar pæne eorum, qui apud Græcos consequentiæ vocantur, et in rarissimis exemplis ponendi. Ne autem in hoc verborum positu vitium odoreris, notandum est,

sit a dolore corporis præsenti futurove sejunctum. Nec vero quisquam stultus non horum morborum aliquo laborat. Nemo igitur est eorum[14] non miser. Accedit etiam mors, quæ, quasi saxum [15] Tantalo, semper impendet; tum superstitio, qua qui est imbutus, quietus esse numquam potest. Præterea bona præterita non meminerunt, præsentibus non fruuntur, futura modo exspectant; quæ quia certa esse non possunt, conficiuntur et angore, et metu: maximeque cruciantur, quum sero sentiunt, frustra se aut pecuniæ studuisse, aut imperiis, aut opibus, aut gloriæ. Nullas enim consequuntur voluptates, quarum potiendi spe inflammati, multos labores, magnosque

ita *hominum*, quod ad *animos* pertinet, postpositum esse, ut aliss *ejus*, *eorum*, etc. pro *et quidem ejus*, vel *eorum dico*, solet; hoc sensu, « et quidem ejusmodi hominum, qui non intelligunt ». Sed negligendum non est, Spir. et Erl. *exedunt animos* transponendo exhibere: hoc enim ut aurium causa præferendum, ita maxime, quod sententiæ vis in verbo, non in substantivu reperitur. Ista transpositio in causa videtur, quod Gud. a *animos* ignorat. G.

14. *Nemo igitur est eor. non miser.* Gœrenz delet *est:* sequuti sumus, inquit, Davis. qui deleto *est*, ejus loco ex Ursiniano cod. *eorum* recepit, quod a reliquis abest. Ex compend. *eor.* facile *est* nasci potuit, literis parum distincte pictis. *Est* certe, simul receptum, ut Ern. et Bremi fecerunt, non probamus: poni enim tum ante *igitur* deberet, ut esset asseverantis, quum isto loco, quo ab his ponitur, plane sit otiosum. At in conclusione sæpissime omittitur. Cf. Tusc. I, 5, 9, « nemo ergo non miser ». Atque ita ex multis codd. Off. III, 14, 11; et ex tribus meis Divin. II, 65, ult. utroque loco *sunt* delebis. Pronior quidem ratio erat, si *est eorum* simul deleretur: sed tum sententia justo latius patuerit.

15. *Quasi saxum Tantalo.* Applicat hanc fabulam paulo aliter, sed more plane Epicureo, Lucret. III, 995 seqq. « miser impendens magnum timet aere saxum Tantalus ... cassa formidine torpens. Sed magis in vita Divum metus urguet inanis Mortales ». Bene autem h. l. Rosa monet, proverbiali ritu hoc Tantali saxum de imminentium periculorum metu dici, laudato Archilochi fragm. ap. Schol. Pindari Olympp. od. 1, 30, μηδ' ὁ Ταντάλου λίθος τῆς ὑπὸ νήσου κρεμάσθη. coll. Pindar. ipso Isth. od. 8, 19, seqq. ἐπειδὴ τὸν ὑπὲρ κεφαλᾶς τοῦ Ταντάλου λίθον παρά τις ἔτρεψεν ἄμμι θεός. De fabula ipsa vide intt. ad Virgil. Æn. VI, 602 seqq. Videtur ille gladius, quem Dionysius tyrannus Damocli supra caput suspendit, ab hoc Tantali saxo quasi imitatus esse. G.

61 susceperant. Ecce autem alii minuti et angusti[16], aut omnia semper desperantes, aut malivoli, invidi, difficiles, lucifugi, maledici, monstrosi[17]; alii autem etiam[18] amatoriis levitatibus dediti, alii petulantes,

16. *Minuti et angusti, aot omnia semper desperantes, aut.* Reliquis fere Viris Doctis cum Nonio *et*, prioris *aut* loco, vel suadentibus, vel corrigentibus, verum vidit Matthiæ. Proponit auctor duplex *minutorum angustorumque* (quibus binis vocibus Ciceronem uuius Græcæ vim exprimi voluisse minime dobitamus, licet, quæ expressa sit, uobis parum liqueat), genus: alterum eorum, qui miootum animum in iis produnt, quæ ad cousilii viriomque firmitatem referuntur, hi « omoia semper desperantes », i. e. nolla in re certa sui fiducia usi, dicuntur. Alterum genus est eorum, qui bunc *minutum an.* in prava erga alios sentieudi, judicaudique ratioue exseruut, generatimque nominantur, *malivoli ... morosi.* Verissima igitur est prior *aut*, et ad distinctiouem hanc necessaria. G.

17. *Malivoli, invidi, difficiles, lucifugi, maledici, monstrosi.* Alii cum Nonio et quibusdam MSS *monstruosi.* Gœr. *morosi:* accorata, inquit, serie hi singuli, et ordioe cogitato pouuntur. Nam *invidi* suut, quorum *malevolentia* in eam magnitudinem excrevit, ut, quidquid in altero booi viderint, uou in se obvium, animum inde exedant, cum illius odio. Hi tales evadunt, quales vulgus *intractabiles,* bene Latini propria voce *difficiles* vocaut. Ex his denuo ii enascuotor, qui hominuum celebritatem fogiuot, tristitiæ cuicumque suæ iudulgentes. Cf. Att. III, ep. 7. Qui ipsi, ioter mera adjectiva unice recte, noo *lucifugæ*, sed *lucifugi* dicti, *maledicentiæ* fere vitio succombuut, aliorum actiouem ad suæ mensuræ uormam severa censura revocantes. Post *maledicos* in scriptis omnibus *monstrosi* seqountur, quos VV. DD. pro « auimo sentiendique ratioue monstrosi » dici putaut. Sed dudum vidit Lamb. tales ad hæc coutexta nimis iufinite poni, ueque exstare exemplum, quo v. *monstrosus* sic absolute ad animum traosferatur, correxitque *morosus.* Coufecit rem Matthiæ l. l. pag. 107, quom doceret, eos vera gradatione *maledicis* addi, quippe qui sua natura ad aliorum *mores* taxaudos carpendosque proui sint atqoe proclives: κακοήθεις quippe, καὶ φιλαίτιοι. Harum rationum veritati ita cessimus, ut *morosi* corrigeremus, quod compendii lineola ex vitio super *r* picta facile sic corrumpi potoit.

18. *Alii autem etiam.* Pluribus de causis in *autem* jure offenderis. Prægressa primo hæc part. paucis ante erat; additur deinde *etiam* sine probato, qoautum certe nobis constat, exemplo ullo. Nec recte vocem desideraris, quum *etiam* per se transeuntis sit et texta jongentis, et præcedenti *autem* simplex *etiam* eadem vi proximo colo vel sexcenties subjungatur. Si denique, creberrime *autem* iuculcari, memineris, et reputaris, *etiam*, tertio hoc loco, necessario *adeo* valere, idque potestate, ab hac notionom seria, aliena: vix de ejicienda voce dubitabis. His si postremo addideris, sic alibi quoque *autem* ante *etiam* inculcari; cf. Off. III, 29, 14, Heus. forte nobiscum etiam de non deleta

alii audaces, protervi, iidem intemperantes, et ignavi, numquam in sententia permanentes[19]. Quas ob causas in eorum vita nulla est intercapedo[20] molestiæ. Igitur[21] neque stultorum quisquam beatus, neque sapientium[22] non beatus. Multoque hoc melius nos veriusque, quam stoici. Illi enim negant bonum quidquam esse[23], nisi nescio quam illam umbram,

stomachaberis. At aliquo modo dubium relinquitur, utra harum vocum proscribenda sit, quum *autem* repetite poni, Off. I, 8, 1, cll. Acadd. I, 10, 86, nec raro *etiam* a scribis adjici, soleat. G.

19. *Alii petulantes ... permanentes.* Defendi hæc possunt, et vere sic ab auctore profecta videntur : sed vix per se rite probabuntur. Primo vix recte placebit, *alii* pari modo ad genus, « amatoriis levitt. dediti », et ad hujus formas, « petulantes, audaces », repeti, omitti idem contra ad *protervi.* Deinde *iidem* (qui vere ad *amatt. levv. deditos* referuntur; nec quidquam Bremi conjectura, *item*, valet), quum unde *ignavi* appellentur, *audaces* ante, relatione varia, dicti, obscurius ponuntur. Nihil inde mirum, si intt. in istis hæserunt, v. c. Davis. qui *iidem* deleri, atque *et* in *aut* mutari jubet; cui recte Matthiæ l. l. occurrit. *Petulans* autem dicitur proprie in re amatoria, Parad. III, 1 : « Lapsa si petulans fuisset in aliqua nobili virgine » : cui *audax* jungitur pro Sull. cap. 25, 71 : « semper audax, petulans, libidinosus ». *Protervus* proprie de tauro gregario; unde translatio ad hæc contexta facilis est. Ut denique hi *audaces* in appetendis iis, quæ desiderant, ita iidem *ignavi* (*intemperantibus* in re amatoria juncti), appellantur, al ægritudine metuque urgentur; cf. Tusc. IV, 9, 22. Nihil igitur mirum, si hi « numquam in sententia permanent ». G.

20. *Intercapedo.* Reiz. in adnotatis scripturis vocis *intercapedo*, binas syll. ultt. linea subducta signans, memorem se ostendit eorum, quæ de hoc vocis nominandi casu obscœno monentur Divv. IX, ep. 22; cll. Quintil. Instt. Oratt. VIII, 3, 46.

21. *Igitur.* Opportuno loco Bremi Quintiliani, Instit. Oratt. 1, judicium affert, quo Cicero nusquam *igitur* ab enuntiati initio ponere dicitur. Sed hic haud ita raro non modo ab initio hanc part. ponit; verum etiam in clausula, vide infra IV, 27, 75, « paria sunt igitur ». Idem eamdem etiam altius rejicit, quam VV. DD. admittunt. Sic reponendum Orat. 10, 33. « Referamus nos igitur », perperam nuper ex binis codd. in *ref. igitur nos* mutatum : sic scilicet suo ex sensu librarii. Itidem Tusc. I, 14, 32, « Quæ est mulier igitur » rescribendum : Davisium enim codd. suos sequutum esse, tres nostri testantur; cf. Divin. I, 15, 26 : « Ille mihi videtur igitur vere augurari ». G.

22. *Sapientium.* Ita, pro *sapientum*, quatuor nostri cum P. Mars. aliisque vetus editis. Quæ forma, sæpe in Cic. obliterata, restituenda quoque infra V, 31, 94; cf. Heusing. ad Off. III, 4, 1, et quos ille laudat. G.

23. *Illi enim negant bonum quidquam esse.* Erl. et Gud. 2, transpo-

quod appellant honestum[24], non tam solido, quam splendido nomine; virtutem autem nixam[25] hoc honesto, nullam requirere voluptatem, atque ad beate vivendum se ipsa esse contentam.

62 XIX. Sed possunt hæc quadam ratione [1] dici, non

nunt *negant enim*, et ignorant *esse*. Bas. et Crat. *esse* post *negant* scribunt; ex Spir. nihil notatur. Quibus e vestigiis veterem lectionem haud difficulter colliges : » illi negant enim, esse bonum quidquam «. Displicebat primo scribis *enim* tertio loco posita; tum enim pæne ubique turbatur, ut in forma, *quid est enim*, sæpe docuimus; cf. Acadd. I, 5, 21. Deinde iidem quoque in verbo *esse* peccant, si cum *asseveratione* præmittitur : tum enim id fere in clausulam rejiciunt. Sic autem Cic. proprie. Acadd. I, 12, 45 : « negabat esse quidquam, quod sciri posset «. Acadd. II, 24, 76, « qui negant esse quidquam, etc. » In binis illis meis *enim* per comp. scripta *esse* extrusit, quod abesse h. l. nequit. G.

24. *Umbram, quod appellant honestum*. Hoc ex loco apparet, male correxisse VV. DD. N. D. I, 15, 39, « tum fatalem umbram et necessitatem rerum futurarum « ; pro *umbram* enim *vim* editur. *Fatalis umbra* est, ad hunc nostrum locum accommodate, « umbra, quod voc. fatum ». Utrumque autem pro *umbra honesti*, *fati*, dicitur : in Att. VII, ep. 11 : « O hominem amentem, qui ne umbram quidem τοῦ καλοῦ viderit ». Muren. 6, 13, « umbra luxuriæ «. Pis. 24, 57, « umbræ falsæ gloriæ, etc. » dicuntur. *Umbra* quidem non *splendet* : putari igitur Cic. ex simili excidisse possit, quum addatur, « non tam solido, quam splendido nomine ». Aptasse enim vocem hanc ad rei notionem dicendus est.

25. *Virtutem autem nixam*. Ne hac in structura offendas, cogitabis ex prægresso *negant*, per anacoluthiam aliquam, *dicunt*. Alibi enim notavimus, sed satis sæpe moneri non potest, verba *nego* et *nescio*, pro *non dico*, *scio*, serius nempe ad Græcorum morem accommodata, plane sic atrui, ac si, *non dico*, *non scio*, scriberetur. Quod, et similia, nisi tenueris, dictionis miraculis nescio quibus aures adsuescent, sic ut falsissimis fidem suam addicant. Cf. Acadd. II, 24, 76. Quod non moneremus, nisi nuper h. l. misere nescio quem miscere vidissemus. Cf. quæ Acadd. II, 47, 146, ad structuram *nescio*, *nec* notavimus. Ceterum exhibent Oxonn. E. et ξ. *innixam* : sed ex præced. litera, ut sæpe ad h. v. solet, præpositio adhæsit. G.

XIX. 1. *Quadam ratione*. Id est, « quodam modo non sine ratione : » ita enim prou. *quidam* capiendum, si præmittitur. Ut enim dies diem docet, ita jam nos non recte fecisse videmus, quum Legg. III, 1, 1, in vv. *quadam admiratione* offenderemus, sic ut non sine quadam veri specie *nimia* additum vellemus; cf. Acadd. I, 2, 8 : « quadam hilaritate conspersimus. » Arch. poet. 11, 28 : « de meo quodam amore gloriæ... confitebor ». Quo ex loco patet, vix recte nuper Tusc. IV, 37, 75 : « Etiam novo quodam amore veterem amorem eliciendum putant » ;

modo non repugnantibus, verum etiam approbantibus nobis. Sic enim ab Epicuro sapiens semper beatus inducitur[2]. Finitas habet cupiditates; negligit mortem; de diis immortalibus sine ullo metu vera sentit; non dubitat, si ita melius sit, migrare de vita. His rebus instructus semper est in voluptate[3]: neque enim tempus est ullum, quo non plus habeat voluptatum, quam dolorum. Nam et præterita grate meminit, et præsentibus ita potitur, ut animadvertat, quanta sint ea, quamque jucunda; neque pendet ex futuris, sed exspectat illa, fruitur præsentibus[4], ab iisque vitiis, quæ paullo ante collegi, abest plurimum; et, quum stultorum vitam cum sua comparat, magna afficitur voluptate. Dolores autem, si qui incurrunt, numquam vim tantam habent, ut non plus habeat sapiens, quod gaudeat, quam quod[5] angatur.

Optime vero Epicurus[6], quod exiguam dicit for- 63

quodam in *quidam* correctum esse, quum *amor* h. l. ut græcum ἔρως, studium, *attachement*, notet. G.

2. *Semper beatus inducitur.* Gud. 2 *beatus* ignorat: quod tum probandum foret, si *semper* æque abesset. Quum enim in sapiente constantia requiratur, mirum sane fuerit, si Epicureus sua sponte magistrum testetur, sapientem ab hoc, modo sic, modo aliter, induci. G.

3. *Est in voluptate.* Hæc structura mere græca dicuntur. G.

4. *Sed exspectat illa, fruitur præsentibus.* Males forte *exspectans;* at sono loci invito: tum enim, « sed illa exspectans », scribendum, pro « sed dum illa exspectat ». Vulgata optima est, si hanc ejus mentem perceperis, « sed futura ita modo exspectat, ut frui præsentibus non negligat ». Hinc sapiens, « non pendere a futuris », dicitur. *Illa* ne putes pro *ea* dici, ut nimis multi somniant: opponitur *præsentibus*, et pertinet sic ad remotiora, ut sua natura solet. G.

5. *Ut non plus habeat sapiens, quod... quod.* Usitatissima est Latinia formula, « habeo, quod læter, doleam, sperem, timeam, etc. » Huic accommodate hæc quoque dicuntur. Nihil igitur Ernest. in *quo* suadendo dicit: nec huc pertinent, quæ Bremi de eximio verborum *gaudere* et *angere* usu ad accuss. monet: omnia affectuum verba pari jure hac in dicendi ratione, omissa *propter*, accusativo junguntur. G.

6. *Optime vero Epicurus.* Valde suspicor, *vero* esse abjiciendum. Gud. 2, Bass. et Oxonn. E. ξ. ejus loco *autem* præbent. Quarum partt. compendia quum nihil commune habeant, unde facile confundi possint, ipsæque

tunam intervenire sapienti[7], maximasque ab eo, et gravissimas res consilio ipsius[8] et ratione administrari; neque majorem voluptatem ex infinito tempore ætatis percipi posse, quam ex hoc percipiatur, quod videamus esse finitum[9].

In dialectica autem vestra nullam vim existimavit esse[10], nec ad melius vivendum, nec ad commodius

ubique continuandæ orationis causa a scribis addantur, et alias quoque ex diversa lectione spuriam naturam prodant : vix dubium videtur *vero* esse a scribis additam. Unum modo locum afferamus pariter corruptum Orat. 2, 6 : « In orationibus vero græcis quidem admirabile est, quantum inter omnes unus excellat ». Quem non sua sponte in his particularum *vero..... quidem* positus offendit? Tolle ibi *vero*, cujus loco Gud. 2, *autem* præbet, et sana omnia videbis. *Quidem* enim *sane* notat.

7. *Exiguam... fortunam intervenire sapienti*. Int. fere totum omnino esse sapientem ab interventu fortunæ.

8. *Maximasque ab eo... consilio ipsius*. Davis. ex Eliens. 1, verba *ab eo* et *ipsius* cancellis addixit; priora, quæ in hoc abessent, et, Morello auctore, in aliis quoque scriptis non legerentur. Pron. *ipsius* suo periculo illis addidit. Nostri illa omnes servant. Neque vel multis scriptis jubentibus, utrumque ejecerim : nam sensus tum vagabitur. Si alterutrum males, *ipsius* omni vi defendemus, quum id pron. de sapiente, ex Græci αὐτὸς more, proprie dicatur, neque id a Stoicis solum, cf. Legg. I, 21, 56, sed in omni philosophia. Jam si *consilio ipsius* verteris, *mit der Ihm eignen Einsicht*, neque in vv. *ab eo* habebis, quod superfluum dixeris; neque Bremium audies, qui hæc ex auctoris negligentia defendit. Causa tamen, quæ tacite Davisium, ut hæc resecaret, movit, tacenda non est. Nam in Epicuri κυρίαις δόξαις, unde hæc versa sunt, nullum horum vestigium deprehenditur, cf. Laert. X, 144 : Βραχεῖα σοφῷ τύχη παρεμπίπτει· τὰ δὲ μέγιστα καὶ κυριώτατα ὁ λογισμὸς διῴκηκε, καὶ κατὰ τὸν συνεχῆ χρόνον τοῦ βίου διοικεῖ, καὶ διοικήσει. Sed liberius hæc expressa vides, quam ut suspicionis inde justæ ratio deduci possit. Hinc etiam conjectura Ign. Rossi in Commentt. Laertt. *adeo* suadentis, me non movet : quæ per sese jam superflui quid habet. G.

9. *Neque majorem..... finitum*. Græca Epicuri ibidem leguntur § 145 : Ὁ ἄπειρος χρόνος ἴσην ἔχει τὴν ἡδονὴν καὶ ὁ πεπερασμένος, ἐάν τις αὐτῆς τὰ πέρατα καταμετρήσῃ τῷ λογισμῷ. Id est, voluptas non temporis longitudine, sed suavitatis magnitudine æstimatur. Penitus autem errat Davisius, quum in alterius verbis, oblique versis, indicativum stare posse putat, ex uno suorum *videt* probans; cum quo Bas. pari vitio consentit. G.

10. *Nullam vim existimavit esse, nec... disserendum*. Vera esse vulgata videtur : sed mirum est, quod Erl. et Spir. omissa voce *vim*, post *disserendum*, *viam* addunt, et Gud. 2 *viam* bis, et post *nullam*, et in clausula exhibet. Qui quidem positus, Ciceroni persimilisris, quo vox primaria cum

disserendum. In physicis plurimum posuit [11]. Ea scientia, et verborum vis [12], et natura orationis, et consequentium repugnantiumve ratio potest perspici: omnium autem rerum natura cognita [13], levamur su-

vi ad finem rejicitur, cujus exemplum paucis post in verbis, « servata illa... regula », recurrit, facile suspicionem moverit, locum parum esse castum, idque magis, quum dialectica viam ad verum videndum, idque rite edisserendum aperire, vere dici possit. Sed casus sæpe veri speciem induit, et *vim* haud raro scribæ in *viam* mutant. G.

11. *In physicis plurimum posuit.* Ita Erl. et Spir. quod vulgatæ bono præjudicio esse debet, receptæ ex Pal. 1. At multi codd. ante *plurimum*, *quid*, vel *quod cum* v. *tum* addunt, unde Camer. *quidem quam*, quod Bremi recepit. Atque sane negari nequit, ante *plurimum* sæpissime *quam* in *quum* a scribis mutari. Sed h. l. particulis his via loci frangitur. Nam dicuntur hæc pro, « Physica sunt, in quibus Ep. plurimum ponit », soni vi in voce *physicis* quærenda. At sunt, qui hæc sic transposita velint, ut ante « omnium autem rerum, etc. » collocentur. Sed parum hi vident. Hæc enim, quæ subjiciuntur, reliquæ quidem disciplinæ in dialecticis tractabant; at Epicurus eadem in Physicis suis, vel, si propius dixeris, psychologicis, quantum satis putabat, tractarat. Ad quod VV. DD. tam parum attenderunt, ut cuncta, quæ ad illam artem referrentur, ab hoc omissa et contempta putarent, quod esse falsissimum, clarius verbis docet Laert. X, 24, seqq. εἰώθασι μέντοι τὸ κανονικὸν ὁμοῦ τῷ φυσικῷ συντάττειν. Epicurus nempe quum rationalem philosophiam omnem, ut nunc vocant, renueret, sensibus unice certam fidem tribuens, non potuit, quin de dialectica, a qua reliquæ philosophorum disciplinæ nimium exspectabant, abjectius sentiret: de tribus philosophiæ partibus, quæ tum separatim tractabantur, naturali, ethica, rationali, tertiam recidit, et quæ ex ea in rem suam opus essent, κανονικοῦ nomine naturali parti addixit. Cf. Seneca, Ep. 89, 9. Ista autem quorumdam transpositio, ut alia multa transmittam, vel ideo rejicienda est, quod Veteres *dialecticam* nusquam *scientiam* (qualis vel sua natura dici nequit, quum nihil sit, nisi instrumentum, ὄργανον, veiut Ariadnæ filium, cujus adjumento *scientia* potiaris:), sed semper *artem* appellant.

12. *Verborum vis.* Nam verba non hominum instituto, sed natura constare dicebat. Muret. — Vim verborum et naturam orationis ex naturæ cognitione percipi censuit. Ideo crebro dicebat diligenter oportere exprimi, quæ res subjecta esset vocibus, ut exstaret quo disputationem omnem referre liceret. Imo docebat voces ipsas hominum instituto positas non fuisse, sed naturam ipsam rerum id docuisse: nimirum eam suis permotionibus homines incitasse, ut peculiarem et rebus accommodatum spiritum efflarent. Morel. — Patet igitur superiora verba, *ea scientia*, intelligenda esse de Physica; ut Guyeto placuit: non de Logica, ut affirmat Davisius. Oliv.

13. *Omnia autem rerum natura cognita.* Offendes in hoc positu, qui nulla alia via, nisi soni ratione habita, rite expedietur. Voluit enim auctor ea

perstitione, liberamur mortis metu, non conturbamur ignoratione rerum, e qua ipsa [14] horribiles exsistunt sæpe formidines. Denique etiam morati melius erimus, quum didicerimus, quæ natura desideret. Tum vero, si stabilem scientiam rerum tenebimus, servata illa, quæ quasi delapsa de cælo est ad cognitionem omnium, regula [15], ad quam omnia judicia rerum dirigentur [16], numquam ullius oratione victi sententia
64 desistemus. Nisi autem rerum natura [17] perspecta erit, nullo modo poterimus sensuum judicia [18] defendere. Quidquid porro animo cernimus, id omne oritur a sensibus. Qui si omnes veri erunt [19], ut Epicuri

dicere, quæ græce sic expresserim, τῆς τοῦ παντὸς φύσεως φανερωθείσης: sic necessario *omnium* in fronte, *cognita* in clausula enunciati poni oportuit. Hæc fluxere ex *duodecima* κυρίων δοξῶν. Cf. Laert. X, 143: Οὐκ ἦν τὸν φοβούμενον ὑπὲρ τῶν κυριωτάτων (i. e. « deorum mortisque metu », quæ paucis ante αἱ περὶ τῶν μετεώρων καὶ θανάτου ὑποψίαι vocantur), λύειν, μὴ κατειδότα, τίς ἡ τοῦ σύμπαντος φύσις.

14. *Ipsa* est *sola*, ut sæpe Latini ex Græci αὐτὸς imitatione, cf. Acadd. II, 47, 143. G.

15. *Delapsa de cælo... regula.* Laudat apte Victor. Varr. Lectt. XIX, cap. 16. H. l. græcum verbum διοπετὴς expressum esse monet. Laudat Reiz, de Natura Deorum lib. I, 16, 43, « ex illo cælesti Epicuri, de regula et judicio, volumine ». Sed hoc loco vix ad ipsum hunc Epicuri librum respicitur.

16. *Dirigentur.* Suadet Ern. *dirigantur*: sed hanc summi viri, in his futuris corrigendis, licentiam sæpius coercuimus, v. c. Acadd. II, 14, 44. G.

17. *Rerum natura.* Id est, « natura rerum, ut vere sunt ». Ita necessario genitivus præmissus capiendus. Nec repugnat Epicuri ratio, ex qua sensus integri numquam decipiuntur: ut statim sequitur. G.

18. *Sensuum judicia.* Ea notat, « quæ sensuum adjumento vera esse judicantur ». G.

20. *Qui si omnes veri erunt.* Hærent Ern. cui *omnes* (quod *omnino* valet) friget, et Bremi, qui ejus loco *nuntii* suadet. Sed hic in gyrum redit, quum addat, posse *sensus* de *sensationibus* intelligi; quo nihil verius. Ita enim infinitis pæne locis Academicorum II *sensus* dicuntur, ut ea, quæ per eos sentiuntur, hac voce intelligantur. Quæ si tenueris, hoc quoque videbis, verba proxima, *quos qui tollunt*, æque ad *sensus* hos referri, iisque recte illos intelligi, qui « sensuum veritatem negent »: similiter in proxime seqq. *sensus removeri* dicuntur. Haud recte igitur in his Bremi offendit, ut absurda dicat; pro *qui*, *quod* suadens. Ita Acadd. II, 8, 26, *ratio tolli* i. e. « vera omnino et naturæ consentanea »; et denique 19, 61, « omnibus orbat sensibus, etc. » De hac verbi *tollere* vi conf. nos ad

ratio docet, tum denique poterit aliquid cognosci et percipi : quos qui tollunt, et nihil posse percipi dicunt, ii, remotis sensibus[20], ne id ipsum quidem expedire[21] possunt, quod disserunt. Præterea, sublata cognitione et scientia, tollitur omnis ratio et vitæ degendæ, et rerum gerendarum. Sic e physicis, et fortitudo sumitur contra mortis timorem; et constantia contra metum religionis; et sedatio animi, omnium rerum occultarum ignoratione sublata[22]; et moderatio, natura cupiditatum, generibusque earum explicatis[23]; et (ut modo docui) cognitionis regula, et,

Acadd. II, 48, 148. Sequuntur *tum denique :* de quo *denique* vide nos ad Legg. II, 4, 10. G.

20. *Remotis sensibus*. I. e. « sensuum veritate remota, rejecta ». Ceterum quæ adduntur de cognitionis certitudine ad vitam degendam, et res gerendas, necessaria, ea contra novos Academicos et Stoicis et Antiocho accuratius disputata vide Acadd. II, 12, 37, 38, 39. G.

21. *Expedire*. I. e. ex communi rerum omnium obscuritate extrahere; ita ut sua oratione probent, et ea, quæ a semetipsis dicantur, non posse percipi.

22. *Omnium rerum occultarum ignoratione sublata*. Hæc lucem requirunt, deserta ab intt. omnibus : quæ nisi admoveatur, facile cum Gud. 2 *occultarum* abjeceris. *Res occultæ* ex maxime Ciceroni dicuntur, quæ solius rationis ope intelliguntur. Acadd. I, 4, 15; Acadd. II, 41, 127; N. D. I, 18, 49. Atque ita quoque supra 9, 30 : « occulta et quasi involuta aperiri conclusione rationis » dicuntur. Epicurus autem rationem, nisi sensuum quasi fundamento uteretur, mancam et debilem statuebat. Jam *ignoratio* de eo, « quod sciri non potest », hoc sensu dicitur, « omnibus iis, quæ sola rationis ope, qua nihil certi erui potest, explicantur, rejectis ». De substantivorum in *io* vi sæpius egimus. G.

23. *Moderatio, natura cupiditatum, generibusque earum explicatis*. Lamb. mavult, « moderatio cupiditatum, natura generibusque ear. expl. » idque, si hæc ad præcedentium amussim exegeris, recte; ut vidit Bremi. Inde forte, si codd. multos, pro *natura*, *vera* peccare videris, atque in Gud. 2 et Ba. *que* abjici didiceris, voce *natura*, ut glossa, deleta, pronus in hanc conjecturam ibis, « moderatio cupiditatum, generibus earum explicatis ». Neque sane huic rationi quidquam deest, nisi hoc, quod nulla necessitate commendatur. Mutare enim sæpe auctor constructionem solet, ne eadem ejus facies satietatem afferat. Hoc autem loco necesse nihil erat, ut *cupiditatum* presse ad *moderationem* adderetur, quod *cupiditatibus affectus* simul intelliguntur, ut plana vel sic essent omnia. Atque alibi quoque sic Cic. Cf. Acadd. I, 8, 30 : « Quamquam oriretur a sensibus, tamen non esse

judicio ab eadem illa constituto, veri a falso distinctio traditur[24].

65 XX. Restat locus huic disputationi vel maxime necessarius, de amicitia, quam, si voluptas summum sit bonum, affirmatis nullam omnino fore; de qua Epicurus quidem ita dicit[1]: « omnium rerum, quas ad beate vivendum sapientia comparaverit, nihil esse majus amicitia, nihil uberius, nihil jucundius ». Neque vero hoc oratione solum, sed multo magis vita, et factis, et moribus[2] comprobavit. Quod quam magnum[3] sit, fictæ veterum fabulæ declarant; in quibus tam multis, tamque variis, ab ultima antiquitate repetitis, tria vix amicorum paria[4] reperiuntur, ut ad Orestem

judicium veritatis in sensibus », ubi nos vide. *Natura* denique et *vera* ubique a scribis ex comp. *na* et *na* misceri, nihil sane, qui umquam codd. contulerit, mirabitur. G.

24. *Cognitionis regula, et... distinctio traditur.* Hæc clarius intelligentur, si ita græce verteris: Καὶ τὸ κριτήριον, καὶ, κρίσεως ἐξ αὐτοῦ κατασταθείσης, ἡ τοῦ ἀληθοῦς ἀπὸ τοῦ ψευδοῦς διάγνωσις (ἐν τοῖς φυσικοῖς) παραδίδοται. *Distinctio* est *distinguendi ratio*; cf. quæ de hac vi omnium substt. in *io* propria ad Acadd. II, 19, 62, notavimus. Virgula autem post *et* posita, id sustulisse nobis videmur, cujus causa Reizius in his offenderat, qui verba hæc in exemplaris sui margine notarat. G.

XX. 1. *De qua Epicurus quidem ita dicit.* Transponunt Gud. 2 et Bas. *dicit ita*: unde *dicit*, toties in laudandis aliorum dictis infartum, glossæ suspicionem movere videtur. Sed tum, ni fallor, auctor sic scripsisset, « de qua quidem ita Epicurus ». Scribæ quoque *dixit* dedissent. Verba ipsa Epicuri κυρίων δοξῶν XXIX hæc sunt: Ὧν ἡ σοφία παρασκευάζεται εἰς τὴν τοῦ ὅλου βίου μακαριότητα, πολὺ μέγιστόν ἐστιν ἡ τῆς φιλίας κτῆσις. Laert. X, 148. G.

2. *Vita, et factis, et moribus.* Oxon. X. et Crat. *et factis* omittunt. Sensum horum scribæ non ceperunt. Explicatur nempe *vita*, id est, *vivendi ratio*, quæ partim factis, partim moribus cognoscitur. Laert. X, 9, hæc de Epicuro, quæ huc spectant, refert: τοῦ δ' ἀνδρὸς μάρτυρες ἱκανοὶ τῆς ἀνυπερβλήτου πρὸς πάντας εὐγνωμοσύνης. Atque inde est, quod Cic. eum virum *optimum* vocat Tusc. II, 19, 44, cll. infr. Fin. II, 25, 80. G.

3. *Quod quam magnum sit.* Sc. « amicitiam bonorum omnium maximum esse oratione et vita comprobare ». *Magnum* autem, ut græcum μέγα, *arduum, difficile* valet. G.

4. *Tria ... paria.* Sc. Pylades et Orestes, Theseus et Pirithous: quid sit par tertium, non est certum: videtur esse Achillis et Patroclis, non ut Ald. Manut. dicit Damonis et Pythiæ, qui quum Platonis viverent ætate, non inter Theseum et Orestem occurrunt.

pervenias, profectus a Theseo. At vero Epicurus una in domo, et ea quidem angusta, quam magnos, quantaque amoris conspiratione consentientes tenuit amicorum greges? Quod fit etiam nunc ab Epicureis. Sed ad rem redeamus. De hominibus[5] dici non necesse est.

Tribus igitur modis video esse a nostris[6] de ami- 66
citia disputatum. Alii, quum eas voluptates, quæ ad amicos pertinerent, negarent esse per se ipsas tam expetendas, quam nostras expeteremus (quo loco videtur quibusdam stabilitas amicitiæ vacillare): tuentur tamen eum locum, seque facile, ut mihi videtur, expediunt. Ut enim virtutes[7], de quibus ante dictum

5. *De hominibus.* Ita cum Palat. 1 et Gifanii codice Erl. et Spir. idque pro olim vulgato, *de omnibus*, a Grutero inde intt. recte secuti sunt. Nam sensus est : « Sed de amicitia ipsa agamus, quum de iis, qui in ea colenda insignes sunt et fuerunt, agere nihil opus sit ». Est autem ista transitio modestiæ, quum Torquatus sectæ suæ homines ab hac parte laudis ipse celebrare nollet. G.

6. *Tribus igitur modis ... a nostris.* Addit auctor *a nostris*, quod ex his tribus primum tantum Epicuri esset : reliqua posteriorum Epicureorum ; cf. infra II, 26, 82. Ceterum pro *Tribus*, errore nescio quo, refert Vin. *Pluribus*. Peccant etiam tres nostri *ergo* ; sed facili lapsu, quum $\overset{i}{g}$ et $\overset{o}{g}$, quibus notis hæ partt. distinguuntur, ubique confunduntur. *Igitur* autem proprie est argumentum ingredientis ; quo *ergo* nihil pertinet. G.

7. *Alii, quum eas voluptates ... expediunt. Ut enim virtutes.* Rathius ita graviter in hunc locum impegit, ut totum spurium judicet, reliquisque deletis, hoc modo texta consuat : « Alii enim, ut virtutes, etc. » Et vidit ille sane aliquid, in quo interpretum ante ipsum nemo hæserat ; quamquam fluctus in simpuvio, ut dicitur, excitavit. Locus enim vere non coit ; sed ob leve anacoluthon, ex semiparenthesi (venia sit voci proprio Marte fictæ), ortum, quum, ea dempta, verba sic pergere deberent : « Alii quum eas voluptates ... negarent ... expetendas, quam nostras expeteremus, et eo loco (eo argumento) videretur quibusdam ... vacillare : tuentur tamen illi eum l. etc. » Plena parenthesis tum foret, si auctor pro verbis, *eum locum*, quibus hæc continuantur, *id ipsum*, vel tale quid, posuisset. Neque in temporum consecutione offendi debet : ut enim imperfecta, *pertinerent ... negarent*, narrantis sunt, ita præss. « videtur ... tuentur ... expediunt », de suo sunt addentis. Quid, quod ne hoc quidem opus est, quum sæpe sic auctor, v. c. « licet ista moliretur, venit tamen ad hominem, narrat ... excusat, etc. » Rebus igitur ad grammaticam pertinentibus satis expeditis, sententiam loci ipsam videamus, quam

est, sic amicitiam negant posse a voluptate discedere. Nam quum solitudo, et vita sine amicis, insidiarum et metus plena sit, ratio ipsa monet, amicitias comparare; quibus partis confirmatur animus[8], et a spe pa-
67 riendarum voluptatum sejungi non potest. Atque ut odia, invidiæ, despicationes[9], adversantur voluptatibus: sic amicitiæ, non modo fautrices[10] fidelissimæ, sed etiam effectrices[11] sunt voluptatum tam amicis, quam sibi[12]; quibus non solum præsentibus fruuntur,

totam jacere Rathius statuit. Sed primo tenendum est, Stoicorum hoc præceptum esse, « amicitiam propter se ipsam expetendam esse, non propter utilitates ex amico sperandas; quod nisi sit, ipsam esse nullam ». Ut alia loca taceam, tractatur hoc accurate Legg. I, 12, 34. Totus ab his diversus abibat Epicurus, qui ex necessaria disciplinæ suæ ratione « voluptates, quæ ad amicos pertinerent, non sic propter se ipsas (schola dixerit *qua tales*), expetendas dicebat, ut nostrasmet ipsas, sed illis has spectandas ». Quum enim sine amicis vita vitalis non sit, et plena periculorum: amicitia parta corroborari animum, et certam in spem erigi voluptatum sibi inde enascendarum, etc. His, et reliquis, quæ sequuntur, rationibus, quum argumento illo quidam (Stoici nempe) stabilitatem amicitiæ tolli perhiberent, facile Epicurum et hoc defendere, et se ipsum difficultatibus objectis exuere. Hoc modo si locum ceperis, nihil relinquetur, unde cum Rathio offendas. G.

8. *Quibus partis confirmatur animus.* Gud. 1 ignorat *partis*, Gud. 2 et Erl. *confirmetur* præbentibus. Possit quidem aliquo modo *partis* abesse: sed videtur auctor *partis* et *pariendarum* alterum alterius causa posuisse, quum utrumque non necessario desideretur. *Confirmetur* bene se haberet, si etiam *possit* legeretur; tum enim *quibus*, *cum his* valeret: sed æque probe relativum vulgatæ pro *nam his* ponitur. G.

9. *Odia, invidiæ, despicationes.* Gud. 2, *disputationes*: inde possis facile ad amici Davisiani conjecturam, *disceptationes*, aberrare. Sed nihil mirum est, si librarii in voce ipsis ignota peccabant. Ponuntur odii genera: *invidemus* enim, quos meliore; *despicatui habemus*, quos deteriore nobis conditione videmus. Ceterum fingit suo sibi Marte Cicero substt. in *io*: ut nihil in istius vocis raritate offendere liceat. Ita *judicatio* Tusc. IV, 11, 26, et ibid. § 28 *lapsio*, etc. G.

10. *Fautrices.* Quod magnus ille Scaliger *fotrices* legi voluit, in eo non bene fecit, quum *fautrices* pro *adjutricibus* dicantur: unde toties « fautor atque adjutor » copulantur. G.

11. *Sed etiam effectrices.* Tres mei, et Vin. *sed et*: quod hoc loco, quum *adeo* notet, ferri possit. Sed quis nescit, quam sæpe ex comp. illud in hoc mutari soleat? Malim tamen particulam cum Erl. omissam; cf. Acadd. II, 24, 75. G.

12. *Quam sibi.* Id est, « ei, qui

sed etiam spe eriguntur consequentis ac posteri temporis. Quod quia[13] nullo modo sine amicitia firmam et perpetuam jucunditatem vitæ tenere possumus, neque vero ipsam amicitiam tueri, nisi æque amicos[14], et nosmet ipsos diligamus: idcirco et hoc ipsum efficitur in amicitia, et amicitia cum voluptate connectitur. Nam et lætamur amicorum lætitia æque atque no-
stra[15]; et pariter dolemus angoribus. Quocirca eodem 68
modo sapiens erit affectus erga amicum, quo in se ipsum; quosque labores propter suam voluptatem susciperet, eosdem suscipiet[16] propter amici volupta-

sibi amicos peperit ». Ita enim reciproco sæpius utitur Cic. Conf. N. D. II, 63, 158. G.

13. *Quod quia*. Bas. *Quo*. Per se quidem non male: sed *quod* ipsum verissimum est. Ut enim « Quod si, quod ad id attinet, quod, si », valet; ita quoque *quod quoniam*, Inf. III, 18, 58; *quod etsi*, ib. IV, 4, 10, etc. Cf. N. I, 20, 52: « Quod quia, quemadmodum, etc. » G. — Sunt qui contendunt v. *quod* ibi esse quartum relativi casum, pro *propter quod* positum: sed hac conj. nihil opus est ad sensum.

14. *Æque amicos, et*. *Et* ex omnibus nostris pro *ac* vulgatæ dedimus. Persuasere enim sibi scribæ, part. « æque, pariter, similiter, simul, etc. » non nisi cum *ac* vel *atque* scribi, unde multa adhuc ejus generis vitia in auctore corrigenda superant. Inde quoque non multo post *æque ut nostra* ex omnibus Oxonn. et nostris, præter Spir. et Erl. itidem omnibus, pro *æque atque n.* (P. Mars. cum edd. aliis *ac* præbet) restituendum fuit. Cf. Tursell. de Partt. pag. 49, n. 4. G.

15. *Æque atque nostra*. Gœrenz dat *æque ut nostra*. Vid. not. sup.

16. *Susciperet ... suscipiet*. Gœr. dat *susceperit ... recipiet*. Sic, inquit, primo pro vulgato *susciperet* quatuor nostri et quinque Oxonn. cum P. Marso aliisque vett. editis, rescribi nos jusserunt, idque prorsus ex Ciceronis more. Vulgata potius eorum est Latinorum, qui hujus futuri optativam vim ignorant. Deinde optimam lectionem VV. DD. elabi sibi passi sunt, quum *suscipiet*, pro *recipiet*, ederent, quod iidem Oxonn. omnes, et quatuor nostri servant, quodque, quum in codd. plerisque legeretur, ut ex librariorum quisquiliis, neglectum est. At effugerat illos discrimen horum verborum, quod Ascon. Pedian. pag. 8 Ald. his ponit: « Suscipitur totum; recipitur pars. Suscipitur principale; recipitur quod hinc pendet. Suscipitur solum aliquid propter se; recipitur etiam propter aliud ». Etsi quidem his nondum totum horum verborum discrimen patet; tamen et hæc, quæ Pedianus dicit, verissima sunt, et ad hunc locum egregie faciunt. Cf. pro Rosc. Am. 38, 112: « Quid recipis mandatum, si aut neglecturus ... es .... Suscipis onus officii, quod te putas sustinere posse ». Hoc

tem : quæque de virtutibus dicta sunt, quemadmodum hæ semper voluptatibus inhærent[17], eadem de amicitia dicenda sunt. Præclare enim Epicurus his pæne verbis : « Eadem, inquit, scientia[18] confirmavit animum[19], ne quod aut sempiternum, aut diuturnum

autem falsissimum est, quod, ut tot alia, Scheller Animadd. pag. 18, statuit, *recipere* sæpe pro *suscipere* poni. Judicat enim ex vulgato horum verborum discrimine, cum quo non poteris, quin ubique offendas.

17. *Dicta sunt, quemadmodum hæ semper voluptatibus inhærent.* Rath. necessario vel contra codd. fidem, pro « quemadmodum hæ, quippe quæ » legendum judicat. Sed ita auctorem non scripsisse, certi sumus. *Quemadmodum* verissimum est : sed indicativus vulgatæ corrigendus erat, qui ad hanc part. hac in structura, nisi penitus fallimor, sine omni exemplo est. Acquiescere in mera conjectura Ernestiana liceret, *inhærerent ;* sed eamdem Erl. et Spir. auctoritate sua confirmant : ita res omni dubitatione eximitur. Veritatem igitur ipsam sequuti, ita correximus : nam quibus Bremi vulgatam defendit, ea huc non quadrant. G.

18. *Scientia.* Gœr. dat *sententia :* hanc vocem, inquit, recte a Davis. Bremioque pro vulgata *scientia*, ad quam Ern. relapsus est, repositam esse, cum Vien. tres quoque nostrorum optimi testantur.

19. *Eadem ... confirmavit animum ... quæ perspexit ... esse firmissimum.* Hæc Epicuri verba ita nos exercuerunt, ut nihil mirum sit, si a nobis invicem vexentur. Græca Epicuri Laert. X, 148, plena hæc sunt : Ὧν ἡ σοφία παρασκευάζεται εἰς τὴν τοῦ ὅλου βίου μακαριότητα, πολὺ μέγιστόν ἐστιν ἡ τῆς φιλίας κτῆσις. Καὶ τὴν ἐν αὐτοῖς τοῖς ὡρισμένοις ἀσφάλειαν φιλίας μάλιστα κατεῖναι συντελουμένην. Ἡ αὐτὴ γνώμη θαῤῥεῖν τε ἐποίησεν ὑπὲρ τοῦ μηδὲν αἰώνιον εἶναι δεινὸν, μηδὲ πολυχρόνιον. Quorum quidem verborum si interiorem nexum spectamus, admodum nobis probabile videtur, ea male transposita esse, et ad eam seriem revocanda, qua a Cicerone vertuntur. Tum enim et τε ... καὶ ex ordine sibi respondent, et reliqua rectius coeunt: facilis etiam et prompta medicina corrupti verbi κατεῖναι paratur, quod Steph. in κατανοῆσαι, Meibom. nisu satis audaci, in κτήσει δεῖ νομίζειν mutant; Davisio κτήσει εἶναι, Rathio κατεῖσαι, vel κατιδεῖν, suadentibus. Sic enim transponenda ista, et corrigenda, judicamus : Ἡ αὐτὴ γνώμη θαῤῥεῖν τε ἐποίησεν ὑπὲρ τοῦ μηδὲν αἰώνιον εἶναι δεινὸν, μηδὲ πολυχρόνιον· καὶ τὴν ἐν αὐτοῖς τοῖς ὡρισμένοις ἀσφάλειαν φιλίας μάλιστα κατιδεῖν εἶναι συντελουμένην. Facillime enim per compendium, ex κατιδεῖν εἶναι, κατεῖναι corrumpi potuisse, nemo non videt. Sic singula verba a Cicerone versa videbis. Ad κατιδεῖν ex præcedd. ἐποίησεν repetes : in latinis vero simul intelliges, *perspexit* pro *perspicere fecit* esse positum. Sic nihil opus est, ut cum Rathio *quæ* in *qua*, conjectura parum felici, mutari velis : cuncta potius sic conspirare videbis, ut jure quodam nostro in his plus quam nudam conjecturam proposuisse nobis videamur. Ceterum putare licet, verbis « in hoc ipso vitæ spatio » (in quibus tres Oxonn. cum Baa. nostro

timeret malum; quæ perspexit, in hoc ipso vitæ spatio, amicitiæ præsidium esse firmissimum ».

Sunt autem quidam Epicurei timidiores paullo contra vestra convicia, sed tamen satis acuti, qui verentur[20], ne, si amicitiam propter nostram voluptatem expetendam putemus, tota amicitia quasi claudicare videatur. Itaque primos congressus, copulationesque, et consuetudinum instituendarum voluntates fieri propter voluptatem; quum autem usus progrediens familiaritatem effecerit, tum amorem efflorescere tantum, ut, etiamsi nulla sit utilitas ex amicitia, tamen ipsi amici propter se ipsos amentur. Etenim, si loca, si fana, si urbes, si gymnasia, si campum[21], si canes, si equos, si ludicra exercendi aut venandi consuetudine, adamare solemus[22]; quanto id in ho- 69

ipso ignorant), vagius græca ἐν αὐτοῖς τοῖς ὡρισμένοις versa esse. Nam quomodo bis Epicurus *vitæ spatium* intelligere potuerit, is scilicet, qui illud totum cæco casui obnoxium perhibebat, nos certe non assequimur. Sed forte Ciceroni in his accidit, quod nobis, ut istis certam notionem subjungere frustra laborasse putandus sit. G.

20. *Satis acuti, qui verentur.* Gœr. distinguit *satis acuti : qui v.* Colon, inquit, ponendum erat pro virgula, ne contra codd. *vereantur* corrigendum esset : neglexerunt enim intt. ex vulgata interpunctione necessario *qui* causale putari debere. Ex nostra autem ratione *qui* est *nam hi*, et *acuti* ii, qui « facile vident, quomodo se expediant ». Ita « acutus ad respondendum, excogitandum, etc. » dicitur.

21. *Campum.* Capies *Martium*, et in hoc illas currendi, equitandi, jaculandi, natandi, exercitationes, quæ ibi diebus omnibus fiebant, quarumque toties apud poetas latinos mentio injicitur. G.

22. *Si ludicra exerc. aut. ven. consuet. adamare solemus.* Gœrenz dat : *si ludicras exerc. aut ven. consuetudines, adamare sol.* Ita, inquit, nobis, cum olim vulgata, unice recte scribendum ex Pal. 1 et Spir. videtur : nam reliqui nostri cum plerisque reliquorum omnibus modo *consuetudines* servant; nisi quod Bas. *ludicra se*, vitio ex eadem lectione orto, servat. Vulgata a Davis. *ludicra ... consuetudine*, soli Victorii editioni debetur. Intt. hoc in loco valde se torseruut, quum vocem *consuetudine* ad omnia, quæ præcedunt, relatam vellent, quod ne ex auctoris quidem mente est. Nexus enim series hæc est : « Si loca, si fana, ... proter se ipsa amamus, multo facilius et justius homines, cum quibus amice consuescimus, propter se ipsos amare poterimus ». Quod si est, neque Bremius probandus erit, satis coacte « ludicra exercendi et ve-

minum consuetudine facilius fieri poterit [23], et justius?

70 Sunt autem, qui dicant [24], fœdus quoddam esse sapientum, ut ne minus quidem amicos [25], quam se ipsos diligant. Quod et fieri posse [26] intelligimus, et sæpe id videmus [27], et perspicuum est, nihil ad jucunde

nandi » jungens : ne moneam, *ludicra*, si substantive ponitur, non nisi de ludis publicis dici, ut recte monet Matthiæ : qui vel in hoc recte vidisset, locum per σύγχυσιν explicans, si nolla melior lectio offerretur. *Ludicræ* autem *consuetudines* dicuntur, ut « lud. exercitationes, artes, etc. » *Exercendi* denique accommodate ad *venandi* dictom est : alias auctor *corpus* addidisset, intelligens pilæ lusum, et talia.

23. *Poterit*. Gœrenz *potuerit*. Ita, inqoit, scripti ad unum omnes : vulgatur ex edd. vett. *poterit*. Sæpius de hujus futuri exacti vi optativa monuimus, quod indigno modo VV. DD. ex tot Ciceronis locis expulerunt. Nos certe xxv loca numeramus, ubi illud citra jus exterminatum videmus : multoque etiam pluribus corrigendum foret, si illa VV. DD. ratio valeret. Cf. Legg. II, 18, 45.

24. *S. autem, qui dicant*. Ita Ox. E. et Bas. et Bremi ad hunc l. uberius docet, in simplici forma *Sunt, qui*, conjunctivum semper et sine exceptione, addito vero sive subjecto, sive prædicato, promiscue et conjunctivum et indicat. poni. De simplici forma plene, et jure, consentimus : quod autem *promiscue* in composita dicit, id ipsum ad certam regulam dirigi, aliaque sensus vi indicativum, alia conjunct. addi, satis ad Acadd. II, 22, 70, exposuisse putamus, certique sumus, hanc distinctionem ipsa rei veritate comprobari. Nihil igitur Rathium audies, *dicunt* bene sic dici, pronontiantem. G.

25. *Ut ne minus quidem amicos*. Gœrenz delet *quidem*. Olim, inquit, nostra sponte, videramus, hac part. contexta hæc turbari. Jam sane, ex quo vagam ejus in scriptis editisque sedem vidimus ; nam Gud. 2, *quidem amicos minus*, Bas. *quidem minus amicos*, Gud. 1, cum P. Mars. Crat. aliis, *min. am. quidem* ; ipsamque ab Oxonn. E. ξ. abesse cognovimus ; sine omni dubitatione, natura loci eam respuente, abjecimus. Addere vel hoc liceat, semper fere scribas in *ut ne* offendi, atque inde alibi *ut* abjici : vide nos ad Acadd. II, 18, 56.

26. *Et fieri posse*. Gœr. scrib. *et posse fieri*. Ita, inqoit, God. uterque et Spir. editique cum Crat. plures : ut etiam Davis. haud dubie ex suis tacite, quo modo haud raro solet, edidit. Volgatus ordo, *fieri posse*, ad hæc contexta, ubi ad rei possibilitatem ejusdem veritas additur, male convenit. Recte igitur *posse* præponitur.

27. *Et sæpe id videmus*. Gœrenz scrib. *et sæpe enim vid*. Sic, inquit, scripti plerique, nostrique omnes. Ejus loco vulgata, a Victorio profecta, *id* præbet. Davisius ex Eliens. *etiam* : quæ lectio placere posset, nisi ex scribæ correctione nata videretur. Rath. *enim* retineri jubet : sed vellemus dixisset, qua jure bis in

vivendum reperiri posse, quod conjunctione tali sit aptius. Quibus ex omnibus judicari potest, non modo non impediri rationem amicitiæ, si summum bonum in voluptate ponatur, sed sine hoc institutionem amicitiæ omnino non posse reperiri.

XXI. Quapropter si ea, quæ dixi, sole ipso illu- 71
striora et clariora sunt; si omnia dixi, hausta[1] e fonte
naturæ; si tota oratio nostra omnem sibi fidem sen-
sibus confirmat, id est, incorruptis[2] atque integris

contextis. Locus ipsi afferendus erat, ubi in triplici *et*, mediam sic *enim* sequitur, ut vox interponatur: qualem nusquam deprehendet. Urgebit forte particulæ vim asseverantem: sed videndum quoque est, quo loco quaque junctura sic ea recte strui possit. Attendendum potius ad hanc triplicis *et* vim et naturam erat. Notat enim « non solum ... sed etiam ... et adeo ». De hac *et* duplicis vi sæpe egimus in prioribus voll. Hæc autem tertiæ pariter ex ordine est, si teneris, per se jam simplicem *et*, *adeo* valere; multo igitur magis, si jam præcedens *et* vim intensivam habet. Lectionem autem *sæpe enim*, nihil dubitamus, ex *sæpenumero* ortam dicere, quod ex compendio *sepenum* (o superscr.) scriptum, litera o superscripta, sive neglecta fuerit, sive obliterata, non potuit, quin ex alliteratione in *sæpe enim* mutaretur. Cui conjecturæ ita confidimus, ut in texta eam recepturi fuissemus, nisi conatum nostrum Rathius retardasset.

XXI. 1. *Si omnia dixi, hausta.* Th. Bentl. *dixi* a scribis additum judicat, assentiente Bremio. Sed etsi sæpe hoc verbum inculcari a scribis solet, tamen frequentissime auctor eo repetito utitur; cf. Acadd. II, 44, 143, et quæ ibi laudamus. Atque h. l. si purgatas aures adbibueris, locum, eo abjecto, deteriorem fieri videbis: ne addamus, augeri, hoc interposito, soni vim in *omnia*, quod contextorum rationi optime convenit. Hoc certe vides, plane Ciceronis more verbum dicendi finitum accusativis his interjici; de quo toties egimus. Cf. Orat. 18, 57: « Dicit plura etiam Demosthenes, illumque sæpe dicit voce dulci et clara fuisse ». Quo loco utrumque habes, et duplex *dicit*, et alterum accus. cum infinit. interpositum. Quod si nostro in loco inf. *esse* ob præced. *sunt* omissus est, id quidem tum, si sine vi est, plane ex regula judicandum. G.

2. *Sensibus confirmat, id est, incorr.* Mirum est, quod Gud. 2, Erl. Spir. i. e. optimi nostri, *confirmat* ignorant: quod magis etiam hos tanget, qui didicerunt, vv. *id est*, proxime ad eam vocem, quam proprie spectant, poni, idque ex regula. Sed alibi clare docuimus, tum exceptionem fieri, si *id est*, pro, « quod nihil aliud est, quam », v. « quod idem valet, ac », ponitur, vide Acadd. I, 8, 32: neque, si animum accuratius admoveris, interior te mutati positus ratio effugiet. G.—*Incorruptis*. Quia, si credimus Epicuro, numquam sensus errant.

testibus; si infantes pueri, mutæ etiam bestiæ[3], pæne loquuntur, magistra ac duce natura, nihil esse prosperum, nisi voluptatem, nihil asperum[4], nisi dolorem; de quibus neque depravate judicant, neque corrupte[5]; nonne ei maximam gratiam habere debemus, qui hac exaudita quasi voce[6] naturæ, sic eam firme graviterque[7] comprehenderit, ut omnes bene sanos in viam placatæ, tranquillæ, quietæ, beatæ vitæ deduceret? Qui quod[8] tibi parum videtur eruditus, ea causa est, quod nullam eruditionem esse
72 duxit[9], nisi quæ beatæ vitæ disciplinam juvaret. An ille tempus aut in poetis evolvendis, ut ego, et Triarius, te hortatore, facimus, consumeret[10]? in quibus nulla solida utilitas, omnisque puerilis est delectatio: aut se, ut Plato, in musicis, geometria, numeris,

3. *Si infantes pueri, mutæ etiam bestiæ.* Olim *si* ante *bestiæ* repetita edebatur, quam tacite delevit Davis. Ernestio tacite sequente; tacite reposuit Bremi. Recta haud dubie fecit Davis. et jubentibus ejus scriptis, quippe quam mei omnes, tres Oxonn. editique veteres plerique ignorent, eaque addita vis in *mutæ* infringatur: quamquam illa ratione *etiam* tertio loco proprie *adeo* notat. Sed post *si*, vim hanc obtinet *etiam* loco secundo, si, ut h. l. quasi in parenthesi ponitur. G.

4. *Asperum.* Commendat pro *asperum*, Camerarios ex Venetis *improsperum*: sed perquam jejune. G.

5. *Neque depravate ... neque corrupte.* I. a. « neque ex ipsorum ex sese depravata natura, nec judicio per alios corrupto ». G.

6. *Hac ... quasi voce. Hac* ex Pal. 1, per Gruterum pro *hæc*, quod nihil est, receptum, firmant tres optimi nostri; et verba *quasi voce* tamquam unum verbum accipienda sunt.

7. *Graviterque. Graviter* est, « ratione viro sapiente digna »: unde toties *sapienter* et *graviter* junguntur. Nihil affert igitur Joa. Scaliger, si *gnaviter* suadet, probb. Guyeto et Davis.

8. *Qui quod.* Ne hac in structura offendas; est enim ex ordine. *Quod* est, « quod attinet ad id, quod »: *qui* autem nexus causa præmittitur, hoc sensu, « quod autem id spectat, quod is tibi eruditione parum instructus videtur, ejus rei causa hæc est ». G.

9. *Quod nullam eruditionem esse duxit.* Gœrenz distinguit, *quod, nullam er. esse, duxit.* Sic, inquit, virgulis interponximus, ut duplex sonus non lateret; alias enim vix hanc verborum collocationem probaris. *Duxit* autem Erl. defendit, reliqui mei vel *dixit*, vel, ut Gud. 2, *dixerit.*

10. *An ille tempus..... consumeret?* Epicurus liberales disciplinas spernere præ se ferebat. Vid. Menag. ad Diog.

astris contereret? quæ et a falsis initiis profecta, vera esse non possunt; et, si essent vera, nihil afferrent, quo jucundius, id est, quo melius [11] viveremus. Eas ergo artes persequeretur, vivendi artem tantam, tamque operosam, et perinde fructuosam relinqueret? Non ergo [12] Epicurus ineruditus, sed ii indocti, qui, quæ pueros non didicisse turpe est, ea putent [13] usque ad senectutem esse discenda.

Quæ quum dixisset, Explicavi, inquit, sententiam meam, et eo quidem consilio, tuum judicium ut cognoscerem. Quæ mihi facultas, ut id meo arbitratu facerem [14], ante hoc tempus numquam est data.

Laert. X, 6. Quibus de causis ita se gessisse censeatur, docebit Sextus Empiric. advers. Mathem. I, § 1-4. Davis.

11. *Quo jucundius, id est, quo melius.* Lamb. pro *id est*, *iisque* : inde haud dubie, quod in suis, ut bini nostri, *id* simplex legeret, quum alii bini nostrorum *idem* præbeant. Sed *idem* primo innumeris locis in codd. cum *id est* confunditur; deinde *id* facile ex nota 1. oriri potuit, cujus causa *id est* toties in scriptis neglectum reperitur. Sententia est : illæ artes, vel si veræ essent, ut non sunt, oriundæ quippe ex falsis principiis, nihil tamen continerent, quo ad voluptatem, id est, ad beatam vitam propius accedere liceret. G.

12. *Eas ergo ... Non ergo.* Ne duplex *ergo* offendat, quum priorem Gud. 2 ignoret : notanda illius prioris vis, qua cum levi indignatione, vel objurgatione, ponitur. Imperff. conj. optativorum loco ponuntur. Alias ex auctoris more ad hanc *ergo* graviori vi futura ponuntur; cf. Tusc. II, 17, 39; ibid. III, 15, 31. Sed h. l. *persequeretur*, pro *mallet persequi*, etc. Posterior *Ergo* est argumentum conficientis, atque ita propria ponitur. G.

13. *Putent.* Gœrenz *putant*; qui notat : Non a pluribus scriptis h. l. standum, ut Bremi monet, sed ab interiore loci natura, quæ non *putent*, ut vulgatur, sed *putant* requirit. Pergit enim Torquatus stomacho leviter excitato, cui subjunct. minus convenit. Servant etiam nostri omnes *putant*, Erl. quoque et Spir. qui bini cum Pal. 1, in addubitata lectione ubique fere momentum faciunt.

14. *Ut id meo arbitratu facerem.* Non docuere VV. DD. quo hæc pertineant : unde, si quis pro *id* a Bas. P. Mars. cum vett. editis aliis, *ea* exhiberi viderit, non sine specie *id* delendum esse judicarit. Sed respicit Torquatus ad verba Ciceronis supra posita 8, 28 : « Tuo vero id quidem arbitratu », quibus ei et « argumenti selectio », et « orationis perpetuæ » usus, pro ut ipse vellet, concessus erat. G.

M. T. CICERONIS

DE FINIBUS BONORUM ET MALORUM

LIBER SECUNDUS

ARGUMENTUM

LIBRI SECUNDI DE FINIBUS.

Eadem dialogi scena servata, continuo se Cicero ad ea refellenda parat, quibus libro primo Torquatus Epicuri de Finibus sententiam probandam susceperat. Primo deprecatur, ne scholam aliquam philosophorum more, vix in his quidem laudando, se explicaturum putent. Sophistarum hoc esse, a Gorgia inde, institutum. Numquam sic Socratem; quippe qui id ipsum riserit. Hunc percontando interrogandoque aliorum sententias elicuisse, ad easque respondisse; ejusque morem, aliquamdiu relictum, ita revocasse Arcesilam, ut, qui eum audirent, suam ipsi sententiam promerent, eamque contra ejus rationes, quantum possent, tuerentur; reliquis philosophis ad quæstionem ab alio quo positam sic respondentihus, ut ceteri tacerent, ipsi alterius magis sententiam, quam suam defenderent. Commodam autem rationem esse, quam Torquatus sequutus sit, quid ipse sentiret, et cur? exponendo : sed commodiorem ipsi videri, si mutuo sermone id fiat, non perpetua oratione, quæ rapide præterfluat, sic ut, quæ apprehendere velis, ad ea continuo respondere non liceat, § 1, 2, 3.

Deinde quum a concessis proficisci disputatio justa deheat, ipso id Epicuro prohante, haud recte ab hoc rerum definitiones rejici. Ipsi Torquato definitionem finis imprudenti excidisse; eumque forte, bonum ipsum quid sit, si res requireret, definiturum fuisse. Postulat igitur ah hoc voluptatis definitionem, quippe ad quam quæstio omnis pertineat, § 4, 5. Diversa accipi vi vocem hanc apud Epicurum, quum vel crasso etiam sensu eam accipiat, § 6, 7. Atque si vel communis voluptatis notio, ea Epicuri statuatur, tamen ad eam non dolendi statum (quem iste in summa voluptate ponebat) nihil pertinere, dissimilesque res sic eadem voce signari, § 8, 9. Nec satis dispici, quare status non dolentis modo varietur, non augeatur; curque iste ipsi in voluptate ponatur, quum hæ res sint inter se diversæ. Rectius fuisse,

si summum bonum (cum Hieronymo) in non dolendo poneretur, § 10, 11. Neque quidquam esse quod Epicurei querantur, Epicureæ voluptatis notionem a secus sentientibus haud recte intelligi, quum ipsi, ineruditi homines, eam se intelligere dicant, § 12-15. Ipsum Epicurum et velle plane loqui, et posse, ut in re facili; sed vagum esse in voluptatis notione, idque ei ex dialecticæ contemptu evenire, § 16-18. Inde ab eo duas diversas res uno finis nomine jungi, voluptatem et indolentiam : hinc istam ejus enasci inconstantiam, ut interdum ad meram Aristippi voluptatem delabatur, asotosque posse sapientes esse statuat, is, qui summam voluptatem in non dolendo positam dicat, § 19-22. At si asotos omnis generis voluptatibus circumfluentes ponas, non tamen posse eos bene (i. e. recte et honeste) beateque vivere dici; atque ita sequi, voluptatem quidem voluptatem esse, sed non summum bonum, § 23, 24, 25.

Neque recte tria cupiditatum genera discerni : ineleganter enim, quæ duo sint, in tria distrahi. Esse eas modo naturales, et inanes; naturalium autem binas partes, necessarias, et non necessarias : prave igitur partem in genere poni, § 26. Nec probari in philosopho posse, si de finiendis cupiditatibus loquatur; non enim finiri eas posse, sed tollendas esse funditus : certe quas ille cupiditates appellet, rectius desideria naturæ appellandas fuisse § 27. In magnis autem cum interdum angustiis versari, quum partim arctius voluptatem complectatur; ita ut consciis remotis, turpe quodvis facturus videatur : partim eamdem sic extenuet, ut hominem plane frugi loqui putes, § 28, 29, 30.

A primo autem animantium ortu voluptatem ut summum bonum repeti. Appetere enim eos vix natos voluptatem ut bonum, doloremque ut malum refugere. Optime autem ab his bonum malumve judicari, nondum depravatis. Sed his positis inesse vitiosa multa. Nam haud distingui, qua de voluptate hæc dicantur, stante, an movente. Si de movente, voluptatem quamvis turpem amplectendam esse. De stante id concedi posse, quum natura animantem salvam esse velit : ad hanc Epicurum intelligere non potuisse, quum in ea nulla vis sit appetitum animi movendi, § 31, 32, 33. Neque de bestiis judicium valere, quæ, licet depravatæ non sint, pravæ tamen sint natura sua. Nec infantem

tam voluptate, quam sui amore moveri. Quodque enim animal, statim ab ortu suo, et se, et partes suas, animum et corpus, deinde partes partium diligere, appetens maxime quæ prima sint naturæ; contraria aspernans: in quibus utrum voluptas insit, nec ne, judicatu esse difficillimum. Inesse certe non solam, atque inde enatas esse diversas philosophorum de fine bonorum sententias; inter quas sola Epicuri sibi non constet. Nam in eo, quod voluptatem, ut bonum, ex solo sensuum judicio repetat, plus tribui sensibus, quam liceat, quippe qui de rebus modo quales appareant, judicent, non quales ipsæ sint, § 33-37. Adhibendam esse judicem rationem, eamque hanc pronuntiare sententiam: tantum abesse, ut voluptas summum bonum sit, ut honestati ne per accessionem quidem addi possit: idemque de vacuitate doloris valere. Duas modo, rejecta Carneadis, relinqui rationes, Stoicorum, quæ solam honestatem, et Peripateticorum, quæ cum hac prima naturalia amplectatur: reliquas etiam reliquorum non esse audiendas, § 37-43. Epicuream autem rationem eo plus inde facessere negotii, quod e duplici voluptatis genere constet, quodque ipsa tot sectatores habeat: sed nisi hæc redarguatur, virtutem periclitari omnem. Relinqui igitur virtutis ipsius cum voluptate certamen. Sed, si ostendatur honestum sua ipsius vi expetendum esse, totam eam concisuram, § 44.

Jam pergit auctor Epicuream rationem, ea Stoicorum opposita, ita refutare, ut totus ipse Stoicus Chrysippi maxime auctoritate nitatur. Quæ Stoica eo contractius indicari licet, quum III et IV libro plenius tractantur.

Honestum igitur id ponit, quod detracta omni utilitate per se ipsum possit jure laudari: partesque ejus quatuor, sapientiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam explicat, quibus expleta honestatis forma contineatur, § 45-48. Sed Epicurum honestum illud prorsus ignorare, sic ut hos, qui eo utantur, inani voce sonare dicat: immo honesti nomine id intelligere, quod populari fama gloriosum sit, atque voluptatis causa expetatur. Sed hoc honestum sæpe turpe esse, et, si quando turpe non sit, id non ob multitudinis laudem esse, sed quod rectum per se sit laudabile, § 48, 49. Qua honesti notione fieri, ut Epicurus ipse statuat, non posse jucunde vivi, nisi etiam honeste: quo ipso aliud

honestum indicetur, quam quod ille definierit. Inde etiam Torquatum, quum idem statueret, æque vera honesti vi esse victum, quæ maxima sit, § 50-52.

Hoc autem argumentum parum firmum esse, quod improbi excrucientur animi conscientia, et pœnæ timore. Non enim timidum, qualis L. Tubulus, sed callidum, ut P. Sext. Rufus, fingi oportere, qui, utilitati inhians, conscientiam nihil curet, § 53-56. Epicureis igitur, qui omnia ad voluptatem referant, pericula ad magnas voluptates parandas adeunda esse, quæ ceteri honestatis causa aggrediantur. In occulto facinore gaudebunt; deprehensi pœnam quamlibet contemnent, edocti scilicet ad dura quæcumque subeunda. Jam si callide improbus etiam præpotens cogitetur, tum, quo prorumpat improbitas, dispicere non esse. Multa etiam injuste fieri posse, quæ deprehendi nequeant. Inde esse perspicuum, tum modo virum bonum posse reperiri, si æquitas, justitia, fides a natura proficiscantur, atque ipsa utilitatis ratio eodem referatur, § 57-59.

Idem valere etiam de temperantia. Haud satis eum pudori consulere, qui tum, quum sine teste sit, libidini se committat. Esse enim aliquid, quod per se sit flagitiosum, si vel infamia careat. Fortitudinem autem non voluptatum spe et cogitatione excitari, sed animis ardore et impetu quodam concitatis, § 60-63.

At pulchra Torquatum oratione summis voluptatibus, nullaque re, nec præsenti, nec futura turbatis, affluentem, cum cruciatibus omnibus afflicto, cui ne sperata quidem voluptas sit, composuisse, ut summum malum dolorem, summumque bonum voluptatem esse concluderet; sed ratione parum vera. Thorio enim Balbo, qui his omnibus abundarit, in quibus Epicurus beatam vitam sapientis ponat, iisque ita usus sit, ut hujus ratio eum beate vixisse cogat, tamen multo beatiorem fuisse Regulum, quum inter ultimos cruciatus vigilando necaretur: multaque esse exempla clarorum hominum, inter summos ipsos dolores sine voluptatis spe se beatos sentientium: quæ aut vituperanda sint, aut voluptatis patrocinium relinquendum. Ad Epicuri autem rationem, ne unius quidem magni viri exemplum rite applicari posse, § 63-67. Inter Stoicos et Peripateticos honestum et

splendidum certamen esse, quippe qui de virtutis dignitate contendant: at Torquatum ista tueri salva dignitate non posse, § 68, 69.

Negare quidem Epicurum, nisi qui honeste vivat, jucunde vivere non posse: sed non quærendum, quid iste dicat, sed quam consentaneum sit, quod dicat. Non reprehendi ab eo luxuriosos, nisi qui cupiant, aut metuant: sed his rebus modum si ponat, polliceri eum luxuriæ licentiam, et veræ certæque virtutis loco, virtutis simulationem et umbram poni, § 70-74. Ex vitio hoc esse, vel inde patere, quod nemo, quum publice loquatur, dicere audeat, se ea, quæ faciat, voluptatis causa facere: sed virtutem semper in ore gerere. Ipsum adeo voluptatis verbum dignitate carere, de qua falso Epicurei querantur, non eam intelligi. Ea modo vera esse videri, quæ honesta sint et laudabilia, quæque omni in cœtu concilioque proferri recte possint, § 75-77.

Amicitiam autem locum habere non posse, nisi amicus ametur propter se ipsum. Utilitate enim si amicitia nitatur, ipsam eadem tolli. Atque si vel utilitatis causa amicus non deseratur, deserendum eum tamen esse, laborum periculique causa. At coluisse Epicurum ipsum amicitiam: sed non quæri de moribus, immo de ingenio quæri: ipsum quidem, et Epicureorum multos, ita vivere, ut vita eorum refellatur oratio. Tres quidem illas sententias, a pluribus Epicureorum propositas, audiendas quidem esse, sed in iis non inesse omnia. Quod si enim utilitas emolumentumque, quacumque ratione paretur, valeat, cadere ipsam fructuum mercede victam: at si eam sua caritate metiaris, nihil posse eadem esse præstantius, § 78-85.

De iis, quæ reliqua sint, videndum esse, quale Epicureis sit beate vivere, quod in voluptate positum putent. Hoc quidem, si quid sit, in sapientis potestate statui, ipsumque stabile et firmum esse debere. At voluptatem talem non esse, quippe quæ ex fortunæ temeritate pendeat. Ita fortunam evadere dominam vitæ beatæ; quæ tamen, si semel suscepta sit, ita permanere debeat, ut ejus effectrix, sapientia. Id negari quidem ab Epicuro, sed inconstantissime; quum statuat, non majorem esse infiniti

temporis voluptatem, quam finiti et modici. Ita nihil esse deum Epicuro æternitate beatiorem, § 86-89.

Neque quidquam esse, quod dicatur, sapientem ipsa locupletari natura. Recte id quidem dici, tamen pugnare idem cum reliqua Epicuri ratione; quippe qui ex vilissimis rebus parem voluptatem percipi dicat, atque ex pretiosissimis. Hoc non modo cor non prodere, sed ne palatum quidem. Sed si vel hoc verum sit, illud quod de dolore dicatur, totum jacere. Si enim beatus, secundum Metrodorum, is sit, cujus corpus bene constitutum, et in quo exploratum sit id semper fore ; tale quid exploratum esse nemini posse, vel ad vesperam : dolorem igitur, ut summum malum, semper esse metuendum; qui, etiam si non adsit, jam tamen adesse possit, § 90-92. Neque quidquam rationem negligendi doloris Epicuream valere, quum vel id ipsum absurdum sit, summum malum negligi. Deinde rationem illam : « si gravis, brevis; si longus, levis »; quotidie falsam esse cognosci. Virtutis quidem fomentis dolorem mitigari solere, id vel ex Epicuri moribundi ad Hermarchum epistola cerni : sed id rationis cum summa hujus philosophia non consentire. Cum eadem pugnare etiam ejus testamentum. Ex his totum illud de dolore concludi licere : eum, qui in summo malo sit, tum, quum in eo sit, non posse esse beatum : sapientem semper beatum esse, et esse aliquando in dolore : non esse igitur summum malum dolorem, § 93-104.

Nec hoc vim aliquam habere, quod dicatur, sapienti bona præterita non effluere debere; mala meminisse non oportere. Non enim in nostra potestate esse, quid meminerimus : sæpe etiam jucundam esse malorum memoriam præteritorum. Relinquere item voluptates sæpius causas pœnitentiæ, quam lætæ et jucundæ recordationis. Falsum vel hoc esse, animi voluptates et dolores ad voluptates et dolores corporis pertinere : esse enim permulta, quæ per se ipsa delectent, si vel ad corpus non referantur. Si vero animi voluptates et dolores majores dicantur, quam corporis, hoc ipso sapientem, dolores animi majores sentientem, aliquando miserum esse, necesse esse, § 105-108.

Aliud igitur summum bonum circumspiciendum esse, quod

sit hominis, voluptatem relinqui debere bestiis. Sed ne has quidem omnia voluptatis causa facere: immo et istis quædam, ab hac sejuncta, esse simulacra virtutum, quæ in agendo sequantur, § 109, 110. Quid? longe superaremur ab his, voluptate ut summum bonum sequenda. Neque idem summum bonum pecudis esse posse, et hominis; hoc illam tantopere præstante, § 111, 112. Ad altiora nos esse natos, quum non animi solum facultates, sed membra quoque et reliquum corpus ad virtutis ministerium datæ esse videantur, § 113, 114. Ne artes quidem, ut poesin, statuariam, pictoriam, ad voluptatem solam dirigi. Opifici formarum, eximio civi factorum, propositam esse debere pulchritudinem. Erroris causam in voluptate ut summum bonum ponenda hanc esse, quod non ratio, sed cupiditas in deliberationem adhibeatur. Deos beatos esse non corpore, sed animo, debere: eodem modo sapientem quoque. Neque laudari quemquam a voluptate, sed a virtute, § 115-117. Confundi perturbarique omnia, virtutesque maximas jacere quasque, voluptate dominante.

M. T. CICERONIS

DE FINIBUS BONORUM ET MALORUM,

AD BRUTUM,

LIBER SECUNDUS.

I. Hic quum uterque me intueretur, seseque ad au- 1
diendum significarent paratos [1] : Primum, inquam,
deprecor, ne me, tamquam philosophum, putetis
scholam vobis [2] aliquam explicaturum; quod ne in
ipsis quidem philosophis magnopere umquam [3] pro-
bavi. Quando enim Socrates, qui parens [4] philosophiæ

I. 1. *Uterque me intueretur, seseque... significarent paratos.* Muret. suadet, *intuerentur ;* Lambinus, violentius etiam, *significaret paratum.* Et fatemur sane, nullum nobis exemplum innotuisse, ubi Cicero simplicem et plurium numerum simul ad *uterque* applicet; neque, si a Mureti partibus stabimus, loca desunt, quibus *uterque* de duobus plurium numero junctum excusetur. Nihilo tamen secius vulgatam, scriptis et vett. editis omnibus firmatam, veram, et ita defendendam judicamus, ut ad pronominis *sese* ambiguitatem recte pluralem aptari potuisse statuamus, ita quidem, ut *ii* cogitetur, latens in *uterque :* quasi scriptum esset, *iique sese sign. p.* G.

2. *Scholam vobis.* Ignorat Erl. *vobis :* sed aures ipsæ ei fidem renuunt. G. — *Scholam.* Disputationes, quibus, perpetua oratione, una aliqua de re philosophi in cœtu hominum explicabant, scholæ dicebantur. Cic. Tusc. I: « Dierum quinque scholas, ut Græci appellant, in totidem libros contuli ». Idem lib. III, sensu eodem : « Separatim autem certe scholæ sunt de exsilio, etc. » Muret.

3. *Magnopere umquam.* Gœrenz dat *magno opere umquam.* Nescio, inquit, quo fatu in tribus meis optimis *magno opere* desideratur : nisi scribæ vocem male cum *umquam* coire arbitrati sunt. Reliqui bini nostri, ut edidimus, quum vulgo *magnopere* legatur. Receptæ a nobis favet tacite Davisius; et, quod majus est, numerus. Quam sæpe hæc duo verba in unum contrahantur, et notum est, et vide Heusingg. ad Off. in ind.

4. *Parens phil.* Dicitur Socrates *parens philosophiæ*, morum nempe, ut Cic. sæpe hanc disciplinæ disciplinarum partem proprie et κατ' ἐξοχὴν sic vocat. Eodem modo etiam philosophi dicuntur. Rationem ejus rei exposuimus ad Acadd. II, 5, 13. G.

jure dici potest, quidquam tale[5] fecit? Eorum erat iste mos[6], qui tum sophistæ nominabantur : quorum e numero primus est ausus Leontinus Gorgias[7] in conventu poscere quæstionem, id est, jubere dicere, qua de re quis vellet audire[8]. Audax negotium; dicerem impudens[9], nisi hoc institutum postea transla-
2 tum ad philosophos nostros[10] esset. Sed et illum, quem nominavi, et ceteros sophistas, ut e Platone intelligi potest, lusos videmus a Socrate : is enim percunctando atque interrogando elicere solebat eorum

5. *Quidquam tale.* Bas. et Mars. *tale quidquam.* Quod ut rectius judices, discrimen structuræ utriusque tenendum est, plane huic nostræ utrique rationi, *etwas der Art*, et *der Art etwas*, respondens. Ita similiter Legg. II, 5, 11 : « quibusdam talibus argumentis »; Att. XVI, ep. 8, *tale aliquid.* Hoc loco structura est, « quando Socrates quidquam, quod tale esset, fecit ». G.

6. *Eorum erat iste mos.* Sc. ut perpetua oratione, quæstionem tractarent de qua interrogati fuerant, non ut, Socratis more, dialogis uterentur.

7. *Leontinus Gorgias.* Gorgias erat Siculus; discipulus fuit Empedoclis; postea oratoriam artem professus, tantas in hoc genere præceptionis summas comparavit, ut auream statuam Delphico templo dicaverit. Cic. de Sen. c. 5, eum usque ad centum et septem; Quint. Inst. III, 1, usque ad centum et novem annos dicit eum vitam produxisse.

8. *In conventu poscere... audire.* Cf. Orat. III, 32, 129 : « Leont. Gorgias... princeps ex omnibus ausus est in conventu poscere, qua de re quisque vellet audire ». Horum locorum tam sibi similium fons, ut intt. viderunt, repetendus ex Platonis Gorgia, c. 2, Heind. Ἐκέλευε γοῦν νῦν δὴ (Γοργίας) ἐρωτᾶν ὅ τι τις βούλοιτο τῶν ἔνδον ὄντων, καὶ πρὸς ἅπαντα ἔφη ἀποκρινεῖσθαι. At quærunt h. l. intt. et in his Bremi, ad verba « poscere quæstionem, id est, jubere dicere, etc. » cuinam hæc auctor interpretetur, nisi lectorum imperitiorum causa ita scripserit? Et sane ad hos idem sæpe respexisse dicendus est : sed in his verba *posc. quæst.* nondum satis ejus mentem ostendunt, quod quum sentiret, ipsa Platonis verba in explicationem addidit : atque ita æque græcarum literarum gnaris, ac rudibus, satisfecisse putandus est. G.

9. *Audax negotium ; dicerem impudens.* E. et ξ. *dicerem et imp.* atque ita dedit Lambin. Per se quidem non male : nam *et* tum *adeo* valet. Sed opus nihil est, si pronuntiationis vis ad *impudens* applicatur. Sic in qualibet lingua ejusmodi particulæ vel majori vi omittuntur. G. — Gœr. post *negotium* notam admirationis ponit.

10. *Ad philosophos nostros.* Academiæ nempe recentioris, a qua ipse stabat. Huc enim pertinet illud, « in utramque partem disputare », quod Cicero de suæ disciplinæ philosophis toties narrat, inductum primum ab Aristotele; vide infra V, 4, 10. G.

opiniones, quibuscum disserebat, ut ad ea, quæ[11] ii respondissent, si quid videretur, diceret. Qui mos quum a posterioribus non esset retentus, Arcesilas[12] eum revocavit; instituitque, ut ii, qui se audire vellent, non de se quærerent, sed ipsi dicerent, quid sentirent[13]. Quod quum dixissent, ille contra. Sed qui audiebant[14], quoad poterant, defendebant sententiam suam. Apud ceteros autem philosophos, qui quæsivit aliquid, tacet. Quod quidem jam fit[15] etiam

11. *Ut ad ea, quæ ii.* Gœr. *ut ad hæc, quæ hi.* Jam, inquit, Davis. rectiora e sex suis dederat, nisi Ern. ad deterius redisset. Ita quoque quatuor nostri, editique vett. cum P. Mars. in utroque plures; in simplici *hi* omnes consentiunt. Paucis post in verbis *ut hi* Davis. vulgatum *ii* corrigere neglexerat: nam *hi* iidem nostri, editique veteres æque omnes recte servant.

12. *Arcesilas.* Ætolus erat: primum Crantoris et Polemonis discipulus; mortuo Polemone, a vetere Academia, quam Plato condiderat, descivit, princepsque factus est novæ vel mediæ Academiæ, cujus erat dogma præcipuum, Nihil posse comprehendi, et nos probabilitatem solum, non certitudinem in judiciis habere posse.

13. *Non de se quærerent... sentirent.* Ne in certa loci sententia fluctues, vis horum hæc est: « Arcesilas noluit, ut discipuli simpliciter ex ipso id quærerent, cujus rei accuratiorem notitiam appetebant: sed jussit eos ipsam rem, in quantum eam comprehenderent, exponere. Tum ille dissentientis partes suscipiebat, atque ita quæstionem ab utraque parte excutiebat ». De forma *quærere de aliquo*, vide loca apud Mencken. Obss. p. 819, h. v. G.

14. *Sed qui audiebant.* Spir. Erl. et Bas. *sed eum, qui aud.* Quod defendi licet locis sat multis illis, quibus auctor pronomini *illi* sic *is* subjicit, ut superflue additum videatur. Acadd. I, 1, 1: « Atque illum complexi, ut mos amicorum est, satis eum longo intervallo ad suam villam reduximus ». Cf. Heusing. ad Off. I, 38, 5, cll. Garat. ad Catil. II, 12, 27: inprimis si observaris, tum id maxime fieri, si notio primaria paullo altius prægreditur. Nec, *eum* relativo præmissum esse, offendere debet, quum hoc ipsum Ciceroni familiarissimum sit. Neque prætermittendum est, posse *eum* pronomini *suam* oppositum putari, quod cum vi clausulam occupat. Hoc maxime nos movit, quare *eum* non admiserimus; quod toties *is* ante *qui* a scribis inculcatur, ut difficillimi judicii sit, accurate ubique dijudicare, utram in partem sit decernendum. Deinde circumloquuntur verba, *qui audiebant*, Arcesilæ discipulos, et sæpe sic absolute ponuntur, Brut. 45, 185, etc. Præcesserat etiam, *qui se audire vellent.* Adde huc, quod ille quasi pleonasmus potissimum in neutro gen. pronn. istorum locum habet. G.

15. *Quod quidem jam fit etiam*, etc. Erl. et Spir. ignorant *etiam*. Bas. *jam etiam f.* Gud. 2, *qui quidem etiam jam*

in academia[16]. Ubi enim is, qui audire vult, ita dixit, « Voluptas mihi videtur esse summum bonum »; perpetua oratione contra disputatur; ut facile intelligi possit, eos, qui aliquid sibi videri dicant, non ipsos
3 in ea sententia esse, sed audire velle contraria. Nos commodius agimus. Non enim solum Torquatus dixit, quid sentiret, sed etiam cur : ego autem arbitror, quamquam admodum delectatus sum ejus oratione perpetua, tamen commodius, quum in rebus singulis insistas, et intelligas, quid quisque concedat, quid abnuat, ex rebus concessis concludi, quod velis[17], et ad exitum[18] perveniri. Quum enim fertur, quasi torrens, oratio, quamvis multa cujusquemodi rapiat[19]; nihil tamen teneas, nihil apprehendas, nusquam orationem rapidam coerceas.

II. Omnis autem in quærendo, quæ via quadam et ratione habetur[1], oratio, præscribere primum debet

fit. Quid? si veram auctoris manum hanc putes? « quodque idem jam fit » : ut *quodque* pro, *et quod sane*, dicatur, qua vi *que* frequenter in apodosi legitur. Sic Legg. I, 1, 2, *eaque;* ibid. II, 24, 60, « idque ne fieret, lege sancitum est ». Nam *etiam* eo positu, quo cernitur, vix recte placebit. Sensus loci est : « Sed hoc sane (abolita jam Arcesilæ ratione), apud hujus temporis Academicos (et Peripateticos, vide nos ad Acadd. II, 44, 135) obtinet. Hi enim quæstionem ita proponunt, ut ea contraria sit huic rei, quam explicatam cupiunt ». G.

16. *In academia.* Et hunc morem ipse Cicero sequutus est in Tusc. quæst. ubi lib. prim. qui eum audire vult se sentire dicit, mortem esse malum : cui Cic. perpetua oratione respondet, et sic in ceteris libris.

17. *Concludi, quod velis.* Ita ex binis suis et e Victor. Davis. nostris omnibus cum rei veritate consentientibus. Olim *quid* vulgabatur. *Quod* referunt etiam Mars. Crat. editique veteres multi. G.

18. *Ad exitum.* Vide de hac vi v. *exitus* ad Acadd. 9, 27. G.

19. *Quamvis multa cujusquemodi rapiat.* Bas. et Oxon. E. ξ. *cujuscumquemodi.* Ex glossemate scilicet, vel ex correctione ejus, qui ignorabat, frequenter auctorem *quique* pro *quicumque* ponere; ubi æque illud in hoc mutari solet : peccaturque similiter Flacc. 17, 40. Sensus autem horum est, « quantumvis magna etiam rerum ubertas sit, quas undequaque petitas, rapido cursu suo secum ferat ». G.

II. 1. *In quærendo, quæ via quadam et ratione habetur.* Davis. vv. *in quærendo* uncis coercuit, ut ne latina

(ut quibusdam in formulis, ea res agetur[2]), ut, inter quos disseritur, conveniat, quid sit id, de quo

quidem. Sed satis ea defenderunt Ern. et Bremi. Valent enim idem, quod, « si inquiras in rem aliquam ». In Platonis loco, quem inferius posuimus, et ad quem in his respicitur, est βουλεύεσθαι. Verba autem, *quæ via... habetur*, velut parenthesis loco interposita sunt. In quibus hoc tenendum: proprie transposite dicere Ciceronem *ratione et via*, idque sic simpliciter, in tot locis, quæ leguntur, sine exceptione. Fin. III, 5, 18, « ratione constitutum et via »; Tusc. II, 2, 6: « ratione et via philosophantur »; Orat. I, 25, 113: « rationem dicendi et viam »; ibid. I, 50, 215: « eadem ratione ac via ». Atque similiter Fin. IV, 4, 10, « artificio et via, etc. » Quapropter nos quidem Orat. I, 21, 97: « verbum ex eo numquam elicere potui de vi ac ratione dicendi », correctum nuper citra necessitatem *de via* esse, minime probamus. Dicitur autem in his *via* plane ut Græcorum ὁδὸς, quæ vox, apud Platonem et Aristotelem maxime, hac vi, ut μέθοδος valeat, celebratur. Hunc nostrum igitur locum solum novimus, in quo hæc duo transponuntur: caussamque in addito *quadam* reperimus, quo tropus in *via* notatur, atque tum *ratione* per *et* explicativam adjungitur. Quod nisi esset, illa solita serie hoc quoque loco Ciceronem scripturum fuisse certi sumus: prout nos simili modo *Art und Weise*, non ordine verso dicimus. Inde quidem est, quod Thomæ Bentleii correctionem, qua *quadam* in *quidem* mutatur, receptam ab Alemanno, rejicimus: quæ alias sequenda fuerit. G.

2. *Ut... ea res agetur.* Intellige quasi *ea res agetur* esset formulæ exemplum. —Gœr. dat: « ut quib. f. res agatur », notatque: Lamb. mutat, *qua de re agatur*, Bremio sectatore. Ern. cum Grut. *agetur* edidit, sic tamen, ut *qua de re agitur* malit. Rath. denique, *ea res agitur*, hoc sensu, ut his verbis illæ ipsæ formulæ designentur. Quid in hac correctionum diversitate sequendum sit, quæres? Nos presse insistimus codicum nostrorum vestigiis. Plane, ut edidimus, servat Spir. cum quo etiam Erl. et Gud. 2 conspirant; nisi quod ille *agetur*, hic *agitur* refert. Basil. *in* quidem habet, sed *ea* æque omittit, et *agatur* scribit. Inde hæc oritur lectio, quam edidimus: ejusque sententia maxime pronomine *quibusdam* nititur, cujus comprobandi vim, si substantivo suo præmittitur, supra docuimus. Adde his ea loca, quæ passim ad Acadd. notavimus, quibusque idem hoc pron. audacius dicta emollire intelligitur; cf. ibi ind. Ita vix dubitabis, recte nos scriptis ducibus vv. *in* et *ea* ejecisse, vulgatamque *agatur* reduxisse, h. sens. « ut ex regulis quibusdam, tamquam formulis, ut causæ jureconsultorum, ita hæc res philosophorum agatur ». Quod autem Virorum Doctt. rationes ab hac simplici via latius discedunt, ex eo est, quod illi in his ipsis formularum quoddam genus quærebant, atque ad hoc ipsum conjecturas suas dirigebant. Inde idem hoc factum est, ut, si qui codd. illas partes ignorarent, nihil id curaretur. Istas autem a scribis, loci sensum, quem ignorabant, ad suum palatum adjuvantibus, vel potius depravantibus, addi facile potuisse, nihil est, ut doceamus. In

4 disseratur. Hoc positum in Phædro a Platone[3] pro-
bavit Epicurus, sensitque, in omni disputatione id
fieri oportere. Sed quod proximum fuit, non[4] vidit;
negat enim definiri rem placere[5] : sine quo fieri in-
terdum non potest, ut inter eos, qui ambigunt, con-
veniat, quid sit id, de quo agatur; velut in hoc ipso,
de quo nunc disputamus. Quærimus enim finem bo-
norum : possumusne scire, hoc, quale sit, nisi con-
tulerimus inter nos, quum finem bonorum dixerimus,
5 quid finis, quid etiam sit ipsum bonum? Atqui hæc
patefactio quasi rerum opertarum[6], quum quid quid-

duplici *ut* denique aures modo justo delicatiores offendent; cf. infra 15, 50, et Acadd. II, 45, 139.

3. *Hoc positum in Phædro a Platone.* Locus est Phædr. p. 301, Bip. Περὶ παντὸς μία ἀρχὴ τοῖς μέλλουσι καλῶς βουλεύσεσθαι· εἰδέναι δεῖ, περὶ οὗ ἂν ᾖ ἡ βουλὴ, ἢ ἅπαντος ἁμαρτάνειν ἀνάγκη. Hæc græca quomodo ab auctore in prægressis liberius expressa sint, videamus. Περὶ παντὸς μία ἀρχὴ, *omnis oratio*, τοῖς μέλλουσι... συμβουλεύσεσθαι, *in quærendo*, καλῶς, *quæ via quadam et ratione habetur* (ut hæc Cic. sic efferret, invitarunt eum et verba, quæ his subjiciuntur, ἐν ἀρχῇ τῆς σκέψεως, προελθόντες δὲ), εἰδέναι δεῖ, *præscribere primum debet* (*primum* latet in prægresso ἀρχὴ : *præscribere* autem quum posuisset, notionum consociatio fecit, ut de suo adderet, « ut quibusdam formulis res agatur »; *formulam* enim *præscribere* in jure proprie dicitur), « ut, inter quos disseritur, conveniat » (hæc, vel aliud quid, addendum erat, ut εἰδέναι plenius redderetur): περὶ οὗ ἂν ᾖ ἡ βουλὴ, *quid sit id, de quo disseritur.* Reliqua græca, ἢ ἅπαντος ἁμαρτάνειν ἀνάγκη, nihil opus erat, ut separatim exprimerentur, quum supra illis, « via quadam et ratione », quasi compensata essent. Hæc tironum causa comparavimus, quibus nihil, ejusmodi locorum ex utraque lingua contentione, utilius judicamus. Ceterum *ponere* absolute dici, pro « afferre, proponere scripto, disputatione », nube exemplorum docuit Menek. Obss. h. v. p. 763. G.

4. *Quod proximum fuit, non vidit.* Bini mei *sit.* Perperam. Sed vel VV. DD. his in perfectis hærent, quæ ad eum ipsum, cujus mentio injicitur, applicantur, et frequenti usu ponuntur. *Proximum* est *quod proxime inde sequitur.* Græci aptius τούτου ἐχόμενον. G.

5. *Placere.* Pro *placere* referunt Gud. 1 et Bas. *oportere*, sic ut hic eodem loco, ille ante *rem* id ponat. Sed, glossam glossatum expulisse, nemo non videt. G.

6. *Atqui hæc patefactio quasi rerum opertarum.* I. e. « hac ratione, qua dixi, patefiunt quasi res opertæ ». Ne in particulæ *quasi* positu hæreas, construes, « quasi rerum earum, quæ opertæ sunt ». Docuimus enim alibi, adjectiva, in quibus sententiæ vis est,

que[7] sit, aperitur, definitio est : qua tu etiam imprudens utebare nonnumquam. Nam hunc[8] ipsum sive finem, sive extremum, sive ultimum definiebas, id esse[9], quo omnia, quæ recte fierent, referrentur, neque id ipsum usquam referretur. Præclare hoc quidem. Bonum ipsum etiam quid esset, fortasse, si opus fuisset, definisses : aut, quod esset natura appetendum; aut, quod prodesset; aut, quod juvaret; aut, quod liberet modo. Nunc idem[10], nisi molestum est,

quæque sua natura præponi substantivo suo debebant, tum, quum postponuntur, singularis enuntiati instar esse. Quod ne in clausula quidem, sonique sede, mutatur. Cf. § 3 : « admodum delectatus sum ejus oratione perpetua », ubi ex contexto, et ex oppositione, adjectivi vis magis etiam augetur. Sed exempla colligi licebit innomera. Hæc et talia qui parvi æstimant, his semper accessus ad linguæ adyta negabitur. Ceterum aperte errat h. l. Bremi, quum *Atque* suadet : nulla enim loco inest admiratio, quam dicit; requiritur potius particula, quæ objectionem cum consecutione, refutationemque involvat : suo igitur loco *atqui* ponitur. Quamquam per se quidem in assumptione, ut h. l. *atque* recte stabit. Scripti omnes *atqui*. G.

7. *Quid quidque*. Cum vulgata faciunt Erl. et, ni fallor, Spir. reliqui et mei, et aliorum, multis modis peccant : quod in *quidqua*, si *quodcumque* valet, ubique usu venit. G.

8. *Hunc*. Oxonn. E. et ξ. qui sæpe separatim, rarissime tamen ex auctoris genio, sentiunt, *cum* exhibent : id quod haud dubie ex *eum* ortum est. Sed vel hoc vulgata multo deterius est. G.

9. *Id esse*. Recte Matthiæ comparat supra I, 9, 29 (ubi nos vide), varissimeque *id*, ab Ern. addubitatum, ex ea norma defendit, qua hoc pronomen relativi repetendi loco ponitur. Qua quidem ex norma est etiam locus nuper tentatus vindicandus Orat. I, 14, 63 : « Illud verius, neque quemquam in eo disertum esse posse, quod nesciat, neque si id (quod nescit) optime sciat, ignarusque (adde denuo *si* ex meis) sit faciendæ ac poliendæ orationis, diserte, etc. » Eodem modo *idem* ponitur Tusc. III, 15, 31. G.

10. *Modo. Nunc idem*. Distinctionem maximam primus P. Manut. post *modo* transtulit, quum ea prius huic partt. præmitteretur. Sed ante Grut. *Nunc* a vulgatis aberat, adjecta ab hoc ex Pal. 1. Sequuti sunt Davis. et Bremi, at Ern. part. denuo rejecit. *Nunc* servant tres nostri optimi, opponiturque plusquamperfectis, quæ præcedunt, rectissime : esset etiam sine h. part. hiulca oratio. Deinde hærent Davis. et Ern. in *idem*, et *item* malunt : quod, pro hoc dictum, defendit Bremi. Rectius *idem* per *idem tu* explicaris, quum hoc pron. ad omnes personas accommodetur : nam *idem* simpliciter pro *item* dici, quisque negabit, qui diversa mixta nolit. G.

quoniam tibi non omnino displicet definire[11], et id facis quum vis; velim definias, quid sit voluptas: de quo omnis hæc quæstio est.

6 Quasi quis, inquit, sit[12], qui, quid sit voluptas, nesciat; aut qui, quo magis id intelligat, definitionem aliquam desideret.

Me ipsum esse dicerem, inquam, nisi mihi viderer habere bene cognitam voluptatem, et satis firme conceptam animo atque comprehensam. Nunc autem dico, ipsum Epicurum nescire, et in eo[13] nutare;

11. *Non omnino displicet definire.* Tres meorum *finire;* quod sane pro *definire* dicitur: sed de rebus modo in sensus cadentibus; neque sic absolute, ut hoc loco. Ut in unum contraham, simplici verbo *certa rei mensura constitui* dicitur. Nihil igitur hæc lectio huc facit. G.

12. *Quasi quis, inquit, sit.* Gœr. dat: « Quis, quæso, inquit, est ». Ausi sumus, inquit, aliquid; quod tamen harum rerum peritis facile probare posse nobis videmur. Vulgatur, « Quasi quis, inq. sit »: sed *sit* ingenium peperit; scripti ad unum omnes *est* servant. Quum jure inde Davisio recepta lectio suspicionem moveret, ipseque Pal. 1, pro « Quasi quis », « quisquam » exhibere didicisset: hunc sequutus, Grutero auctore, sic edidit, et cum eo Bremi. At in eodem cod. post *quisquam*, *si* additur punctis subnotatum. Simile quidquam Victorium quoque in suis reperisse, inde patet, quod ille *quisquam sit, inquit,* edidit. Jam videamus nostros. Spir. *quisque si*, Erl. *quis quasi*, Gud. 2 *quasi. Quis*. Ex his codd. primariis hoc certe admodum probabile videtur, transpositas voces *quasi quis* sic a posterioribus scribis, quæcumque demum sub *quasi* vox lateat. Scribas certe h. l. miscuisse, vel inde cognoscitur, quod Oxon. E. *quasi* ignorat. et ξ. *quasi talis* præbet. Jam si intellexeris, *quasi*, et *quæso*, etiam alibi a scribis confundi solere, quumque P. Manutium verissima conjectura ita restituisse videris, cf. Att. V, ep. 1: « quid quæso istud erat? » nam codd. ibi omnes *quasi*: anxius vulgatæ custos fueris, nisi conjecturam nostram illi prætuleris, violentius se contra scriptos jactanti. Davisii autem ratio, *quisquam* legentis, respondentis affectui officit. Recte igitur in *quæso* recipiendo fecisse videmur. Ut minus etiam dubites, cf. infra 25, 80, ubi æque peccatum est.

13. *Nescire, et in eo nutare.* Gud. 2 et Bas. *mutare:* unde forte Vien. codicis lectionem, *mutire*, esse aliquid conjicies, quasi Cic. hoc verbo indicari velit, Epicurum non clare et perspicue docere, definitionibus neglectis. At vulgatum verissimum esse intelliges, si *nescire* esse *non accurate scire*, ut sæpe, et *nutare* de eo dici videris, « qui hæret, et, quid statuat, incertus est »; cf. Nat. Deor. I, 43, 120: « Mihi quidem etiam Democritus, vir magnus in primis... nutare videtur in natura deorum ». Ceterum intempestive et sinistre eruditionem

eumque, qui crebro dicat, diligenter oportere exprimi, quæ vis subjecta sit vocibus, non intelligere interdum, quid sonet hæc vox voluptatis [id est, quæ res huic voci subjiciatur[14]].

III. Tunc[1] ille ridens, Hoc vero[2], inquit, optimum, ut is, qui finem rerum expetendarum voluptatem esse dicat, id extremum, id ultimum bonorum; id ipsum, quid sit[3], quale sit, nesciat. Atqui, inquam, aut Epicurus, quid sit voluptas, aut omnes mortales, qui ubique sunt, nesciunt. Quonam, inquit, modo? Quia voluptatem hanc esse sentiunt[4] omnes, quam

suam jactant, qui *natare* legendum commendant. G.

14. *Quid sonet hæc vox voluptatis [id est, quæ res huic voci subjiciatur]*. Petr. Fabr. Semestr. II, p. 358, verba, *id est.... subjiciatur* ex librariorum interpretatione adhæsisse statuit, suffragante Guyeto. Atque Davis. quum eadem ad codicis Mead. oram scripta vidisset, uncos iis adhibuit; sequutique sunt Ern. et Bremi. Sed properantius hi VV. DD. judicavere. Primum enim adhibendæ aures erant, quum prave sic totius sententiæ clausula exeat. Ipsi sane ex nudo sensu sua sponte vidissent, scribendum tum auctori fuisse: « quid hæc vox voluptatis sonet ». Deinde iidem nobis linguæ interioris perquam peritum glossatorem sistunt, quippe qui *res*, pro *notione*, et *subjiciatur*, græcorum aoristorum modo, pro *subjici soleat*, ponat. Scripsisset ejusmodi homo haud dubie non *res*, sed *vis*; ut tot edd. vett. ex ignorantia veræ vocis exhibent. Addidit autem hæc Cic. ob verbum *sonet*, quod insolentius positum, explicatione ipsi egere videbatur. Sæpe autem in prioribus Voll. hunc auctoris morem illustravimus, quo ille in vel levi ambiguitate enuntiatum addere solet, unde prægressa explicatius reponantur. Cf. v. c. Acadd. I, 2, 6. G.

III. 1. *Tunc*. Gœr. *Tum*. Sic, inquit, scripti nostri omnes, cum Marso aliisque vett. excusis, mutari jusserunt.

2. *Hoc vero... optimum*. Sc. *sit*. De adject. hoc, ex ironia posito, vide supra I, 7, 25. G.

3. *Id ipsum, quid sit*. Gœr. « Id ipsum quidem ». Sequuti sumus, inquit, Davisii exemplum, dedimusque vulgati, *quid sit*, loco, ex Pal. 1, *quidem*, quam jam Gruterus lectionem probarat, nostris illis Erl. et Spir. eamdem amplectentibus. Asseverat autem h. l. *quidem*, ut sæpe, aptissime: nam vulgata vix sine Rathii, *quid et quale sit*, correctione stabit; quæ ita superflua redditur. Vitium ex compendio vocis *quidem* derivabis: inde quum semel *quid* scriptum esset, *sit* sua sponte adjecerunt librarii.

4. *Hanc esse sentiunt*. Gœr. delet *esse*. Caret, inquit, verbo subst. Spir. transponunt idem Gud. uterq. et Bas. post *omnes*: ut dubium non sit, librarios hoc ideo inculcasse, quod « voluptatem esse dicat », paullo ante (sed

sensus accipiens movetur, et jucunditate quadam perfunditur.
7 Quid ergo? istam voluptatem, inquit[5], Epicurus ignorat? Non semper, inquam. Nam interdum nimis etiam novit, quippe qui testificetur, ne intelligere quidem se posse, ubi sit, aut quid sit ullum bonum, præter illud, quod cibo, et potione[6], et aurium delectatione, et obscœna voluptate[7] capiatur[8]. An hæc ab eo non dicuntur? Quasi vero me pudeat[9], inquit,

alio sensu) præcessisset. At hoc loco non agitur voluptatem, qualem docet Epic. vere esse; sed vere sentiri omnibus. Adde quod Cicero, si *esse* addi voluisset, sic scriberet, *esse voluptatem h.* etc. Nihil igitur ambigi debet, recte illud esse deletum.

5. *Quid ergo? istam volupt. inquit.* Gœr. *Quid? ergo* etc. Primo, inquit, interrogandi signum, quod vulgo negligitur, a Bremio autem post *ergo?* collocatur, nos ad *Quid?* applicavimus. Certa enim hæc interpunctionis regula scribi debet, in ipsa quippe linguæ natura fixa et fundata, *Quid ergo* si scribitur, rogationis notam ad *Quid?* pertinere, nisi partt. illæ, *num*, *ne*, *an*, et *non*, si pro *nonne* dicitur, etc. sequantur; tum enim recte *ergo* sibi illam vindicare. Alibi de universa pron. *quid?* structura de industria agemus: nunc quidem vide Tusc. III, 20, 46, ut recte Wolf. distinxit, Acadd. I, 4, 13, etc. Deinde omnes codd. *inquit* ante *istam* retrahunt, præter illum Pal. 1, cui, ut solent, Erl. et Spir. accedunt: unde sic primus Gruterus. Cujus transpositionis duplex causa cogitari potest: vel enim scribas verbum hoc, tam alte repositum, offendebat, ut infra § 9, et sæpius: vel ipsum exciderat, quod toties ex compendio solet, atque ita ad arbitrium scribarum repositum est.

6. *Quod cibo, et potione.* Gœr. *aut pot.* Recte sic, inquit, restituit Bremi, Davisio *et* corrigente; quum hæc ad unum voluptatis genus referantur. Adde quod in ipsis Epicuri verbis hæc duo comprehensim διὰ χυλῶν ἡδοναὶ dicuntur, eaque ipsa, *quæ sapore percipiuntur*, in Tusc. disp. l. l. vertuntur.

7. *Obscœna voluptate.* Est, quæ dictu turpis est; ne putes hunc locum contra verissimam Wyttenbachii observationem valere, *obscœnus* magis de verborum, quam rerum turpitudine dici. Cf. Bibl. Crit. P. VIII, p. 76. G.

8. *Ne intelligere quidem . . . capiatur.* Hæc ex libro Epicuri περὶ τέλους a græcis scriptoribus sæpe laudantur. Vid. Laert. X, 6: Οὐ γὰρ ἔγωγε ἔχω τί νοήσω τἀγαθὸν, ἀφαιρῶν μὲν τὰς διὰ χυλῶν ἡδονὰς, ἀφαιρῶν δὲ καὶ τὰς δι' ἀφροδισίων, καὶ τὰς δι' ἀκροαμάτων καὶ τὰς διὰ μορφῆς. Eadem ter refert Athenæus VII, p. 208, qui post μορφῆς ibi plenius addit, κατ' ὄψιν ἡδείας κινήσεις. Cf. eumd. ibid. p. 278, et XII, p. 546, itemque Hesych. Illustr. p. 29. Cicero ipse, qui eorumdem sæpius mentionem facit, plenius et accuratius ipsa vertit Tusc. III, 18, 41. G.

9. *Quasi vero me pudeat.* *Vero* itidem ex solo Pal. 1 profectum, iis-

istorum, aut non [10] possim, quemadmodum ea dican-
tur [11], ostendere. Ego vero non dubito, inquam, quin
facile possis : nec est, quod te pudeat sapienti assen-
tiri, qui se unus, quod sciam, sapientem profiteri sit
ausus. Nam Metrodorum non putant ipsum profes-
sum [12]; sed, quum appellaretur ab Epicuro, repudiare
tantum beneficium noluisse. Septem autem illi, non
suo, sed populorum suffragio omnium nominati sunt.
Verum hoc loco sumo, verbis his eamdem certe vim 8
voluptatis Epicurum nosse [13], quam ceteros. Omnes

dem binis nostris et Crat. confirmatur; quam a Grutero receptam, non bene Davis. ex inani illa causa rejicit, quod eadem paucis post recurrat. Id enim movit V. D. ut vocem baud agnosceret, quo eam nos magis etiam amplectimur. Quis enim nescit, easdem in sermone partt. ab eo, qui respondet, data opera, repeti solere? Clarius id nostro ex idiomate patebit. Cicero vultu malignius subridente ex Torquato quærit, numne ita vere Epicurus? Tum T. *Ey gleichsam als ob ich mich deshalb zu schämen hätte*... Jam C. *Ey ich bin überzeugt*, etc. Vides, eamdem ironiæ umbram eadem voce ab utroque recte signari. Probamus igitur Ern. et Brem. qui *vero* revocarunt. G.

10. *Aut non.* Quæri liceat, anne potius *ac* legendum, quum Latini propria structura *quasi vero*... *ac*, vel *et non* jungant. Cf. Tursell. ibique Schwartz. p. 675, seq. Nos certe h. l. de particulæ *aut* veritate dubitamus. G.

11. *Quemadmodum ea dicantur.* Iidem bini illi nostri *ista* referunt. Malim tamen *ea*, i. e. talia, retentum, quum *ista* ex prægresso *istorum* correctum videatur. Accedit, quod *is*, post *ille*, *iste*, *hic*, cum quadam redundantia addi solet, ut ubique VV. DD. notant. G.

12. *Non putant ipsum prof.* Gœr. *non puto ips. prof.* Jam, inquit, Grut. ex Pal. 1, *puto* notatum, et pro vulg. *putant* reponendum, commendavit. Eamdem lectionem refert, præter binos illos, Gud. 2, atque ita in margine Crat. Recte: nam *professum* sic capies, ut, in rectam orationem si mutaris, *professus esset* sonet, et ad Metrodori voluntatem applicetur. Nam res ipsa non est opinionis, sed vere facti: male inde *putant* convenit. — Metrodorus erat princeps discipulorum Epicuri, cum quo arctissima amicitia jungebatur. Ex quo Epicurum novit, ab eo numquam per totam vitam nisi sex menses divertit: obiit annos natus 53, septem ante annos quam Epicurus obiret.

13. *Verbis his.... nosse.* Gœr. *notasse.* Ita, inquit, ex Davisii, Ernestio probata, conjectura, pro vulgato *nosse*, dedimus, quippe quod ex compendio, lineola neglecta, pravari sic facillime potuerit; ut item sæpe *notatio* ex *notio* solet. Nam ea ratio, quam iniit Bremi, quæque Rathio placet, ut voces *verbis his* in glossa ponantur, minus ad contexta convenit. Hæc enim ex prægres-

enim jucundum motum, quo sensus hilaretur[14], græce ἡδονὴν, latine voluptatem vocant. Quid est igitur, inquit, quod requiras? Dicam, inquam, et quidem discendi causa magis, quam quo te, aut Epicurum reprehensum velim. Ego quoque, inquit, didicerim libentius, si quid attuleris, quam te reprehenderim.

Tenesne igitur, inquam, Hieronymus[15] Rhodius quod dicat esse summum bonum, quo putet omnia

sis ita procedunt. Loco illo Epicuri pronuntiato, quærit Cic. numne Torquatus verba magistri agnoscat. Hic, nihil iis inesse, regerit, quod ipse non recte defendere possit. Tum ille, se nihil dubitare, quin hic id facile possit: sed sumere sese jam, *istis Epicuri verbis* eam voluptatem Epicuro intelligi, quæ vulgari notione dicatur. Notione nunc voluptatis arrepta, latius divagatur, usque demum cap. 5 in gyrum redit. Sic invitus vocibus illis carebis. Attende jam, quam jejunus, his omissis, locus ipse evadat; quum non sermo esse possit de vi voluptatis, quam Epicurus *norit*, sed quam ipse *amplectatur*. Quomodo autem Bremi contexta sic jungere possit: « minime se quidem dubitare, Epicurum eamdem vim voluptatis percepisse, quam ceteros », quoque modo hunc sensum acutum subtilemque dicere possit, hac loci natura, prorsus non intelligimus; ne moneamus, *nosse* et *percipere* nimis differre, quam ut sic conveniant. — At dicendi formam, « notare verbis vim alicujus rei », duram vocat! — Quasi hæc ipsa non puram putam latinitatem spiret! Nam qua primum alia ratione vis et natura rei cernitur, quam *notis* ejus accurate observatis, i. e. signis iis, quibus rem ipsam discimus? Deinde *notæ rerum* plus quam semel Ciceroni *verba* vocantur, ut res ipsa quoque sic se habet. Quid igitur obstat, quo minus dictio, *notare* (indicare) *verbis vim al. rei*, ex intimo latinitatis fonte hausta dicatur? Dicitur autem sæpe multum, « notare aliquid verbis, vocabulis, nominibus », cujus generis loca Davisius collegit. Bremii autem liberalitatem, qua in nostram rem, Orat. II, 41, 174, verba *novi notas*, ex *notavi* corrupta statuit, ita accipimus, ut *notavi notas* corrigi jubeamus. Nulla enim causa est, cur interpp. hunc græcismum in Cicerone respuant, quum hic sæpius *vitam vivere*, sæpius *facinus facere*, v. c. infra 29, 95, quum *lætari lætitia* supra I, 20, 67, *jurare jusjurandum* ad Divv. V, ep. 2, scribat, etc.

14. *Hilaretur.* Ita Nonius in hoc ipso vocabulo Erl. et Spir. cum Pal. 1, *hiaretur*, atque sic etiam vetus exemplar apud Crat. *hilarent* Bas reliqui *hiarent*. Vulgatum, quod verissimum est, Gruterus primus in textu reposuit. G.

15. *Hieronymus Rhodius.* Hic vocatur Peripateticus a Diogene Laertio in vita Arcesilæ, et ab ipso Cic. Orat. c. 56, seu quod Aristotelis fuerit discipulus, seu quod solum ejus disciplinam sequutus fuerit in plurimis.

referri oportere[16]? Teneo, inquit, finem illi videri, nihil dolere. Quid? idem iste de voluptate quid sentit? Negat esse eam, inquit, propter se ipsam expe- 9
tendam[17]. Aliud igitur esse censet gaudere, aliud non dolere. Et quidem[18], inquit, vehementer errat. Nam, ut paullo ante docui, augendæ voluptatis finis est, doloris omnis amotio. Non dolere, inquam[19], istud quam vim habeat, postea videro: aliam vero vim voluptatis esse, aliam nihil dolendi, nisi valde pertinax fueris, concedas necesse est. Atqui reperies, inquit, in hoc quidem pertinacem[20]; dici enim nihil potest verius. Estne quæso, inquam, sitienti in bibendo voluptas? Quis istud, inquit, posset negare[21]? Ea-

De eo vide plura infra, V, 5, § 14.

16. *Summum bonum, quo putet omnia referri oportere?* Putat Davis. adhæsisse ex glossemate hæc, *quo... oportere*: quæ Bremi sic defendit, ut superflua dicat, nulla abjiciendi necessitate. At nos ea ipsa ad mentem auctoris pæne necessaria judicamus. Nam summum bonum dicere aliquid licet, in quo non finem bonorum ponas: quare his adjectis significare auctor id ipsum bonum voluit, in quo esset bonorum finis. Adde huc etiam, quod superlativi Latinorum Græcorumque non plenam nostrorum vim habent, nisi in suni loco posita, sed potius *valde*, *admodum* valent. Posuit autem Cicero definitionem pro voce *rei* ipsa, ut sæpe solet. G.

17. *Propter se ipsam exp.* Ignorant tres optimi mei, bini Oxonn. et alii aliorum, *ipsam*. Nec valde desiderabis; inprimis quum alias *ipsam per se expetendam* auctor dicat. Cf. supra I, 9, 31, etc. G.

18. *Et quidem*. Multi codd. *equidem*. Inde puta, quod scribæ nec *Et* adversantis, nec *quidem* asseverantis vim norant: quippe quæ *Sed sane* notent. G.

19. *Non dolere, inquam, istud.* Præmittitur his in multis codd. binisque nostris *eum*; pauci *Tum*, atque ita prius vulgata. Lamb. ingeniose sane *Tuum* scribit, ut v. c. *scire tuum nihil est*, dicitur, etc. At *cum* ex eo ortum est, quod vetusti codd. *dolore* peccant, ut tres mei optimi, quorum Erl. et Spir. *eum* ignorant, Gud. 2 autem *eum vero dolere*, *non* in *vero* mutata, exhibet. Vulgata vera est, et *Non dolere*, substantive pro *indolentia* positum, consulto præmittitur, quum in hoc sententiæ vis sit. G.

20. *In hoc quidem pertinacem.* Facile addi *me* posset, ut Bas. post *quidem* habet: sed nihil opus est; sæpe ita subaudiendum. Cf. Orat. 7, 27: « Sed ego idem.... recordor, longe omnibus unum (*me*) anteferre Demosthenem ». G.

21. *Quis istud, inquit, posset negare?* Gœr. dat *Quis ista, inquit, possit n.* Ita, inquit, referunt tres optimi nostri: *ista* quoque Bas. habet. Vulgatur *quis istud... posset neg.* In hoc

demne, inquam[22], quæ restincta siti? Immo alio genere. Restincta enim sitis[23] stabilitatem voluptatis habet, inquit[24]: illa autem voluptas ipsius restinctionis in motu est. Cur igitur, inquam, res tam dissimiles eodem nomine appellas? Quid paullo ante, inquit, dixerim, nonne meministi[25], quum omnis dolor detractus esset, variari, non augeri voluptatem? Memini vero, inquam. Sed tu istuc dixti[26] bene latine, parum

prou. si ita plurinm nnmero ponitur, offendunt etiam VV. DD. quid scribas mireris? v. c. Tusc. I, 6, 12: « Nnn snm ita hebes, nt istnd dicam », nbi eomplnres codd. tresque nostri, *ista*. Recte: notat enim, *hæc et talia*, nos *so etwas* dicimus. Præcesserat ibi non ita mnlto ante, « Jam mallem Cerberum metneres, qnam ista tam inconsiderate diceres ». Dixerat: *et tamen miseros* (pnta mortuos) *ob id ipsum, quia nulli sunt;* ibid. 11, 23: « nihil est enim apnd istos (i. e. Democritum, qui præcesserat, et tales), qnod uon atnmorum turba eonficiat ». Ex his patet, hae scriptorum auctoritate, *ista* hoc quoqne loco Cieeronis esse. *Possit* maluerat jam Ern. quamqnam *posset*, mnltorum locorum exemplo, defenditur, si h. l. cogites, *si etiam vellet*. Sed peccant scribæ cum vulgata, non cnm recepta lectione. In scriptis denique multis desideratur h. l. *inquit*, ut in potioribus proximo loco: qnod, in his brevibus quæsitorum responsorumque incisis verum pnto. Ita auctor paullo ante sæpius *inquam* omisit. Sed librarii nimis turbant in *inquam*, vel *inquit*, ponendo, vel omittendo: et, qnod in sequentibus iterate additur, id hand dubie anetoris est.

22. *Eademne, inquam*. Davisii jnssn, Bremi *inquam* omisit: qnod tamen ibi tres optimi nostri servant. G.

23. *Restincta enim sitis*. Gnd. 1, Bas. Vien. Oxonn. E. V. χ. editique vett. cnm Mars. Crat. complnres, *Nam restincta sitis*. Non male. Sed in talibus a potiorum codd. partibus standnm, qni cnm vnlgata facinnt. Continuo post verba « stabilitatem volnptatis habet, iuqnit », in utroque Gndiano sie leguntnr, ut v. *habet* his legatur, interposito in primo, pnneto maximo; in secundo, interrogandi signo. Videntur nempe etiam h. l. in *inquit* tam alte rejecto scribæ offendisse. Cf. snpra § 7. G.

24. *Inquit* ante *illa* a Spir. et Erl. abest. Sed offenderunt scribæ in ejus positu, ut solent, si in elansula reperitur. Cf. Acadd. I, 12, 43, et infra § 11. G.

25. *Quid... dixerim, nonne meministi*. Bremi pro *nonne* legendum *non* jndicat. Non male, nam sic sæpe *non* pravatnr. Tusc. I, 8, 17: « Quid? si te rogaro aliquid, non respondebis? » nt, pro *nonne*, nuper Wolf. restitnit. Sed correctione nihil opus, qunm constructio hæc sit, « nonne meministi, qnid... dixerim ». Est enim frequentissimus auctoris mos, ante *nonne*, etc. notinnem primariam præmittere, quæ, ut sæpe, integrum enuntiatum complet. G.

26. *Dixti*. Hæc vetus forma item in Erl. et Spir. est, ut eam Grut. ex Victor. et Pal. 1 recepit. Ciceronem

plane. Varietas[27] enim latinum verbum est, idque proprie quidem in disparibus coloribus dicitur; sed transfertur in multa disparia. Varium poema, varia oratio, varii mores, varia fortuna. Voluptas etiam varia dici solet, quum percipitur ex multis dissimilibus rebus; dissimiles efficientibus voluptates[28]. Eam si varietatem diceres, intelligerem, ut, etiam non dicente te[29], intelligo. Ista varietas quæ sit, non satis

ab ea non abborrere, notum est, cf. Nat. Deor. III, 9, 23, eademque haud dubie pluribus adhuc in locis oblitterata latet. Ita certe Divin. II, 31, 66, ex binis meis, in quibus idem ille Err. est, in verbis, « apes eas, quas dixisti », restituenda videtur. Quamquam in hac re judicium difficillimum est, quum id quoque ex neglecta compendii nota ortum suum traxisse possit. G.

27. *Varietas*, etc. Quod de verbo *variari* monetur, idem plane cadit in verbum ποικίλλεσθαι (ποικίλος enim de colorum æque varietate, unde ποικίλον, sc. ἔνδυμα, ποικίλη, sc. στοὰ, et translate, ποικίλον μέλος, ποικίλος λόγος, ποικίλα ἀνθρώπων ἤθη, etc.), quod verbum Epicurus eadem de re sæpius, κυρίων δοξῶν XVIII, XXXIX, etc. Laert. X, 144 et 149. Accedit, quod Torquatus satis accurate supra loquutus erat. Cf. I, 11, 38 : « ut postea variari voluptas distinguique possit, amplificari augerique non possit ». Inde non plene capimus, cur Cicero h. l. magis in bona latinitate vitium quærat, quam in obscuriore Epicuri dicendi ratione. G.—Sed videtur sic Epicuri vituperationem cum hujus defensore communicare voluisse.

28. *Ex multis dissimilibus rebus, dissimiles efficientibus voluptates*. Gœrenz dat *e multis diss. r. dissimiliter eff. v.* notatque : pro vulgata *ex*, omnium nostrorum jussu, *e* dedimus : nec aliter Crat. aliæque. Ita sæpius auctor, *unus e multis*. — Deinde pro *dissimiliter* (quæ diu fuit vulgata lectio), Grut. ex Pal. 1, *dissimiles*. Sed non plena fide videtur egisse vir optimus : nostri enim bini, fidissimi hujus sectatores, servant quidem sic; referunt tamen etiam *efficientes*. Id quod indicandum erat, quoniam sic corruptus in his locus cernitur. Redeundum igitur, ut etiam Bremi fecit, ad prius vulgatam, quæ vel ipsa se defendit. Amat enim Cic. adverbia in *ter* exeuntia, et ipse sibi vario modo talia fingit. Corrumpi autem ea frequenter a scribis solent : ut nuper Schütz. recte Orat. III, 52, 201, *innumerabiliter* pro *innumerabiles* e Gud. A. restituit. Non recte igitur hoc loco Davis. et Ernest. Grutero paruerunt. At Gud. 2, et Bas. cum tribus Oxoon. aliisque alior. *afficientibus*. Inde facile quis locum nondum perpurgatum, sed *voluptates* ex glossemate adhæsisse, et, h. v. deleta, legendum, *dissimiliter afficientibus*, putarit; idque sane auribus adsentientibus. Sed cautius h. l. versandum esse monent paullo inferius posita : « esse in motu voluptatem, qui faciat varietatem voluptatum ». G.

29. *Etiam non dicente te*. Fr. Gronovius, ex eo quod in suis *non* de-

perspicio, quod ais[30], quum dolore careamus, tum in summa voluptate nos esse : quum autem vescamur iis rebus, quæ dulcem motum afferant sensibus, tum esse in motu voluptatem, qui faciat[31] varietatem voluptatum; sed non augeri illam non dolendi voluptatem. Quam cur voluptatem appelles, nescio[32].

11 IV. An potest, inquit ille[1], quidquam esse suavius, quam nihil dolere? Immo sit sane nihil melius, inquam (nondum enim id quæro[2]), num propterea[3]

esset, *indicente* suasit, quia sane reliquos codices negativam præstare nesciebat. Vide eum ad Tit. Livium, XXII, 39, 2.—Omnes nostri *non* servant. G.—Gud. 2, et Bas. *te* ante *non* collocant, sed pravo positu. Offendit enim scribas *te* postpositum, quod cum vi clausulam occupat; licet etiam auctor pares syllabas jungere amet. Att. V, ep. 19, *libente te*, etc. G.

30. *Quod ais*. Davis. *quod* deleto, distinctionem maximam poni jubet : sed *quod* est, « quod attinet ad id, quod », et auctor levi anacoluthо sic scripsit, ut notio primaria præponeretur, pro « quam ais varietatem, eam, quæ sit, non satis perspicio ». G.

31. *Qui faciat*. Sic conjecit Davis. quum ante *quæ* legeretur, taciteque eum sequutus est Ern. Recte. Neque aliter hini illi nostri; sic, ut hoc in Pal. 1, quicum plerumque hi libri consentiunt, Gruter. neglexisse videatur. G.

32. *Quam cur voluptatem appelles, nescio*. Recte coercuit Bremi Ernestium, qui hæc alterius interloquentis esse putat : sed ipse non accurate vidit, quæ hunc moverint, ut sic statueret. Non enim ille assequebatur, qua ratione *quam* contexta jungeret. Dubitamus etiam, an id Bremi satis ipse perspexerit : vix enim tum ante *quam* virgula distinxisset. Recte Ern. punctum minus posuerat : nam *quam* pro *sed eam* dicitur frequenti exemplo. Cf. Nat. Deor. I, 23, 65 : « Abuteris ad omnia atomorum regno : hinc, quodcumque in solum venit, ut dicitur, effingis, atque efficis. Quæ primum multæ sunt, etc. » Eodem modo Cluent. 12, 35 : « quæ nuptiæ non diuturnæ fuerunt ». Acadd. II, 35, 113 : « a quo primum quæro, etc. » G.

IV. 1. *Inquit ille*. Gœr. *ille* uncis includit. Pravo, inquit, in positu nostri omnes cum vett. impressis plerisque conspirant, *ille inquit*, referentes. Nam, nisi penitus fallimur, nusquam auctor pronomen proxime ante *inquit*, sed uno, vel pluribus verbis interjectis. Cui rei adeo confidimus, ut, si quo loco ita legatur, eum locum corruptum judicemus. Spurium inde *ille* videtur et abjiciendum : idque magis, quum ubique, et toties hoc in libro, *inquit* absolute ponatur.

2. *Nondum*... *quæro*. Ibi Gœrenz, alias tam frequens in addendis parentheseos signis, parentheseos signa sustulit h. l. non inopportuna : quæ, ut nobis videtur, melius tot in locis non addidisset.

3. *Propterea*. Præter Eri. et Spir. omnes mei, aliique aliorum, vel *proprie*, ut Gud. 2 et Bas. vel *prope* peccant, quod etiam in edd. vett. plerisque

idem voluptas est, quod, ut ita dicam[4], indolentia?
Plane idem, inquit[5], et maxima quidem, qua fieri
nulla major potest. Quid dubitas igitur, inquam,
summo bono a te ita constituto, ut id totum in non
dolendo sit, id tenere unum, id tueri, id defendere?
Quid enim necesse est[6], tamquam meretricem in ma- 12
tronarum cœtum, sic voluptatem in virtutum conci-
lium adducere? Invidiosum nomen est, infame, suspe-
ctum[7]. Itaque hoc frequenter dici solet a vobis, non

legitur. Ex communi pæne compendio puta. G.

4. *Quod, ut ita dicam, indolentia?* Lambin. in cod. aliquo vetusto *indoloriam* se reperisse ait, eamque vocem Ciceroni vindicat Sidonius Apoll. in Epist. carmini XIV præfixa, bis verbis: « essentiam, nec non et indoloriam nominavit (Cicero), addens: licet enim novis rebus nova nomina imponere ». Et eadem sane voce, teste Davisio, sedulus auctoris imitator Augustin. de Moribus Eccles. Cathol. I, c. 5, utitur. Sed hoc verbum rejicit Muretus VV. LL. XV, c. 20, et apud ipsum Sidon. *indolentiam* reponi jubet. Causam, cur hic id fecerit, haud facile augurari posse Bremi putat. Nos quidem eam haud obscure videre nobis videmur: aures enim elegantissimi viri vocem respuebant, quippe quam ne nostræ quidem ferant. Nihil tamen secius hac in mira συμβλήσει audiendus Lambini codex foret, nisi viri ingeniosi fides, justis de causis, et multis locis, haud parum labefactata nobis esset: quod ad libb. de Legg. inviti non semel significavimus. Neque ista hoc loco testaremur, nisi illa labes latius pateret, et satis multa Cic. loca ex sola Lambin. codd. diversitate, eaque ab illa reliquorum mire discrepante, correcta legerentur. Id quidem hunc ad locum aperte profiteri nostri officii esse duximus. Itaque non prorsus negatum volumus, Ciceronem loco aliquo voce *indoloria* usum fuisse, ut Epicuri ἀπονίαν exprimeret: sed h. l. nullam necessitatem videmus, cur ita edatur, quum ne Sidonius quidem ad hæc contexta respexisse videatur. Accedit, quod alias infra § 19, *indolentia* non sine omni excusatione introduceretur: nam h. v. a Cicerone novatam esse, Bremio monente, refert Nonius h. v. Forte bis binis vocibus Epicuri ἀναλγησίαν et ἀπονίαν distingui voluit, quibus hic utrisque utitur. Sed in his conjecturam κενεμβατεῖν nemo non videt. Inde vide, quantum Allemanno fidendum sit, qui, quum *indoloriam* Lambini exemplo recepisset, *indolentiam* vocem Ciceronis ævo tritam dicit, sic ut nulla excusatione in ea ponenda opus fuerit! G.

5. *Plane idem, inquit.* Ignorant Spir. Erl. et Bas. *idem*, quod non de nihilo videtur. Forte ob præcedd. syllabas *Ita* excidit, et tum a scribis *idem* additum. Ita certe auctor loqui solet. Cf. Tusc. I, 7. Paucis post, iidem æque codd. cum pluribus ante *constituto*, *ita* nesciunt. G.

6. *Quid enim necesse est.* Tres nostri *est* ignorant, Gud. 1 transponit. Sed facile excidere potuit, et rarissime ad *necesse* subauditur. G.

7. *Invidiosum... infame, suspe-*

intelligere nos, quam dicat Epicurus voluptatem. Quod quidem mihi si quando dictum est (est autem dictum non parum sæpe), etsi satis clemens sum in disputando, tamen interdum soleo subirasci. Egone non intelligo, quid sit ἡδονὴ græce, latine voluptas? utram tandem linguam nescio? Deinde, qui fit, ut ego nesciam, sciant omnes, quicumque Epicurei esse voluerunt? quod vestri quidem vel optime[8] disputant, nihil opus esse, eum, qui philosophus futurus[9] sit, scire literas. Itaque, ut majores nostri ab aratro abduxerunt[10] Cincinnatum[11] illum, ut dictator esset;

ctum. Ante has voces ex nostria quoque Gud. uterque et Bas. tres Oxonn. « sed forte dicitis » præmittunt; quæ tameu reliqui duo ignorant. Ex his Lambin. *sed* retinuit: at cum Grutero, qui e Pal. 1 vulgatam correxit, recte faciunt intt. reliqui præter unum Rathium, qui « sed fortiter dicitis » corrigit; sed uisu inani. Iidem illi bini nostri quoque *infame* confirmant, referunt enim *insane.* Gud. 2, et Bas. *infamiæ* sine *et* exhibent. Ante Grut. *et infamiæ* edebatur. De reliqua loci ratione recte judicavit Bremi: modo ne *suspectum* sollicitasset. Nam nihil mirum est, si, ex quo *infamiæ* peccatum esset, *subjectum* quoque mutaretur. Sensus autem est, « nomen hoc iis, qui ipso utuntur, invidiam creat, infamiam contrahit, et opinionem hanc probabilem reddit, a re eos non alienos esse, qui in nomine usurpando nihil sibi cavent ». Ita *suspectum* recte stabit. Potest enim quis invidia infamiaque flagrare, et tamen non vere *suspectus* esse. Adde, quod hi scripti in *suspectum* nihil peccant, qui reliqua recte efferunt. G.

8. *Quod vestri quidem vel optime disputant. Quod... quidem est, quoad hoc... sane*, de qua relativi vi VV. DD. passim monent. Nihil igitur dicunt Davis. et Ern. qui *quod* tentant, ut Bremi et Matthiæ viderunt. De adv. *optime*, ironica vi accipiendo, cf. Acadd. II, 36, 115. Adject. *optimus* sic dici, bis supra vidimus. G.

9. *Qui philosophus futurus sit.* Gœr. *qui futurus sit philosophus.* Hoc, inquit, ordine cum tribus optimis nostris edidimus: vulgatur, « qui philos. futurus sit ». Illa lectio, loci ratione convenientius, vocem enuntiati primariam in clausula ponit; eamque etiam vel nudæ aures præferunt.

10. *Abduxerunt.* Cogites *persuadendo*, quum ipse sua sponte nollet: ita securatius hoc verbum ad Epicureorum, sectam suam augendi, conatus aptatur; atque ita *colligitis*, quod sequitur, erit, « coaquiritis undique, vel ex infima sorte hominum, quibus vestram philosophiam probetis ». *Ut... sic* in oppositione contrariorum dici, supra vidimus I, 1, 3; optime autem hanc comparationis rationem ironiæ inservire, per se patet. G.

11. *Cincinnatum.* De quo vid. Liv. lib. III; Val. Max. lib. IV, ubi plura in ejus laudem narrantur.

sic vos de Pelasgis[12] omnibus colligitis bonos illos quidem viros, sed certe non pereruditos[13]. Ergo illi 13
intelligunt, quid Epicurus dicat, ego non intelligo? Ut scias me intelligere, primum idem esse voluptatem dico, quod ille ἡδονήν[14]. Et quidem sæpe quæri-

12. *De Pelasgis.* Id est, de rusticis. Murat. —Vide Victorii Var. Lect. I, 10; Turnebi Advers. IV, 8. — Gœr. dat *de pagis omn.* Ita, inquit, pro vulgato *Pelasgis* edidimus, quod, profectum a Victorio, per se jam, hac in comparatione, solaque conjectura nisum, parum probabilitatis habet. Debebat enim comparatum vel ad omnes omnino Epicureos, qui tum vivebant, vel certe ad eos, qui Romanorum hanc philosophiæ familiam sectabantur, referri: ab utraque parte Pelasgi isti, qui Græcorum Italiam colentium fuisse dicuntur, male quadrabunt. Jam plus quam probabile est, hos *Pelasgos* ipsos errori deberi, sive scribarum, sive scriptorum veterum ipsorum. Rathius enim nuper, examinata Victorii sententia, satis clare docuit, loca illa Stephani Byzant. p. 721, Pined. et Eustathii ad Dionys. v. 535, quibus hæc de Pelasgis, Italiotarum mancipiis, sententia nititur, parum auctoritatis habere; primo posteriorem ex priore haustum esse (vel certe utrumque ex communi fonte ista repetisse): deinde in utroque πιλαγὰς, non Πελασγοὺς intelligendos: quamquam nos equidem Eustathium ipsum ex prava lectione, græcis librariis facillime admittenda, deceptum, sic vere scripsisse judicamus, quippe quem in aliis quoque Italiam spectantibus rebus vagum et parum versatum intellexerimus. Sed quo demum modo de istis statuas, hoc sane certissimum planeque exploratum videtur, Ciceronem h. l. de *Pelasgis* istis nec cogitasse, nec cogitare potuisse, quorum etiam apud reliquos auctores nulla prorsus mentio injiciatur. Scripti libri optimi quique *plagis* exhibent, ut ex nostris Erl. Spir. Gud. 1, cum quibus vett. editi plerique faciunt: alii cum Gud 2 et Bas. variant *pelagis*, Oxon. X. *phigis*. Reliqua hæc codd. discrepantia e communi olim lectione *plagis* orta, et hæc ipsa a scribarum ingenio repetenda videtur, ut ex *omnibus terræ regionibus* exprimeretur. Ne vero hanc ipsam esse aliquid putes, notabis, probatum scriptorem nullum *plagas* simpliciter ponere, ut *terræ*, vel *cæli*, intelligatur: neque sic quidem bene comparationis (ut Rath. quoque vidit) ratio constabit; quum *pagis*, Eliensis 1 auctoritate firmatum, cum reliquo contextu egregie conspiret. Jam respondent sibi *ab aratro*, et « de pagis omnibus »; *Cincinnatum*, et « bonos illos viros »: ut vix dubitari liceat, esse lectionem hanc unice veram. De *pagis* cf. Ern. Clav. voce *paganus*.

13. *Non pereruditos.* Erasmus in Adagio, *More Romano*, legit hic, *non semper eruditos:* inepte, ut solet. Murat.

14. *Idem esse volupt. dico, quod ille ἡδονήν.* Gœr. « idem esse dico volupt. quod, etc. » Is ordo, inquit, quem prætulimus, primo nostrorum, præter Gud. 1, omnium est, plerorumque vett. editorum: deinde amat auctor verba dicendi acc. cum inf. interposita, ut sæpe docuimus; vide Acadd. II, 23, 72; cll. supra Fin. I, 1, 1; ibid. 16, 53. Scribæ tum sæpe

mus verbum latinum par græco, et quod idem valeat : hic nihil fuit, quod quæreremus. Nullum inveniri potest, quod magis idem declaret latine, quod græce ἡδονὴ [15], quam declarat voluptas. Huic verbo omnes, qui ubique sunt, qui latine sciunt, duas res subjiciunt [16], lætitiam in animo, commotionem suavem jucunditatis in corpore. Nam et ille apud [17] Trabeam, voluptatem animi nimiam [18], « lætitiam » dicit, eamdem, quam ille Cæcilianus, qui « omnibus lætitiis lætum esse se » narrat. Sed hoc interest, quod voluptas dicitur etiam in animo; vitiosa res, ut stoici

transponunt, et VV. DD. qui hunc Cic. morem ignorant, plerumque deterius sequuntur. Inde nobis explicamus, quod ex nullo alio codice hujus verborum ordinis diversitas enotata legitur.

15. *Quod græce ἡδονή*. Erl. et Spir. *hedone :* testantur igitur hi, vere Ursini cod. sic exhibere, e quo Davisius et rell. texta supplevere. Hoc loco vel sine scriptis sic adendum erat. G.

16. *Duas res subjiciunt*, etc. I. e. « duas notiones tribuunt, partim de animi lætitia vocem adhibentes, partim de suavi jucundoque motu corporis ». Neque in vv. « commotione suavi jucunditatis » hærendum ; similiter auctor Orat. III, 15, 56 : « propter ipsius scientiæ suavitatem, qua nihil est hominibus jucundius ». *Suavitas* externi sensus quasi titillationem ; *jucunditas* eam interni notat ; sed l. l. *suav.* ad solum animum transferri videtur, quod est rarissimum. Ceterum non est negligendum, tres optimos nostros meliori positu *jucunditatis suavem* scribere. G.

17. *Apud Trabeam*. Trabea fuit vetus poeta comicus, cujus paucissima fragmenta supersunt.

18. *Voluptatem animi nimiam*. Huc proxime locus pertinet Divv. II, ep. 9 : « Repente vero incessi omnibus lætitiis lætus (sic verissime Mart. Laguna). In quo quum objurgarer, quod nimio gaudio pæne desiperem : ita me defendebam : Ego voluptatem animi nimiam ». Citari his eumdem Trabeæ locum recte viderunt ibi intt. Nostro loco minus attenderunt ; alias enim hæc ipsa verba, non v. *lætitiam* diversis typis insignissent. Idem locus etiam proximum Cæcilii illustrat. Apparet enim VV. DD. in hoc quoque verba *esse se* prave ut Cæciliana distinxisse. Sed nos quidem, non sine probabili ratione, pro vv. *esse se*, *incessisse* legendum statuimus, sic ut syllaba *in* per præced. *m* absorpta putetur. Hoc autem facto, non potuit, quin hæc sic pravarentur. Ceterum plenius ille Trabeæ versus laudatur Tusc. IV, 15, 35, ad quem locum, hoc, quem excitavimus, adjutus, hunc trochaicum complet magnus ille Bentl. « Ego voluptatem animi nimiam summum esse errorem arbitror ». G. — *Volupt. animi nimiam*, *læt.* Muretus interpungit : « voluptatem, animi nimiam lætitiam ».

putant, qui eam sic definiunt, Sublationem animi sine ratione, opinantis se magno bono frui[19] : non dicitur lætitia, nec gaudium[20] in corpore. In eo autem vo- 14
luptas, omnium latine loquentium more, ponitur, quum percipitur ea, quæ sensum aliquem moveat, jucunditas. Hanc quoque jucunditatem, si vis, transfer in animum : juvare enim in utroque dicitur, ex eoque jucundum[21]; modo intelligas, inter illum, qui dicat,

19. *Vit. res... m. b. frui.* Hæc Gœr. parenthesi includit, quod VV. DD. non jamdiu fecisse miratur.—*Sublationem animi*, etc. De hac ipsa definitione voluptatis apud Stoicos multa Veterum loca congessit Davis. et ad h. l. et ad Tusc. IV, 6, quæ vide. Verba ipsa auctoris presse e græcis Zenonis versa sunt; cf. Laert. VII, 114 : ἡδονὴ δέ ἐστιν ἄλογος ἔπαρσις ἐφ' αἱρετῷ δοκοῦντι ὑπάρχειν. Ceterum loquitur Cicero h. l. de « lætitia gestiente et nimia, qua inaniter et effuse animus exsultat »; vide Tusc. Dispp. l. l. § 13.

20. *Lætitia, nec gaudium. Nec* h. l. idem est, quod *ne... quidem*, vel *etiam non*, quum *gaudium* minus valeat, quam *lætitia*; quippe quæ sit « exsultatio quædam animi cum gaudio efferventiore rerum expetitarum », ut bene Gellius N. Att. II, c. 27; cf. Tusc. IV, 6, 11. Quem ad locum omnino illa structura auctori rarior notanda est, qua *non* prægressam *nec* vel *neque* sequitur. Cf. Acadd. II, 17, 54; Divv. V, ep. 2. Ea in ipsa structura frequentissimus est Seneca. G.

21. *Juvare enim in utroque dicitur, ex eoque jucundum.* In his intt. omnibus invidemus, qui nihil offenderint, quippe quæ nos haud parum exercuerint. Vult auctor, verbum *juvare* pariter de iis dici, quæ animum, quam quæ corpus suaviter afficiant; hoc enim ex græcæ formæ vi, ἐν ἑκατέρῳ λέγεται, toties in Platone obvia, dubitari nequit. At verba, *ex eoque jucundum*, quid aliud volunt, quam vocem *jucundus* verbi *juvare* (I. e. delectare) conjugatum esse? nam ad *jucundum* denuo *dicitur* cogitandum esse, ex constanti auctoris scribendi more certissimum est. At vix negari licebit, Ciceronis ætate scriptum esse *jocundum* : sic lapides, sic codd. scripti vetustissimi quique; sic alia multa, ut statuas, jubent. Jam quis quærat, quomodo auctori vel in animum venire potuerit, hoc ab illo derivatum velle? Et tamen sic potuisse, si vel *Jovis* nomen memineris, facile fateberis. *Jupiter* enim haud dubie a *juvans pater*, sic ut secundo casu, substantivo omisso, *juvantis* in *Jovis*, a plebeculæ, nomina crebro usu usurpanda contrahentis, ore coerceretur, et sic deinde in communem usum abiret; cf. Nat. Deor. II, 25, 64. Ita igitur *jucundus* a *juvare* descendisse putabis, ut *facundus* a *fari*, *fæcundus* a prisco *fæo*, ex quo *effætus* restat, etc. Prave autem vulgo *jucundus* a v. *jocus* derivant : nam præterquam quod harum vocum prosodica quantitas, quam vocant, differt, multa etiam non jocosa jucunda sunt. G.

Tanta lætitia auctus sum, ut mihi non constem[22];

et eum, qui,

Nunc demum[23] mihi animus ardet;

quorum alter lætitia gestiat, alter dolore crucietur: esse illum medium,

Quamquam hæc inter nos nuper notitia admodum est[24],

qui nec lætetur, nec angatur: itemque[25] inter eum, qui potiatur expetitis corporis voluptatibus, et eum,

22. *Ut mihi non constem.* Gœr. *ut nihil constet.* Vulgata, inquit, videtur a librario aliquo conficta, qui, quæ archetypon ejus exhibebat, non capiebat. Quinque certe Davisii, omnes Oxonn. itemque nostri sic, ut edidimus, servant; nisi quod Erl. *et nihil constetur* refert. Accedit, quod ad eumdem locum Tusc. IV, 15, 35, respicitur, ubi plerique codd. *ut nihil esse constet.* Quibus ex verbis ibi mutat *esse* in *ei* Davis. sed horum utrumque rejicit R. Bentlei. in commentario, et, ut nos exhibuimus, probat, interpretaturque *constet* per « congruat, suppetat,. stabile firmumque sit »; idemque plene sequutus est editione posteriore Wolf. Nos tantæ et scriptorum, et Viror. Doctissimorum auctoritati hoc etiam nostro loco parere, nihil dubitavimus. Sic his idem plane expressum putabis, quod dicit Clinias apud Terent. Heautont. II, 2, 67: « Præ gaudio, ita me Dii ament, ubi sim nescio ». Bremi *mihi nil* mavult.—Ceterum videtur hic quoque versus esse Trabeæ, quum ejus verba eum illis supra positis in Tuscc. Dispp. l. l. arcte jungantur.

23. *Nunc demum.* Hoc versus fragmentum ad eumdem illum Trabeam retulerim. G.

24. *Quamquam hæc inter nos nup. notitia admodum est.* Hic versus, quo indicatur homo qui dolore et gaudio vacat, est Chremetis ap. Terent. Heautont. I, 1, 1, in quo nostri omnes *nuper* exhibent: nisi quod Gud. 1, χ. et ψ. voce carent. Sed codex Terentii, quem contulimus, transversis vocibus, « nupera admodum not. est »; quod probamus, quum *nupera* etiam Terentiani codd. plures referant. Sed mireris, cur Cicero non ex eadem ejusdem poetæ fabula hos diversos animi motus expressos maluerit; quum v. c. in hac Terentii, ut persona Chremetis, sic illa Cliniæ, et Menedemi eosdem cum aptis ad rem verbis ipsi suggereret. Sed hoc esse nimis curiosi videtur, et in his auctori præscribentis, quæ cujusque libero arbitrio recte permittuntur. G. — Vocabulum *nuperum* pro *recenti* a Veteribus usurpatum esse testatur et Festus, idque confirmat auctoritate Plauti, Captiv. « Recens captum hominem nuperum, novitium ». LAMB.

25. *Itemque.* Erl. et Gud. 2, cum aliis *que* omittunt: sed alibi sic scribas

qui crucietur[26] summis doloribus, esse eum, qui utroque[27] careat.

V. Satisne igitur videor vim verborum tenere: an 15
sum etiam nunc vel græce loqui, vel latine docendus? Et tamen vide, ne, si ego non intelligam, quid Epicurus loquatur, quum græce, ut videor, luculenter sciam; sit aliqua culpa ejus, qui ita loquatur[1], ut non intelligatur. Quod duobus modis sine reprehensione fit: si aut de industria facias, ut Heraclitus, cognomento qui[2] σκοτεινὸς perhibetur, quia de natura

in hac voce peccare vidimus; cf. Legg. I, 21, 55. G.

26. *Crucietur.* Gœr. dat *excrucietur.* Sic, inquit, ex quatuor nostris dedimus: augetur enim verbo composito sententiæ vis, idque contextis plane convenienter. Subtrahere scribas verbis præpositiones, notissimum.

27. *Utroque* non ad verba ipsa, sed ad eorum notionem refertur: ita nihil est, cur cum Lamb. *utrisque* malis. Recte idem vidit Bremi. Eodem modo *utrumvis* supra I, 17, 56, poni vidimus. G.

V. 1. *Qui ita loquatur.* Potiores tres nostri *loquitur*, quod malo: non tam propter κακέμφατον, ut Davis. sed quod inter hos conjunctivos scribæ plerumque de suo sic scribunt; quodque auctor hac ratione sæpissime solet. Brut. 45, 185: «Efficiatur autem ab oratore, nec ne, ut ii qui audiunt, ita afficiantur, ut orator velit». Ern. de suo *audiant*, sed recte Schutzius vulgatum reposuit. Eadem ratio est, si indicativi acc. cum inff. interponuntur. Cf. Heusing. ad Off. I, 7, 6. Ceterum vidit Bremi, quia sic videre voluit, totam hanc enuntiationis formam conjunctivum flagitare: nos tale quidquam nihil videmus. Immo potius proprie sic aucturi indicativ. in circumlocutione ponitur. G.

2. *Heraclitus, cognomento qui.* Puto legendum «Heraclitus, is, cogn. qui»: alias vix recte probabitur, *cognomento* esse præpositum. Hujus pronominis naturam, qua *eum dico* notat, docuit, præter alios, Hotting. Divin. I, 19, neque hac structura Ciceroni frequentior reperitur. Sed multis ea modis a scribis obliteratur. Ita v. c. sanandum locum putamus Tusc. I, 81, 104: «Durior Diogenes et id quidem sentiens, sed, ut Cynicus, asperius, projici se jussit inhumatum». Wolf. nuper «et is quidem idem»; nam omnes scripti «et is quidem». At equidem maluerim, *et* deleta, «Diogenes, is, qui, idem sentiens». Copulam certe ante *is*, hac in forma, inculcari, patet ex Divin. I, l. l. Mars. *qui cognom.* transponit, quod necesse non est. G. — Lamb. hæc poetæ alicujus verba esse opinatur. Gœr. qui hanc opinionem primo refutaverat in notis, eam contra in Additamentis suæ editionis calci appositis confirmat, Reizii auctoritatem afferens, qui in suo exemplari ad hæc adscripsit: «Sunt duo versus, quos Ennii esse putat Muretus ad Aristot. Eth. 2, 3, pag.

nimis obscure memoravit; aut quum rerum obscuritas, non verborum, facit, ut non intelligatur oratio; qualis est in Timæo Platonis. Epicurus autem, ut opinor, nec non vult[3], si possit, plane et aperte loqui; nec de re obscura, ut physici, aut artificiosa, ut mathematici, sed de illustri et facili, etiam in vulgus pervagata[4], loquitur. Quamquam non negatis nos intelligere, quid sit voluptas, sed quid ille dicat. E quo efficitur, non ut nos non intelligamus[5], quæ vis sit

121 : Ille σκοτεινὸς cognomento qui perhibetur : Quia de natura nimis obscure memoravit ». — Heraclitus erat Ephesius, floruitque non multos post Pythagoram annos. Diogenes Laert. refert epistolam qua Darius eum invitavit, ut in Persidem veniret, Heraclitique responsum. J. V. L. — *Quum rer. obscuritas... facit, ut non intell. oratio, qualis est in Timæo Platonis.* Cf. simil. loc. de Timæo, Acad. II, 39, § 123, et vid. quæ de Timæo præfati sumus in superiori volum.

3. *Nec non vult.* Ne h. l. de verissima Ruhnkenii observatione ad Vellei. II, 95 (cf. nuperrimum Tursellini de Partt. editorem, p. 452), dubites, Ciceroni nusquam *nec non* pro simplici *et* dici : nam hæc nostris verbis æquant, *Epicur. möchte wohl gern ;* et *non* ad verbum, haud ad *nec*, cui altera *nec* respondet, applicanda est. Quamquam vel sic raro Cicero. G.

4. *Etiam in vulg. pervagata.* Gœrenz. dat *et jam in vulg. pervag.* Sic, inquit, distraximus primo *et jam*, quum vulgo una voce *etiam* scribatur, sensu sic cogente, qui hic est : « Epicurus de moribus quum disputat, rem agit in clara luce positam, intellectu facilem, et quam jam ne vulgus quidem ignoret : nempe per Amafinios, Rabirios, Catios (scriptores eos, quos nunc *populares* vocamus), ad vulgi captum dudum aptatam ». Vide nos ad Acadd. I, 2, 5. Deinde *pervagata* edendum fuit. Sic enim Erl. et Spir. ut vix dubitare liceat, ita quoque Pal. 1 exhibere. Ante nos sic jam Davis. auctoritate P. Manutii et Eliensis sui, pro communi *vulgata* dederat : nec aliter præbet in marg. Crat. Notissimum autem esse cuique debet, vocem hanc ubique fere a scribis obliterari. Vide infra III, 2, 5. Cur autem h. l. Bremi turbet, ut *pervagata* librario nescio cui docto tribuat, et voces *in vulgus* glossema ad *illustris* additum putet, eo magis admiramur, quo jejunior causa est, quam affert : scilicet « illustris constanti Ciceronis usu de his rebus dici, quæ apud vulgum in magno honore et multa celebritate sint ». Quod si verum esset, ex eo more auctor scripsisse putandus foret, quem Bremi toties ipse docet : explicationis nempe causa hæc addita dixeris. At *illustre* est omne id, quod in clara luce positum cernitur, ita quidem, ut a quocumque, non a vulgo solum, virtus ejus conspiciatur; idque in utramque partem. Ceterum Gud. 2 *permulgata*, inde Victorius *promulgata ;* quod nihil est.

5. *E quo efficitur, non ut nos non intelligamus.* Hic locus variis modis

istius verbi, sed ut ille suo more loquatur, nostrum negligat. Si enim idem dicit, quod Hieronymus, qui 16
censet, summum bonum esse, sine ulla molestia vivere : cur mavult dicere voluptatem, quam vacuitatem doloris, ut ille facit, qui, quid dicat, intelligit[6]? Sin autem voluptatem putat[7] adjungendam eam, quæ sit in motu[8] (sic enim appellat hanc dulcem, in motu;

tentatus fuit; nos eum intactum reliquimus : plura enim sunt, in quibus hæremus. Primo enim, hae in forma *e* nos offendit, quum alias ubique *ex quo efficitur* Ciceroni dicatur : quod ipse ille sensisse videtur, qui in Gud. 1 recentiori manu *ex* superscripsit; prout etiam Davis. de more suo tacite correxit. Deinde tres illi optimi nostri *efficiatur*. Quod non statim abjiciendum videtur. Denique turbatur in vv. *non ut nos non*, pluribus codd. *nos non*, cum Gud. 1, Ven. 1494, aliis solam *non*, cum Bas. omittentibus. Inde Davis. quum in Paris. 1 et 2, pro *nos non*, reperisset *ne*, sic edidit *effic. nos ut ne intelligamus*, collato inferius loco 8, 24; sequutusque eum est Bremi. Sed vulgata nihil continere videtur, quo jure offendas. G.

6. *Qui, quid dicat, intelligit?* Lamb. *intelligitur :* quod est sane ad contextu aptius; hoc sensu, qui nostro, i. e. communi loquendi more scribit, non suum sequitur, a vulgari consuetudine recedentem. Proprie debebat esse, *intelligi vult*. G. — Et intelligi potest, ut vertit gallicus interpres : « Qui du moins entend ce qu'il dit? »

7. *Sin autem voluptatem putat.* Additur in plerisque codd. post *putat*, *dicat ;* sed recte ignorant Erl. et Spir. ut mirum sit, si Grut. videas ex Pal. 1 *dicat* laudantem. Ita nihil est, cur Bremium audiamus *putat* ejici jubentem, ut, pro *dicat*, *ducat* legatur. G.

8. *Adjungendam eam, quæ sit in motu.* Referunt Gud. uterq. Bas. Vien. duo Oxonn. cum aliis aliorum, non *eam*, sed *illam*, ut Davis. edidit. Sed rectius utrumque delebis : quum « voluptatem quæ sit in motu, vacuitati doloris » oppositam videas, id est, « quam dicat Epicurus in motu esse ». Notum deinde satis est, scribas demonstrativum, ante relativum consulto omissum, supplere solere; quod h. l. factum esse, hac lectionis diversitate perquam probabile redditur. Cf. Tusc. V, 7, 20, ubi male Ernest. cum Davis. ex uno cod. *ei* addidit, quod recte Wolf. rejecit. Rath. omnia turbat, quum verba *putat v. dicat, adjungendam*, simul eliminanda jubet. Non enim Epicurum, licet et indolentiam Hieronymi, et voluptatem Aristippi probarit, tamen hanc voluisse illi *adjunctam ;* sed utramque sic conflasse intime, ut non nomine solum, sed re unum essent, cap. 6 et 7. Sed etsi quidem fatemur, Ciceronem in v. *adjungendam* paullo obscurius scripsisse, et si probum verbum esset, potius *adunandum* scribendum fuisset (quippe quum illud sic intelligi possit, ac si « in adjunctis ponendam » dixisset; non autem, ut Academici virtuti bona externa, sic Epicurus indolentiæ voluptatem adjunctam volebat, sed una summi boni notione utramque comprehendebat) : tamen nihil hærendum.

illam nihil dolentis, in stabilitate), quid[9] tendit, quum efficere non possit, ut cuiquam, qui ipse notus sibi sit, hoc est, qui suam naturam sensumque perspexerit, vacuitas doloris, et voluptas idem esse videatur? Hoc est vim afferre, Torquate, sensibus: extorquere ex animis cognitiones verborum, quibus imbuti sumus. Quis enim est, qui non videat[10] hæc esse in natura rerum tria? unum, quum in voluptate sumus; alterum quum in dolore; tertium hoc, in quo

Nam *adjungendam* non referendum omnino ad *vacuitatem doloris* est, sed ad eam, quam Hieronymus statuebat; sic minus etiam illud offendet. Atque si vel Rathii amplecti rationem velis, quid aliud lucraberis, quam ut sic vaga evadant omnia? Tum enim verba, « sin autem voluptatem eam, etc. » opposita erunt Hieronymi fini bonorum, quod cum seqq. male conveniet, quæ in istis hunc sensum flagitant, ut Epicurus vacuitatem doloris ita cum voluptate, quæ sit in motu, junxisse dicatur, ut utramque eamdem statueret. G. — *Sic enim appellat h. d. in motu*. Davis. censet *in motu* a librariis temere esse repetitum. J. V. Leclerc. — *Appellat*. Decurtate, ut omnino verba dicendi, ponitur, pro « hanc, quam dulcem dicit, in motu esse appellat ». Cf. Legg. I, 8, 24. G.

9. *Quid tendit*. I. e. κατὰ τί τείνει: similiter dicit auctor, *quid nititur;* ad utrumque enim *ratione*, *animo*, etc. cogitandum est, cf. Acadd. II, 21, 68, illius verbi similitudine ab arcu, hujus, a quavis virium contentione, repetita. Frequentius quidem est, *quo tendit*, vel, *quid intendit:* sed inde nec aliis jus erat, ut aliter conjicerent; in his enim scriptor, qualis Cicero est, multis modis variare solet. Rath. his vv. *ad illam* adsuta cupit; quæ nos certe auctori non vindicarimus. Totius loci sententia hæc est: « Nam si cum Hieronymo sentit, finem bonorum in ἀπονίᾳ ponens; cur potius voluptatem hanc dicit, quam, ut Hieronymus, vacuitatem doloris, qui, quid dicat, sibi plene conscius est? Contra vero si Hieronymi fini voluptatem, quam in motu dicit, addit..... quid intendit? num cuiquam, qui se ipse norit, persuadebit vacuitatem doloris cum voluptate unum idemque esse, ut docere nititur? » G. — *Sensibus*. Qui scilic. clamant quantum intersit inter non dolere et voluptate frui.

10. *Quis enim est, qui non videat hæc*. Gœrenz. dat *quis est enim*. Ita, inquit, ex trinis nostris optimis, contextis ipsis poscentibus, scribi jussimus, vulgata *enim est* referente. Off. II, 5, 1: « Quis est enim, cui non perspicua sint illa ». Sic restituendum infra, Fin. V, 31, 93, « quis est enim, qui... audeat ». De hoc in asseveratione necessario positu alibi egimus: ejus autem tum necessitas continuo intelligitur, si, interrogatione sublata, scribendum videris, « nemo enim sane est ». Omittunt Gud. 2 et Bas. *hæc*. Sic scilicet scribæ solent, si pronomen, ab enuntiati fronte positum, ad sequentia referendum est.

nunc quidem[11] sumus; credo idem vos, nec[12] in dolore, nec in voluptate esse : ut in voluptate sit, qui epuletur; in dolore, qui torqueatur. Tu autem inter hæc tantam multitudinem hominum[13] interjectam non vides, nec lætantium, nec dolentium? Non pror- 17
sus[14], inquit; omnesque[15], qui sine dolore sint, in volu-

11. *Nunc quidem*, Omittunt cum P. Manutio scripti nonnulli *quidem*, in quibus est Gud. 1, sed id haud raro post *nunc* solent. G.

12. *Sumus; credo idem vos, nec*, etc. Gœrenz. dat, *sumus : (credo idem vos)... esse.* Sic, inquit, locum, in corruptis habitum, dubitationi justæ exemptum putamus. Primo enim, quod videre facile erat, non assequuti intt. sunt, verba, *credo... esse*, ex parenthesi poni : quis enim, quum accuratius attenderit, non, *ut* proximam apodoseos esse, viderit? Deinde offenderunt in levi anacolutho, licet ipsum ne animadverterent quidem. Nam sic proprie auctori, ad præcedd. convenienter, scribendum erat : «Tertium, quum nec in dolore, nec in voluptate sumus, ut nunc quidem ego, credo idem vos esse». At, declinans orationis μονοτονίαν, consulto (ut sæpius eum facere docuimus) directum structuræ quasi iter reliquisse videtur. At tertium genus, sic expressum, ipsorum colloquentium exemplum proposuerat; restabant exempla ad bina reliqua genera : addit igitur in apodosi illud *epulantis* et *tormentorum cruciatus perferentis*. Exempla orationis ad parentheses similiter immutatæ offeruntur pæne innumera. Hoc autem loco id tantum monemus, eum, qui ad Ciceronis dicendi rationem accuratius attenderit, aliam h. l. vix præoptare sibi posse. Ceterum prave Davis. *nos* dederat : nam *sumus* ad solum Ciceronem refertur. Atque sic tres nostri aliorumque plures.—*Idem* denique pro *ego quidem*, vel, ut vulgo dicunt, pro *item* ponitur, cf. supra § 5 : «nunc idem... velim definias». Simili modo ex tertia persona, in structura, *qui... idem*, hoc pro *is idem* dicitur. Nihil igitur h. l. Ernesti dicit, quum *item* suadet. G. — Davisius legit «credo enim nos nec in, etc.», et vituperat Gruterum qui primus *idem*, ex Pall. sex, admisit. Nonnullæ edd. post Victor. dant *credo quidem;* sed τὸ *quidem* repeti sine odio non potest.

13. *Inter hæc tantam multitudinem hominum interjectam.* Abest *interjectam* ab Erl. et Spir. transponiturque a Gud. 2, *interjectam hominum.* At equidem voce ægre caruerim, non tam sensus causa, quam soni, et aurium etiam. Tum enim verba *non vides* post *dolentium* rejicienda forent : quod voce retenta nihil opus est. Videtur olim excidisse, et in Gud. 2 alieno loco esse repositum. *Interjici inter* autem structura Ciceronis propria est. G.

14. *Non prorsus.* Ernest. naturam particulæ *prorsus*, qua, si vim sententiæ non habet, negationi postponitur, non vidit, alias enim eam non separatim interpunxisset. Cf. N. D. III, 8, 21, «nullo modo prorsus assentior». Sed pravius facit etiam Lamb. qui *prorsus* post *inquit* ponit. G.

15. *Omnesque.* Gœrenz. *omnísque.* Sic, inquit, Erl. et Spir. atque inde etiam est, quod in proximis Gud. 2

ptate, et ea quidem summa, esse dico. Ergo in eadem voluptate[16] eum, qui alteri misceat mulsum, ipse non sitiens, et, eum, qui illud sitiens bibat?

VI. Tum ille, Finem, inquit, interrogandi[1], si videtur : quod quidem ego a principio ita[2] me malle dixeram, hoc ipsum providens, dialecticas[3] captiones. Rhetorice igitur, inquam, nos mavis, quam dialectice disputare? Quasi vero, inquit, perpetua oratio, rhetorum solum, non etiam philosophorum[4] sit. Zenonis

cum Bas. *sit* pro *sint* refert, quippe quorum scribæ priscam formam non viderent. *Que* autem est *sed*, v. *immo potius*, ut post negationem sæpe. Cato Maj. 6, 16; Divin. II, 28, 61. Eadem ratio est, qua part. hæc simpliciter adversatur. Nihil igitur est, cur Lamb. *que* omittit, et Gulielmius *quique* suadet.

16. *Esse dico. Ergo in eadem voluptate.* Offendere in his et scribæ, et VV. DD. Scribæ ante *dico* interpungunt, ut ex nostris Gud. 1 et Bas. atque ita fere veteres editi. Davis. de suo dedit, *esse dico. Dicis ergo;* quum in Eliensi *esse. Dicis ergo*, legatur. *Ergo* in ejusmodi instantiis, quæ vulgo dicuntur, semper ab initio ponitur; et ubique, si in oratione affectus aliquis regnat. Nos quidem post *eadem* voc. *inquam* ex comp. excidisse putamus, ut post *m* solet. Cf. Leg. Manil. 20, 90. Beck. « at enim, inquit, nihil novi fiat contra exempla atque instituta majorum ». Ibi recte Beck. *inquit* ex scriptis nuper addidit. G.

VI. 1. *Finem... interrogandi, si videtur.* Supple *fac.*—Eamdem habes ellipsin, a Græcis repetendam, N. D. III, 40, 94 : « Quæ quum dixisset, Cotta finem ». G.

2. *Ita.* Jure Bremi *ita* defendit, a Davisio male tentatam. Att. IX, ep. 14 : « quod illa nuper ita se malle dixerat ». G.

3. *Dialecticas captiones.* Hæc apta cum voce et gestu pronuntianda sunt, sola explicandi causa in clausula addita. Notari autem debet cogitandum esse, *nempe*, *dico*, *puta*, etc. Divin. I, 2, 3 : « Quumque magna vis videretur esse et in impetrandis consulendisque rebus, et in monstris interpretandis et procurandis (nempe) in haruspicum disciplina ». Tusc. IV, 15, 34 : « quam (appetitionem) tum cupiditatum, tum libidinum dicimus (nempe), impotentiam quamdam animi, etc. » Sic inferius § 19, *voluptatem* æque clausulam facit. Plato sic creberrime, nec minus Xenoph. Isocrates, et Demosth. Repetierunt hunc positum ab Homeri simili, et frequentissimo more. Imitari autem istam rationem apte vivi sermonis consuetudinem, et quasi laxitatem, nemo non videt. Ceterum *hoc*, quod præcedit, ad *captiones* ex eadem regula referendum, qua neutra pronominum ad rei notionem, non ad vocem, quam spectant, aptata, sæpe hanc sequuntur, rarius, ut hoc loco, præcedunt. G.

4. *Rhetórum solum, non etiam phil. Solum* ignorat Gud. 1. Recte : vide enim quæ ad Acadd. II, 2, 7 notavimus. G.

est, inquam, hoc stoici[5]: omnem vim loquendi, ut jam ante Aristoteles[6], in duas tributam esse partes: rhetoricam, palmæ; dialecticam, pugni similem[7] esse dicebat, quod latius loquerentur rhetores, dialectici autem compressius[8]. Obsequar igitur voluntati tuæ, dicamque, si potero, rhetorice; sed hac rhetorica phi-

5. *Zenonis est, inq. hoc Stoici.* Idem Gud. 1 *hoc* meliore loco ante *est* ponit. Ferri tamen vulgata potest, quum auctor *inquam* mediæ orationi interponat; prædicatum autem *Stoici* (quod additum est, ne *Epicureus* intelligeretur) separatim, ut fecimus, interpungendum sit. G.—In sqq. Gœr. dat *partis* pro *partes* e binis suis, notatque post h. v. in quibusdam addi *dicere*. Et pro *tributam*, al. *distributam*.

6. *Ut jam ante Aristoteles.* Gœr. interpungit: *Zenonis... Stoici, omnem v. l. (ut jam a. Arist.) i. d. t. e. artis : rhet.... dicebat ; quod.... compressius.* Si hanc, inquit, parenthesim dudum VV. DD. dedissent, neque Walkerus ea necessario post *Stoici* transponenda, nec Bremi eadem sic excusanda putaret, ut Ciceronem *negligentiæ crimine* cumularet: Ciceronem scilicet, qui sibi ex castitate orationis et elegantia plurimum tribuebat; quem toties anxie de singulis vel verbis, vel dicendi formis ex Attico suo quæritantem videmus; qui denique hos ipsos libros tam diu expoliebat: de hoc, inquam, omnium Romanorum linguæ patriæ peritissimo, quo demum modo nobis tam severum judicium conveniet, qui tot, vel ab Ern. inde, recte dicta esse intellexerimus, quæ hic vel primus aperuit, vel ipse ut vitia correxit; et quibus tantum operæ in erroribus dediscendis consumitur, ut paucissimis ad ipsa linguæ interioris adyta penetrare liceat! Sed redimus in orbem hoc addituri, imitatam hic esse vivi sermonis consuetudinem, qui haud raro parentheses tum interponit, quum animo objiciuntur, id est, sic ut aptiore loco ad amussim talia exigentibus, poni potuisse videantur. At ne licet quidem alieno loco parenth. insertam dici, quum ea non ad verbum aliquod simplex, sed ad verborum complexum pertineat, cui media interponitur. Nos de parenthesium auctoris natura cogitasse, haud paucis priorum voluminum locis ostendisse nobis videmur, v. c. Acadd. II, 6, 16, cll. Legg. I, 18, 48. Ceterum *fecit* cogitandum esse, nemo non videt.

7. *Pugni similem.* Ita Davisii jussu, pro vulg. *pugno*, dedit Bremi: atque ita plane Erl. Reliqui nostri, compluresque aliorum, *pugnis*, ex sequentis vocis prima litera *s* adhærente. Rectissime: nam licet res comparanda sit sensuum, tamen comparata rationis est. Ceterum apte confert ad rem ipsam Davis. Sext. Emp. Math. II, § 7. Sed ex Cicerone ipso locus classicus prætereundus non erat; vid. Orat. 32, 114. Eodem exemplo idem Zeno usus est ad φαντασίας et καταλήψεως diversitatem docendam; cf. Acadd. II, 47, 145. G.

8. *Compressius.* Crat. *comprehensius.* Male: accommodata enim vox *compressius* est ad manum in pugnum *compressam.* G.

losophorum, non nostra illa forensi : quam necesse est, quum populariter loquatur, esse interdum paullo
18 hebetiorem[9]. Sed dum dialecticam, Torquate, contemnit Epicurus, quæ una continet omnem et perspiciendi quid in quaque re sit, scientiam, et judicandi quale quidque sit, et ratione ac via disputandi[10]; ruit in dicendo, ut mihi quidem videtur, nec ea, quæ docere vult, ulla arte distinguit[11] : ut hæc ipsa, quæ modo loquebamur.

Summum a vobis bonum voluptas dicitur. Aperiendum est igitur, quid sit voluptas : aliter enim expli-

9. *Hebetiorem.* l. c. *non ad vivum*, ut aiunt, *rem resecat ;* vel, si malis, simili a telo desumpto, cf. de Resp. Harusp. 1, 2, ubi »tela leviora et hebetiora» junguntur: utrumque ad idem fere redit. G.

10. *Scientiam, et judicandi, quale quidque sit, et ratione ac via disputandi.* Brem. difficultatem loci sensit; sed rationem, qua eam solveret, iniit haud probandam. Auctoritate enim viri docti in Actis Eruditt. corrigit, « et rationem ac viam ». Judicat autem hos ablativos solœcismum inferre omni grammaticæ adversum. Sed se ipse decepit, quum verba « ratione ac via » non proxime, sed per subst. *scientiam* ad *continet* referantur. Est enim constructio, « dialectica continet scientiam disputandi (quo modo?) ratione et via», i. e. ut vulgus loquitur, *methodice.* Tenendum autem est, vocem primariam *scient.* quum initium sententiæ verb. *continet* occupasset, proprie post *disputandi* poni debuisse; sed quum sic nexus cohærentia altius suspenderetur, consulto auctor eam in media sententia posuit, ut ad seqq. enuntiata simul applicaretur. Huc fere omnia illa loca pertinent, ad quæ idem subst. denuo subaudiendum est. Cf. Acadd. I, 7, 26 : «ex iis autem ortæ animantium formæ, earumque rerum (formæ) quæ gignuntur e terra ». Legg. II, 5, 13 : » Neque medicorum præcepta dici vere (præcepta) possint«. Vide ad Acadd. II, 8, 30. Eodem plane modo verba quoque finita ponuntur. Acadd. II, 31, 101. Ceterum pari ratione hæc ipsa dialectica Orat. II, 38, 157 : « Ars bene disserendi, et vera et falsa dijudicandi », dicitur : quod enim eo loco » ars bene disserendi », id hoc nostro, » scientia ratione et via disputandi », variatur. G.

11. *Quæ docere vult, ulla arte distinguit.* Sic e Pal. 1 receptum est, cum quo etiam nostri illi bini faciunt, nisi quod Erl. *illa* præbet : quod, hac protasi præcedente, nec ipsum absonum videtur. Sed in voce *arte* auctor per se dialecticam cogitasse putandus est, et *ulla arte*, ut sæpe solet, pro « ex ulla parte ad dialectica præcepta convenienter», accepisse. Reliquorum codd. omnium lectio, « quæ docet, vult ulla arte distingui », scribarum palatum sapit, et recte a VV. DD. abjecta est. G.

cari, quod quæritur, non potest. Quam si explicavisset, non tam hæsitaret. Aut enim eam voluptatem tueretur, quam Aristippus, id est, qua sensus dulciter ac jucunde movetur; quam etiam pecudes, si loqui possent, appellarent voluptatem : aut, si magis placeret suo more loqui, quam ut[12]

Omnes Danai Mycenenses, Attica pubes[13],

reliquique Græci, qui hoc anapæsto[14] citantur; hoc non dolere[15] solum voluptatis nomine appellaret, illud Aristippeum contemneret : aut, si utrumque

12. *Magis pl. suo more loqui, quam ut Omnes,* etc. Sc. *loquuntur,* quod ex præcedente *loqui* intelligendum est, ut sæpissime. Cf. Att. VIII, ep. 11, quæ incipit « A. d. XV kalend. mart. Formiis accepi tuas literas : ex quibus ea, quæ in agro Piceno gesta erant, cognovi commodiora esse multo, quam ut erat nobis nuntiatum ». Hæc duo loca nobis persuadent, parum recte præcipi, post comparativos ad *quam* addi quidem *ut* conjunctionem, non autem adverbium posse, ex quo præcepto ab Ernest. inde, Turnebo et Marklando auctoribus, *ut* contra codd. omnes h. l. exterminata est. Eodem modo jubetur alibi post compp. *quam quod* solis conjunct. construi, quum tamen æque plura exempla secus suadeant. Id tamen verissimum est, semper fere auctorem sic, *ut* omisso. Inde Rathium non capimus, si Ern. contra *communem sensum* fecisse dicit, quum *ut* deleret. G.

13. *Omnes Danai Mycenenses, Attica pubes.* Sic dedit J. V. L. unde probabile est et sic dedisse Ernest. quem J. V. L. fere sequitur. Sic et Olivet. nisi quod addit *atque* ante *Mycenenses.* Hæc olim uno versu scripta vulgabantur. Gœr. vv. *Attica pubes* alterius versus principium facit. Sic, inquit, scripsimus cum vulgata, versu Bremii ad exemplum distincto, licet incerti hæreremus, an recte : nam omnes nostri pro *atque*, *aut*, et ante *Attica* Erl. et Spir. *ut* addunt. Vulgo *atque* deest. Possis etiam *Actica pubes* conjicere, quum Erl. *artica*, Gud. 2 *attita*, et Bas. *arctica* referant. Sed vide ad Legg. II, 2, 5. — *Omnes Danai.* Versus est anapæsticus, qui speciem habet proverbii ad significandum universum genus : ut dicimus, *cælo*, *terra*, *marique*, quum ubique designare volumus. Morel.

14. *Anapæsto.* Nos anapæstum intelligimus totam eam quam appellant Græci ἀναπαιστικὴν βάσιν, quæ est μέτρων συναγωγὴ ἤτοι δύο ἢ πλειόνων, ἢ ὁμοίων, ἢ ἀνομοίων, quæ etiam alio nomine σύστημα appellatur. Ita anapæsti, vel ut alii legunt, anapæstici nomine, multos inter se conjunctos versus intelligimus. Sic nuncupat Cicero, Tuscul. III, versus quosdam, qui in Iphigenia Aulidensi expositi sunt, anapæstum : « Nec siletur, inquit, illud potentissimi regis anapæstum, qui laudat, etc. » Morel.

15. *Hoc non dolere. Non dolere* et h. l. et in seqq. sæpe substantive po-

probaret, ut probat, conjungeret[16] doloris vacuita-
19 tem cum voluptate, et duobus ultimis uteretur. Multi enim et magni philosophi hæc ultima[17] bonorum juncta fecerunt, ut Aristoteles, qui virtutis usum cum vitæ perfectæ prosperitate conjunxit. Callipho adjunxit ad honestatem, voluptatem : Diodorus [18] ad eamdem honestatem addidit[19] vacuitatem doloris. Idem fecisset Epicurus, si sententiam hanc, quæ nunc Hieronymi est, conjunxisset cum Aristippi vetere sententia. Illi enim inter se dissentiunt; propterea singulis finibus utuntur : et, quum uterque græce egregie loquatur, nec Aristippus, qui voluptatem summum bonum dicit, in voluptate ponit non dolere, neque Hieronymus,

nitur, quum auctor vocem a se supra fictam *indolentiam* non nimis frequentare vellet. G.

16. *Conjungeret.* Recte Dav. sequutus est Bremius, quum nescio quod fatum Ernestium ad vulgatum *conjungere* retraxisset; quod ad hæc contexta ferri plane nequit. Receptum servant nostri omnes veteresque impressi plerique. G.

17. *Hæc ultima bonorum.* Quærit Bremius, quonam *hæc* tendat : nam ad *vacuitatem doloris*, et *voluptatem*, absurde trahi, quum ad Aristotelem respiciatur. Nec posse, « hæc de quibus loquimur », præter alia, ambiguitatis maxime causa, intelligi. Nihil inde ipsi dubium, quin *hæc* imperiti sit librarii. At sine ulla dubitatione ipsius auctoris est; et ad sequentia relatum, ut toties solet, « hæc quæ deinceps addam », notat. Si post *philosophi* virgula, quam addidimus, posita fuisset, ipse forte Brem. nihil offenderet : nimis enim sæpe prono. *hic* et *is* ab enuntiati initio sic ponuntur, ut ad sequentia pertineant.—*Ut*, quæ sequitur, est *sic exempli causa.* G.

18. *Diodorus.* Carius erat, et magnus dialecticus. Quum una cum Stilpone esset apud Ptolemæum Soterem, atque a Stilpone interrogatus statim respondere non potuisset; inde Κρόνος sc. cunctator nominatus est. Referunt hoc ei tanto dolori fuisse, ut mœrore consumptus obierit, quamquam Stilponis quæstionem postea longo opere explicuisset.

19. *Addidit.* Deleri hoc verbum Ursin. et Guyet. ut abundans, jubent : sed Bremius tum orationem duriorem evadere monet, haud admodum curiosum in his similibusque Ciceronem arguens. Quasi scriptori non recte liceat exempla, quæ affert, singula suo verbo distincta proponere! Si suspiciosus esse velis, rectius de præcedente *adjunxit* dubitaris. Præcesserat enim non solum *conjunxit*, sed verbum *adjungere* ponit Cicero in philosophia de iis, quæ ad rem primariam tamquam secundaria accedunt, quum hoc loco de paribus dicatur. Sed idem verbum supra quoque § 16 vagius positum vidimus. G. — In dubiis tutissimum est libb. auctoritatem sequi.

qui summum bonum statuit non dolere, voluptatis nomine umquam utitur, pro illa indolentia; quippe[20] qui ne in expetendis quidem rebus numeret voluptatem.

VII. Duæ sunt enim res quoque, ne tu verba solum 20
putes[1]. Unum est, sine dolore esse; alterum, cum voluptate. Vos ex his tam dissimilibus rebus[2] non modo nomen unum (nam id facilius paterer), sed etiam rem unam ex duabus facere conamini : quod fieri nullo modo potest[3]. Hic, qui utramque probat, ambobus debuit uti, sicut facit re; neque[4] tamen dividit verbis. Quum enim eam ipsam voluptatem[5], quam

20. *Quippe qui... voluptatem.* Vox hæc ultima solius explicationis caussa adjecta est, sic ut *nempe, puta*, etc. intelligendum sit; conf. supra § 17. Quod nisi tenueris, in horum verborum positu recte hærebis. Addita autem est vox ista, ne forte hæc ad *indolentiam* traherentur. G.

VII. 1. *Duæ sunt enim res, ne tu verba solum putes.* Rathius, *ne duo verba solum put.* sed quid inde lucremur, dispicere non est. *Tu* est efficacius, et omnino loco aptius. Sensus est, tu forte dixeris, *indolentiam* et *voluptatem* non re differre, sed verbis : sed utique re differunt. Potius enuntiatum præmissum vides : inde, hoc quum non cerneret, Rathii error. G.

2. *Rebus.* Abest a Gud. 1 et Bas. sed scribæ vitio; placet enim sibi auctor in voce *res* præ ceteris repetita, vide ad Acadd. II, 4, 10, idemque amant Corn. Nep. Liv. alii. — Paullo post, « nomen unum », *voluptatem* intelliges, qua, ex Epicuri mente, *indolentia* simul comprehenditur. Denique *rem unam et ex duabus* consulto explicatius dictum est, ut recte Brem. contra Ern. qui *ex duabus* a glossatore adjectum suspicatur. Intelliges, *ut dixi*. G.

3. *Quod fieri nullo modo potest*, sine omni justa causa sollicitant Davis. et Ern. quum *ferri* scriptum malint. Int. ambobus nominibus debuit uti, quoniam res duas distinguit.—Statim post, *utramque*. Gœr. scrib. *utrumque*. Recte, inquit, probat Bremius Lambini conjecturam *utrumque*, sc. finem; quam tres optimi nostri assensu suo extra omnem dubitationem ponunt.

4. *Sicut facit re; neque.* Erl. et Spir. *re* ignorant, licet vulgata ex Pal. 1, per Grut. fluxerit : nam scripti reliqui nostri, ut ceteri aliorum, *remque*. Hoc testatum voluimus, quum *neque* simplex sit etiam in marg. Cratandriæ, et P. Manut. sic e cod. vetere dederit (prave enim et mendose narrat Davis. hunc *re* quoque vulgasse); neque v. *re* nobis necessaria videatur. Sed Gruteri ἁπλότης in dubium vocanda non est, inprimis quum in hoc Lambino assentiendum esset, qui sic ex alterius alicujus conjectura ediderat. G.

5. *Eam ipsam vol.* Iidem bini illi firmant, quum reliqui nostri, cum

eodem nomine omnes[6] appellamus, laudat locis plurimis, audet dicere, ne suspicari quidem se ullum bonum sejunctum ab illo Aristippeo genere voluptatis; atque ibi hoc dicit, ubi omnis ejus est oratio[7] de summo bono. In alio vero libro, in quo breviter comprehensis gravissimis sententiis, quasi oracula edidisse sapientiæ dicitur, scribit his verbis, quæ nota tibi profecto, Torquate, sunt. Quis enim vestrum non edidicit Epicuri κυρίας δόξας, id est, quasi maxime ratas[8]? quia

edd. vett. plerisque, *ipsam eam* servent. Sed nullam h. l. vim in *ipsam* videmus, et in proximis tum mutato verborum ordine *locis plurimis laudat* scribendum fuerit. G.

6. *Eodem nomine omnes*. Ita soli bini illi: nam Gud. 1 et Bas. hæc transponunt, *omnes eod. nom.* et Gud. 2 *omnes* plane ignorat; quod idem P. Mars. facit. Sed vulgata est verissima, et vox illa excidisse olim videtur, locoque deinde pravo reposita. G.

7. *Omnis ejus est oratio*. Gœrenz delet *est*. Hanc v. inquit, vaga in scriptis sedes damnat. Erl. et Spir. « omnis oratio ejus est ». Bas. cum Crat. *oratio est*. Gud. 2 *est* ignorat: cui paruimus, quum eo facillime carere possis; nec locus, quem ex vulgata tenet, placere possit: immo totius enuntiati numerus, si amplectaris, claudicet.

8. *Id est, quasi maxime ratas ... sententiæ*. P. Manutio, qui verba *id est ... ratas*, damnat, et Davisio, qui totum locum, *id est ... sententiæ*, uncis inclusum, in spuriis judicat, satis occurrit Bremius, quum verba, *quis enim ... sententiæ*, ad parenthesin revocaret. Sic omnia in gyrum suum coeunt. Nam *igitur*, ut toties solet, parenthesin excipit; cf. ind. ad Acad. hoc pleno contextu, « quum igitur hæc nota tibi profecto sint, animadverte, rectene ... interpreter ». Nobis cum Rath. res est, qui longe aliis inductum se argumentis dicit, quibus verba illa, quæ P. Manut. damnat, interpolata putet. Nam præter voces, *id est*, spuriorum locorum indices, miram videri vocabuli κυρίας versionem, omissa ea alterius δόξας. Nec intelligi, cur illud *maxime ratas* versum sit, quasi κυριωτάτας. Displicere etiam *quasi* additum. Dispici denique non licere, quid vox subjecta *quia* sibi velit, illis retentis. At de vv. *id est* Ciceroni ad interpretandos Græcos usitatissimis, sæpius, et satis accurate in voll. prioribus egisse nobis videmur. Neque h. l. ut toties alibi, tam ad eos auctor, quos colloquentes facit, respicit, quam partim ad ipsius morem, græca verba, quibus utitur, latine vertendi, partim ad lectores, quos sit habiturus græcarum literarum expertes.—Κύριος autem et *ratus* bene sibi respondere nemo dubitabit, nisi quem fugiat, græca νόμος κύριος, et *lex rata*, in utraque lingua pari prorsus potestate dici. Simul vero etiam assequeris, et κυρίας, et *ratas* accommodate ad νόμους, et *leges*, dictas esse, quippe quæ *sententiæ* Epicureis *legum ratarum* instar et essent, et esse deberent.

gravissimæ sint[9] ad beate vivendum breviter enuntiatæ sententiæ. Animadverte igitur, rectene hanc sententiam interpreter: « Si ea[10], quæ sunt[11] luxuriosis efficientia 21
voluptatum, liberarent eos deorum, et mortis, et doloris metu, docerentque, qui essent fines cupiditatum; nihil haberemus, quod reprehenderemus[12]: quum undique complerentur voluptatibus, nec haberent

—*Maxime* vero circumspecte additum est, quod Epicurus omnes philosophiæ sententias suis ratas vellet, breves autem illas quum sic inscriberet, id ex præferentia quadam, et, ut dicunt, κατ' ἐξοχὴν, faceret. Quod ipsum adjecto *maxime* indicatum statues, adhibita simul particula illa, qua ubique insolentior dicendi ratio excusari solet. Sed in hoc Cicero religiosior, accuratius etiam hanc vertendi rationem exponit, addito pleno enuntiato, *quia ... sententiæ :* nam Rathii culpa est, non loci, probe se habentia, quod *quia* non concoquebat, quum sic hæc plene capienda essent, « quasi maxime ratas, ideoque maxime ratas, quia, etc. » Nihil vero minus offendere debebat, quam quod non item δόξας versum sit : quasi hoc auctor non fecerit, voce *sententia*, licet paullo ante præcessisset, tamen cum vi in clausula denuo posita! Quod si tertia vice eamdem ad *ratas* apposuisset, tum vere esset, quod in dubium vocari posset. Ita Rathii dubitationes omnes cadere certissimum est.

9. *Sint*, pro quo falso Rath. in vett. impressis omnibus *sunt* scribi dicit, et quatuor nostri, et P. Mars. cum Venet. 1494, Cratand. et aliis exhibent. G.

10. *Si ea, quæ sunt...id est autem malum.* Hæc versa ad verbum sunt decimæ κυρίων δοξῶν Laert. X, 142 : Εἰ τὰ ποιητικὰ τῶν περὶ τοὺς ἀσώτους ἡδονῶν ἔλυε τοὺς φόβους τῆς διανοίας, τούς τε περὶ μετεώρων καὶ θανάτου καὶ ἀλγηδόνων· ἔτι τε τὸ πέρας τῶν ἐπιθυμιῶν ἐδίδασκεν ἄν, καὶ οὐκ ἄν ποτε εἴχομεν ὅ, τι μεμψαίμεθα αὐτοῖς, πανταχόθεν εἰσπληρουμένοις τῶν ἡδονῶν, ὡς οὐδαμόθεν οὔτε τὸ ἀλγοῦν, οὔτε τὸ λυπούμενον ἔχουσιν, ὅπερ ἐστὶ τὸ κακόν.

11. *Sunt*, additum e scriptis per Davis. codd. nostrorum omnium est.

12. *Haberemus, quod reprehender.* Vulgatæ loco (quæ item a Davisio est), « haberemus, quod reprehenderemus », in optimis tribus nostris *haberemus* legitur, quum in reliquis *hæreremus* legatur; verba autem, *quod reprehenderemus*, in nullo usquam scripto compareant, ex solis græcis Laertii addita. Sed hæc quum data opera verbum e verbo versa videas, quumque eadem ista c. 3 init. recurrant; nihil dubitavimus vulgatam a Davisio inde repetere. Nam licet *hæreremus* optime pro his poni possit, tamen, ex quo semel sic per compend. (propter quod verba ista sæpissime in scriptis permutantur) scriptum esset, facile intelligi potest, reliqua consulto omissa esse. G. — *Id est autem malum* in fine. Quod Bremius et Rath. scriptis auctoribus, *autem*, ex Pal. 1, pro *aut* receptum, et a binis illis nostris comprobatum, deleri jubent, abesse id quidem ab Oxonn. E. et ξ. ubique fere seorsim sentientibus, concedimus : sed si scripti illi vel optimi

ulla ex parte aliquid aut dolens, aut ægrum, id est autem malum ».

Hoc loco tenere se [13] Triarius non potuit. Obsecro, inquit, Torquate, hæc dicit Epicurus [14]? quod mihi quidem visus est, quum sciret, velle tamen confitentem audire Torquatum. At ille non pertimuit, saneque fidenter [15], Istis quidem ipsis verbis, inquit; sed quid sentiat, non videtis. Si alia sentit, inquam, alia loquitur; numquam intelligam, quid sentiat; sed plane dicit, quod intelligam : idque si ita dicit, non esse reprehendendos luxuriosos, si sapientes sint, dicit absurde; similiter [16] et si dicat, non reprehendendos

fuerint, tamen nobis constabit, ignoratam particulæ hujus vim in causa fuisse, ut ea omitteretur. Neque illos audies, ad græca provocantes, quum ad ὅπερ (*quippe quod*) plene compensandum *autem* addi videas. Hujus enim particulæ in asseveratione usus apud Ciceronem creberrimus, tum fere ubique cernitur, si tertium locum occupat : non tam ut vis hæc ex ipsa pendeat, quam quod verbum substantivum cum pondere præmittitur. G.

13. *Tenere se*. Hoc, inquit Gœreuz, est Ciceronis, non *se tenere*. Sed quum ea res non exemplorum multitudine dirimatur; hoc ex soni ratione adjicimus, quo vim enuntiati non ad *se*, sed ad *tenere* pertinere clarum est. Ambabus igitur Gud. 1, P. Marsi, Crat. aliarumque plurium vett. editt. auctoritatem accipimus, qui sic præbent.

14. *Obs....h. d. Epicurus?* Lamb. e veteri cod. addit *te* post *obs.* eumque sequutus est Davis. quum in uno Paris. idem reperisset. Brem. idem dedit, augeri admirationem pronomine adjectu affirmans. Nostri omnes *te* respuunt : neque Bremium satis assequimur. Quantum quidem videmus, inter additum pron. et omissum id h. l. discriminis est, ut *obsecro te* admirationem proxime ad hominem applicet, cum quo colloquaris, hoc fere sensu, « obsecro, dic mihi ... hæc dicit Ep. » Neglecto contra pronomine, verbum hoc vim particulæ exclamantis induit. Ex nostro idiomate sic distingueres, *Beym Himmel sprich, das sagt Ep.* et *Beym Himmel! so sagt Epicur?* Quæ si rite perpenderis, affectum omnino auctum dices, non vero cum admirationis, quæ ex natura sua rem ipsam cum stupore quodam intuetur. Sed nos, ne hæc rimemur, sic judicamus : rectius h. l. credi, *te* a scriba additum esse, vim verbi absolute positi non assequente, quam ut incertam fidem binorum codd. sequaris, tot contra nitentibus; licet pron. additum affectum admirationem fingentis melius pingat. Ceterum utraque ratio apud auctorem frequentissima est. G.

15. *Saneque fidenter*. Tres ex nostris *que* ignorant : sed sæpius vidimus scribas turbantes, si *que*, *immo potius* valet. G.

16. *Similiter*, etc. Aut *similiter ut* legendum videtur, aut veteres *simili-*

parricidas, si nec cupidi sint, nec[17] deos metuant, nec mortem, nec dolorem. Et tamen, quid attinet luxuriosis ullam exceptionem dare[18], aut fingere aliquos, qui, quum luxuriose viverent, a summo philosopho non reprehenderentur, eo nomine dumtaxat cetera caverent[19]? Sed tamen nonne reprehenderes, 22

ter ita cum *et* junxisse, ut cum *ac*, *atque*, *ut* putandum est, quod interdum suspicor, utpote quum sæpe animadverterim *æque et* scriptum in antiquis libris, ubi est in recentioribus *æque ut*. P. Manutius. — Hæc ultima interp. Bremio, et Gœrenzio probatur.

17. *Si nec cupidi sint, nec deos metuant, nec mortem, nec dolorem.* Totus hic locus præpostero verborum ordine ita perturbatus est, ut elicere sententiam nullo modo liceat; et ne lectorem multis morer, verba recitabo, non ut leguntur in omnibus libris, sed ut videtur sententia postulare, « Si ita dicit, non esse reprehendendos luxuriosos, si nec cupidi sint, nec deos metuant, nec mortem, nec dolorem; dicit absurde; similiter *et* si dicat non reprehendendos parricidas, si sapientes sint. Etenim quid attinet luxuriosis ullam exceptionem dare? aut fingere aliquos, qui, quum luxuriose viverent, cetera caverent, a summo philosopho non reprehenderentur eo nomine dumtaxat? Sed tamen nonne, etc. » Lego autem, nec dubitanter quin recte, *etenim quid attinet*, ubi est in omnibus libris *et tamen quid attinet*. Davisius.

18. *Dare* Gœr. scrib. cum edd. vett. et Bremio *dari*, sic passiva activis jungi docente. Coll. de Fato, 20, 46; in Pis. 37, 90; Philipp. V, 14, 39.

19. *Eo nomine dumtaxat cetera caverent.* Lamb. post *dumtaxat*, addendum *dummodo* conjicit, quum particula ista semper adverbii locum obtineat. Vulgatam Brem. defendit ex Suetonii Aug. 66, « non tantum virtutes, ac merita cujusque digne persequutus est, vitia quoque et delicta, dumtaxat modica, perpessus »: ubi *dumtaxat*, *dummodo* valeat. Sed uterque ex vulgatæ interpunctionis vitio errat, quo virgula, quam ante *eo*, i. e. suo loco, reposuimus, post *nomine* reperitur. Sensus est, « modo, quum sic appellentur, cet. caverent ». Bremi autem vitium vitio tuetur: nam in illo Suetonii loco, si contexta accuratius ponderaris, non solum unice recte Ern. h. v. *saltem*, *certe* explicare videbis, sed nihil etiam dubitabis corrigendum esse, « vitia quoque et delicta dumtaxat modice perpessus ». Sic, ut debent, « digne prosequutus », et « modice perpessus », sibi respondebunt, et *perpessus*, ad græci πεπονθώς vim, *pertulit* notabit. Nec aliter Seneca accipiendus de Beneff. V, 2, ut nuper ibi recte vidit Ruhkopf. Et sic loca reliqua, quæ ineptius etiam, qui nuperrime de Particulis scripserunt, in rem suam rapiunt: quamquam vel hoc istos cautiores facere debebat, quod *dumtaxat* probatis auctoribus nusquam, omnium minime Ciceroni ab enuntiati initio ponitur. Solus Plinius Secundus in isto positu sibi placet; cf. Mich. Heus. ad I, ep. 2. G. — Nobis autem videtur ibi *nomen* pro *conditione* positum esse. Eamdem interpretationem admittit gallicus inter-

Epicure, luxuriosos ob eam ipsam[20] causam, quod ita viverent, ut persequerentur cujusquemodi voluptates; quum esset præsertim, ut ais tu[21], summa voluptas, nihil dolere? Atqui reperiemus[22] asotos[23] primum ita non religiosos, ut edant[24] de patella; deinde ita mortem non timentes, ut illud in ore habeant ex Hymnide[25],

Mihi sex menses satis sunt vitæ: septimum Orco spondeo;

jam[26] doloris medicamenta illa Epicurea, tamquam de narthecio promant: « Si gravis, brevis; si longus,

pres, qui: *pourvu qu'ils fussent en garde sur tout le reste.*

20. *Ipsam.* Hic valet *solam*, ut sæpe.

21. *Ut ais tu.* Hæc equidem minus concoquo: eo enim positu *tu* abundat. Vitium vero bis subesse, e codicum inconstantia colligi posse videtur, quum bini illi nostri *ut* omittant, Bas. et P. Mars. *tu* nesciant. Conjicere liceat, *tu ut ais*, pronomine, ut solet, cum vi præposito, cf. Divv. II, ep. 18, *te ut colligas*: ubi verissime Mart. Laguna *ut* addidit. Sed tamen ista verborum series defendi sic potest, ut accommodata sit illi, *ain'*, *aisne tu*, quæ est frequentissima. Abjectum certe pronomen omnium minime placet. G.

22. *Reperiemus.* Recte rejicit Brem. *reperiamus*, quod Ern. suadet. Ut enim h. l. conjunctivus plane incongruus est, ita XXIX loca nobis collecta sunt, ubi idem hic vir præter jus futura illa correxit. G.

23. *Asotos.* Retinuit auctor græcam vocem *asotos*, quum latina *luxuriosos* illam non plene redderet. G.

24. *Edant de patella.* Proverbialis locutio est, ad eos pertinens, qui sacra, profana, susque deque habent. *Patella* enim sacri usus erat: inde Persius Sat. II, 26, « cultrixque foci sacra patella »; ad quæ vet. Schol. « delibatas dapes, in ea positas, ad focum ferri solitas esse », narrat. G. — *Ut edant de patella.* Patellis sacrificio vasa accommoda significari indicat Cœlius: unde illud Ovidii in Fastis: « Fert missos Vestæ pura patella cibos ». Inde appellari *patellarios* deos, qui patellis placarentur. Ex quo illud Plauti, « Dii me omnes magni, minutique, et patellarii ». Morel.

25. *Hymnide.* Hæc Cæcilii fabula, quæ sæpius a Grammaticis vett. laudatur, ex cognomine haud dubie Menandri translata est, cujus mentio fit apud Athenæum, Deipnos. IV, pag. 342. G. — Hunc versum imitatus est Lucilius Satyr. lib. XXVI: « Qui sex menses vitam ducunt, Orco spondent septimum ». Exstat apud Nonium in *duci* et in *annos*. Davisius.

26. *Jam* per Ernest. non bene per *etiam* tentatur: nemo enim illius particulæ, novam rationem addentis, vim ignorare debet, si vel summis modo labris Ciceronem attigerit. G. —*Narthec. promant.* Gœr. dat *narth. proment.* Ita, inquit, cum Pal. 1, bini

levis». Unum nescio, quo modo possit, si luxuriosus sit[27], finitas cupiditates habere.

VIII. Quid ergo attinet dicere, «Nihil haberem, 23
quod reprehenderem, si finitas cupiditates haberent?» Hoc est dicere[1], «Non reprehenderem asotos, si non essent asoti». Isto modo, ne improbos quidem, si essent boni viri. Hic homo severus[2] luxuriam per se ipsam[3] reprehendendam non putat! Et[4], hercule,

quoque illi nostri. Futurum tempus pendet ex præcedente *reperiemus*. Recte igitur Davisius vulgatum *promant* abjecit, Bremiusque sequutus est, conjunctivo (in quem ubique scribæ hæc futura mutant), h. l. vel inde, quod bis præcedit, nato. — Narthecium appellat thecam medicamentorum. Martial. XIV, 78: «Artis ebur medicæ narthecia cernis: habebis Munera, quæ cuperet Pactius esse sua». Est autem νάρθηξ ferula, cujus semen ait Plinius morbis quibusdam succurrere, et ejus lignum servandis medicamentis accommodatum est. Morallius.

27. *Quo modo possit, si luxuriosus sit*. Hæc decurtate dicuntur, pro «quo modo luxuriosus, si vere luxuriosus sit (et non verbo tantum sic appelletur), possit, etc.» Cogitabis enim *aliquis*, ut sæpe, idque plane ex græco omissi τις more, toties apud Platonem obvio. Intempestive igitur Th. Bentl. *possint* ... *sint*, et Ern. *qui* pro *si* suadent. G.—Totius loci hic est tenor: quum dixisset Epicurus non vituperandos esse luxuriosos, si nec deos, nec mortem, nec dolorem timerent, et si cupiditates finirent, respondet Cicero: atqui non difficile est reperire luxuriosos qui deos non timeant, et tam parum religiosos, ut *edant de patella*, nec mortem metuant, nec dolorem; sed ubi reperies luxuriosos qui cupiditatibus finem imponere possint?

VIII. 1. *Quid ergo attinet dicere* ... *Hoc est dicere*. Miror ad hæc intt. tacuisse, quum *dicere* posterius ad eorum obelum pronius penderet, quam alibi. Atque vix probabile videatur ex Platonis recordatione id ipsis accidisse, ex cujus sola imitatione, sic repetitum, recte defendetur. Sexcenties enim apud hunc τοῦτ' ἐςὶ λέγειν, i. e. «quod idem est, ac si dixeris», eodem verbo proxime præmisso. Exempla singuli ejus dialogi plura dabunt. G.

2. *Hic homo severus*. Ernest. probante Bremio, *Sic*, loco τοῦ *hic*, suadet. Atque sane hæc duo, si initiali litera scribuntur, in codd. crebro videre confusa licet, idque maxime apud poetas a versuum initio. Sed hoc loco *Sic* multo foret vulgata deterius. *Hic* enim h. l. adverbium est, pro «quum ita res se habeat», ut sæpe in consecutione, quum in rogatione, tum sine hac, ponitur; cf. Tursell. pag. 275. G.

3. *Per se ipsam*. Gœr. *ipsam per se*. Sic, inquit, e binis illis nostris transposuimus, vel auribus sic suadentibus. Eumdem ordinem præbet Pet. Mars. Cratand. in margine, aliique vett. impressi.

4. *Et, hercule*. Bas. et P. Mars. *Et*

Torquate, ut verum loquamur, si voluptas summum bonum est[5], rectissime non putat. Nolim enim mihi fingere asotos, ut soletis, qui in mensam vomant, et qui de conviviis auferantur, crudique postridie se rursus ingurgitent; qui solem, ut aiunt, nec occidentem umquam viderint, nec orientem[6]; qui consumptis patrimoniis egeant. Nemo nostrum istius generis asotos jucunde putat vivere. Mundos, elegantes[7], optimis cocis, pistoribus, piscatu, aucupio, venatione, his omnibus exquisitis, vitantes cruditatem; « quibus vinum[8] defusum e pleno sit; hir siphon, ut ait Lucilius, cui nihil dempsit; jus et sacculus abstulerit,

hercle præbent : et hac contracta forma Cic. sæpissime. Brut. 72, 251 : « Et, hercle, si sic ageres » : Divv. II, ep. 18. « Et, hercle, sine dubio erit ignominia ». *Hercule* denique separatim interpungendum fuit ; quod intt. inde non curant, quoniam eos præterit, *Et*, sic positam, semper *Et sane* valere. G.

5. *Si voluptas summum bonum est.* Gœr. scrib. *si summum bonum voluptas est.* Hac, inquit, vocum serie nostri omnes, et plerique vett. vulgati; atque haud dubie recte. Nam vis sententiæ est in *summum bonum;* jure igitur appositum præmittendum fuit, atque hunc positum multo esse elegantiorem quisque sentit. Sensus explicatior hic est : « si Epicurus voluptatem simpliciter in bonis numerasset, alia res foret ; sed quum eam summum bonum statuit, rectissime ipsam per se reprehendendam non putat ».

6. *Nec orientem.* Hoc de luxuriosis hominibus et abdomini vinoque natis dicitur. Id quidem Sybaritis fuit solemne. Vide Athenæum, lib. VI, pag. 273, et lib. XII, pag. 530. Iterum de Colophoniis, pag. 526. Inter Romanos id primus usurpasse videtur M. Cato. Vide Senec. ep. 122. DAVISIUS. — Cf. Erasmi adag. in *parasiti*. G.

7. *Elegantes. Elegantis* prisca forma tres optimi nostri : qui etiam in *cocis* sic peccant, ut vulgatæ veritas confirmetur : itemque paulo inferius *vitantis* Gud. 1, Bas. Crat. aliæ. G.

8. *Quibus vinum ... adhibentes ludos.* Gœrenz sic scribit et distinguit versus « ... quibu' vinum Defusum e pleno siet, hir siphone (ut ait Lucilius), cui nil Dempsit, vis aut sacculus abstulerit .... adhibentis ludos ». Hæc, inquit, paucis mutatis, in versus formulam redegimus : quorum loco vulgata *siphon*, *nihil*, atque *et* pro *aut* exhibet. Ante nos eadem Brem. cum Fr. Junio sic metri legibus adstrinxerat : « quibu' vinum Defusum e pleno; hir siphon cui neque dempsit Vis, nec sacculus abstulerit, ludos adhibentis ». Versus hic latere, ne poetæ quidem nomine addito, liqueret : sed Bremii ratio, etsi haud ignores, quam corrupte priscorum poetarum versus in scriptis codd. leguntur, tamen in his mutatis vi-

adhibentes ludos», et quæ sequuntur, illa[9]; quibus detractis, clamat Epicurus se nescire, quid sit bonum : adsint etiam formosi pueri, qui ministrent; respondeat his vestis[10], argentum, Corinthium, locus ipse [ædificium[11]]: hos ego asotos bene quidem vi- 21

olentior videtur, quum particularum illarum mutatio plane contra scribarum corrumpentium morem inita videatur; atque *sit* in codd. omnino omnibus reperiatur. Ne transpositionem quidem illam ad versum complendum probamus : quum vv. *adhibentû ludos* extra continuum poetæ verborum nexum additæ videantur; ut etiam alias Cic. solet v. c. Tusc. III, 12, 26. At nos, quum *siphone* correximus, haud improbabile est nominandi casum ad verbum aptatum esse, quum *hir siphone* contractis in unam vocibus corruptisque scriberetur. *Nil* in plenam formam, et vice versa, a scribis ubique mutatur, compendii lineola vel addita, vel subtracta. *Aut* simplex denique frequenti plane exemplo a scribis in *et* corrumpitur : ut de crebro ejus post negativas usu taceamus. Ceterum *defusum* cum Lambino, Ern. et Bremio, pro *diffusum*, quod nostri omnes tenent, ideo prætulimus, quod *e pleno* additur. *Hir siphon* deinde plene Victoriana præbet, a qua parum abludunt Spir. *hyrsizon*, Erl. *hrysizon*, Gud. 2 *hisyrphon*. Gud. 1 *hynim* peccat; sed in marg. *tyrsiphoro*; unde deinde *œnophoro* natum, quod idem ad marg. adscriptum habet. Scaliger *hir* sic explicat, ut *manum*, *volam*, qua degustentur vina, notet : commemorant hanc vocem Charisius Putsch. pag. 12, 23; Priscianus, pag. 648, 9; 698, 44; Valerius Probus, pag. 1451, 2; 1477, 21; Phocas, pag. 1690, 30; 1694, 41; Alcuinus, p. 2101, 9, omnes *ir* scribentes : nullum enim nomen in *hir* terminari ait Val. Probus pag. 1455, 35. *Vis*, pro *vires* (quod tamen legi vult Jos. Scaliger sic : *vires sacc. abst.*), pluribus Lucretii, aliorumque locis probatur; cujus loco inepta *jus* vulgatur : pro quo alii parum feliciter *nix* conjiciunt; melius, certe ingeniosius, Rath. *virus*. —De *sacculo* vinario vide Colum. IX, 15. Quod autem præcedentem versum non cum Bremio verbo *adhibentis* complevimus, inde factum puta, quia nimis abrupte sic poeta pergere nobis videbatur; sæpiusque auctorem ita carminum contexta excerpentem nossemus.

9. *Et quæ sequuntur, illa.* Alii *sequuntur illa.* — Reponenda Bremio ante *illa* virgula erat, qua recte Ern. distinxerat : dicitur enim hoc pron. ut alibi *is*, pro *illa dico quæ seq.* et remittit lectorem ad superius posita, 3, 7, prout sæpissime solet. G.

10. *Vestis.* In Gud. 1, Bas. et Vien. *vestis* abest; sed scribæ non videbant vocem istam h. l. de *tapetibus* et *stragulis* dici. G.

11. *Argentum, Corinthium, locus ipse* [*ædificium*]. Mire turbatur in scriptis. In pluribus codd. additur post *Corinthium*, *orichalcum*, quod, ut solet, varimoda corrumpitur : sic v. c. cum P. Marso Gud. 2 *atrilicium* præbet. Deinde apud eumdem Mars. cod. insuper *aut Deliacum* huic voci præponit, quod idem Muretus Varr. Lectt. VI, cap. 20, reperisse se in scriptis testatur, corrigens, « arg. æs

vere, aut beate, numquam dixerim[12]. Ex quo efficitur, non ut voluptas ne sit voluptas, sed ut voluptas non sit summum bonum. Nec ille, qui Diogenem stoicum adolescens, post autem Panætium audierat, Lælius, eo dictus est sapiens, quod non intelligeret, quid suavissimum esset (nec enim sequitur, ut cui cor sapiat, ei non sapiat palatum[13]); sed quia parvi id duceret.

O lapathe, ut jactare[14] necesse est, cognitu' cui sis!

Corinthium, aut Deliacum, ædificium, locus ipse ». Eam rationem suam fecit Lamb. eidemque Rathius consentit, nisi quod *æs* post *Deliacum* reponit. At nos hæc festinantius fieri statuimus, quum ista glossatori deberi videantur, qui super vocem *Corinthium* notarat, *aut Deliacum* (quod alibi legerat) *orichalcum*, i. e. hæc æris genera nihil ab orichalco differre. In nostris, præter Gud. 2, nihil tale additur. Nec opus est *æs* addi, quum *Corinth.* ad *argentum* adjectum, per se jam satis dignoscatur. At v. *ædificium* non concoquimus, quod Mars. ignorat, quodque nobis certissimum vocis *locus* glossema videtur. Ubicumque enim vocem hanc colloces, ubique offendet. Non autem sine causa auctor vagum vocabulum posuit, ut id ad triclinii pariter atque totius domos splendorem applicari posset. Uncis igitur glossam notavimus. G.

12. *Hos ego asotos ... dixerim.* Gud. 1 et Bas. cum vett. excusis plurimis, *ergo*. Neque id male; est enim hæc part. ex prægressis colligentis. Sed nimis sæpe sic pron. illud corruptum est. Deinde duo nostri cum olim vulgata *at* præbent. Sed recte Davis. *aut*, quam etiam nostri reliqui servant, reposuit. Nam noli putare, *bene* h. l. ex vulgi sensu dici : quum, asotos non bene vivere, Lucilii loco firmetur. At ante *numquam* virgula ponenda erat, sine qua particulæ vis obscuratur. Verbis *numquam dixerim* reguntur vv. accusativi casus supra positæ *mundos*, *elegantes*. G.

13. *Palatum.* Gœr. *palatus.* Ita, inquit, nostri omnes, cum plerisque vett. impressis et codd. reliquis, binis Pariss. exceptis, e quibus Davis. *palatum* dedit; eique adhæsere Ern. et Bremi, ideo, quod *palatus* nusquam alibi occurrat. Sed recte notat Rath. verba esse proverbii, atque inde, ut priscam vocem *palatus* defendi. Illorum ratio si valebit, corrigendum quoque erit Somn. Scip. 6, « terram ... circumdatam cingulis, e quibus duos, etc. » et lib. II de Gloria, apud Charis. p. 61, « nuntiabantur gladiatoris sibili », ut ejusmodi heteroclitorum multa, si semel leguntur. Adde scriptorum, quorum causa mutatum est, vile pretium, et scribarum infrequentiores formas in solitas vertentium morem : ita facile videbis, citra jus vulgatam esse abolitam.

14. *Ut jactare ... In quo.* In his verbis, pæne singulis, scripti vehementer turbant; sic tamen, ut vera lectio, ea vulgatæ esse videatur. Possis quidem ex eorum vestigiis male, *cognitu qui sis*, i. e. *quale*, qua egregia

In quo[15] Læliu' clamores sophos ille solebat
Edere[16], compellans gumias[17] ex ordine nostros.

Præclare Lælius, et recte σοφός, illudque[18] vere :

O Publi, o gurges, Galloni, es homo miser, inquit[19];
Cœnasti in vita numquam bene, quum omnia in ista
Consumis squilla, atque acipensere cum decumano.

Is hæc loquitur, qui in voluptate nihil ponens, negat eum bene cœnare, qui omnia ponat in voluptate : et tamen non negat, libenter umquam cœnasse Gallo-

natura, « sis si recte cognitum, fueris », ut etiam plures referunt (Erl. et Spir. *cogn. quis sis*), idque ideo, quod, apostropho uti, scribarum non sit. Sed *cui* melius ad contexta coit, et in *cui* ubique peccatur ; idque magis, quod a Lucilio haud dubie *quoi* scribebatur.

15. *In quo.* Post *In quo* (quod ad totam præcedentis versus sententiam refertur, nempe « jactando, prædicando, quali virtute sis »), codd. plures, *cognitu*, ex aperta glossa repetunt, quod nostri ignorant. G.

16. *Clamores ... Edere.* Idem est, quod supra explicavimus, clamabat; cf. I, § 58; II, § 23. G.

17. *Gumias*, ex Pal. 1 editum, bini quoque nostri firmant, reliquis *gumas* peccantibus. G.

18. *Præclare Lælius, et recte σοφός, illudque vere.* Non solum hoc loco, sed etiam supra in vv. *sophos ille*, Gœr. *sophos* græce scribit. Hæc nempe, inquit, « præclare Lælius..... illudque vere », Ciceronis esse, non Lucilii, ut quidam volebant, legentes « Læliu' præclare et recte sophos, illaque vere » recte viderunt Davisius et Bremius. Sed pro *illudque vere*, Erl. et Spir *illud vero*, quod esse aliquid, et recte defendi posse, videtur, si post tres istos, qui sequuntur, versus, *hæc* per anacoluthon, Ciceroni ex longiore ῥήσει interposita frequentissimum, adjectum judicaris : ut integra constructio, *illud vero ... is loquitur, qui*, etc. pergere debuisset. Ferri tamen vulgata potest, si *que* transeundi vi acceperis. Majore igitur distinctione interpunximus. Bis denique græce σοφὸς scripsimus, quum Brem. posteriore modo loco sic ederet : sed Lucilium græca verba græcis literis picta versibus suis immiscuisse, ex ejus fragmentis, quæ adhuc exstant, certum est.

19. *O Publi ... Galloni .. inquit.* Non de duobus hic agitur, sed de uno, luxurioso et guloso homine, Publio scilicet Gallonio. — De isto *Gallonio*, præcone, vide orationem pro Quintio, cap. 30; intt. ad Horat. Serm. lib. II, 2, vs. 46, qui idem ad hos versus respicit : inprimis autem Douzam ad Lucilii Fragmm. pag. 284. Ceterum prave Ern. *inquit*, ut a Cicerone profectum, scribit. Lælius sic loquens inducitur.—Paullo post, *omnia ... consumis*, i. e. ingenti pretio emis.—In verbis denique « acipensere cum decumano » corrigit Lamb. *cum (quum) in*, quod probat Dav. Ita certe *cum*, sic posita, paullum

nium; mentiretur enim; sed bene. Ita graviter et severe voluptatem secernit a bono. Ex quo illud efficitur, qui bene cœnent, omnes libenter cœnare; qui libenter, non continuo bene. Semper Lælius bene. Quid bene? Dicet Lucilius[20], « cocto[21], condito ». Sed cedo caput cœnæ[22]. « Sermone bono ». Quid ex eo? « Si quæri', libenter[23] ». Veniebat enim ad cœnam, ut animo quieto satiaret[24] desideria naturæ. Recte ergo is negat, umquam bene cœnasse Gallonium; recte, miserum[25]: quum præsertim in eo omne studium consumeret. Quem libenter cœnasse nemo negat. Cur igitur non bene? quia quod bene, id recte,

mollitur. Brem. videtur præpositionem, non conj. accipi voluisse, sed quo jure nescio. Tres optimi nostri cum Vien. *decimano* : sed ita ubique variatur. G.

20. *Dicet Lucilius.* Sic Davis. e binis suis et Victorii ed. quem Bremius recte sequutus est. Idem servant Gud. 1, Mars. et Crat. Equidem post *dicet*, etiam *item* addendum suaserim, quum tertio jam loco Lucil. laudetur. *Item* autem ob posteriorem syllabam vulgati *dicit* sæpe ex compendio obliteratum reperitur. Ut alia exempla mittamus, haud importune locus animum subit, simili ratione corruptus. Cf. Orat. III, 55, 211 : « Refert etiam, qui audiant, senatus, an populus, an judices; frequentes, an pauci, an singuli; et quales ipsi quoque oratores, qua sint ætate, honore, auctoritate, debet videri : tempus, pacis an belli, festinationis an otii, etc. » In hoc exemplo, inter *videri* et *tempus*, *item* addendum est', quod quomodo exciderit, non latet. G. — *Quid bene? Dicet Lucilius.* Interpretandum est : Lucilius ipse dicet, explicabit quid, cur Lælius semper bene cœnaret.

21. *Cocto, condito... libenter.* Ern. hæc confudit, sic literis currentibus distinguens, ac si omnia Lucilii essent. Plena Lucilii verba, ut viderunt intt. Att. XIII, ep. 52, leguntur, « bene cocto, Condito, sermone bono, et, si quæri', libenter ». Nos in his distinguendis sequuti sumus Bremium. G. — Vertit gallicus interp. *tout y était bien cuit, bien apprêté.*

22. *Sed cedo caput cœnæ.* Int. sed, dic mihi, quid in cœna optimum, præcipuum erat?

23. *Quid ex eo? Si quæri', libenter.* Vertit gallicus interp. *qu'en résultait-il? le plaisir.*

24. *Animo quieto satiaret.* Transponunt Bas. cum Mars. Crat. et vett. impressis aliis, *satiaret an. qu.* sed prave, quum sententiæ vis in *an. quieto* insit, i. e. *libero a cupiditate.* Opponitur *studium*, σπουδὴ, quod Gallonius in opiparis cibi apparatum conferebat. G.

25. *Recte, miserum.* Sc. *dicit Lucilius*; quod in præcedente *negat* latet. Nihil igitur opus, ut cum Lamb. *dicit* inseras. Respicitur autem ad superiora, « Galloni, es homo miser ». G.

frugaliter, honeste: ille porro[26] male, prave, nequiter, turpiter cœnabat. Non igitur nec lapathi[27] suavitatem acipenseri Gallonii Lælius anteponebat, sed suavitatem ipsam negligebat. Quod non faceret, si in voluptate summum bonum poneret.

IX. Semovenda est igitur voluptas, non solum ut 26
recta sequamini[1], sed etiam ut loqui deceat frugaliter[2]. Possumusne igitur in vita summum bonum dicere, quum id[3] ne in cœna quidem posse videamur?

26. *Porro* rarissimo exemplo in oppositione ponitur. G.

27. *Non igitur nec lapathi suavitatem. Nec* Manut. Lamb. Bremius, Rath. delent. Rath. Davisium dicit, *nec* retento, falsam locorum corrigendorum rationem sequutum. At hic simpliciter *nec* abjici jubet, quum eam Balliol. nesciat. Ignorant eamdem *quatuor* Oxonn. et P. Mars. At si vel plures etiam, et meliores scripti, *nec* delerent, tamen verissima fuerit. Ut enim alibi auctor ad Q. Fr. II, ep. 16: « Non prætermittam ne illud quidem », ita h. l. *non ... nec*, pro *non ... ne quidem*, seu *etiam non*, ponitur: sæpius enim sic *nec*, præcedente negatione, ponitur. Cf. Legg. I, 16, 45, « nec arboris, nec equi virtus... in opinione sita est ». Præcedit de hominis virtute non in opinione ponenda, cf. supra § 13. Nostri scripti *nec* omnes retinent, omisisseque eam inscitia videtur, quum sensus sit, « Quare vel etiam lapathi suavitatem (quam tantopere prædicat) Lælius acipenseris suavitati non præferebat ». Sic enim hæc ex curtatiori dicendi ratione capienda sunt. G.

IX. 1. *Sequamini*. Bas. E. ξ. Mars. *sequamur*: sed pæne ubique scribæ hanc verbi deponentis personam obliterare solent. Alias quidem auctoris urbanitas in ejusmodi monitis primam verbi personam ponere amat: sed hoc loco consulto, propter ea, quæ addit, quæque Epicureos proxime tangunt, secunda persona usus videtur. G.

2. *Ut loqui deceat frugaliter*. Neque vacare mendo locum hunc existimo (quid enim sibi vult *loqui frugaliter?* quum hic frugalis cœna potius quam sermo laudetur); neque mihi tamen, cupienti emendare, probabile quidquam succurrit. In quo quia meliore forsitan eventu aliorum exercebitur industria, notandum putavi. MAN. — *Ut loqui deceat frug.* Sic explicabis, ut *deceat* pro *decere intelligatur*, positum dicatur. Quæ structura sine justa causa Ernestium sic offendit, ut *loquamini, ut decet, frug.* conjiceret. G.

3. *Possumusne igitur... quum id.* Erl. et Spir. *ergo*: quod utique melius, quum *ergo* ubique in finali consecutione auctori ponatur, *igitur* non item. Accedit quod ter *igitur* brevibus intervallis præcedit. Has autem partt. ex compendiorum similitudine ubique misceri, plane pervagatum est. Pro *quum id* tentant VV. DD. *quod*: sed h. l. ad *summum bonum* non *id*, sed *aliquid*, cogitandum omittitur, et *id* sequens, *tale, quale dicimus*, ut centies, notat. Sic cadit etiam Lambini violentior ratio, post *igitur*, vo-

Quo modo autem philosophus loquitur tria genera cupiditatum[4], naturales, et necessarias; naturales, non necessarias; nec naturales, nec necessarias? Primum divisit ineleganter[5]. Duo enim genera quæ erant, fecit tria. Hoc est non dividere, sed[6] frangere rem. Qui si diceret, cupiditatum esse duo genera, naturales, et inanes; naturalium quoque item[7] duo,

cem *voluptatem* de suo addentis. G.

4. *Loquitur tria genera cupiditatum.* Hæc dicendi ratio nuper contra veram rationem impugnata est. Nam aliud est, si *argumenta loqui* Acadd. II, 15, 24, aut *oratio loquitur* Orat. 27, 92, scripseris; quæ sua natura vitiosa sunt: aliud, « genera, rem, tempora, præcepta loqui », pro « eloqui, proferre dicendo »; talia sane apud omnis ætatis scriptores frequenter dicuntur. G. — *Quo modo autem philosophus loquitur*, etc. Rathius ponit punctum interrogationis post *cupiditatum*, nulla causa allata. Bene gall. versio interpretatur: *D'où vient, au reste, qu'Epicure parle de trois sortes de cupidités*, etc.

5. *Primum divisit ineleganter.* Vere monet Cic. hanc divisionem, quæ est κυρίων δοξῶν XXXI (cf. supra I, § 45), esse parum elegantem: sed eodem, quo vult, modo, divisit ipse quoque Epicurus in epistola ad Menœceum Laert. X, 127: Τῶν ἐπιθυμιῶν αἱ μὲν εἰσὶ φυσικαὶ, αἱ δὲ κεναί. Καὶ τῶν φυσικῶν αἱ μὲν ἀναγκαῖαι, αἱ δὲ φυσικαὶ μόνον. Τῶν δὲ ἀναγκαίων αἱ μὲν πρὸς εὐδαιμονίαν εἰσὶν ἀναγκαῖαι, αἱ δὲ πρὸς τὴν τοῦ σώματος ἀοχλησίαν, αἱ δὲ πρὸς αὐτὸ τὸ ζῆν. Qui autem pro *ineleganter* h. l. *negligenter*, teste Lamb. suadebant, eos ipsos *inelegantes* fuisse oportet, quippe qui interiorem vocis naturam non assequerentur. Conf. § 27: « quamquam in hac divisione... elegantiam desidero ». G.

6. *Non div. sed frangere rem. Rem* Gœr. delet. Ex certo, inquit, est glossemate; nam est hæc solita auctoris dicendi ratio, v. c. « Optare hoc quidem est, non judicare. Hoc est non persuadere, sed vim afferre, etc. » Recte igitur vocem Davis. et Ern. improbarunt, Bremique cancellis inclusit, ignoratque eam præter Pal. 1, et Eliens. 2, Erl. et Spir. sique auctor additam voluisset, ante *sed* posuisset. Jure igitur optimo delevimus.

7. *Naturalium quoque item duo.* Vitium condunt voces *quoque item.* Nam licet sic particulas notione easdem auctor haud ita raro copulet: ignorant tamen Erl. Spir. E. ξ. utramque hanc particulam, et a Gud. 2 et Bas. modo *item* abest. Simpliciter auctorem, *naturalium duo*, scripsisse, hoc in orationis tenore vix crediderim: *item* autem glossam ad *quoque* additam putare, quamquam haud ita raro textis adhæret, hac de causa non placet, quod, Cicerone toties *item* pro *etiam* scribente, *quoque* rectius in glossemate numerandum fuerit. Quid igitur judicandum? Altius scilicet vitium repetendum esse. Ad libros de Legg. toties vidimus, quantas scribarum turbas *que* excitarit, si transeuntis orationemque continuantis est, et *porro* valet. Sæpe tum *que* omitti, sæpe in *quoque* mutari, sæpius in alia omnia abire,

necessarias, et non necessarias : confecta res esset.
Qui hæc didicerunt[8] quæ ille contemnit, sic solent:
vitiosum est enim in dividendo, partem in genere nu-
merare. Sed hoc sane concedamus. Contemnit enim 27
disserendi elegantiam[9] : confuse loquitur. Gerendus
est mos, modo recte sentiat. Et quidem illud non ni-
mium probo, et tantum patior, philosophum loqui
de cupiditatibus finiendis[10]. An potest cupiditas finiri?

ad illos libros haud semel vidimus; cf. Legg. I, 11, 32, etc. Sic retrahenda hæc *que* est Orat. 34, 120 : « Quumque illa divina cognorit, nolo ignoret ne hæc quidem humana ». Schütz. e Gud. 2, *que* delevit. In *quoque* corrupta, revocanda est pr. Leg. Manil. 18, 55: « nos, quorum majores... superarunt... vicerunt, ii (rectius ex uno nostro *his*) nullo in loco jam prædonibus pares esse poteramus : nos quoque, etc. » vel invitis codd. *nosque* corrigendum; vide contexta. *Item* additum a scribis dixeris, quum vim transeundi, quæ in *que* inest, ignorarent. Ita simili ratione Off. II, 3, 12 : « Earumque item rerum... eadem divisio est ». *Item* ibi probatiores scripti multi ignorant, et in his tres nostri. Recte : nam sufficit *eadem*. Ita quoque *item* rejiciendum, quod ex Crat. recepit Hotting. Divin. I, 6, 10; cf. Acadd. II, 17, 54. Ex his igitur hoc quoque loco *naturaliumque duo* corrigendum videtur. Necessarium certe ob repetitum *duo*, sine vera causa *item* dixeris. G.

8. *Qui hæc didicerunt... sic solent.* Hæc verba reduxit Gruterus ex Pal. 3, eademque præstat etiam Crat. in marg. reperta itidem in Rob. Steph. cod. et Davisii Meadiano. Eadem verba Pal. 1, cum Erl. et Spir. transposita refert ante, « Qui si diceret »; unde eorumdem quoque neglectorum causa liquet. Omissa scilicet a librario erant, et in margine appicta : ita deinde ab aliis scribis alieno loco inserta sunt, ab aliis plane præterita. Suum autem in vulgatis locum vere servant; nam Davisii ratione, eadem in parenthesi post *diceret* reponi jubentis, nihil sane fuerit coactius. G.

9. *Contemnit enim disserendi elegantiam.* Erl. et Spir. *enim* ignorant; quod in his brevibus enuntiatis quam maxime probamus. Frangitur etiam oratio, ex oppositorum brevitate vim suam accipiens : *disserendi* enim *elegantia*, et *confuse loqui* sibi e regione ponuntur. G.

10. *Et quidem i. non n... finiendis*. Gœr. dat : *equidem illud ipsum non n.* etc. Primo, inquit, ex Erl. et Spir. *Equidem* correximus; vulgatur *Et quidem :* quod per se parum contextis aptum, sæpissime in codd. ex *equidem* corruptum videre licet. Ut unum ponamus, pro Ligar. 10, 30 : « Causas, Cæsar, egi multas, et quidem tecum ». Duo ibi mei cum aliis pluribus *equidem*, idque verissimum : *equidem* enim consulto ad *tecum* additum est; quum contra *et quidem* langueat. Deinde recte se habent *illud ipsum*, i. e. *vel, adeo illud*, quorum posterius Davis. ex 4 suis delevit. Sed nostri idem omnes servant; defenditurque

tollenda est, atque extrahenda radicitus. Quis est enim, in quo sit cupiditas, quin recte cupidus dici possit[11]? Ergo et avarus erit, sed finite; et adulter, verum habebit modum; et luxuriosus eodem modo. Qualis ista philosophia est, quæ non interitum afferat pravitatis[12], sed sit contenta mediocritate vitiorum?

ipsa loci sententia.—*Tantum* ex solo Pal. 1 receptum, unus Spir. confirmat; nam Erl. cum olim vulgata *tamen* refert. Lapsus scribarum ex comp. *tn* et *tm* facillimus erat; neque *tamen* h. l. defendi recte potest. Sed haud bene egit Brem. quum *et*, ante *tantum*, cancellis, ut prave additam, cohiberet; quum *sed* valeat, ut post negationem sæpissime. — *Non probo, et tantum patior*, etc. Mitius hac de re Cicero ideo judicat, quod hæc sententia Epicuro cum Academicis, reliquisque philosophis, communis erat, Stoicis, quos ille sequitur, solis eam oppugnantibus; quippe qui cupiditates non *finiendas*, οὐχ ὁριςέα, i. e. moderandas, sed exstirpandas juberent.

11. *Quis est... quin recte cupidus dici possit?* Erl. et Spir. *qui non:* atque sic hac in forma proprie Cicero. Facile etiam vulgata inde nasci potuit, quod *n.* ex nota *non* scribitur. Monemus autem hoc inde, quod in hac dicendi ratione *non* vim habere debet, quæ in *quin* perit. Alia res est in *quis dubitat, quin*, et similibus, quæ huc nihil pertinent.—*Ergo*, quæ sequitur, semper fere ex alterius sententia colligit, si futuro junctum ponitur. G. — Forsan sensus est: Quis est enim, si Epicuro assentimur, qui vituperari poterit quod cupidus sit, qui non poterit dicere se recte cupidum esse, sc. recta non mala cupidine laborare? Sic vis voc. *recte* in *cupidus* non in *dici* feretur; quem sensum seqq. confirmant.

12. *Interitum afferat pravitatis.* Recte secundum casum defendit Bremius, Davisio ex Victorii et Th. Bentl. auctoritate *pravitati* edente. Sed si idem, virorum summorum exemplo nisus, nullum plane duplicis hujus structuræ discrimen statuit, in eo interius linguæ ingenium periclitari, atque inde paullo accuratius agendum esse, judicamus. Primo hoc statim discrimen in oculos quasi incurrit, dativum hujus structuræ esse eum, qui commodi vel incommodi vocatur; genitivum autem non ad verbum, sed ad substant. regens pertinere. Quam rem si accuratius ponderaris, facile videbis, cur semper Cicero, v. c. « nervos virtutis, stirpes superstitionis, ægritudinis, etc. » *elidere*, et æque ubique « nervos virtutis incidere » dicat: claudicat enim interior sententiæ natura, si tertium casum posueris. Facile etiam mutatam sententiæ vim agnosces, si *litem alicujus æstimare*, et *ædem Jovis dedicare*, dicitur: ad rem enim sic proxime respicitur, non ad personam; quod secus est, si tert. casus additur. Minutius discrimen est, si, « fidem orationis, judicii sui, facere » dicitur Orat. III, 26, 104; Acadd. II, 7, 19; sed hoc facile videbis, sic modo tum recte poni, ubi vagius dici liceat, neque certa quædam cujusdam oratio, etc. cogitanda sit. Adjungamus unum locum Legg. III, 18, 40: « brevitas non modo senatoria, sed etiam oratoris ma-

Quamquam in hac divisione rem ipsam prorsus probo; elegantiam desidero. Appellet hæc desideria[13] naturæ: cupiditatis nomen servet alio, ut, quum de avaritia, quum de intemperantia, quum de maximis vitiis loquetur, eam tamquam[14] capitis accuset. Sed hæc qui- 28
dem liberius ab eo dicuntur, et sæpius. Quod equidem non reprehendo: est enim tanti philosophi, tamque nobilis, audacter sua decreta defendere.

Sed tamen ex eo, quod eam voluptatem (quam omnes gentes hoc nomine appellant[15]) videtur amplexari sæpe vehementius, in magnis interdum versatur angustiis, ut, hominum[16] conscientia remota,

gna laus est in sententia ». Voces *in sententia* ibi eodem exemplo in clausula reperiuntur, quo supra ad notionem sic explicative adjunctam *dico*, *puta*, etc. cogitandum esse docuimus. Ut reliqua præcidamus, hoc quoque loco auctor non adeo bene « interitum afferat pravitati » scripsisset, quum sic posset abstractum pro concreto dictum putari, i. e. *pravis*, vagante loci sententia. Immo potius genitivus accipiendus est, ut in illis, « apem afferebat magnæ probitatis; suspicionem attulit immutatæ voluntatis; detractio molestiæ consecutionem affert voluptatis », de Fin. lib. I, § 37, etc. Facile, his expositis, tua sponte intelliges, quando uter casus poni vel possit, vel debeat. G.

13. *Appellet... desideria naturæ.* Ὀρέξεις, non ἐπιθυμίας, quali verbo Epicurus constanter usus erat. Id vero ipsum Stoicorum est, qui illas probabant, has condemnabant. G.

14. *Ut, quum de av... eam tamquam.* Gœr. dat: *ut eam, quum de av. ... tamquam.* Ita, inquit, ex Pal. 1, Erl. Spir. transposuimus. Exciderat pron. ante *quum*, repusuere deinde scribæ, sed falso loco. In Bas. plane abest, et in aliis scriptis in vulgatæ loco *ea* legitur, male ad *vitia* relatum. Corrupere igitur sententiam Lambinus et Davisius, quum *ea* ederent. Meliorem positum vel spissiores aures sentiunt. Ex his denique, quæ deinde subjiciuntur, levis quædam ironia suapte sponte patet.

15. *Quam o. gentes ... appellant.* Pertinent hæc ad cap. 3, § 6: « aut Epicurus, quid sit voluptas, aut omnes mortales, qui ubique sunt, nesciunt ». Nam huc usque auctor id fere egerat, ut doceret, Epicuri *voluptatem* nullam aliam esse, quam quæ vulgo ubique appelletur. Jam verbis illis, tamquam ex tractati argumenti repetitione, ad indolentiæ Epicureæ refutationem pergit, quam ipsam ab illo, tamquam deum ex machina, adhiberi dicit, ad difficultates scilicet rumpendas, in quas se, ista voluptate ut summum bonum posita, induerit. Patet ex his, quam parum considerate ista ipsa verba Ern. parenthesi addixerit. G.

16. *Ut, hominum ... esse facturus.* Vertit gall. interp. *Qu'il semble qu'il n'y ait rien de si honteux qu'il ne puisse*

nihil tam turpe sit, quod voluptatis causa non videatur esse facturus. Deinde, ubi erubuit (vis enim est permagna naturæ), confugit illuc, ut neget accedere quidquam posse ad voluptatem nihil dolentis. At iste non dolendi status non vocatur voluptas. Non laboro, inquit, de nomine. Quid, quod res alia tota[17] est? Reperiam multos[18], vel innumerabiles potius, non tam curiosos, nec tam molestos, quam vos estis : quibus, quidquid velim, facile persuadeam. Quid ergo dubitamus, quin, si non dolere, voluptas sit summa, non esse in voluptate, dolor sit maximus? cur id non ita fit[19]? Quia dolori non voluptas contraria est, sed doloris privatio.

29 X. Hoc vero non videt, maximo argumento[1] esse,

faire sans témoins. Sed veremur ne vocum *hom. c. remota* sensum parum ceperit. Significant : Nulla habita ratione earum opinionum quas de bono et malo hominum omnium pectoribus natura infixit. Sic apud Tacit. « humani generis conscientiam aboleri arbitrabantur ».

17. *Quid, quod res alia tota est?* Id est : « Laborandum sane de nomine est, quum, quam vim huic tribuis, ea toto cælo a nominis vera notione diversa sit ». G.

18. *Reperiam multos.* Ante hæc Gœr. diverbii signum — posuit, ut ab Epicuro dicta : aliud ante *quid erg. dubit.* ut Cicerone objiciente; aliud ante, *quia dol.* ut Epic. respondente.

19. *Cur id non ita fit?* Sc. *a te* : hoc est : « cur non eum dolorem summum dicis, sine voluptate esse, æque ut hanc voluptatem summam statuis, esse sine dolore? » G.

X. 1. *Hoc vero non videt, maximo argumento esse.* Sic emendavi ego vitiosum locum; et vulgatam lectionem, *Hoc vero non videre*, levi mutatione explicavi, ut deinde sit ἀνακόλουθον. Ernest. non repererat correctionem probabilem. J. V. L. — Ceteris interpretibus hunc locum vel corrigentibus, vel in vitiosis numerantibus, unus Matthiæ verum vidit, nihil esse mutandum, quum *videre* infinitivus sit cum admiratione indignantis, et post parenthesin (quæ ipsa in vulgatis abest, addita primum a Bremio), pergere orationem ἀνακόλουθον. Opportune affert ille, infra IV, 27, 76 : « Hæc non videre, cujus generis onus navis vehat, ad gubernatoris artem nihil pertinere! » Adde Verr. V, 6, 14 : « Tantumne vidisse in metu periculoque provinciæ! » ubi simul acris ironia se addit. Alibi his inff. doloris quoque affectus adjungitur. Att. V, ep. 20 : « At te Romæ non fore! » cll. Rosc. Comœd. I, 4 : « Proh dii immortales! essene quemquam tanta audacia præditum, qui.... id petere audeat! » Solere autem post longiorem parenthesin auctorem ad aliam constructionis

voluptatem illam[2], qua sublata, neget se intelligere omnino, quid sit bonum (eam autem ita persequitur, quæ palato percipiatur, quæ auribus; cetera addit, quæ si appelles, honos præfandus sit[3]); hoc igitur, quod solum bonum severus et gravis philosophus novit, idem non videt ne expetendum quidem esse, quod ad eam voluptatem hoc eodem auctore non desideremus, quum dolore careamus. Quam hæc sunt contraria[4]! Hic si definire, vel dividere[5] didicisset, si loquendi vim, si denique consuetudinem verborum teneret, numquam in tantas salebras incidisset. Nunc vides, quid faciat[6]. Quam nemo umquam volupta-

viam deflectere, alibi sæpe docuimus. Pergere igitur oratio sic debebat, « maximo argumento esse, voluptatem illam... hoc eodem auctore non esse desiderandam, etc. » Horum loco ita mutata est, ut vides. Sic nihil plane est, cur ante hæc cum vulgata lacunæ signa ponas; intime enim cum præcedd. cohærent. Neque, ut alia intt. conamina mittamus, probabis, quum Bremium *videt* de suo edidisse, et Rath. insuper etiam *negat* correxisse, videas. Contexta, animum vel parum admoventi, se ipsa expediunt. G.

2. *Illam*, ex Pal. 1, pro *ullam* receptum, item bini illi nostri confirmant. G.

3. *Quæ palato... præfandus sit.* Innuit auctor eumdem ipsum Epicuri locum, quem, sæpius ante indigitatum, supra § 7, pæne ad verbum vertit. G.

4. *Quam hæc sunt contraria!* Sic P. Faber ad Acad. I, 2, legendum statuit, et sic bene suasit Gruterus, denique recepit Davisius, ex Palat. 1 et Eliens. 2. Alii, « Quamquam hæc sunt contraria », frigide.

5. *Si definire, vel dividere.* Gœrenz scrib. *si def. si div.* Sic, inquit, Erl. et Spir. idemque refert Nonius hunc ipsum locum v. *salebræ* laudans. Quod utique melius videtur; quum *vel* parum quadret, notionibus vere diversis; nec optione inter utrumvis data, sed utroque in Epicuro desiderato. Quid, quod auctor tum non *vel*, sed *aut* posuisset? Adde quod hæc quatuor ad unam logicam Stoicorum more referuntur, cujus prior pars *dialecticam*, posterior *disserendi artem* complectebatur. His commoti rationibus meliorum codd. lectionem jure prætulisse nobis videmur. Ceterum spectat *definire* ad notionem voluptatis; *dividere* ad illam *cupiditatum* descriptionem: reliqua denique partim ad illam Epicureorum querelam, Epicuri sententiam a secus sentientibus non recte intelligi, cf. 4, 12, seqq. partim ad hæc, quæ a § 27 inde monentur.

6. *Nunc vides, quid faciat.* P. Manut. *videlicet*, Davis. *video*, Ern. *vide* mavult; sed recte occurrit Brem. græcum ὁρᾷς comparans (vide nos ad Acadd. II, 18, 57). Nimium sæpe sic Cicero, quam ut quidquam de lectionis veritate dubitare liceat. Si insuper

tem appellavit, et hanc in motu voluptatem, quæ duo sunt, unum facit: sic enim has suaves, et quasi dulces voluptates appellat. Interdum ita extenuat[7], ut

sententiæ tenorem spectes, hic est, « Si Epicurus logicam curasset, ad has ineptias prolapsus non esset: at nunc quid faciat videre licet, etc. » Si *vide* posueris, *attende* notabit *specta*. At quæ sequuntur nihil sunt, nisi ante disputata repetentis. *Video* hac in verborum vicinitate nescio quid inconsonum habet. *Videlicet* denique glossam diceres: nam « vides, videmus, videtis », ex eodem illo græco usu, sic ubique auctori dicitur, ut « videre tibi, nobis, vobis licet », valeat. G.

7. *Quam nemo umquam voluptatem appellavit, et hanc in motu voluptatem, quæ duo sunt, unum facit: sic enim has suaves, et quasi dulces voluptates appellat. Interdum ita extenuat, ut M'. Curium*, etc. Multa hic dubia, quæ unusquisque arbitrio suo refingit. Gœr. scribit: « Quam nemo umquam voluptatem appellavit, appellat, atque quæ duo sunt, unum facit: Hanc in motu voluptatem (sic enim has suaves, at quasi dulces voluptates appellat), interdum ita extenuat ». Haud parum, inquit, a vulgata discessimus. Et tamen nihil, nisi voculam *atque* addidimus, quam ex alliteratione excidisse vides: reliqua enim omnia plene ex Erl. et Spir. deprompsimus neque dubium nobis est, sic quoque Pal. 1, Morelii cod. et Meadianum Davisii exhibuisse, quippe ex quibus item *appellavit appellat* enotatur: sed VV. DD. quum transposita verba viderent, quibus ad certam sententiam uti nescirent, ejus rei mentionem facere neglexerunt. Omnis enim hæc tanta turba ex hoc uno nata est, quod verba, « quæ duo sunt, unum facit », olim exciderant, et, in margine addita, alieno deinde loco insererentur. Tum non poterat, quin aut *appellavit*, aut *appellat* abjiceretur. Præsens autem scribis præplacuit, quoniam *facit* sequitur. Religiosiores, ut Gud. 1, *appellavit* non abjecerunt, sed superscripserunt. Jam ad singula receptæ lectionis munienda veniamus. Prima verba concinna brevitate pro « eum animi statum (indolentiam) voluptatis nomine appellat, quo nemo umquam appellavit ». *Atque*, quam de nostro addidimus, pro *atque ita*, ex græco καὶ, pro καὶ οὕτως, more, frequenti exemplo dicitur. « Quæ duo sunt », nempe, quam nemo voluptatem appellavit, et voluptatem ipsam, *unum facit*, communi voluptatis nomine complectitur. « Hanc in motu voluptatem », sic ponuntur, ut in prægressis, « quam nemo umq. vol. » ἡ ἐν στάσει ἡδονὴ cogitanda, huic ἐν κινήσει οὔσῃ tecte opposita sit. Ad hæc autem unice recte et prorsus ex auctoris more, verba, « sic... appellant », in parenthesi adduntur, quæ hucusque vulgatam, ut discissa Absyrti membra, dissipabant: quare non mirum erit, si ea VV. DD. partim ut spuria rejiciebant, partim omnis generis conjecturis tentabant. Quod autem *quasi dulcis* voluptas dicitur, inde est, quia *voluptas* non ipsa per se dulcis est, sed « qua sensus dulciter et jucunde movetur », vide supra § 18: adhibuit auctor igitur *quasi* illud suum, quo insolentius dicta emollit. *Suavis* contra de sensu interno et de animo sæpe dicitur, ut *suavis cogitatio*, etc. Unum restat, ut sententiæ

M'. Curium[8] putes loqui : interdum ita laudat, ut, quid præterea sit bonum, neget se posse ne suspicari quidem. Quæ jam oratio non a philosopho aliquo, sed a censore opprimenda[9] est. Non est enim vitium in oratione solum[10], sed etiam in moribus. Luxuriam non reprehendit, modo sit vacua infinita cupiditate, et timore. Hoc loco[11] discipulos quærere videtur, ut, qui[12] asoti esse velint, philosophi ante fiant.

A primo, ut opinor, animantium ortu petitur origo 31
summi boni. Simul atque natum animal est, gaudet voluptate, et eam appetit, ut bonum; aspernatur dolorem, ut malum. De malis autem et bonis, ab iis animalibus, quæ nondum depravata sint, ait optime

tenorem indicemus. « Eam (ἐν στάσει) voluptatem, quam nemo umquam sic appellavit, Epic. solus voluptatem appellat, atque ita, quæ re diversa sunt, una notione comprehendit. In hac autem voluptate, quam in motu dicit, suaves illas et dulces sensationes continentem, tam male sibi constat, ut interdum eam ita extenuet, etc. »

8. *M'. Curium.* Scripti omnes *Marcum :* sed recte Lamb. *M'.* (pro Manium). Illum dicit *Dentatum* cognomine, cujus nomen simpliciter apud seriores poetas, inprimis Martial. ipsius frugalitatis loco, frequenter ponitur. Pertinet huc maxime versus ille, etiam Rosæ laudatus, « Qui Curios simulant asoti cetera vivunt ». — Qui aliquando legatis Samnitum auri pondus offerentibus, quum ipse rapam in foco torreret, « Malo, inquit, hanc in fictilibus meis edere, et aurum habentibus imperare ». Morel. — *Dentatus* dicebatur, quod eum dentibus instructum natum esse dicebatur.

9. *A censore opprimenda*, nempe ut civitatis moribus formidolosa. Similis locus est Orat. III, 24, 94. G.

10. *Non est enim vitium in oratione solum.* Omnes ante Gruterum editi, « solum in oratione » : sed hunc ab hoc vulgatum ordinem ex Pal. 1 tacite editum esse, probant bini illi nostri, reliquis olim vulgatæ se applicantibus. *Solum* his in contextis clausulam enuntiati occupans, haud dubie verissimum, quum in v. *oratione* clausulæ vis haud desideretur, quippe cujus notio jam in *philosopho* lateat : quod secus est in *moribus*, quo totius sententiæ pondus continetur. G.

11. *Hoc loco.* Id est, « quod ad hanc rem attinet ». Græci τούτῳ τῷ τόπῳ. Eodem modo Muren. 7, 15, *Quo loco* ponitur. G. — Vertit interp. gallicus, sin minus fideliter, callide saltem : *Faites-vous philosophes, dit-il aux hommes, et alors toutes les voluptés vous seront permises.*

12. *Ut, qui.* Citra omnem causam Lamb. *quum* mutavit in *qui :* ut recte vidit Davis. *ut* est, « hac intentione, ut ». Proxima pertinent ad Fin. I, 9, 30. G.

judicari. Hæc et tu ita posuisti, et verba vestra [13] sunt. Quam multa vitiosa [14]! summum enim bonum, et malum, vagiens puer utra voluptate dijudicabit, stante, an movente [15]? quoniam, si diis placet [16], ab Epicuro loqui discimus. Si stante, hoc natura videlicet vult, salvam esse se; quod concedimus [17]: si movente, quod tamen dicitis [18], nulla turpis voluptas erit, quæ prætermittenda sit. Et simul non proficiscitur animal illud [19] modo natum, a summa voluptate: quæ est a te posita in non dolendo.

13. *Et verba vestra sunt.* Gud. 2 et Bas. « vestra verba ». Non male. Sensus tum his foret : « et omnino vos sic loqui soletis ». Respondebont insuper « et tu . . . et vestra ». Sed tamen vulgata melior, si ita nexum ceperis, « et omnino verba ista, quæ posuisti, ex scholæ vestræ usu sunt ». De *et* posteriore pro *et omnino* posita, vide supra ad I, 12, 41. G.

14. *Quam multa vitiosa!* Vett. impressi nonnulli cum Crat. « quamquam multum vitiosa », et sic e nostris Gud. 2. Sed in plerisque codd. *quamquam multa*, ut Gud. 1 et Bas. At Erl. et Spir. vulgatam firmant, quæ est verissima. Interjectis nonnullis, post *dijudicabit* interrogandi signum ponendum erat : non enim hæc cum seqq. una rogatione comprehendi debebant. G. — Exclamationis signum, cum gallica vers. ut ceteris melius congruens reposuimus.

15. *Stante, an movente*, ad illam καταστηματικῆς et κινητικῆς ἡδονῆς distinctionem referri, et intt. viderunt, et nos libro primo sæpius diximus. G.

16. *Si diis placet.* Omnes scripti nostri *displicet* : ut *dîs* legendum videatur archaice. Sic *dî* de Nat. Deor. legitur. De hac autem formula in acidiore ironia solemni collegit exempla P. Manut. comment. ad Rosc. Amerin. c. 36. G.

17. *Si stante, hoc. . . concedimus.* Dicuntur hæc per aliquam λιτότητα. Cogitatione addes, « quamquam vagiens puer in stante esse nequit », vel aliud ejusmodi; quo omisso, ironia, cujus indicium *videlicet* præbet, acrior redditur. G.

18. *Quod tamen dicitis. Tamen* pro *certe*, *saltem*, dicitur, cf. ad Legg. I, 2, 7, quam sæpe tentatam a scribis part. et h. l. a tribus nostris, et binis Oxonn. in *tantum* mutatam, bene reduxit Beck. Catil. III, 5, 14. G.

19. *Et sim. non prof. animal illud.* Goer. corrigit *et s. n. prof. animal aliud*. Quomodo, inquit, hæc Viri Docti sicco pede transire potuerint, equidem prorsus nescio. Si enim *voluptas*, quæ est in *non dolendo*, nulla prorsus alia est, quam quæ *stans* dicitur (de quo dubitari non licet), quam tædiosa hæc erit priorum repetitio, immo quam plane non ferenda! Et si vel non ferenda tuleris, quomodo *animal illud* sic a Cicerone profectum putabis, ut ad vagientem puerum aptetur? Sed salva res est, corrigendo *aliud*. Vult enim auctor, his additis, « si non puer modo natus, simul etiam non aliud animal modo natum a sum-

Nec tamen argumentum hoc Epicurus a parvis petivit, aut etiam a bestiis, quæ putat esse specula naturæ[20], ut diceret, ab his, duce natura, hanc voluptatem expeti nihil dolendi. Neque enim hæc movere potest appetitum animi; nec ullum habet ictum, quo pellat animum status[21] hic non dolendi. Itaque in hoc eodem peccat Hieronymus[22]. At ille pellit[23], qui per- 32

ma voluptate, ἀναλγησία, proficisci-tur ». Hoc certissimum esse, vel ex eo patet, quod verba superius posita, « Simulatque natum animal », ad cuncta, quæ vita fruuntur, pertinent. Cf. I, 9, 30 : « Omne animal simulatque natum sit, etc. » expresse etiam in proximis § seq. *parvi* a *bestiis* distinguuntur. Brevissimis autem h. l. fit bestiarum mentio, quippe de quibus § 33. Unde nihil nobis reliquum fuit, quam ut veritati cederemus, atque *aliud* edi juberemus. Ceterum ne offendat *et*..... *non*, quum *nec* poni potuisset : semper enim sic auctor, si in negatione vis cernitur. Prave etiam vulgo, ante *quæ est* colon positum, quod enm virgula commutavimus : nam « summa ista voluptas » intelligitur, quæ Epicuro in *indolentia* ponitur. — *Nec tamen* pro *Sed tamen non*, frequenter auctor. Legg. II, 22, 57 : « Nec tamen ante sepulcrum est, quam justa facta, et corpus ingestum est ». G.

20. *Quæ putat esse specula naturæ.* Ad *quæ* cogita *parvos* et *bestias*, relativo, græco ritu, ad seq. *specula*, ut sæpe, aptato; cf. Brem. de Fato, I, p. 4. Quoad rem similiter infra V, 22, 61 : « Indicant pueri : in quibus, ut in speculis, natura cernitur ». Sed videtur nostro loco verborum contextus innuere, ab Epicuro ipso vere parvos, et bestias, ἔσοπτρα φύσεως esse appellatos. Quod si est, debet alter locus ab Epicuro imitatus putari. Sensus totius sententiæ hic est : « Sed tamen Epicurus hoc argumentum non ita a parvis, et bestiis... duxit, ut statueret, ab his naturæ ductu ἀναλγησίαν expeti : nam hæc status voluptas neque appetitus excitare valet, nec status ille indolentiæ ullum impulsum admittit, quo impelli animus possit. Peccat igitur, etc. » G.

21. *Nec ullum habet ictum ... animum status.* Al. *illum* legunt. — *Ictum*. Ὁρμὴν Græcis; de eo, quod sensus acriter movens, vividiorem in animo impressionem facit. Qua voce utitur frequenter Seneca; cf. hunc v. c. de Ira, II, 2, 3, 4, etc. Scripti quoque nostri *animi statum* referunt : sed vulgata est verissima, quum *status* semper de conditione firma ponatur. G.

22. *Hieronymus* autem inde *peccat*, quod summum bonum in sola *indolentia* positum putabat; cf. § 8. G.

23. *At ille pellit.* In his recte Davis. *statum* cogitat, probante Brem. Prave alii *ictum* intelligunt : pejus etiam Lamb. « illa quæ... voluptas » de suo corrigit. Si autem Brem. *statu animum* sic *impelli* dicit, ut idem non forti et vehementi quasi impressione, sed ea quacumque afficiatur, dubito an recte locum ceperit, cujus sensus est : « Status indolentiæ talis est, in quo non possit animus fortius impelli : at (nam vel in *indolentia* movetur animus, sic tamen, ut statu suo quieto non excidat) status voluptatis

mulcet sensum voluptate. Itaque Epicurus[24] semper hoc utitur, ut probet[25], voluptatem natura expeti; quod ea voluptas[26], quæ in motu sit, et parvos ad se alliciat, et bestias, non illa stabilis, in qua tantum inest nihil dolere[27]. Qui igitur[28] convenit, ab alia voluptate dicere naturam proficisci, in alia summum bonum ponere?

33 XI. Bestiarum vero nullum judicium puto[1]. Quamvis enim depravatæ non sint, pravæ tamen esse possunt. Ut bacillum aliud est inflexum[2] et incurvatum

fortiore animi impulsu cernitur, nam hic permulcet sensus dulci sensatione ». Quum autem *status voluptatis* non adeo bene dicatur, quippe quum sensationum jucundarum varimoda vice voluptas contineatur atque inde ipsa in *motu* esse dicatur: per zeugma hæc dicta putamus, sic ut ex voce *status* ad *ille*, *conditio* cogitanda sit. G.

24. *Itaque Epicurus.* Gud. 1, et Bas. *atque.* Sed sæpe hæc permutantur, cf Drak. ad Liv. V, 21, et h. l. *itaque* notat *et ita*, ut sæpissime. G.

25. *Hoc utitur, ut probet.* Pal. 1 et 2, *nititur;* quod nos quidem multo melius judicamus. Etsi enim vulgata ex Platonis usu defendi potest, qui sæpe τούτῳ χρῆται (sc. λόγῳ) εἰς τό, vel ἵνα: tamen *nititur* et auctoris usui accommodatius, et a scribarum captu remotius est, quam ut id incuria fudisse videatur. Sæpius enim auctor *niti* pro *disputando contendere*, quum absolute, cf. Acadd. II, 21, 68: « Nitamur igitur, nihil posse percipi »; tum pronomine addito, Nat. Deor. II, 40, 106: « hoc nitamur, ut doceamus, etc. » Permutari autem sæpe hæc verba solere, videbis infra IV, 24, 67. Quæ sequuntur, eadem mutatis verbis præcesserant: sed clarius illa bis exponuntur; et sic sæpe solet auctor. G.

26. *Quod ea voluptas.* Intellige: quod ea solum voluptas natura expetitur quæ in motu sit; non autem illa stabilis.

27. *In qua tantum inest nihil dolere.* Plene ex græcis imitata sunt, ἐν ᾗ μόνον ἔνεςι μηδὲν ἀλγεῖν, id est, « cujus vis unice in non dolendo cernitur ». G.

28. *Qui* (lege *Quî*, quo modo) *igitur convenit.* Sic Lambinus. Vulgo antea legebatur *Quid.* Unde Gulielmus, probante Grutero, legit *Qui id igitur convenit.* Sed recte Lambinus, cujus conjecturam diserte firmat Par. sec. Dav.

XI. 1. *Bestiarum vero nullum judicium puto.* I. e. « A bestiarum natura judicium peti posse non puto ». Eodem modo, eademque in re auctor, sed invidiosius, Tusc. V, 26, 73: « Huic (Epicuro) non multum differenti a judicio ferarum ». G.—Potius est interpretari, quasi esset: Opinio bestiarum, cum interprete gallico, qui vertit: *Pour ce qui est du jugement des bêtes, je le compte pour rien.*

2. *Bac. infl. et incurvatum.* Bas. et ξ. « inflexum et curvatum »: sed solemne est scribarum vitium alteram camdem præpositionem alteri adjectivo adhærentem obliterare. Cf. Divin. I,

de industria, aliud ita natum: sic ferarum natura, non est illa quidem depravata mala disciplina, sed natura sua[3]. Nec vero[4], ut voluptatem expetat, natura movet infantem; sed tantum ut se ipse diligat, ut integrum se, salvumque velit. Omne enim animal, simul ut ortum est, et se ipsum, et omnes partes suas diligit; duasque, quæ maximæ sunt, in primis amplectitur, animum, et corpus[5]; deinde utriusque partes. Nam sunt et in animo præcipua quædam, et in cor-

17, 30: « Incurvum et leviter a summo inflexum bacillum ». — *Bacillum ... natum*. Hæc laudat Nonius in v. *bacillum*, ita tamen ut voces *de industria* nesciat; sed negligentia librariorum videntur excidisse. Illas enim postulat oratio. Dav.

3. *Sic ferarum natura, non... sed natura sua. Feras* dicit *natura sua depravatas*. At paullo ante docuerat quod sit inter *depravata prava*taque discrimen. « Quamvis enim, inquit, depravatæ non sint, pravæ tamen esse possunt ». Lego « ferarum natura non est illa quidem depravata mala disciplina, sed nata prava ». Dav. — Mire quodammodo dictum « ferarum natura... natura sua ». Accedit etiam quod *natura depravata* dicitur, licet paucis verbis ante auctor bestias, non depravatas, sed *pravas* esse dixisset. Hæc commovere Davis. ut pro « natura sua », « nata prava » conjiceret. Quod aures parum probant: si tamen opus sit, *sed natu prava* scribere licebit, auribus etiam faventibus. At nihil correctione locus egere videtur. Nam primo non necesse est, ut *natura sua* ad *depravata* referas. Sed potest aut simpliciter *est* cogitando repeti: aut, si vel hoc nolis, per zeugma locus accipi, ut in *depravata*, *prava* lateat; qualibus exemplis Cic. si curtate scribit, abundat. Neque in duplici *natura* sic offendimur, ut locum corruptum judicemus. Vidit enim jam Brem. duplici vi duplex *natura* dici; *ferarum natura* (Græcorum frequentissimo more) pro *feris* simpliciter, et *natura sua* pro *naturali vi sua*: nos multa etiam similia meminimus, in uno paullum commorturi. Orat. 14, 42: « Dulce igitur orationis genus... est in illo epidictico genere ». Schütz. quum in his hæreret, proprio ausu, *est illud* ἐπιδεικτικὸν, voce *genere* deleta, novavit. At nihil aliud Cic. voluit, quam « Dulcis oratio est ... in ἐπ. genere ». Ibid. 27, 94. — Bestiæ κατά τι natura sua pravæ dicuntur, comparata nempe earum natura cum natura hominis. G.

4. *Nec vero*. Turbant in his scripti veteresque impressi. Erl. et Spir. *nec vere*. Gud. 1, 2, Bas. cum aliis *nec ergo*. Pet. Mars. *Hæc vero*, etc. Sed scribæ particularum *nec vero* vim, *qua ja selbst nicht* valent, non ceperunt, atque inde consulto mutarunt. Docuimus hanc earum potestatem ad Acadd. I, 11, 40, eamque ubique tenent, si negatio præcesserit. Qua absente notant fere, *Auch in der That nicht*. Cf. Orat. 4, 16, etc. G.

5. *Animum, et corpus*. Vulgatum olim est, « animum scilicet et corpus »;

pore : quæ quum leviter agnovit, tunc[6] discernere
incipit, ut ea, quæ prima [data] sunt natura[7], appe-
34 tat, asperneturque contraria. In his primis naturalibus
voluptas insit, necne, magna quæstio est. Nihil vero
putare esse[8], præter voluptatem, non membra, non
sensus, non ingenii motum, non integritatem corpo-
ris, non valitudinem[9], summæ mihi videtur insci-

sed nostri omnes vocem, scribarum palatum sapientem, respuunt. G.

6. *Quæ quum... discernere.* Gœr. dat *tum.* Sic, inquit, Erl. et Spir. et sic, *quum* præcedente, ubique apud Cic. scribendum esse judicamus. Nam, ut alia taceamus, nullus huc usque locus nobis occurrit, ubi cum vulgata editur, ad quem codd. non etiam *tum* exhibere viderimus. Quid, quod ista suspicio nobis tam late patet, ut, nisi ad omnes aureæ ætatis scriptores, certe ad optimos quosque pertinere videatur? Scatent hujusmodi vitiis in primis poetæ, et omnium, maxime Tibullus. Sed quum nondum plene hanc rem nobiscum dijudicarimus, nihil ponemus, quod non ab omni parte verum intellexerimus. Testatum autem id h. l. voluimus, ut etiam alios in hanc juncturam attentos redderemus.

7. *Ut ea, quæ prima [data] sunt natura.* Offendimur in *data.* Debuisset enim *a natura* scribi, ut alibi § 34, « primis a natura datis, etc. » At si *data* a scribis additum putaris, tum illa πρῶτα φύσει intelligenda sunt, quæ etiam πρῶτα φύσεως, etc. dicuntur. Sic restituimus Acadd. I, 6, 22, « quæ essent prima natura », quum prave volgo *in* adderetur : ubi, quæ adnotavimus, conferes. Quod si *data* ægre dimittes, quæremus, unde id pendeat, et quo exemplo sic absolute dicatur? nam coacte cogitabis *præbente.* Contra vero variant Eliens. *dicta* et Bas. *lata;* ut vel inde de glossa suspectum videatur. Sed alia etiam corrigendi ratio per Gud. 2 aperitur, qui *sunt* ignorat. Nam hoc si deleris, facile, cur *a* exciderit, patebit. Sed prius tamen prætulerim, quum coactius h. l. *sunt* abfuerit. Cancellis igitur *data* coercuimus. G.

8. *Nihil vero putare esse.* Vult Brem. *inesse* scribi. Nobis quidem id nihil opus videtur : plenam enim sententiam sic constitues : « nihil vero putare esse, quod in primis naturalibus insit, pr. vol. etc. » *Esse* asseverandi vi additur, atque inde clausulam occupat, quum gravior vox enuntiati initium occupasset : de quo frequentissimo verbi subst. positu sæpe ad Acadd. egimus; quippe in quo VV. DD. toties hæreant. In facili autem contextu Ciceronem paullo audaciores ellipses amare, cuilibet ejus lectioni vel parum adsueto esse debet observatum. G.

9. *Non valitudinem.* Hæc ignorant tres optimi nostri, et Gud. 1, qui quidem cum Bas. vulgatam servat, superscriptum tamen *al' incolumitatem* refert, et addit cum aliis denuo *corporis.* Inde haud parva suspicio enascitur, hæc in interpolatis esse ponenda, et forte glossæ ad *integritatem* adscriptæ deberi. Tamen invitissime his caruerim, quum *valitudo* (et animi et corporis) præ ceteris ad *prima naturæ* referatur, et *integritas* modo

tiæ[10]: atque ab isto capite fluere necesse est omnem rationem bonorum, et malorum. Polemoni, etiam ante Aristoteli[11], ea prima visa sunt, quæ paullo ante dixi. Ergo nata est sententia[12] veterum academicorum et peripateticorum, ut finem bonorum dicerent, secundum naturam vivere[13], id est, virtute adhibita, frui primis a natura datis. Callipho ad virtutem nihil ad-

debilitatem et *mutilatianem* eorporis exeludat; eum quo illa ipsa alibi expressa ab anetore his addatur. Vide infra Fin. V, 7, 18, nbi etiam *incolumitas* ponitur. Quale igitur judieium feremus? Hoe scilieet: duplex hoe *corporis*, quod vetustissimos codiees occupaverat, in causa fuisse, ut verba ista exeiderent. Nam nihil sæpius in codd. observari licet, quam ut substantivum rectum inter duo regentis positum, ad posterius sie repetitum deprehendatur. G.

10. *Inscitiæ. Inscitia*, cujus loco etiam Gud. 2 *inscientia* peccat, est *inscite judicantis*. Parum ejus vim assequuntur Davis. et Bremi, qui *stultitiam* explieant. Satis egisse hac de voce supra videmur. Verissime autem in his, quæ continuo sequuntur, judicatur, ab eo, quo loco hæc πρῶτα φύσει ponas, omne de fine bonorum judieium pendere: ab hae enim parte et veteris, et recentioris temporis ethicorum familiæ dignoscuntur. G.

11. *Etiam ante Arist.* Gœr. scrib. *et jam ante Ar.* Reete, inquit, Bremi vocem diremit, quæ nimis sæpe, si *ante* sequitur, vel coaluit, vel alia via corrupta est; vide nos ad Acadd. I, 12, 44, « et, jam ante Socratem », et supra 5, 15. Minus bene Davis. ex uno suo et Vietoriana *jam* ejeeit. Ceterum hæc horum auetor ipse accuratius exponit inf. V, 7.

12. *Ergo nata est sententia*. Lamb. corr. *Hinc ergo;* alii *Inde*, Ern. Eo. Bremi, ut jam ante Lambinum nescio quis eonjecerat, *Ex quo* in texta recepit. Gruter. *ergo* interdum *exinde*, *postea*, notare quum dieit, altera voee tollit, quod altera non male posuerat. Recte *Ergo* se habet, et valet *Inde factum est ut*, qua vi haud raro ponitur. Cf. Tusc. I, 2, 4: « Summam eruditionem Græei sitam eensebant in nervorum vocumque eantibus; igitur et Epaminondas... Themistoclesque... habitus est indoctior. Ergo in Græeia musici floruerunt, etc. » G. — De re ipsa vid. passim libb. Academicorum.

13. *Secundum naturam vivere... datis.* Extulit Cie. hunc bonorum finem ita, ut ad Polemonis maxime verborum rationem hæc accommodaret. Vid. Acadd. II, 42, 131: « Honeste autem vivere, fruentem rebus his, quas primas homini natura conciliet, et vetus Academia censuit (ut indieant scripta Polemonis, quem Antiochus probat maxime), et Aristoteles, ejusque amici nune maxime videntur accedere ». Cll. infra IV, 6, 14: « Quum enim superiores, e quibus planissime Polemo, secundum naturam vivere summum bonum esse dixissent ». Id quidem eo accuratius tenendum est, quo frequentius hæc Academicorum Peripateticorumque communis summi boni descriptio apud auctorem legitur. G.

junxit, nisi voluptatem; Diodorus, nisi[14] vacuitatem doloris. His omnibus, quos dixi, consequentes sunt fines bonorum. Aristippo[15] simplex voluptas; stoicis, consentire naturæ; quod esse volunt e virtute, id est, honeste vivere[16] : quod ita interpretantur, « vivere

14. *Diodorus, nisi vac.* Gœr. delet *nisi*. Miramur, inquit, quomodo VV. DD. vulg. structuram ferre potuerint. Debebant certe ante *nisi*, *nil* addere, quod facile excidere poterat, et quo, quamquam raro, tamen Cic. utitur. At nullus codicum nostrorum *nisi* agnoscit, abest idem etiam in tribus Oxonn. et vett. editis plerisque. Et recte abest. Nam in prægressis, « nihil adjunxit nisi voluptatem », auctor Epicurum respiciens, hoc dicere voluit, « simplicem voluptatem addidisse Calliph. honestati, vacuitatem doloris, quam Epicurus, cum voluptate uno bonorum fine complexus sit, nihil curans ». Jam pergit ad Diodorum, quem nude vacuitatem doloris eidem honestati addidisse narrat. Non enim necesse erat, ut *nihil nisi* adderet, quum Epicurum non ideo vituperasset, quod vacuitatem doloris voluptati adjunxerit; sed contra. Ex præcedd. igitur ad hæc simplex *adjunxit* cogitabis. A turpi igitur emblemate texta liberavimus.

15. *His omnibus, quos dixi, consequentes sunt fines bonorum. Aristippo.* Rath. *quæ* scribit, ut editi quidam servant; Ernestio in his quoque hærente. Sed si vel scripti in *quos* non consentirent, si vett. impressi omnes *quæ* amplecterentur, plerisque eorum *quos* tuentibus : tamen vulgata nihil foret. Nam Cic. ad auctores horum finium, non ad eorum argumenta respexisse, docent quum antecedd. tum maxime sequentia; quæ haud dubie aliter pergerent, si ad res, et non ad philosophos ipsos hæc relata vellet. At proxima non coeunt? Qua quidem de re acute disputat Matthiæ l. l. p. 127, sic ut hæc ipsa verba deleta velit. Nobis, repetita cura hunc locum tractantibus, nihil mutandum videtur, sed *consequentes*, pro *conformes*, accipiendum, sic ut præcedentes in eo inter se consentiant, ut *virtuti* aliquid jungant, quod ad externam vitæ felicitatem referatur. At Aristippus, et Stoici, sibi *repugnantes*, quum alter in sola voluptate, alteri in sola virtute, summum bonum ponant. Debuisset igitur proprie auctor, si totam sententiam evolvere voluisset, sic scribere, « repugnantes (sunt fines bonorum), Aristippo simplex voluptas, etc. » Sed idem expressit re ipsa: unde ne *At* quidem opus est, quam ante *Aristippo* excidisse, statuere facillime liceat. *Repugnantes* vero horum fines clare designantur Acadd. II, 45, 139: « Aristippus, quasi animum nullum habeamus, corpus solum tuetur; Zeno, quasi corporis simus expertes, animum solum complectitur ». Sic autem *consequens* sæpissime dicitur, ut *repugnans* vel diserte opponatur, vel ex oppositione intelligatur. G.

16. *E virtute, id est, honeste vivere.* Davisius ex binis Parisinis *honestate*; Eliensi, *cum honestate*, referente. Sed præterquam, quod nostri vulgatam unice tuentur, loquitur similiter etiam alibi Cicero, Fin. III, 8, 29, « honeste, id est cum virtute vivere ». Sæpe Stoici, ἐξ ἀρετῆς, τοῦτ' ἐστι καλῶς ζῆν. Ceterum hæc finis bonorum apud Stoicos constitutio triumviris hujus fami-

cum intelligentia earum rerum, quæ natura evenirent, eligentem ea, quæ essent secundum naturam, rejicientemque[17] contraria ». Ita tres sunt fines expertes honestatis, unus Aristippi, vel Epicuri; alter Hieronymi; Carneadis tertius : tres, in quibus honestas cum aliqua accessione, Polemonis, Calliphontis[18], Diodori. Una[19] simplex, cujus Zeno auctor, posita in decore tota[20], id est, in honestate. Nam Pyrrho,

liæ, Zenoni, Cleanthi, et Diogeni Babylonio debetur. Zeno enim ὁμολογουμένως ζῆν... Κλεάνθης προσέθηκε τῇ φύσει... Διογένης δὲ τὸ εὐλογιστεῖν (sic recte Davis.) ἐν τῇ τῶν κατὰ φύσιν ἐκλογῇ καὶ ἀπεκλογῇ. Vide Stob. Eclog. Eth. II, p. 132, seq. ell. Clem. Alex. Strom. II, p. 496, et Laert. VII, 88. Quæ loca dudum a Lipsio aliis collata, bene emendat Davis. ad h. l. Adde Stob. ibid. p. 138 : Τέλος δὲ φασὶν Στωϊκοὶ εἶναι τὸ εὐδαιμονεῖν... τοῦτο δ' ὑπάρχειν ἐν τῷ κατ' ἀρετὴν ζῆν, ἐν τῷ ὁμολογουμένως ζῆν, ἔτι, τούτου ὄντος, ἐν τῷ κατὰ φύσιν ζῆν... δῆλον οὖν ἐκ τούτων, ὅτι ἰσοδυναμεῖ τὸ κατὰ φύσιν ζῆν, καὶ τὸ καλῶς ζῆν, καὶ τὸ εὖ ζῆν. His si denique infra III, 6, 21, adjunxeris, præter reliqua, voce *intelligentia* illam Stoicorum ἔννοιαν expressam esse videbis. G. — Ceterum vide triplicem hujus percelebérrimi præcepti : « Naturæ consentire, secundum naturam vivere », interpretationem infra, lib. IV, cap. 6.

17. *Eligentem... rejicientem.* Ita recte, pro *eligente... rejiciente*, e scriptis editum est, confirmantibus etiam Spir. et Erl. tribusque Oxonn. habet idem etiam a prima manu Gud. 1. Scribæ consulto sextum casum correxerunt, quum, quo quartus referretur, non dispicerent. G.

18. *Calliphontis.* Ita consensu codd. haud dubie omnium correximus. Vulgata *Calliphonis* refert : sed hujus scripturæ, infra V, 8, et Off. III, 33, 16, obviæ, h. l. ne vestigium quidem in scriptis comparet. Illa contra auctori æque frequens est, cf. Acadd. II, 45, 139; Tusc. V, 31, 87. Duplex igitur hæc nominis hujus in casibus obliquis forma apud auctorem accipienda est, ut recte statuit Fr. Heusing. ad Off. III, 33, 16, qui idem Terentii *Antiphonem* et *Ctesiphonem* laudat, quæ nomina semper Cicero *Antiphontem*, *Ctesiphontem* scribit. Clem. Alex. Strom. II, p. 415, Καλλιφῶντα memorat, cujus Pythagoræi apud Græcos rarissime mentio injicitur. G.

19. *Una... posita.* Recte vidit Bremi in verbis *una... posita* synesin inesse, quum proprie ad *finem* referantur. Itaque cum Lamb. vox *sententia*, sc. *de fine bonorum*, quæ in ipsa voce *finis* latet, intelligenda est. Davis. autem misere miscet, quum, hac vi, putet v. *finis* femineo sexu dici posse. G.

20. *Posita in decore tota.* Prave Bas. *decoro;* quippe quæ multum differant. Sed vulgo vix dispici posse putamus, cur hoc loco, et alias sæpe, *decus* Ciceroni pro virtute dicatur. Clarius ejus rei rationem vides ex Legg. I, 21, 55 : « Quod decus antiqui summum bonum esse dixerunt, hic solum bonum dicat ». Antiqui autem sunt veteris Academiæ philosophi; et ista ipsa curtate dicuntur,

Aristo, Herillus[21], jam diu abjecti. Reliqui sibi constiterunt, ut extrema cum initiis convenirent[22], ut Aristippo, voluptas; Hieronymo, doloris vacuitas; Carneadi[23], frui principiis naturalibus, esset extremum.

XII. Epicurus autem quum in prima commendatione[1] voluptatem dixisset, si eam, quam Aristippus, idem tenere debuit ultimum bonorum, quod ille; sin eam, quam Hieronymus, fecisset idem, ut voluptatem illam [Aristippi[2]] in prima commendatione poneret.

pro « virtutem, quam decus, etc. » Expressit auctor græcum τὸ καλὸν, quod centies vel Plato pro virtute ponit : qui idem frequenter ἀρετὴν ψυχῆς κάλλος vocat, de Rep. p. 387, Bip. etc. Eadem denique ratione infra § 56, « decoris bonestatisque causa » junguntur, i. e. τοῦ καλοῦ χάριν. G.

21. *Pyrrho, Aristo, Herillus.* Pyrrho quum omnia incerta esse contenderet, nihil per se bonum aut malum esse profitebatur. Aristo, Zenonis Stoici discipulus, omnia indifferentia esse dicebat, præter vitium et virtutem; quæ etiam erat Herilli sententia, qui præterea summum bonum in scientia ponebat, ad quam referebat omnia. J.V. L.

22. *Ut extrema cum initiis convenirent.* Ὥςε ἐσχάτοις πρῶτα συνάπτεσθαι. Alibi, « cohærere extrema cum primis, ima summis constare », auctori dicuntur. Gud. 2, *conirent;* unde *coirent* conjeceris. Per se quidem bene; sed sine ulla necessitate : compendii enim lineam scriba neglexit. Proxima *ut* aperte pro *ita ut* ponitur; cui convenienter interpunximus. G.

23. *Carneadi.* Ille Carneadis bonorum finis non tam serio, quam disputandi contra Stoicos causa, constitutus est, vid. Acadd. II, 43, 131, cll. Tusc. V, 30, 84, quo ipso loco paullo aliter bi diversi diversorum fines comparantur. G.

XII. 1. *In prima commendatione.* I. e. « primo loco commendandam », atque inde etiam comprobandam, idque ex ea vi substantivorum in *io*, quam sæpe docuimus. Prima autem illa commendatio a natura, sive primis naturalibus, petita erat; quippe quæ voluptatis causa ab animantibus omnibus peterentur. Sic recte Ernest. sed complicatius. Idem autem bæc valent, ac si scriptum esset : « quum Epicurus voluptatem summum bonum, bac vi, qua Aristippus (τὴν ἐν κινήσει) dixisset, eamdem etiam ultimum bonorum, non in illa, quæ ἐν ςάσει sit, dicere deberet. Si contra Hieronymum sequi voluisset, illa quoque ἐν ςάσει, ut summum bonum a natura commendatum, ponenda esset ». Ceterum « fecisset id, ut... poneret », pleonasmo Ciceroni admodum frequenti dicuntur, cf. Off. I, 1, 1, Heus. G.

2. [*Aristippi*]. Gœr. *non Aristippi.* Addidimus, inquit, cum Davis. et Bremio ex Eliensi, *non*, probante etiam Cratandrio. Quæ ratio alteri præferenda est, qua v. *Aristippi* in Ursini cod. itemque apud P. Marsum magis vaga omittitur. Vulgata ferenda minime est, quippe quum contextæ

Nam, quod ait, sensibus ipsis judicari, voluptatem, 36 bonum esse; dolorem, malum: plus tribuit sensibus, quam nobis leges permittunt. Privatarum litium judices[3] sumus. Nihil enim possumus judicare, nisi quod est nostri judicii. In quo frustra judices solent, quum sententiam pronuntiant, addere, si quid mei judicii est: si enim non fuit eorum judicii, nihilo magis, hoc non addito[4], illud est judicatum. Quid[5] judicant

tenori ex asse adversetur. Nostri cum vulgata faciunt. Quod mirum videri non debet, quum nihil sæpius occurrat, quam ut *non* in codd. omissa sit. Unum dubitamus, an verus hic verborum ordo dici possit: nisi enim penitus fallimur, Cicero hæc in contexta, « ut illam non Aristippi voluptatem », scripsisset. Putamus igitur, *voluptatem* ex glossa adhærere: sic locus egregie coibit. Scribæ sane si semel turbant, in uno peccato non fere acquiescunt.

3. *Privatarum litium judices.* Ex compendio natus error est Palatini 1, *privarum*, quem duo illi nostri non communicant. Ceterum pravum judicium est, quo Davis. *pravarum*, vel *paucarum* suadet. Sensus est: « In ejusmodi rebus nullum nobis judicium permissum est, nisi quale est privatarum litium judicibus, quorum quisque pro suo captu judicat, non sic, ut pro communi norma valeat: ita quod nos ex sensibus judicamus, non pro veri norma omnibus, sensuum vi præditis, valere potest ». Quæ si recte tenueris, omnes difficultates concidunt, quas ad hunc locum movet Rath. quadruplicis conjecturæ optionem offerens. Nam *frustra* in proximis judices addere formulam illam dicuntur, quum ipsa per se intelligatur. De ipsa autem hac judicum formula Ernestium errasse, quum *modestiæ causa* additam diceret, recte viderunt Bremi et Rathius: nam quod muneris necessitas dici cogit, id non recte modestiæ sensui tribuitur. G.

4. *Hoc non addito.* Bremi *non* ad uncos damnavit, ut hic sensus esset: « nam si eorum judicii res non fuit, nihilo magis, etiamsi hoc addiderunt, ea est judicata ». Sed ut cum Lamb. ita ipse se decepit. Hæc enim sententia est: « Nam si vel judices rei judicandæ rationem non teneant, nihilo tamen magis (οὐδέν τι μᾶλλον) illud, quod judicarunt, valebit formula hac non addita, quam, quum addiderunt, valet ». G.

5. *Quid judicant sensus?* Sequuti Bremium sumus, suadente idem Ern. quum vulgo hæc ad præcedentia applicata sic scribantur, « illud est judicatum, quod judicat sensus: dulce, etc. » sed hæc mente cassa esse nemo non videt. *Quid* refert Marsus, ubique cum *quod* a scribis confusum. Davis. dedit, « Quid judicatur sensibus », quum *sensibus* in Eliensi deprehendisset. Faber suadet « Quid judicat s. » atque ita Lambinus. Possit aliquo modo simplex numerus, quem scripti omnes referunt, ut collective positus, exemplis haud ita raris defendi: sed aperte hæc scribæ ad præcedentia traxisse videntur, quum nescirent, quo *illud* (quod sæpe sic simpliciter ponitur), referretur. Tum autem consulto *judicat* mutave-

sensus? dulce, amarum; lene, asperum[6]; prope,
37 longe; stare, movere[7]; quadratum, rotundum. Quam igitur pronuntiabit sententiam ratio[8], adhibita primum divinarum humanarumque rerum scientia, quæ potest appellari rite sapientia; deinde adjunctis virtutibus, quas ratio rerum omnium dominas, tu voluptatum satellites et ministras esse voluisti? quarum adeo omnium sententia pronuntiabit[9], primum de

runt, ut pro ipsorum latinitate *sensus communis* intelligeretur. Hinc est, quod sic, nec cum Davisio corrigere maluimus. At vel hoc modo locum nondum pienum judicamus. Nam particulam deesse, quæ orationem ad superiora redeuntem notet, quisque sentiet, qui vel parum auctoris dicendi morem tenuerit. Ejus quidem subrogandæ ratio ex recepta lectione facillima erit, si, « Quid judicant autem sensus? » scripseris. Ejecit enim præcedens syllaba *autem* per compendium scriptam, ut in codd. toties videre licet. Optime vero h. l. *autem* tertio loco positum fuerit, *judicant* cum vi præmisso. Divin. II, 62, 127: « Quid inscitius autem est, quam mentes mortalium falsis et mendacibus visis concitare? » Vide Acadd. II, 12, 43. G.

6. *Lene, asperum.* Ern. *læve* mavult. Præter orthographiam, cujus nulla vera ratio est, ut *æ*, non *e* scribas (nam hæc adjectiva, sensu diversa, pronuntiatione, non scriptione dignoscuntur), *leve* ipsi probamus, idque ex ea ipsa ratione, qua Bremi vulgatum defendi debere putat. Nam de tactu *lene aspero* opponi non recte posse videtur; de gustu bene, et sæpe; cf. Legg. I, 11, 31. Sed quum h. l. certum non sit, anne auctor hæc ad gustum referri velit, rectius vulgatum tenebitur, idque magis quod *lenis* sæpius in *levis* a librariis mutetur, quam vice versa. G.

7. *Movere.* Errat Ern. si aut *movere* in *moveri* mutandum, aut *se* intelligendum judicat. Sunt enim hæc substantive posita, τὸ γλυκὺ... τὸ κινεῖν.... τὸ σφαιροειδές. G.

8. *Quam igitur pronuntiabit sententiam ratio.* Male suadet Davis. ex Paris. 3, consentiente Crat. *Æquam igitur*, etc. Ratio quasi judicii præses, in quo sapientia virtutesque, sententiam laturæ, sedent, eleganter fingitur. Ei autem, qui judicio præsidebat, judicum sententiæ pronuntiatio conveniebat. G.

9. *Quarum adeo omnium sententia (sententiâ) pron.* Davis. cum Lambino *harum* malebat, Ern. et Bremio probantibus. Leve est anacoluthon, in quo hærere VV. DD. non debebant. Talia sunt Ciceroni ita frequentia, ut, si ejus lectioni accuratius adsueveris, in his nihil insolentius deprehenderis. *Adeo* adjicitur, ut plene consentiens horum judicum sententia notaretur, quum alias judices sæpe discrepare inter se solerent; sic ut fere ex plurium numero sententiæ pronuntiatio penderet. G. — Nobis *adeo* videtur cum vi affirmantis esse, quæ vis sæpius huic voci inhæret, v. g. in hac formula, *adeo verum est*, etc.

voluptate, nihil esse ei loci, non modo ut sola ponatur in summi boni sede, quam quærimus, sed ne illo quidem modo, ut ad honestatem applicetur. De vacuitate doloris eadem sententia erit[10]. Rejicietur etiam 38
Carneades[11]; nec ulla de summo bono[12] ratio aut voluptatis, non dolendive particeps, aut honestatis expers, probabitur. Ita relinquet duas, de quibus etiam atque etiam consideret. Aut enim statuet, nihil esse bonum, nisi honestum; nihil malum, nisi turpe; cetera aut omnino nihil[13] habere momenti, aut tantum, ut nec

10. *De vacuitate doloris eadem sententia erit.* Gœr. scrib. *est.* In *est*, inquit, quod omnes scripti editique vett. servant, Davis. et Ern. ita offenderunt, ut sua sponte *erit* corrigerent. Bremi ad ea provocat, quæ supra ad I, 8, p. 43, de præsenti inter alia tempora posito disputarat; quæ huc tamen nihil faciunt. Aut *erit* corrigendum est, licet nusquam hæc verbi tempora confusa meminerimus: aut quum hæc inter tot futura audacior ratio sit, alia probatior expedienda. Atque si ad contexta accuratius attenderis, facile intelliges, totum hunc locum rectius abesse. Non enim solum interiorem, ut sua sponte patet, disputationis nexum turbat; sed superflue hæc etiam adduntur quum statim sequatur, « nec ulla de summo bono ratio, voluptatis non dolendive particeps ». Neque debuit Cicero h. l. vacuitatem doloris addere, quum Epicurus istam velut partem voluptatis, nec ab hac separatam, posuisset. Vox autem *sola* (quæ supra est, init. huj. pag.) non excludit *vacuitatem doloris*, sed *honestatem*; idemque voluit auctor, ac si dixisset, « non modo ut expers honestatis ponatur, etc. » Cf. § 35. Scrib. potius, qui id ignoraret, quum miraretur, cur ejus ad hæc auctor non explicatius meminisset, ita se in margine consolatus est, ut sic, eadem sententia utramque comprehendi, notarat. Adde, quod ex vera verborum collocatione hæc series requiratur, « eadem erit de vac. d. sententia ». Aut certe, si *de* pro *quod attinet ad* acceperis, *ead. de v. d. s. erit.* Et tamen languebit *erit*, et accommodatius ad rem ipsam verbum desiderabis.

11. *Rejicietur etiam Carneades.* Primum cogita, « eadem sententiæ rationis pronuntiatione »: cui convenienter etiam *relinquet*, quod sequitur, accipiendum est. Deinde *etiam* respondet præcedenti *primum*, idque exemplu auctori satis frequenti; cf. supra I, 6, 17. Denique legitur in Ernestiana *enim* pro *etiam*, quod operarum vitio debetur. Ceterum *Carneadem* eo modo de causa nominatum puta, quod ipse auctor in reliquis hujus sententiam sequebatur: nam hic finem illum, quo *prima naturalia* amplectitur, disputationis modo causa posuit; vide infra § 42. G.

12. *Nec ulla de summo bono.* Vulgo *illa.* Sed recta prorsus est hæc Palatinorum pr. tert. et Med. scriptura, quæ Grutero fere allubescebat. DAVIS.

13. *Cetera aut omnino nihil.* Tres Oxonn. *autem*; ex hisque bini *omnino*

expetenda, nec fugienda[14], sed eligenda modo, aut rejicienda sint: aut anteponet eam[15], quam quum honestate ornatissimam, tum etiam ipsis initiis naturæ, et totius perfectione vitæ locupletatam[16] videbit. Quod eo liquidius faciet, si perspexerit, rerum inter eas, verborumne sit controversia[17].

39 XIII. Hujus[1] ego nunc auctoritatem sequens, idem faciam. Quantum enim potero, minuam contentiones; omnesque simplices sententias eorum, in quibus nulla inest virtutis adjunctio, omnino a philosophia se-

ignorant. Utrumque prave. Illud inde, quod scriba compendium putabat; hoc, quod ad *cetera* referebat, quum ad *nihil* pertineat. G.

14. *Expetenda... fugienda*, sunt Academicorum, qui etiam externa bona numerabant: *eligenda* autem, et *rejicienda*, Stoicorum, qui hæc in ἀδιαφόροις relinquebant, προηγμένα atque ἀποπροηγμένα Zenoni appellata. G.

15. *Anteponet eam*, supple *rationem*, quæ vox est supra: « nec ulla de summo bono ratio ».

16. *Quam quum.... locupletatam videbit*. Mars. ignorat *quam* et *videbit*: refert idem etiam *locupletem*, non *locupletatam*. Quod si vel e conjectura natum fuerit, vehementer tamen arridebit; sed nusquam Marsum audacius sua inferentem deprehendes; nec in ejus commentario ullum offertur conjecturæ, in texta temere illatæ, vestigium. Vulgata insuper non nihil languet: quum enim de altera (Academicorum) sententia sermo sit, vage sane *quam videbit* additur; cujus certe loco auctor, pro more suo, *viderit* scripsisset. Melius etiam est *locupletem*, i. e. *instructam*, qua vi sæpius hæc vox occurrit. Cf. Nat. Deor. I, 40, 113: « Locupletior igitur hominum natura ad beate vivendum est, quam deorum, etc. » Sed quum casus toties veritatem imitetur, fieri potuit, ut ex omisso *quam*, ante *quum*, quod etiam Baa. ignorat, et e decurtato per alliterationem *locupletem* hæc lectio consarcinaretur. Nihil igitur novamus. G.

17. *Quod eo liquidius faciet... controversia*. *Faciet* vicarium est præcedentis verbi *videbit*, i. e. *judicabit*, vel rectius etiam, si hoc ex glossa additum fuerit, ad *consideret* referendum. Ad Divv. X, ep. 10, *liquidius ... judicavi*. Ceterum ita horum sententiam constitues: « de quo eo certius judicabit, si intellexerit, eas non tam rebus quam verbis differre ». Expressit autem hæc modestiæ causa sic, tamquam incerta adhuc essent, quæ ipse apud sese in exploratis ponebat; quippe qui Stoicorum disciplinam ab ea Academicorum, verborum modo diversitate dignosci, multis locis statuat. Cf. infra III, 2; IV, 2-10; coll. Acadd. II, 6, 16, etc. G.

XIII. 1. *Hujus*, nempe Rationis (vid sup. § 37, init.) — *Nulla inest*. Multi codices editique *est*, quod h. l. ferri possit, pro *locum habeat* positum. Sed vulgata a nostris quatuor confirmata, et per se præferenda est, et frequenter structuram *in re inesse* scribæ sic corrumpunt. Vide infra V, 14, 39. G.

movendas putabo[2]: primum Aristippi, Cyrenaicorumque omnium; quos non est veritum[3], in ea voluptate, quæ maxime dulcedine[4] sensum moveret, summum bonum ponere, contemnentes istam vacuitatem doloris. Hi non viderunt, ut ad cursum[5], equum; ad arandum, bovem; ad indagandum, canem : sic hominem ad duas res, ut ait Aristoteles, ad intelligendum et ad agendum[6] esse natum, quasi mortalem

2. *Semovendas putabo*. Nihil aliud h. l. notant, quam *semovebo;* sed ut intelligas, unde hæc, aliæque ejusmodi dicendi rationes, Ciceroni tam familiares, subnatæ sint, semper meminisse oportet, hunc suam dicendi rationem ad græcum idioma, idque Platonis maxime, composuisse, apud quem nemo nescit quam sæpe verbum ἀξιοῦν simili abundantia dicatur. Fatendum tamen est, græcum verbum ex ejus etymo rectius et excusatius abundare, quam sic imitatum latinum. Sed est hæc dictio a modestia commendata, quippe qua non quod facturus sis, sed quid faciendum judices, indicetur. G.

3. *Quos non est veritum*. Recte hanc paullo obsoletiorem structuram tuetur Davis. cujus loco Guyetus *quis* suadet, jam a Gellio, XV, 13, enotatam, qui ejus causa hunc locum laudat. Non male hoc quadrat, quod de hoc verbo Perizon. ad Sanctii Minerv. 1, 378. B. statuit propriam ejus notionem esse, « pudore aut metu affici »: ita certe ex ejus passiva natura minus hæc constructio offendet. G.

4. *Quæ maxime dulcedine*. Gœr. scrib. *quæ maxima d.* notatque: Ern. suo periculo, « quæ maxime dulcedine », edidit, quum *maxima*, codicum lectio omnium, unice verum sit: nam adverbium vel ante vel post *moveret* ponendum fuisset, quum isto loco, quo ille vult, *potissimum* notarit, quod loci sententiæ consentaneum non foret. Hoc certissimum esse, omnes concedent, qui de justo verborum positu accuratius cogitarunt. G.

5. *Ad cursum, equum*. Gud. 1 Bas. E. ξ. *ad currendum;* scilicet ut constructionis ratio æquipararetur : sic enim sæpe proprio ausu librarii mutant. Ne autem hoc ab auctore profectum putes, notandum est, sæpe hunc sic orationem variare, non tam ex elegantia, quam nescio qui somniant, sed ex necessitate. Si enim substantivum *aratus*, etc. latini usus esset, hoc maluisset : quo carens, gerundium posuit. Cf. Legg. I, 8, 25 : « Pecudes partim esse ad usum hominum, partim ad fructum, partim ad vescendum procreatas ». G.

6. *Ad intelligendum, et ad agendum*. Posteriorem *ad* Ern. ex vett. impressis edidit. Recte quidem; nisi alia lectio bis obruta latet. Nam primo in paucis modo codd. prior *ad* legitur, posterior in nullo. Deinde refert Gud. 2 « intelligendi et agendi » Quid? si Cicero « intelligendo et agendo » scripserit, atque inde hæ turbæ repetendæ sint? In hos certe gerundiorum ablatt. grassari scribas solere, notum est. At si tamen hoc audacius judicaris, magis forte placebit, « intelligendi et agendi causa »; nam compendium *ca* ante *ce*, quæ nota verbi subst. in

deum[7] : contraque, ut tardam aliquam et languidam pecudem, ad pastum et ad procreandi voluptatem, sic hoc divinum animal[8] ortum esse voluerunt. Quo
41 nihil mihi videtur absurdius. Atque hæc contra Aristippum, qui eam voluptatem non modo summam, sed solam etiam ducit[9], quam omnes[10] unam appellamus voluptatem. Aliter autem vobis placet. Sed ille, ut dixi, vitiose : nec enim figura corporis, nec ratio excellens ingenii humani significat, ad hanc unam rem[11] natum hominem, ut frueretur voluptatibus. Nec vero audiendus Hieronymus : cui summum bonum est idem, quod vos interdum, vel potius ni-

Gud. 2 cernitur, si scribarum literas cogitaris, facillime excidere potuit. Videri auctor potest utrovis modo structuram nimis sæpe recurrentem vitare voluisse. Posterior tamen ratio ideo minus placet, quod, si recte attendimus, ubique Cic. « intelligendi agendique c. » ponere solet. Ceterum locus iste Aristotelis in scriptis hujus, quæ exstant, frustra quæritur. G.

7. *Quasi mortalem deum.* Θεοὶ θνητοὶ aliis homines sæpe vocantur, quorum loca plura collegit Davisius. G.

8. *Sic hoc div. an.* Gœr. delet *sic*, notatque : Davis. ex Eliens. 2, qui *sic hi hoc* præbet, *hi hoc*, et Ern. ex hoc et Ursiniano *sic hoc* ediderunt. Sed hi viri non viderunt, hæc ut misera contextorum fulcra addita a scribis esse. Neque tale quidquam in ullo nostrorum legitur. Recte igitur Bremi ad prius vulgatam rediit. Ideo vero auctor posteriore loco *sic* non repetisse videtur, ne nimis ad amussim composita oratio videretur. Quam putidioris diligentiæ fugam ad pæne innumera ejus loca observare licet. Nexus plenus se ipse defendit, « Hi non intellexerunt... imo contra potius... voluerunt ». Neque alia de causa pronomen a fronte positum est, quam ut ad totum hunc orationis ambitum pertineret.

9. *Sed solam etiam ducit.* Lamb. *dicit*, ut Ven. 1494. Quod tum probari deberet, si *esse* adderetur : neque ullus codicum nostrum favet. Eodem idem modo paucis ante, « videtur esse absurdius », scripserit. Tum foret *esse* (quod ex meis Gud. 1 refert) adeo necessarium, si *mihi* non præcederet. Jam vero nihil hæc notant, nisi « quo equidem nihil absurdius puto », adjectivo ob soni vim in clausula posito. G.

10. *Quam omnes.* Ante verba *quam omnes*, prave colon vulgo ponitur. Decepit interpretes repetita vox primaria in sententiæ clausula, ut in his nescio quam apodosin quærerent. Sensus est : Quam nemo non (ἅπαντες) unice voluptatis voce comprehendi putat. Tacite denuo ἀναλγησία Epicuri carpitur. G.

11. *Ad hanc unam rem* Erl. et Spir. « ad unam hanc rem » quod ad verborum tenorem significantius videtur, quum de summi boni fine agatur. G.

mium sæpe dicitis, nihil dolere. Non enim, si malum dolor est[12], carere eo malo[13] satis est ad bene vivendum. Hoc dixerit potius Ennius,

Nimium boni est, cui nihil est mali[14].

Nos beatam vitam non depulsione mali, sed adeptione boni judicemus : nec eam cessando, sive gaudentem, ut Aristippus; sive non dolentem[15], ut hic : sed

12. *Si malum dolor est.* Ignorant *est* Gud. 1, Baa. tres Oxunn. idemque quatuor Daviaii, qui inde ipsum delevit. Abest etiam a Marso, Ven. 1494, aliisque vett. impreasia. Sed Bremi omni vi retinet : esse contra umnem Ciceronis consuetudinem, ut, *si* præcedente, verbum substantivum umittatur. Laudat notata ad de Fatu e. 2. Recte. Possit quidem *est* umissum locis quihusdam defendi, v. c. infra Fin. IV, 18, 51, « ai enim virtua, digna est gloriatione, etc. » in primisque in ejusmodi connexis : sed inde nihil juria enascitur, melius, meliorum codicum lectione suppeditatum, contemnere. G.

13. *Carere eo malo.* Nutat ad hæc Bremi Ciceronem alibi negare sic recte dici; et tamen sæpius sie scribere. Ita sane frequenter facit : nam « carere febri, vitio, dulore, crimine, etc. » æque huc pertinent; nec aliter umnia latinitas. Igitur Cicero vel consultu, vel imprudens peccat? Neutrum. Nam loco illo, quem Bremi laudat, Tusc. I, 36, 88 : « Carere in malo non dicitur; nec enim esset dolendum », verbum *carere* Cicero egentia sensu capit, quod contexta elare docent. Non igitur bis *carere malo*, eo sensu, quo h. l. poni prohibetur; sed negatur modo egentia sensu recte poni posse. G.

14. *Nimium boni... mali.* Vix dubium est, quin hæc ex Ennii Hecuba sint, imitata ex fabula cognomine Euripidis, cujus hæc dudum comparavere intt. Hecuh. v. 627 : κεῖνος ὀλβιώτατος, Ὅτῳ κατ' ἦμαρ τυγχάνει μηδὲν κακόν. Cf. quos laudat Davis. Muret. Varr. Lectt. V, 13, et Columnam ad Ennii Fragm. p. 248. Ceterum nexum contextorum sic capies : « Huc dicere Ennio liceat, poetæ... nos philosophi vitam beatam non in absentia mali, sed in præsentia boni statuamus ». G.

15. *Sive gaudentem..... sive non dolentem.* Bremi dedit *gaudendo... dolendo*, tum propter plures scriptos, qui sic exhibent, quihusque accedunt Gud. uterque, tum, quod sic quærenda vita beata, ejusque quærendæ modus, clarius indicetur, de quo Cicero agat. Rathius vulgatam etiam ineptam judicat. Nobis altius quærendum videtur. Nam optimi codd. Pal. 1, Erl. Spir. vulgatam plane referunt, aliis solum *gaudentem*, ut Lambiniani omnes, et Gruteriani reliqui, aliis modo *dolentem*, ut Baa. et Crat. exhibentibus. Jam si quæras, utra harum lectiunum a scribis profecta videatur, quis erit, qui non istam his tribuat, quæ et facilior est, et e verborum vicinitate nata videtur? qui non eam ut veram defendat, quam codd. optimi toties veram Ciceronis manum soli servantes, tuentur, tot aliis, vel in vitiö, horum auctoritatem confirmantibus? Adde quod, quo casu vulga-

42 agendo aliquid, considerandove quæramus. Quæ possunt eadem contra Carneadeum illud summum bonum dici : quod is non tam, ut probaret, protulit, quam ut[16] stoicis, quibuscum bellum gerebat, opponeret. Id autem ejusmodi est, ut, additum ad virtutem, auctoritatem videatur habiturum, et expleturum cumulate vitam beatam : de quo omnis hæc quæstio est. Nam qui ad virtutem adjungunt vel voluptatem, quam unam virtus minimi facit[17]; vel vacuitatem doloris, quæ etiam si malo caret, tamen non est summum bonum : accessione utuntur non ita probabili; nec tamen, cur id tam parce, tamque restricte faciant, intelligo. Quasi enim emendum eis sit, quod addant ad virtutem, primum vilissimas res addunt ; deinde singulas potius, quam omnia, quæ prima natura approbavisset[18] [ea cum voluptate conjunge-

tam ortam dixeris, nescias; quo modo altera lectio nata esse possit, ultro se inferat. Neque quinque horum gerundiorum concursum negliges, in scriptore dicendi varietatem tantopere sectante. — At altera lectio contextis aptior! — Quod nos quidem prorsus non videmus : nam *gaudentem*, etc. est, « in qua nil nisi gaudeas », et reliquorum nexui probe accommodatur. — At vulgata ineptit! — Quasi « vita beata gaudens... non dolens », non pari jure dici possit, ac *vita sapiens*, in qua sapis, *consentiens*, in qua tibi consentis, *dissentiens*, *congruens*, etc. His si ipsum hunc infelicem scribarum nisum adjunxeris, quo verba difficiliora quæque ex vicinorum similitudine mutant : vulgatam omni studio retinebis. G.

16. *Quod is non tam, ut probaret, protulit, quam ut.* Sine causa VV. DD. in *ut* hæserunt, pro *quod* positam accipientes. Neque huc facit, quod Bremi docet, structuram « non ut... sed ut », sæpe causam spectare; licet id sit verissimum : sed *probaret* notat, « ipse verum putaret, aliisque ut verum venditaret », qua juncta notione factum est, ut auctor *ipse* non adderet. Simillimus locus est Acadd. II, 42, 131 : Introducebat etiam Carneades, non quo probaret, sed ut opponeret Stoicis, summum bonum esse, frui his rebus, quas primas natura dedisset ». G.

17. *Quam unam virtus minimi facit.* Moser notat vocem *unus* superlativo additam notare *præcipue præ ceteris* : cf. pro Planc. 41, 97 : « Brundisium veni..... urbem unam mihi amicissimam ». Et in Corn. Nep. Cim. III, 1, « quum unus in civitate maxime floreret ». Sic h. l. sensus est : Quam virtus in primis parvi facit.

18. *Approbavisset.* Post hæc vulgo ista adduntur : « ea cum voluptate conjungeret » : sed dudum ad obelos da-

rent]. Quæ quum Aristoni et Pyrrhoni omnino visa 43
sunt pro nihilo, ut inter optime valere, et gravissime ægrotare, nihil prorsus dicerent interesse[19], recte jam pridem contra eos desitum est disputari. Dum enim in una virtute sic omnia esse voluerunt, ut eam rerum selectione exspoliarent[20]; nec ei quidquam, aut unde oriretur, darent, aut ubi niteretur; virtutem ipsam, quam amplexabantur, sustulerunt. Herillus autem ad scientiam omnia revocans, unum quoddam bonum vidit[21]; sed nec optimum, nec quo vita gubernari possit. Itaque hic ipse jam pridem[22] est

mnata a Dav. Ern. et Bremio, abjecta ante etiam a Lambino, quum in ejus optimo non comparerent: id quod inde fidem planam accipit, quum etiam a Marsi ed. absint. Ne repetamus, quæ sat gravia Bremi monuit ad grammaticam rationem, et ipsum loci sensum spectantia. Addamus potius, locum hunc prorsus ex eorum numero esse, ad quos ubique scribæ glossemata sua appingant. Vix enim umquam isti structuram capiunt, ubi verbum præmissum denuo cogitari debet. Si enim in præcedd. vidissent, ad v. *singulas* denuo *addunt* applicandum esse, turbis h. l. supersedissent. In pluribus quidem codd. binisque nostris *honestate* pro *voluptate* legitur: sed ex correctione, ut clare in Erl. cernitur, qui totus a Pal 1 et Spir. pendens, in hoc ab his dissentit. G.

19. *Visa sunt pro nihilo... nihil prorsus dicerent interesse.* Putat Tennemannus, *Gesch. d. Philos.* tom. IV, pag. 219, hæc pugnare cum iis, quæ infra IV, 16, 43, de his duumviris dicuntur. Si quid h. l. auctorem accusaris, facile is hac ipsa brevitate sua se defendet. Infra, utpote loco commodiore, ea de re accuratius agemus. Hoc loco id tantum monemus, ne vv. « omnino... pro nihilo, plane pro nihilo » dicta accipias, quod vetat verborum positus: sed *omnino* valet, « si in universum rem spectes ». Sic hos duos auctor in singulis distingui voluit. Ceterum hæc ipsa presse ad virtutem intelligenda esse, res ipsa loquitur. G.

20. *Eam rer. selectione exsp.* Nam quum cetera omnia essent æqualia, indifferentia, nihil habebat virtus quod præferret, quod rejiceret.

21. *Unum quoddam bonum vidit.* Bas. *quidem*. Sed ita necesse non est: sæpe enim sic Latini ante adversativas *quidem* cogitandam omittunt. *Quoddam* græco more additur, ἕν τι ἀγαθόν.

22. *Hic ipse jam pridem.* Præteriri non debet, subaudiri in *ipse*, *etiam*, respicique sic ad illud *jam pridem*, quod præcesserat. Haud enim raro ea hujus pronominis vis offertur, qua nostro *ebenfalls* respondet. Orat. 20, 66, « numero maxime videbantur, et versu (differre oratores a poetis): nunc apud oratores jam ipse (bereits, ebenfalls) numerus increbruit ». Nihil igitur erat, cur ibi nuper *ipse* tentaretur. G.

rejectus. Post enim Chrysippum non sane est disputatum[23].

XIV. Restatis igitur vos. Nam cum academicis incerta luctatio[1] est : qui nihil affirmant, et, quasi desperata cognitione certi, id sequi volunt, quod-
44 cumque verisimile videatur. Cum Epicuro autem hoc est plus negotii[2], quod e duplici genere voluptatis conjunctus[3] est; quodque et ipse, et amici ejus, et multi postea, defensores ejus sententiæ fuerunt; et nescio quomodo is, qui auctoritatem minimam habet, maximam vim, populus cum illis facit. Quos nisi arguimus[4], omnis virtus, omne decus, omnis vera laus

23. *Post enim Chrysippum ... disputatum.* (Subaudi : contra ejus sententiam.) Recte hæc Bremi contra Davis, et Ern. defendit, qui *ante eum*, vel *in eum* addi jubent. Nam sic magis ad sententiam, quam ad hominem verba hæc referuntur. *Sane* deinde, si post *non* ponitur, levius affirmat, et nostro *eben nicht sonderlich* respondet : secus est, si negationem antecedit. Cf. Divin. II, 31, 67, « non sane mirabile hoc quidem ». Ita quoque *nihil sane* Orat. III, 55, 212; *nusquam sane* Divv. II, ep. 17, etc. G.

XIV. 1. *Incerta luctatio.* Sic Erl. quoque et Spir. ut suspicer, in Pal. 1 *incta*, non *uncta* legi, idque linea compendii neglecta. *Uncta* certe nihil esse, recte viderunt contra Gruterum Davis. et Bremi. G.

2. *Hoc est plus negotii.* Idem notant, quod, « luctatio eo plus negotii facessit ». Hanc vim in *hoc* quum scribæ non assequerentur; *hoc plus negotii est*, transposuerunt, ut Gud. 1, Baa. editique vett. cum Marso, Crat. permulti. Alibi hic abl. a scribis male tentatur, vid. Off. I, 45, 4, Heus. oblitteratum igitur eum a Bremio putabis de Fato, 14, 32 : « Hoc artius adstringi ratio non potest ». Dedit enim ille *hæc*. Sed *hoc* cum vi præmittitur. Cf. Brut. 63, 227. G.

3. *E duplici genere voluptatis conjunctus.* Structura, *conjunctus e*, nescio an umquam legatur, apud Ciceronem certe nusquam recurrit. Quod vix viderunt intt. alias intentatam non dimisissent. Sed sollicitatam noli : est enim *e* materiæ. Simili ratione constructio *contineri ex* ad Acadd. II, 2, 6, defendenda fuit : quam ut ibi græca auctoritate niti vidimus, ita h. l. quoque συνημμένον et συμπεπλεγμένον ἐκ plus semel, v. c. apud Sext. Emp. legitur. Sed quam mire *Epicurus conjunctus* dicitur ! Cogitabis tibi nempe signum vel e duobus metallis conflatum, vel, si malis, Phidiæ Minervam, ex auro et ebore *conjunctam*. Lamb. dedit *ex*, ut Ven. 1494 : at scripti nostri nihil variant. G.

4. *Arguimus.* Gœrenz scribit : *redarguimus.* Ita, inquit, nostri omnes, nisi quod Gud. 2, cum E. et ξ. *redarguamus.* Ab alterutra horum parte stant quoque impressi vett. plerique omnes. Et nobis quidem, quomodo

deserenda est. Ita ceterorum sententiis semotis, relinquitur non mihi cum Torquato, sed virtuti cum voluptate certatio. Quam quidem certationem homo et acutus, et diligens Chrysippus, non contemnit, totumque [5] discrimen summi boni in eadem [6] comparatione positum putat. Ego autem existimo, si honestum aliquid ostendero [7], quod sit ipsum vi sua, propter seque [8] expetendum, jacere vestra omnia. Itaque eo,

vulgata a VV. DD. tam facile ferri potuerit, ut nemo in ea offendat, prorsus non liquet. Nam *arguimus* vix aliter, quam *accusamus* acceperis; hoc autem quam langueat, per se patet. Simplex autem hoc pro composito dici posse, prorsus dubitamus: nobis certe nusquam exemplum innotuit, quod huc trahi possit. Veram igitur *redarguimus* lectionem judicantes, tot bonis codicibus confirmatam, auctorisque usu tritam, in texta recepimus. Indicativus autem hac in asseveratione præferendus est, sæpe a scribis post *nisi* in subjunctivum mutatus.

5. *Non contemnit, totumque. Que* est *immo potius*, et sæpe, non solum post negationem, cf. Acadd. II, 14, 45, sed sine hac etiam legitur. Plura tamen adhuc loca, hac particulæ vi non animadversa, in Ciceronis scriptis laborant. G.

6. *In eadem comparatione*. Meadiu. Gud. 1, Bas. E. et ξ. *earum:* Nonius v. *discrimen*, *eadem rerum*. Guyetus *in ea*, vel *in ea demum* conjicit. Davis. *earum rerum*, vel *earum* simpliciter suadet. Sed vulgatum, quod meliorum codd. est, verum putamus. *Eadem*, est *ea ipsa*, ut sæpe (cf. Bremi de Fat. 15), quod quum scribæ non viderent, *earum* conjecere. Duplex deinde lectio juncta illam Nonii peperit; quæ ideo parum placet, quod *virtus* et *voluptas* ut personæ introducuntur. *Comparatione* autem idem est ac *certatione;* quod sine causa Ern. illius loco poni mavult: immo noluit auctor idem ter repositum. Dicitur autem *comparatio* proprie de componendis ad pugnam gladiatorum paribus, ut recte cum Ern. vidit Brem. et aliis verbis idem exprimitur, Acadd. II, 46, 140: « Unum par, quod depugnet, reliquum est, voluptas cum honestate ». Quam notionem h. l. adeo scribæ cepisse videntur: nam E. et ξ. ejus vocis loco *compositione* referunt. G.

7. *Si honestum aliquid ostendero*. Gœr. scrib. *si*, *hon. al. esse*, *ostendero*. Miror, inquit, Viros Doctos, qui, quum vulgo *esse* absit, nihil offenderint. Sic Ciceronem barbare loqui cogimus! Longum foret in hoc vitium ingredi, quod hujus scripta toties, et ubique codicibus rectius docentibus, contaminavit. Satis jam est, si h. l. ad ambiguitatem vulgatæ attendere jusserimus: sed aliquando rem plene aperturi sumus. Præter Gud. 2, nostri omnes *esse* servant.

8. *Propter seque*. Lamb. *propterque se:* sic ille scilicet ex ingenio suo, non auctoris, solet, qui utroque modo scribit; v. c. « inter teque, ad plurimosque, in reque ». Quid, quod sine præpositione sic solet? Orat. III, 31, 124: « In hoc igitur tanto, tam immensoque campo »; ubi quisque,

quale sit, breviter, ut tempus postulat, constituto, accedam ad omnia tua, Torquate, nisi memoria forte defecerit[9].

45 Honestum igitur id intelligimus, quod tale est, ut detracta omni utilitate, sine ullis præmiis fructibusve[10], per se ipsum possit jure laudari. Quod quale sit, non tam definitione, qua sum usus, intelligi potest, quamquam aliquantum potest, quam communi omnium judicio, et optimi cujusque studiis

qui aures adhibere poterit, *tamque* respoerit. Interna autem totius sententiæ vis hæc est. « Chrysippus potat, ex contentione, et quasi conflictu, virtutis, et voluptatis, omnem, tam late patentem, de summo bono litem dirimi. Ego autem, ad vestram rationem refutandam, satis esse judico, si docuero, honestum esse aliquid (καλόν εἶναί τι) sua natura expetendum ». De Chrysippo comparari debet Acadd. II, 45, 138.

9. *Accedam ad omnia tua, Torq. nisi memoria forte defecerit.* Gœrenz dat *via* pro *tua*. Haud dubie, inquit, Grut. a quo vulgata lectio ex Pal. 1 introducta est, in eodem hoc cod. *via* legebat, prout Erl. et Spir. exhibent; sed quum vim ejus non assequeretur, neglexit. Ante Gruterum vulgatum est, « acc. ad om. tua, T. ubi si me mem. f. defecerit, tuum est, ut suggeras ». Atque ita, præter scriptos tres illos, reliqui omnes offerunt; nisi quod a nostris reliquis *me* abest, ignoratum a vett. excusis, quos vidimus, omnibus. Si *tua* valebit, fatemur sane, non satis nobis receptam placere : nam tum Torquatus provocandus erat ad ea suggerenda, quæ præterisset. At lectio *via* haud dubie verissima est, nec a casu aliquo repetenda : sic enim scribæ non peccant, sponte potius talia ad palatum suum mutant. Dicitur autem, ut Græcorum ὁδῷ βαδίζειν, προσιέναι, παρεισελθεῖν, sic h. l. *accedere via*, i. e. « ratione et ordine rei accommodato singula quæque rimari ». Ita auctor *via progredi* sæpius, cf. N. D. II, 22, 57, quod Stoici ὁδῷ πορεύεσθαι, βαδίζειν, i. e. « certa ratione versari ». Terent. *reputare via*, etc. Frequentius Noster voce addita « ratione et via, via et arte, artificio et via ». Ceterum pronomine *me*, quod ante *memoria* vetus vulgata addit, hoc liquido contextu facile carebis. Cf. Acadd. II, 36, 114. Immo, *me* adjecto, *forte* nimis alte rejiceretur, quod postpositum est, ut major vis in v. *memoria* esset.

10. *Præmiis, fructibusve.* Vulgo *que* editur; sed *ve* omnes nostri servant, consentiente Marso. At *ve* in paribus notionibus non dicitur! vide ad Legg. I 18, 46. Recte, non in paribus; sed in similibus : Orat. 40, 138, « ut sæpe in hilaritatem risumve convertat »; Orat. II, 18, 74, « quibusnam rationibus, quibusve præceptis ». Orat. 63, 212, « quo autem pacto deceat incise membratimve dici ». (Incisa Græcis sunt κόμματα, membra κῶλα.) *Præmia* autem sunt honoris, *fructus* contra lucri sunt, et mercedis. Res ipsa ab auctore sæpe tractatur; sed ob ver-

atque factis : qui permulta ob eam unam[11] causam faciunt, quia decet, quia rectum, quia honestum est; etsi nullum consequuturum emolumentum vident. Homines enim, etsi aliis multis[12], tamen hoc uno a bestiis plurimum differunt[13], quod rationem habent a natura datam mentemque, et acrem, et vigentem, celerrimeque multa simul agitantem, et, ut ita dicam,

borum quoque similitudinem conferes ad hæc et seqq. Legg. I, 18, 48, seqq. ubi est, « judicia nihil expetit præmii, nihil pretii ». G.

11. *Ob eam unam causam.* Gœr. scrib. *ob eam causam unam*, notatque: probatiorem verborum ordinem præbuit Erl. Spir. et Bas. cujus loco Gud. 2, *ob eam c. miam*, quod haud dubie ex comp. vocis *unicam* natum est. Mars. *ob eam c. una ;* Ven. 1494, *unam* plane ignorat. Ex his vix dubium est, eum positum auctoris esse, quem edidimus. Notandum enim est, *unus* sic cum vi substantivo suo subjici solere. Cf. Brut. 59, 214 : « in quacumque re una plane claudicaret, orator esse non posset ». Ibid. § 216, « nulla re una magis oratorem commendari ». Ratio ponderis additi in post posito est, quod sic *unus* integri enuntiati loco valet, i. e. *et quidem unam*. Hoc nostro autem loco æque graviori vi *unam* accipi debere, quam vulgata series præbet, triplex *quia*, quæ sequitur, clamat. Scripsimus igitur, ut codd. nostri probatiores jubebant.

12. *Etsi aliis multis.* Plures scripti et vett. impressi, *etsi multis aliis :* sed nescio quo aurium vitio scribæ sic sæpius peccant; vide ad Acadd. II, 7 19. G.

13. *Tamen hoc uno a bestiis plurimum differunt, quod rationem habent a natura datam mentemque.* In his trifariam scripti turbant. Primo Gud. 1, Bas. Mars. aliæ, *uno* omisso, *plurimum a bestiis diff.* Cujus varietatis licet causam minus dispicias, tamen vulgata, ob perpetuum auctoris hac in ipsa redicendi morem, præferenda est. Deinde recepimus ex Gud. 1 et Bas. ut jam Ern. ex conjectura suaserat, *habent*, vulgata *habeant* præbente. Quod enim Brem. *habeant* eo retinet, quia alias *videat* sequi non possit, nihil dicit; quum « quæ ... videat », « quum ea vid. » valet. Conjunctivum ex ultimæ verbi syllabæ compendio ortum putamus *habent :* sic enim sequens *a* facile attrahi potuit. Spir. certe *a* proximam ignorat. Tertio denique loco, præter Erl. et Spir. scripti veteresque excusi in alia omnia abeunt, « a natura menti datam; a natura mentemque datam, etc. » Sed quis non videt, offendisse scribas verborum positum, consulto sic ordinatorum, ut adjectiva, quæ sequuntur, arctius ad *mentem* applicarentur? Cujus pervagati positus exempla afferre supervacaneum est. G. — Præterea nobis melius Gœreuz interpungere videtur : *a natura datam, mentemque et acrem.—Hoc uno a bestiis...diff.* etc. De re ipsa, præter alia loca multa, contulisse non pœnitebit Off. I, 4, 3, seqq. eodem enim sententiarum ordine auctor ibi ad eumdem

sagacem[14], quæ et causas rerum, et consecutiones videat[15], et similitudines transferat, et disjuncta conjungat, et cum præsentibus futura copulet, omnemque complectatur vitæ consequentis statum[16]. Eademque ratio fecit[17] hominem hominum appetentem, cumque his natura, et sermone, et usu congruentem: ut profectus a caritate domesticorum ac suorum, ser-

Platonis locum defertur. Quæ quidem res nos movet, ut auctorem utroque loco se ad exemplar aliquod pressius accommodasse suspicemur.

14. *Ut ita dicam, sagacem.* Consulto additam putabis hanc formul. *ut ita dic.* ut lectores propriæ notionis in voce *sagax* admonerentur, quum dudum ad homines translata, ex primaria ejus vi paullulum amisisset. Sic nihil est, ut cum Markiando inauditam vocem, *satagacem*, fingas. G.

15. *Videat.* Mire refert Gud. 1, *judicaret*, et alia manu superscriptum *judicet.* Num forte olim *videt* legebatur? nam linea superaddita compendium verbi *judicet* sistit. Sed conjunctivus h. l. præferendus. G.

16. *Omnem ... vitæ consequentis statum.* Erl. *præsentis :* sed hærebat hæc vox in librarii auribus, quum statim ante *præsentibus* scripsisset. Ne dubites, cf. Off. I, 4, 3, ubi eadem de re, « facile totius vitæ cursum videt ». G.

17. *Eademque ratio fecit ... ut serpat.* Sic omnes nostri cum vulgata. Sed Davis. ex Eliensi utroque et veteribus editis nescio quibus (quas enim nos inspeximus, omnes *fecit*), *facit* dedit, probante Ernestio. Bremi, qui Davisii exemplum sequitur, uti quidem Ciceronem ejusmodi temporum variatione, concedit, sed h. l. mutationem necessariam perhibet, quum *serpat*, et *implicet* inde pendeat. Quam caute de ejusmodi locis judicandum sit, quæ vulgo consecutionis temporum legibus adversari dicuntur, hic ipse locus vel maxime monet. Nam si hæc nude spectes, *fecit* vel ideo prætuleris, quum de re sermo sit, quam in hominibus ratio, statim ex quo hi in societatem coire cœperant, effecit: at alia interior contextorum series est, quæ vulgatam defendit. Non enim viderunt Intt. *rationem* h. l. intelligi debere non solam hominis, sed illam quoque universi (λόγος ὀρθὸς, τέλειος), quam Stoici *naturam*, et proprio nomine *deum* vocant. Hoc autem certissimum esse, ex his partim patet, quæ sequuntur § 46: « Et quoniam eadem natura cupiditatem ingenuit homini, etc. » in his enim *naturam* dicit, quam h. l. *rationem* appellat: partim ex loco superius laudato, quo idem plane notatur. Off. I, 4, 4: « Eademque natura vi rationis hominem conciliat homini ». Complicatius igitur nostro loco Cic. atque inde paullo obscurius se expressit, quum planius, « Eademque natura vi rationis fecit », scribendum fuisset. Quod si ita est, de quo nihil dubitabis, si auctoris compressius dicendi morem noveris; tum *fecit* idem est, quod in proximis *genuit* aoristi vi dicitur: *ut* autem *eo consilio, ut*, crebro usu valet; atque ita unice recte præsentia sequuntur. G.

pat longius[18], et se implicet primum civium, deinde
omnium mortalium societate[19]; atque, ut ad Archytam scripsit Plato, non sibi se soli natum meminerit,
sed patriæ, sed suis, ut perexigua pars ipsi relinquatur. Et quoniam eadem natura cupiditatem ingenuit 46
homini veri inveniendi[20], quod facillime apparet, quum vacui curis, etiam quid in cælo fiat, scire avemus: his initiis inducti omnia vera diligimus, id est, fidelia, simplicia, constantia; tum vana, falsa, fallentia[21] odimus, ut fraudem, perjurium, malitiam[22], in-

18. *Serpat longius*. Ita Erl. et Spir. ut Grut. recte ex Pal. 1 dedit: nam reliqui scripti et veteres excusi omnes *currat*, nisi quod item Crat. in marg. *serpat* refert. Perperam. Sæpe sic Cicero verbo *serpo* utitur, ut de lectionis veritate ambigi nequeat. Cf. Læl. 23, 87: « serpit enim nescio quo modo per omnium vitas amicitia ». N. D. III, 20, 51: « Illa autem ... quam longe serpant, non vides ». Ex altera lectione certe *excurrat* conjici debuisset. Sed veritas vulgatæ patet quoque ex v. *implicet*, ab eadem similitudine petito. G.

19. *Mortalium omnium societate*. Ablativum *societate*, contra Lamb. qui *societati* scribit, recte vindicant Davis. et Brem. Erl. et Spir. *omnium mort. soc.* Bas. *societate mortalium omnium*. Vulgatæ sonus probus est: sed unde hæ turbæ? Equidem Ciceronem, *mortalium societate omnium*, scripsisse judico; quippe qui regentem casum rectis includendi mos, a Græcis repetitus, sit ei familiarissimus: sed a scribis persæpe turbetur. Ne loca cumulemus, vide supra 3, 7: « Septem autem illi, non suo, sed populorum suffragio omnium, nominati sunt ». Locus Platonis, cujus sententia magis, quam verba, his expressa est, in Epist. 9 legitur. Conf. Heusing. ad Off. I, 7, 5. G.

20. *Inveniendi*. Gœr. *videndi*. Sic, inquit, Spir. et Erl. præbent; prout a Grut. ex Pal. 1, tamquam non ineptum notatur. Immo hoc pro vulgata *inveniendi* unice reponendum erat, ut fecimus: cf. Tusc. I, 19, 44: « inest in (sic scribe) mentibus nostris insatiabilis quædam cupiditas veri videndi ». Bas. *veniendi*. Ex compendio scil. primo *veniendi* peccatum, deinde *in* additum est.

21. *Initiis inducti ... fallentiã*. *Initia* pertinent ad rationem, et veri videndi cupiditatem, quarum ductu profecti, ad virtutis honestique cognitionem pervenimus: nihil est igitur, cur Lamb. *inducti* in *imbuti*, quod adeo deterius foret, mutatum velit. Eodem modo « his argumentis inductus » dicitur, etc. Neque rectius est, quod idem *fallacia* correxit: quamquam enim hæ voces permutari solent; hoc tamen loco *fallentia*, i. e. « ita comparata, ut fallant », melius est, scriptisque defenditur omnibus. G.

22. *Malitiam*. Desideratur in Erl. *malitiam*: sed hoc ejecto κακοφωνία

juriam. Eadem ratio habet in se quiddam amplum
atque magnificum, ad imperandum magis, quam ad
parendum accommodatum; omnia humana non tole-
rabilia solum, sed etiam levia ducens; altum quiddam
et excelsum, nihil timens, nemini cedens; semper
47 invictum. Atque his tribus generibus[23] honestorum
notatis, quartum sequitur, et in eadem pulchritu-
dine[24], et aptum ex illis tribus : in quo inest ordo et
moderatio. Cujus similitudine[25] perspecta in forma-

oritur Ciceroni haud impertienda ; licet altera ex parte ob paria membra omissum placeat. At ista auctor non anxie curat. G.

23. *Atque his tribus generibus*, etc. Honesti sunt genera, quæ pluribus dilatavit, ut primo prudentiam, secundo justitiam, tertio fortitudinem explicaret. Ultima est temperantia. Cf. lib. I, cap. 16, init. J. V. L.

24. *Et in eadem pulchritudine.* Hæc sane sensu difficiliora sunt. Nemo hæsit, nisi Brem. qui *in* deleri suadet, ut ante eum Rosa. Sed ita locus ipse nondum liquet. Nam si intellexeris, « eamdem pulchritudinem (animi) in quarto cerni, quæ sit in reliquis, e quibus hoc ipsum coierit » : ita complicatam horum sententiam habebis, ut pæne abstrusa sit. Ex Stoicorum enim ratione ad hoc quartum virtutis genus (σωφροσύνην) ascendit animus a pulchritudinis externæ sensu, qui ex animadversa partium convenientia nascitur, ad sensum internæ (τὸ πρέπον), quæ in consiliorum factorumque convenientia, ordine, constantia, inest. Cf. Off. I, 4, 8, qui locus hoc conferendus est. Neque tamen nos locum corruptum putamus, sed notandum ex obscuritate, quam nimium brevitatis studium peperit. Sic præp. *in* diligenter servanda erit, ut ex græcismo, auctori admodum frequente, posita. Nam Græci verbis, τοῦτο τὸ γένος ἐν ταυτῷ τῷ κάλλει ἐστί, notant, « hoc genus ad eamdem pulchritudinem referendum esse ». Vide ad Acadd. II, 26, 83. *Pulchritudinem* autem de interno animi decore, ad græcorum philosophorum, maxime Platonis exemplum, dictam putabis. Κάλλος enim de *honestate* sæpissime dicitur. —*Aptum*, quod sequitur, participium est; cf. Acadd. II, 10, 31. Ceterum si optare magis licebit, quam judicare, sic locum legemus, « quartum sequitur, quod in eadem honestatis pulchritudine est, aptum ex illis tribus ». Hæc scripseramus, quum ad faciliorem hæc explicandi viam serius deduceremur. *Et* ... *et* enim pro *non solum* ... *sed etiam* si acceperis, nihil erit, quo jure hæreas. Vide ad Acadd. I, 6, 23, etc. G.

25. *Cujus similitudine. Cujus*, i. e. *ordinis et moderationis* : nam hæc duo unam notionem complectuntur. Ne autem a loci sententia aberres, hæc est : « Cui ordini et moderationi quum ratio simile quid in rerum externarum decora specie (sc. partium convenientiam considerando) perspexisset, transtulit judicium ad convenientiam dictorum, factorumque, eorum honestatem æstimando ». Verba nempe

rum specie ac dignitate, transitum est ad honestatem dictorum atque factorum. Nam ex his tribus laudibus, quas ante dixi, et temeritatem reformidat, et non audet cuiquam aut dicto protervo, aut facto nocere; vereturque quidquam aut facere, aut loqui, quod parum virile videatur[26].

XV. Habes undique expletam et perfectam, Tor- 48
quate, formam honestatis[1] : quæ tota his quatuor virtutibus, quæ a te quoque commemoratæ sunt, continetur. Hanc se tuus Epicurus omnino ignorare dicit, quam, aut qualem esse velint, qui[2] honestate summum bonum metiantur. Si enim ad honestatem omnia referantur[3], neque in ea voluptatem dicant inesse; ait, eos inani voce sonare[4] (his enim ipsis

specie ac dignitate per ἓν διὰ δυοῖν dicta sunt : quod quum scribæ non viderent, *ac* in *a* mutarunt, ut codd. plerique omnes referunt. Sed *ac* præbet etiam Mars. ut primum recepit P. Manutius, obnitente frustra Grutero. G.

26. *Vereturque . . . videatur. Que* est *immo potius.*—Sed Gud. 2 totum hunc locum ignorat, post *veretur* puncto maximo posito. Puta hæc excidisse ob similitudinem verborum *veretur* et *videtur*, compendio scriptorum. G.

XV. 1. *Habes undique expletam ... formam honestatis.* Cf. Off. I, 5, 1 : « Formam quidem ipsam...et tamquam faciem honesti vides ». Alluditur utroque loco ad illum Platonis locum, quem infra, 16, 52, vide. G.

2. *Velint, qui.* Erl. et Spir. *hi* inserunt ; atque sic sane Cicero loquitur. Divin. I, 3, 5 : « Zeno et hi, qui ab eo profecti sunt, etc. » G.

3. *Referantur ... dicant.* Th. Bentl. *referant* : sic scil. ad amussim foret. Sed res redit ad eum dicendi morem, quo *passiva activis* apud scriptores latinos omnes junguntur. Præter ea, quæ Brem. laudat, cf. Drakenb. ad Liv. XXIX, 4, init. G.

4. *Inani voce sonare.* Plato ψοφεῖν μάτην : alii κενὰ φθέγγεσθαι, quod ipsum verbum expressum latino videtur. Epicurus igitur forte κενῇ φωνῇ φθέγγεσθαι scripsit. Similiter auctori « pingue quiddam sonantes » poetæ dicuntur, spissiori dialecto, urbanisque auribus rauca, scribentes. *Inanis* autem *vox* est verbum, cui notio certa aptari nequit. Eodem prorsus modo Tusc. V, 26, 73, « inanes sonos fundere », quæ verba cur Brem. « de ratione loquendi prorsus diversa » accipiat, nos certe ignoramus : sed hic jejune omnino *inanem vocem* de *imbecilla* intelligit, quum sensus sit, « voce honestatis ita utuntur, ut vagum sensum fundat, veram ejus vim ignorantes ». Hunc verborum vere sensum esse, verba prægressa, « Hanc se tuus Ep. ... metiantur », clare do-

verbis utitur), neque intelligere, neque videre[5], sub hac voce honestatis quæ sit subjicienda sententia. Ut enim consuetudo loquitur, id solum dicitur honestum, quod est populari fama gloriosum. Quod, inquit, quamquam voluptatibus quibusdam est sæpe jucun-
49 dius, tamen expetitur propter voluptatem. Videsne quam sit magna dissensio? Philosophus nobilis, a quo non solum Græcia et Italia, sed etiam omnis barbaria commota est, honestum quid sit, si id non est in voluptate, negat se intelligere: nisi forte illud, quod multitudinis rumore laudetur[6]. Ego autem, hoc etiam turpe esse sæpe, judico[7]; et, si quando turpe non sit,

cent. Quare etiam Davisii conatus reprimendus est, *inanis voces* anadentis, quum de una honestate sermo sit. Immo potius quum plures codd. et vett. edd. *voce inani* transponant, in quibus est Spir. Erl. Mars. putare liceat, auctorem scripsisse *inane sonare;* sic ut *voce* a scribis profectum statuas. Ita alias *contrarium*, *agreste*, etc. *sonare* scribit. G.

5. *Neque intelligere*, *neque videre.* Offendor in verbis. *neque intelligere*, tamquam de glossa suspectis. Nam *videre* ad animum, ut sæpe. pertinere, per se patet: atque si sic auctor *intelligere* additum voluisset, velut interpretationis loco subjecisset, uti solet. Offendit etiam duplex *neque* in verbis notione nihil diversis. Ne quis autem opposuerit Verr. I, 9, 25: «Quod quum esset intellectum, et animadversum»: nam *animadvertere* h. l. est *beherzigen*. Sed in his et talibus ambiguum est judicium: forte auctor contra solitum suum morem *videre* pro *clare perspicere* dixit, ut his quædam gradatio insit: quamquam vel sic repetita *neque* offendet. Noluimus certe hæc sicco pede transmittere: eoque minus, quo plures Virorum Doctorum reperiuntur, qui ad ista ne attendant quidem, præconcepta opinione impediti, acervare Ciceronem cujuscumque generis synonyma solere, solo nescio quo inanis numeri tinnitu commotum. G.

6. *Nisi forte illud*, *quod ... laudetur.* Gœrenz dat *laudatur*. Ita, inquit, ex Spirensi, Erl. et Ven. 1494, edidimus, quum vulgo *laudetur* scribatur: sed post *nisi forte* semper indicativus sequi debet. Hoc certum esse et indubitatum, probari insigni locorum numero posset; plures enim quam 40 enotatos ante oculos habemus. — Addendum hoc, *nisi forte* Ciceroni nusquam, nisi cum quadam ironia dici.

7. *Hoc etiam t. esse sæpe, jud.* Hæc separatim interpunximus, ne in loci sono aberrares. *Sæpe* enim eum vi in clausula repositum est; cf. ad Herenn. IV, 10, 15: «Nam ut corporis bonam habitudinem tumor imitatur sæpe, ita, etc.» Off. II, 14, 7, «tamen etiam accusatio probata est persæpe». Sic enim ibi scribendum. *Etiam* post *tamen* est *vel*, *adeo*, et *est* retrahunt

tamen non esse non turpe, quum id a multitudine laudetur[8]. Quod si sit ipsum per se rectum[9] atque laudabile, non ob eam causam tamen[10] illud dici honestum esse, quia laudetur a multis, sed quia tale sit, ut, vel si ignorarent id homines, vel si obmutuissent, sua tamen pulchritudine[11] esset specieque lau-

etiam 4 nostri. Pessime autem hoc loco feceris, si *sæpe* ad *judico* retuleris. Ita neque scriptos quosdam audies, *esse* abjicientes. G.

8. *Tamen non esse non turpe, quum ..., laudetur.* Gœrenz scribit *tum.* Sic, inquit, pro *tamen*, dedimus ex Pal. 1, Spir. Mediol. Bas. Sed ne opus quidem hac auctoritate erat, quum hæc corrigendi ratio ipsa se obtrudat dicendi auctoris rationem non ignoranti; inprimis si tenueris, *tum* et *tamen* a scribis ubique confundi. Ita v. c. recte nuper Wolf. Tusc. I, 35, 85, « tum eventum omnium amisisset, » ubi *tamen* vulgatur; et Divv. VI, ep. 4, « et quum semper incerti exitus præliorum sint, tamen hoc tempore ita utrinque paratæ ad depugnandum esse dicuntur ». Reponas ex pluribus codd. *tum:* nam etsi quidem vel sic *quum* pro *licet* positum dici possit; tamen verbis transpositis auctor, *hoc tamen tempore*, scripsisset. Semper autem vulgi opinionem in errore versari, inprimis Stoici perhibebant. Sic nihil est, cur, pro *quum*, cum Davis. *quod*, cum Bremio *quia* malis. — *Si quando turpe non sit, tamen non esse non turpe*, etc. An igitur in ea sententia fuit Tullius, ut multitudinis approbatio rerum naturam mutaret, idque faceret turpe, quod per se talem notam non merebatur? haud opinor. Certe censuit, quod olim Horat. II, Ep. 1, 63: « Interdum vulgus verum videt: est ubi peccat ». Davis. — Notat J. V. L. non h. l. Nostrum contendere nihil omnino tribuendum esse opinioni; sed tantum monere, ut ab ejus erroribus et præjudiciis caveamus.

9. *Per se rectum.* Ita præter Pal. 1, aliosque quosdam, Spir. et Erl. Crat. quoque in margine. Verissime: centies enim « per se rectum et laudabile » ex ea Stoicorum ratione jungitur, qua hi, « omne bonum laudabile esse », probant; vide nos ad Legg. lib. I, cap. 17, § 46, coll. ibid. II, 5, 11. Olim vulgata ante P. Manutium lectio, turpi scribarum peccato, erat *perfectum*. G.

10. *Tamen* ab Erl. abest, et ejus loco Ven. 1494 *in* dedit: sed scribæ fere semper in *tamen* altius rejecta, si *certe* notat, offendunt. Conf. Catil. III, 5, 14, Beck. « Tum Cethegus, qui paullo ante aliquid tamen respondisset »; ubi recte nuper Beck. *tamen* reduxit. G.

11. *Sua tamen pulchritudine.* Transponunt Ven. 1494, *pulchr. t. sua*, Mars. *pulchr. sua tamen*, et sic Bas. Sed et scribæ et VV. DD. in adjectt. pronominibusque cum vi præmissis peccant. Ceterum Davis. transposite *esset pulchr.* Qua auctoritate, nescio; jure certe nullo. G. — *Sua est illa sua insigni.* Habuit nempe auctor Platonis ex Phædro locum in mente, quem ipse inferius ponit, 16, 52, et ad quem supra etiam respexerat, 15, 48.

dabile. Itaque idem natura victus, cui obsisti non potest[12], dicit alio loco id, quod a te etiam paullo ante dictum est, non posse jucunde vivi, nisi etiam honeste[13]. Quid nunc, honeste, dicitur? idemne, quod jucunde? Ergo ita, non posse honeste vivi, nisi honeste vivatur[14]. An, nisi populari fama[15]? Sine

12. *Cui obsisti non potest.* Gœrenz hæc verba *c. obs. non p.* parenthesi includit.

13. *Nisi etiam honeste.* Gœrenz delet *etiam.* Hoc, inquit, ignorant editi vett. potiores omnes; cujus loco Gud. 1 et Bas. *et* præbent. Atque sane, si repntes, addi hanc particulam a scribis ubique solere; si videris, auctorem, ea h. l. addita, ipsam paucis post ad verba, *nisi honeste vivatur*, repositurum fuisse; si addideris, supra qnoqne I, 18, 57, unde hæc repetuntur, *etiam* abesse; quum item paullo post § 51, eadem sine *etiam* repetantur: his ex rationibus, si vel non curea, quod eadem part. statim præcedit, abjectam a nobis h. l. nihil miraberis.

14. *Non posse honeste vivi, nisi honeste vivatur.* Prius *honeste* abest a Gud. 1 et Bas. Pearcius utriusque loco *jucunde* suadet. Quam lect. sic ipse defendit: Quæstio fuit de sensu horum verborum Epicuri, « non potest jucunde vivi, nisi etiam honeste ». Quærit igitur Cicero, quid Epicurus velit per vocem *honeste*: si idem (inquit) quod *jucunde*, tum nihil aliud quam hoc dicit: « non potest jucunde vivi, nisi jucunde vivatur »: quod qui dicit nugatur, non argumentatur. Sed si per vocem *honeste*, Epicurus vult *populari fama*, tum ille (ut ait Noster) facit id quod turpe est, « negando sine populari fama sapientem jucunde posse vivere ». Hinc bene concludit Cicero, Epicurum non aliud *honestum* intelligere, nisi quod « rectum sit, ac sua natura laudabile ». En sensum loci, ni fallor, Ciceronemque jam suo more pulchre recteque argumentantem. Quod si cum vulgatis codicibus legamus « honeste vivi, nisi honeste vivatur », non video hoc esse consequens eorum quæ ante dixerat, « Quid nunc honeste dicitur? idemne, quod jucunde? » — Ernestius paullo confusius sic scribit, ut *nisi* ante *honeste* deleri velle videatur, quum alteram ante *populari* innuat. Locus optime se habet hoc contextu: « Si Ep. dicit non posse jucunde vivi, nisi honeste, atque jucunde eodem plane sensu accipi vult, quo honeste, tum idem per idem dicit ». G.

15. *An, nisi populari fama?* Hæc æque tentantur. Lamb. edidit *an sine p. fama*, nec aliter codd. Mihi nec hæc, nec recepta lectio placet, scriboque *an cum p. f.* Dav.—Hæc cum seqq. sic plene efferenda sunt: « an dicit, non posse vivi, nisi pop. fama? si igitur non honeste; negat etiam jucunde sine pop. fama vivi posse, quum hæc duo prorsus idem esse velit ». Interpungendum igitur post *an* nobis fuit, quæ part. sic elliptice posita, sæpius Viris Doctis turbas movet; vide nos ad Acadd. lib. I, cap. 3, 10. Ceterum *populari fama vivere* eadem structura dicitur, qua *virtute vivere*, præpositione *cum* non addita, sed intelligenda. G.

ea igitur jucunde negat posse vivi[16]. Quid turpius, quam sapientis vitam ex insipientium sermone pendere? Quid ergo hoc loco intelligit honestum? Certe nihil, nisi quod possit ipsum propter se jure laudari[17]. Nam si propter voluptatem : quæ est ista laus, quæ possit e macello peti? Non is vir est, ut[18], quum honestatem eo loco habeat, ut sine ea jucunde neget posse vivi, illud honestum, quod populare sit, sentiat, et sine eo jucunde neget vivi posse; aut quidquam aliud honestum intelligat, nisi quod sit rectum, ipsumque per se, sua vi, sua sponte[19], sua natura laudabile.

XVI. Itaque, Torquate, quum diceres, clamare 51
Epicurum, non posse jucunde vivi, nisi honeste, et sapienter, et juste viveretur, tu ipse mihi gloriari videbare. Tanta vis inerat in verbis, propter earum re-

16. *Negat posse vivi.* Gœr. *negat p. vivere* scribit, notatque : Ern. ex conjectura Th. Bentl. et Davisii *vivi* edidit : certe *posse se vivere*, scribi debere affirmans. Quoad posteriorem rationem negari nequit, amare auctorem *se* post *posse* additum, ut omnino ad inff. in *se* exeuntes; nec raro sic reciprocum obliteratum esse : cujus rei exemplorum copiam alibi proferemus. Sed bene notandum est, eumdem ad verba dicendi et opinionis pronomina omittere solere; cf. Orat. III, 20, 74; Muren. 3, 7.

17. *Nisi quod possit ipsum propter se jure laudari.* Mire Gud. 2, *quod possit* ignorat. Atque solet sane auctor in consecutione haud raro complicatius scribere : ut his omissis locum sic accipias, « certe nihil, nisi ipsum honestum p. se laudari ». Sed contortiora hæc forent : atque hic codex in omittendo sæpe peccat. G.

18. *Ut ... ut.* Duplex *ut* VV. DD. latuisse videtur, quippe quum alibi alterutram cupide deleant : sed vide nos infra ad V, 2, 4. G.

19. *Rectum, ipsumque per se, sua vi, sua sponte, sua natura.* Gœrenz transponit *sua natura, sua sponte*, notatque : *ipsumque* firmant etiam Spir. et Erl. receptum ex Pal. 1 et 3. Reliqui scripti, *ipsum quod;* inde hi inter *sua sponte* repetite *sit* addunt. Prave. Vulgata deinde transposite, « sua sponte, sua natura » : sed quum referant omnes nostri, veteresque impressi complures ordine transverso, nos ita edere coegerunt. Ceterum cumulavit auctor idem notantia, ut eo gravius firmaret, « rectum ex sese modo laudabile esse, non per accidens ». Ἀγαθὸν μοναχῶς ἐπαίνου ἄξιον Diog. Laert VII, 100 seq. Dixit autem *rectum*, ut alibi, ne *bonum* vertens ambiguus esset.

rum, quæ significabantur his verbis, dignitatem, ut altior fieres[1], ut interdum insisteres[2], ut nos intuens, quasi testificarere, laudari honestatem et justitiam aliquando ab Epicuro. Quam te decebat iis verbis uti, quibus si philosophi non uterentur, philosophia omnino non egeremus[3]! Istorum enim verborum amore, quæ perraro appellantur ab Epicuro, sapientiæ, fortitudinis, justitiæ, temperantiæ, præstantissimis ingeniis homines se ad philosophiæ studium contulerunt.
52 « Oculorum, inquit Plato[4], est in nobis sensus acerrimus : quibus[5] sapientiam non cernimus. Quam illa

XVI. 1. *Ut altior fieres.* I. e. « glorians elatiores animos sumeres ». Jam sequuntur, quæ signa altiores spiritus sumentis sunt. Similiter *erectus* de attento ad audiendum. Cf. Mencken. Obss. h. v. Translatum a corpore hunc tropum esse patet, sed noluerim ideo cum Nisseno hanc ipsam vocem de solo corporis motu statuque intelligi : semper enim, isto nexu, hac voce auctor translate utitur. Similem locum laudat Davis. Acadd. II, 41, 127 : « erigimur; elatiores fieri videmur; humana despicimus, etc. » ubi nos vide. G.

2. *Insisteres.* Recte Ern. de intervallis in dicendo factis explicat. Cf. infra V, 25, 75. Addidisset alias etiam illud *quasi* suum Cicero. G.

3. *Omnino non egeremus!* Vulgo post *egeremus* interrogandi signum ponitur; in quo Brem. adeo offendit, ut, eo deleto, *non* etiam, tamquam ex *omnino* natam, abjici velit. Interjectionis signum si posueris, quod unice huc pertinebat, tentandum nihil erit. Sententia enim proba hæc est : « Nisi philosophi verbis quatuor illis (quibus virtus omnis continetur), uterentur, ne philosophia quidem ipsa opus esset ». G. — Sc. quia nihil haberet boni ipsa philosophia, si aliud homines doceret, quam honestatem et justitiam.

4. *Inquit Plato.* Cf. Phædr. cap. 65, Heindorf. Ὄψις γὰρ ἡμῖν ὀξυτάτη τῶν διὰ τοῦ σώματος ἔρχεται αἰσθήσεων, ᾗ φρόνησις οὐχ ὁρᾶται· δεινοὺς γὰρ ἂν παρεῖχεν ἔρωτας, εἴ τι τοιοῦτον ἑαυτῆς ἐναργὲς εἴδωλον παρείχετο εἰς ὄψιν ἰόν. Hunc ipsum locum Cic. Off. I, 5, 1, sic effert : « Formam quidem ipsam ... et tamquam faciem honesti vides; quæ, si oculis cerneretur, mirabiles amores, ut ait Plato, excitaret sapientiæ ». (Quo in loco Pearcii Facciolatique conjecturam, « ut ait Plato de sapientia, excitaret sui », cum Bremio refovere noli : pertinet enim vel hic locus ad complicatius auctoris dicendi genus, quod alibi abunde docebimus.) G.

5. *Quibus* est, *et tamen his*, ut ᾗ pro ἀλλ' ὅμως ταύτῃ valet. Sic enim ad vulgatam rationem loci sensum expresseris : « Quamquam quidem oculorum sensus acerrimus, tamen his sapientiam cernere non licet. Quod si liceret, etc. » Non bene igitur Brem. post *cernimus* virgula interpunxit. G.

ardentes amores excitaret sui, si videretur!» Cur tandem[6]? an quod ita callida est[7], ut optime possit architectari voluptates[8]? Cur justitia laudatur? aut unde est[9] hoc contritum vetustate proverbium, «quicum in tenebris[10]?» Hoc dictum in una re, latissime patet : ut in omnibus factis, re, non teste moveamur.

Sunt enim levia et perinfirma, quæ dicebantur a 53
te, quum animi[11] conscientia improbos excruciari, tum etiam pœnæ timore; qua aut afficiantur, aut semper sint[12] in metu, ne afficiantur aliquando. Non oportet timidum, aut imbecillo animo fingi; non bonum illum virum, qui, quidquid fecerit, ipse se cruciet, omniaque formidet : sed omnia callide referen-

6. *Cur tandem*. Hunc locum refert Nonius, de suo ad verba *cur tandem* addens, « sapientia tantopere laudatur ». G.

7. *An quod ita callida est*. Omnes nostri codd. *ita*, neç aliter aditi vett. potioresquique. Olim prave *illa* vulgatum est. Deinde *etiam*, pro *est*, Bas. et Crat. exhibent : quod aliquo modo ferri possit; inprimis quum hæc particula sæpius in clausula poni soleat. Acadd. II, 37, 119 : « Erit ei persuasum etiam, solem, etc. » Neque raro post *ita*, *etiam* addita, asseveratius affirmat; nec male h. l. ironism adjuvarit. Sed ab utraque parte hæc ex compendiu ubique confunduntur. G.

8. *Architectari voluptates*; cf. supra I, 10, 32, ubi Epicurus *architectus beatæ vitæ* dicitur. G.

9. *Aut unde est*. In his scripti recentiores misere turbant; sic tamen, ut proverbii vim scribas non cepisse pateat. De proverbio ipso, *quicum in tenebris*, cf. Off. III, 19, 10, ibique intt. Addunt etiam tres nostri *mices* : sed bini illi potiores id cum Marso ignorant. G.

10. *Quicum* (pro *quocum*) *in ten*. Deest verbum *mices*. Certe in ejusmodi proverbiis, mos est Ciceroni prima tantum verba proferre, quod statim reliqua facile tum intelligerentur. Erat autem illa digitorum micatio ludi genus, quod digitorum citissima erectione fiebat, et divinatione quot erecti essent. Propterea acri aspectu opus erat, et summa fide. MUREL. — Bene gall. vertitur : *On pourrait jouer avec lui dans les ténèbres*.

11. *Quum animi*. Gœr. delet *quum*. Hoc vocab. inquit, ignoratur a Spir. Erl. Bas. et Crat. Additum a scribis puta, qui nesciebant, sic *quum*, *tum* sequente, omitti solere. Cf. Acadd. II 1, 1, coll. ibid. 14, 43.

12. *Afficiantur ... sint*. Sic pro vulgato «afficiuntur...omnes» edidit Ern. quum ed. prima *sint* referat. Recte, adsentientibusque plene Pal. 1 (ex quo jam Grut. sic suaserat), Spir. Erl. et Vin. Neque quadrat huc, quod de subita orationis mutatione Brem. monet : nam hæc ex Epicuri mente, verbisque Torquati (cf. supra I, 16, 50, 51), adduntur. G.

tem ad utilitatem, acutum, versutum, veteratorem, facile ut excogitet, quo modo occulte[13], sine teste, sine
54 ullo conscio fallat. An tu me de L. Tubulo[14] putas dicere? qui, quum prætor quæstionem inter sicarios exercuisset, ita aperte cepit[15] pecunias ob rem judicandam, ut anno proximo P. Scævola, tribunus plebis, ferret ad plebem, vellentne de ea re quæri. Quo plebiscito[16], decreta a senatu est consuli quæstio Cn. Cœpioni. Profectus in exsilium Tubulus statim, nec respondere ausus[17]. Erat enim res aperta.

13. *Quomodo occulte.* Gœrenz delet *modo.* Hanc, inquit, ignorant vocem Gud. uterque, Bas. Oxonn. χ et ψ. Recte. Nam locus sic capiendus est: « ut facile excogitet aliquid, quo ... fallere possit ». *Modo* autem ubique intrudi solere nemo ignorat. Cf. Att. IV, ep. 8, « interim excogita, quo rectius ista curentur ».

14. *L. Tubulo.* De eo cf. de Nat. Deor. III, 51.

15. *Quum ... exercuisset, ita aperte cepit.* Ita scripti veteresque impressi ad unum omnes. At Ern. de suo *exerceret* dedit, quum, si vulgatum recte se haberet, in seqq. *ceperat*, non *cepit* scriptum esse deberet. Neque post quæstionem pecuniam accipi, sed dum res judicetur: inde addi quoque, « ob rem judicandam ». Bremi, hunc sequutus, idem testatur. Quid igitur judicandum? Locum non esse sollicitandum, sed *quum* de tempore accipiendum, cui conjunctivus æque atque indicativus addi solet. Poni autem h. l. plusquamperf. relatum ad ea, quæ *proximo anno* ejus rei causa facta narrantur. Addi vero ad *quum*, si est temporis, conjunct. quoque solere, multa loca testantur. Conf. Nat. Deor. lib. I, 21, 57: « Idque quum sæpe, tum, quum te audirem, paullo ante contigit ». Ibi § 59: « Zenonem ... quum Athenis essem, audiebam frequenter ». M. Marcell. 4, 10: « Equidem quum Marcelli ... lacrymas modo vobiscum viderem », ubi Ern. *videbam* suadet, etc. Nemo autem recte offenderit, si auctor scripsisset, « qui, eo tempore, quo prætor ... fuerat, ita aperte cepit pecunias ... ut ... ferret ». Ceterum prætereundi non sunt Gud. 1 et Bas. qui « accepit pecuniam ob res judicandas »: sed scribis hæc lectio deberi videtur. G.

16. *Quo plebiscito.* Gœrenz scribit disjunctim *quo plebi scito.* Sunt hæc, inquit, ablativa consequentiæ: prave igitur una voce vulgatur, *plebiscito.* Bini e nostris rectius a nobis editum firmant.— Solve, « hoc quum plebi scitum esset »; i. e. *a plebe.* Res ipsa acta est ann. 612. Cf. Pighii Annales ad h. an. pag. 480; cll. Ern. Cl. Hist. ad L. Tubulus.

17. *Decreta ... respondere ausus.* Hæc non bene Ern. sic scribi malit: « decreta a s. Consuli quæstione Cn. Cæpioni, profectus est, etc. » (nam quod vel sic distinctio maxima post *Cæpioni* relicta est, typothetis tribues) conjiciendum etiam *decretaque* erat. Ita quidem melius reliqua coi-

XVII. Non igitur de improbo, sed callide[1] improbo
quærimus, qualis Q. Pompeius in fœdere[2] Numan-
tino infitiando fuit, nec vero omnia timente; sed
primum[3] qui animi conscientiam non curet, quam
scilicet comprimere nihil est negotii. Is enim, qui oc-
cultus et tectus dicitur, tantum abest, ut se indicet,
perficiet etiam, ut dolere alterius improbe facto[4] vi-
deatur : quid est enim aliud, esse versutum? Memini 55
me adesse P. Sextilio Rufo, quum is ad amicos rem
ita deferret[5], se esse heredem Q. Fadio Gallo; cujus

bunt, sed idem optasse non sane perito judicio videberis. Nam primo participiorum, *profectus*, et *ausus*, unde positorum, ratio inest in verbo substantivo præmisso, quod sic deletur : deinde Ciceronis in narrando mos teneri debet, quo orationem in brevia membra secare solet : denique ex hac Ernestii conjectura, soni ratione jubente, « statim Tubulus in ex. prof. est », transponendum foret, quum jam quidem bene enuntiati vis in clausula posita reperiatur. Ceterum ne in verborum positu, « consuli quæstio Cn. Cæpioni », offendas, notabis, adhærere sic viri nomen, ac si dictum esset, « qui tum Cn. Cæpio erat ». Morem hunc Ciceronis, nomina propria explicative in clausula addendi, ad hos libros alibi tetigimus. Eumdem præ ceteris amat Corn. Nep. Eumen. 2, [1, « et summa rerum tradita esset eidem, cui Alexander moriens anulum suum tradiderat, Perdiccæ ». Cf. ibid. Epam. 1, 3, 2, 1, etc. Nomen *Cæpioni* P. Manutio debetur : nam nostri quoque omnes *Scipioni* peccant. G.

XVII. 1. *Sed callide improbo... timente.* Gœr. dat *sed de call. imp.* notatque : Præpos. *de*, quæ iterata h. l. abesse nequit, nostri quoque omnes servant : item *callide* tres ex iisdem potiores; reliquis *callido*, cum olim vulgata, peccantibus. At *timente*, ut Lamb. correxit, nullus nostrorum, sed hi, ut reliqui reliquorum scripti, *timentem*. Nihilo tamen minus *timente* verum esse, clarius etiam patet, parenthesis signis ad vv. *qualis ... fuit*, uti par erat, a nobis additis.

2. *Q. Pompeius in fœdere.* De fœdere isto cf. intt. ad Off. III, 30, 109, et ad Vellei. Pat. II, 1, 4. Cf. de Pompeio Brut. cap. 15. G.

3. *Sed primum. Sed*, quam Ern. ex ed. pr. addidisse se dicit, reperitur in omnibus editis scriptisque : exciderat modo ex Gruteri, et quæ ex hac fluxit, Gronovii editione. G.

4. *Improbe facto.* Dedit Davis. ex uno suorum *improbo facto*, parum latinum *improbe facto* judicans. Sed errat. Utrumque recte dicitur : at vulgatum melius. Ablat. ex omisso *propter*, ut centies, explicandus est. G.

5. *Rem ita deferret.* Gœr. delet *rem*. Vulgo, inquit, *rem* ante *ita* adjectum legitur, tribus nostris optimis cum Marso idem proxime post *is* ponentibus; quod utique melius est. Neque reliqui nostri cum vulgata; quippe qui *rem* proxime post *quum* ponant : unde pronominis interpolati

in testamento scriptum esset, se ab eo rogatum, ut omnis hereditas ad filiam perveniret. Id Sextilius factum negabat [6]. Poterat autem impune : quis enim redargueret? Nemo nostrum credebat [7]; eratque verisimilius, hunc mentiri, cujus interesset, quam illum, qui id se rogasse scripsisset, quod debuisset rogare. Addebat etiam, se in legem Voconiam [8] juratum contra eam facere non audere, nisi aliter amicis videretur. Aderamus nos quidem adolescentes, sed [9] etiam

suspicio enascitur : nam alias, « memini Pisonem, quum diceret. Equidem e Cn. Aufidio . . . audivi, quum . . . diceret ». Sed scribit idem quoque Orat. II, 6, 22 : « Sæpe ex socero meo audivi, quum is diceret ». At enim v. *rem*, in qua transponenda turbatur, ex glossa adhæsisse, dubitare vix licebit, si reputaris, quam sæpe ista textis inculcetur, quamque parum ejus hac in forma opus sit. Turbæ igitur causam expulimus.

6. *Se esse heredem . . . negabat.* Hæc inprimis Perizonius in dissertationibus « de lege Voconia feminarumque apud Veteres hereditatibus », diss. III, p. 114 seqq. accurate exposuit; ut h. l. id monuisse sufficiat. Ex lege ista quum prohibitum esset, « ne (quis) heredem virginem, mulieremve faceret : neu mulieri ultra centum millia H-S legaret » : Fadius Sextilium ea conditione heredem scripserat, ut hic, illo mortuo, illius filiæ hereditatem plenam traderet. Adjecerat Fadius testamenti verbis, id ipsum se a Sextilio rogasse. At hic negabat, se quidquam a Fadio ejus rei causa rogatum esse. Qua re Sextilius reliquam hereditatem suam fecit, sic ut Fadia modo 100,000 H-S ex legato acciperet. Ita quidem iste homo, heres modo fiduciarius quum esset, heredem verum inhonesto mendacio se fecit. G.

7. *Nemo nostrorum credebat: eratque.* Sic Spir. Erl. et Crat. in marg. ut ex Pal. 1 et ex Scal. cod. primus dedit Gruter. Ita referunt etiam Eliens. 2, et Oxonn. E. et ξ. Reliqui scripti omnes non *credebat*, sed *negabat*. Brem. *negabat*, absurdum dicit; contra vero Rath. *credebat*, ineptum perhibet. Utri credas, quæritur. *Credebat*, i. e. *fidem habebat*, sc. *verbis ejus*, vel *neganti*, cur inepte dicatur, nos certe parum intelligimus : quo modo autem *negabat* ad contexta rite aptari possit, interpunctione vel penitus, ut Rathius vult, mutata, ita nos sane sentimus, ut verbum hoc a scribis ex proximis male repetitum judicemus. Hoc autem cernimus, part. *que*, *immo potius* notare, contextis ita cohærentibus : « Nemo ex advocatis nobis in hoc, quod Sextilius factum esse negabat, fidem ei suam addicebat : idque magis, quum esset verosimilius . . . . Aucta est in eum suspicio, quod etiam addebat, se jurare non audere, etc. » G.

8. *Legem Voconiam.* Quæ lata est anno U. C. 584 a Voconio Saxa trib. pl. de qua vid. not. sup. De hac lege cf. *Montesquieu, Esprit des Lois, lib. XXVII, Des lois sur les successions.*

9. *Sed etiam.* Ita tres nostri, tot-

multi amplissimi viri : quorum nemo censuit plus Fadiæ dandum [10], quam posset ad eam lege Voconia pervenire. Tenuit permagnam Sextilius hereditatem : unde, si sequutus esset eorum sententiam, qui honesta et recta emolumentis omnibus et commodis anteponerent, ne nummum quidem unum [11] attigisset. Num igitur eum postea censes [12] anxio animo aut

idem Oxonn. Mars. Crat. aliæque vett. excusæ multæ. Vulgo *sed et* scribitur. G.

10. *Plus Fadiæ dandum.* Ita scripti nostri omnes, nisi quod Gud. 2 *Fatidiæ* peccat. Ern. contra ex vett. editis *filiæ* scripsit, tamquam hoc ad legem, et ad superiora, sit aptius; eique Brem. consentit. Nos id quidem parum videmus. Advocati enim illi erant, ut legis Voconiæ verba ad rem præsentem rite accommodarent, et, quod lex de testatoris filia jubebat, ad *Fadiam* applicarent, ut sic Sextilio de jure caverent. Quod nisi nobis ad codicum lectionem defendendam sufficeret, *Fabiam* scripsissemus. In vulgus enim notum est, hanc vocem veteribus de omni liberali femina, quam proprio nomine appellare nolunt, proprie adhiberi, ut *Fabius* de maribus. Cf. Top. 3, 14. Atque ita vere Marsus. Sed plures scripti supra pro *Fadio*, *Fabio* exhibent, idemque hoc quoque loco pecautibus videtur. Paucis post *Voconia* distinctius additum est; quod cur cum Ern. deletum malis, justa causa nulla est. G.

11. *Ne nummum quidem unum attigisset.* Sic vulgata, inquit Gœrenz; at Spir. *ne nummum ullum att.* Erl. cum Crat. *nummum nullum att.* Bas. *ne numerum ullum att.* Gud. 1, *ne minimum quid un. att.* sed idem in marg. *numulum* præbet. Gud. 2 solus cum vulgata facit, nisi quod *numerum* peccat. Ex his quidem codd. vestigiis veram auctoris manum judicamus, « ne numulum attigisset »; reliqua vero a scribis addita videntur. *Ne*, pro *ne quidem*, primum librarios offendit : deinde quum *numulum* in *nummum ullum* corrupissent, et id denuo in *num. nullum* mutassent, *ne* plane omissum est. Reliqui cum part. *quidem*, *unum* simul addiderunt. *Numerum* autem ex linea ortum putabis, qua supra *numum* posita olim deminutivum indicatum erat; quo Cicero haud raro utitur. *Ne* autem pro *ne ... quidem* toties obliteratum est, ut paucis adhuc auctoris locis integrum manserit. Vide nos ad Acadd. II, 17, 52, etc. Quod ex reliquis codd. nulla varietas notatur, inde factum puta, quod VV. DD. ista negligunt. Putavimus hæc peritis plene probata fore, atque ita correximus.

12. *Num igitur eum postea censes.* Gud. 2, V. χ. et Ven. 1494, *eum* ignorant. Contra vero transponunt Gud. 1, *censes eum postea*, Mars. *postea censes eum*. Ex his *eum* expellendum videbitur. At nos quidem pronomine h. l. ægre caruerimus. Si auctor omissum voluisset, haud dubie « anxium animo aut sollicitum » scripsisset. Unde autem hæ turbæ? Corrigendum videtur, *Eum igitur postea*, etc. Sic *Eum* pro *Eumne*, ut sæpe, positum in *Num* pravatum putabis.

sollicito[13] fuisse? nihil minus; contraque, illa hereditate dives; ob eamque rem lætus. Magni enim æstimabat pecuniam, non modo non contra leges, sed etiam legibus partam; quæ quidem vel cum periculo est quærenda vobis : est enim effectrix multarum et
56 magnarum voluptatum. Ut igitur illis, qui, recta et honesta quæ sunt, ea statuunt[14] per se expetenda, adeunda sunt quævis pericula, decoris honestatisque causa : sic vestris, qui omnia voluptate metiuntur, pericula adeunda sunt, ut adipiscantur magnas voluptates, si magna res, magna hereditas agetur, quum pecunia voluptates pariantur plurimæ; idemque[15] erit Epicuro vestro faciendum, si suum finem bonorum sequi volet, quod Scipioni, magna gloria proposita, si Hannibalem in Africam retraxisset. Itaque quantum adiit periculum[16]? ad honestatem enim ille omnem[17] conatum suum referebat, non ad voluptatem.

Idque magis, si reputaris, *is* toties, « talis quum esset, talem quum se gessisset », notare. G.

13. *Anxio animo, aut sollicito.* Non negligendum est, *anxium* esse de proxime instantibus, *sollicitum* de futuris malis omnino intelligendum. Quare *aut*, *aut certe*, *saltem*, valet: seorsim igitur vv. *aut sollicito*, distinguendæ fuerunt. G.

14. *Recta et honesta quæ sunt, ea statuunt.* Scribæ in *ea* offendunt, cum vi addita, ut solet. Hinc omissum est a Gud. 1, transpositum in Gud. 2, et Mars. *eaque* refert. Vulgata verissima est. Off. I, 35, 3 : « corporis nostri magnam natura ipsa videbitur habuisse rationem; quæ formam reliquamque figuram, in qua esset species honesta, etiam posuit in promptu, etc. » G.

15. *Idemque. Que* h. l. vi collectiva ponitur : nihil igitur est, quod Bas. hanc part. ignorat. G.

16. *Quantum adiit periculum?* Dedit Davis. ex Eliensi 1, *quantum periculorum*, eumque sequutus est Bremi. Videtur sane ea lectio esse aliquid : sed necessariam partim ex eo non putamus, quod auctor totam illam Scipionis Africanam expeditionem spectare videtur : partem inde, quod in proximis *conatum* auctor item in universum dixit. G.

17. *Ille omnem.* Gœr. scribit *illum omnem.* Sic, inquit, scripti plerique omnes. Unus e nostris Gud. 1, *ille* cum vett. editis tantum non omnibus, unde vulgata idem tenet. Sed recte jam Grut. ex suis omnibus *illum* dederat, quod melius multo est : si enim Cicero *ille* voluisset, altius hoc post *quantum* posuisset. Inde Ern. prorsus non assequimur, si *ille* hoc in vulgatæ loco

Sic vester sapiens magno aliquo emolumento commotus, animi causa[18], si opus fuerit, dimicabit. Occul- 57
tum facinus esse potuerit : gaudebit. Deprehensus, omnem pœnam contemnet. Erit enim instructus ad mortem contemnendam, ad exsilium, ad ipsum etiam dolorem : quem quidem vos, quum improbis pœnam proponitis, impatibilem[19] facitis; quum sapientem semper boni plus[20] habere vultis, tolerabilem.

XVIII. Sed finge non solum callidum eum, qui aliquid improbe faciat[1], verum etiam præpoten-

ut rectius prædicat. Nos quidem sic auctori injuriam fieri certi sumus. G.

18. *Animi causa*. Sic. Gud. 1 et Bas. reliqui scripti fere omnes *cum causa*, Gud. 2, *cum tam*. Nolumus conatus Virorum Doctorum enumerare, qui præter unum Matthiæ omnes locum vitiosum judicant. Hic enim recte vidit, *animi causa* pro *voluptatis causa* dici : miramurque non dudum idem intt. perspexisse, quum hæc dicendi ratio haud sane raro occurrat. Cf. Pison. 26, 65 : « convivium publicum non dignitatis causa inibit ... sed plane animi sui causa ». Divv. VII, ep. 2 : « Hic simiolus animi causa me, in quem inveheretur, elegit ». Cll. Rosc. Amerin. 46, 136; Philipp. VII, 6, 18; Senec. de Beneff. lib. IV, 17, 4, etc. Lectio *cum* autem ex compendio *āmı* (p. animi). nata videtur, brachiis literæ *a* nimium diductis. Sensus autem hic est : « Ut Scipio dimicationem tam periculosam honestatis, non voluptatis, causa subiit : sic Epicurus animi (oblectandi), non decoris, causa dimicabit ». Ad part. *sic*, ex opposito jungentem, recordaberis, nos eamdem ejus vim supra I, 1, 3, *ut* præcedente, notasse. G.— Lambinus maluit *cum casu*, Davisius *sua causa*, sed omnes codices scripti, *cum causa*, et recte : nam *cum causa dimicare*, idem est quod rationem habere dimicandi. Sic Cicero de Orat. II, 6. « *Quod nos* cum causa *dicimus* : ut proficiamus aliquid, illi totum diem et sine causa ». PEARCIUS. — M. F. Creuzer in ed. libri Plotini *de Pulchritudine*, pag. 84, conj. « magno aliquo emolumento commotus, immani cum causa, si opus fuerit, dimicabit». In quo J. V. L. germanos criticos obsecrat ne adeo ridiculum Ciceronem faciant.

19. *Impatibilem*. Nihil mutamus, quamquam tres nostri *impetibilem*, quod Gronov. ex suo probat, et duo Oxonn. *importabilem* exhibent. Vulgatum probæ auctoritatis est, ut viderunt Davis. et Brem. et amat sane auctor verbalia in *bilis*, quorum plura apud ipsum semel modo leguntur, ut *comprehensibile* Acadd. I, 11, 41, etc. G.—Ceterum valet *intolerabilis*, et opponitur τῷ *tolerabilem*, quod sequitur.

20. *Boni plus*, quam mali.

XVIII. 1. *Qui aliquid improbe faciat*. Transponunt Gud. uterq. Bas. Crat. *improbe aliquid* : sed *aliquid* valde de glossa suspectum est. Non agitur enim de eo, qui hoc illud improbe facit, sed cujus animum callida

tem[2], ut M. Crassus fuit, qui tamen solebat uti suo[3] bono: ut hodie est noster Pompeius[4], cui recte facienti[5] gratia est habenda; esse enim quamvis vellet justus, iniquus poterat impune[6]. Quam multa vero injuste fieri pos-

improbitas penitus occupavit. Inde supra § 54, ipse Noster: « Non igitur de improbo, sed de callide improbo quærimus. G.

2. *Præpotentem.* Præbent Gud. 2 et χ. *impotentem*: sed hoc est ad hæc contexta minus aptæ ambiguitatis. G.

3. *Qui tamen solebat uti suo bono.* Th. Bentl. conjicit *bene uti bono suo*: quo vel contra historiam peccatur. Brem. contra hunc ad vulgatum revocans, ita Crassum *suo bono*, i. e. potentia sua usum dicit, ut ea male facta sua obtinuerit, et pœnæ se subduxerit: idque particula *tamen* declarari. Recte. Modo addendum erat, *tamen* h. l. *quidem* valere. Cf. Ruhnk. ad Rutil. I, 14, pag. 50; cll. Orat. 52, 176; Cluent. 7, 33, ubi recte Beck. *tamen* restituit, et Orat. III, 18, 66.—Ceterum *suo bono* ex verborum collocationis ratione id bonum notat, quod Crassus summum judicabat, quippe quo divitiis, quibus unice inhiabat, facili totaque ratione potiretur. G.

4. *Ut hodie est noster Pomp.* Intelligendum est tempus, quod bellum civile antecedebat, Cæsare adhuc in Gallia subigenda occupato. Perierat autem Crassus an. 700. Cogitasse autem jam an. 701 de libris his de Fin. scribendis, patet ex Legg. I, 20, 52. G.

5. *Cui recte facienti.* Consulto am[illegible]scripte esse ne dubites. Erat eo [illegible]pore auctor in Pompeium ob [illegible]us præpotentiam, quam ipse [illegible], exacerbatus. G.

[illegible] *enim q. vellet justus, iniquus* [illegible]*p.* Gœr. scribit: « *esse enim* quamvis vellet iniquus, p. impune ». Sic, inquit, locum vexatissimum restitutum putamus. Exhibere dicitur Pal. 1, « esse enim quem vellet iniquus, justus p. i. » Quod miramur: nam Spir. et Erl. qui hunc tamquam umbræ sequuntur, *quam* quidem referunt, sed *justus* penitus ignorant: imitatur illum tamen Scaligeri codex, Gud. 2 et Vin. modo quod hic *quamvis* refert. At Bas. « quam injustus vellet, iniq. » Eliens. « quam iniquus et injustus ». P. Manutius ex uno suo « esse enim quamvis vellet injustus pot. imp. » Ven. 1494, *iniquus injustus*. Ex his lectionum varietatibus videre haud difficile est, *injustus* olim ex glossa superscriptum voci *iniquus* fuisse, deinde textis sic illatum, ut partim ante, partim post glossatum poneretur. Qui scribæ illud ante hoc positum legebant, in *justus* consulto mutarunt: qui post, quum *justus* scripserunt, tum *et* interjecerunt, tum, glossato objecto, glossam solam retinuerunt. *Quamvis* autem in *quam* mutari ex comp. *quamv* facile potuit, *v* sequente. Ignorarunt etiam scribæ, id h. l. pro *quantumvis* dici. Præmissum vero *esse* cum vi putabis, ad utrumque enuntiatum sic referendum: « nam quamvis sane vellet esse iniquus, poterat id esse impune ». Ceterum hæc quoque ambiguitatem quamdam cogitatam prodere videntur. Admittunt enim hunc sensum, ut suppiere liceat, « etsi quidem non sine omni iniquitate est, tamen minime ea, quæ impune possit ». G.

sunt, quæ nemo possit reprehendere[7]? Si te amicus 58
tuus moriens rogaverit, ut hereditatem reddas suæ filiæ, nec usquam id scripserit, ut scripsit[8] Fadius, nec cuiquam dixerit: quid facies? Tu quidem reddes; ipse Epicurus fortasse redderet[9]: ut Sext.[10] Peducæus, Sext. F. is, qui hunc nostrum reliquit, effigiem et humanitatis et probitatis suæ, filium, tum doctus, tum omnium vir optimus et justissimus, quum sciret ne-

7. *Quæ nemo possit reprehendere?* Davis. conjicit *prehendere*, probantibus Ern. et Bremio. Equidem quoque *prehendere* malim, quum melius contextis conveniat. *Reprehendere* tamen defendi aliqua ratione sic posse puto, ut hoc verbo, *in rectius vertere*, notetur. Cf. Acadd. III, 45, 139: « revocat (me) virtus, vel potius reprehendit manu » : nam non de rebus *factis*, sed quæ *fieri possunt*, sermo est. Idem autem verbum pro *vituperare* positum accipere, quum alia impediunt, tum hoc, quod auctori sic, « quæ nemo ne reprehendere quidem possit », vel similiter, scribendum fuisset, sententiæ vi ad *reprehendere* referenda; quod vulgata verborum series minime patitur. Secus est ea ratione, quam nos suademus. G.

8. *Nec usquam id scripserit, ut scripsit Fadius.* Vetus codex habet, « nec usquam id scripserit fœdus, nec cuiquam, etc. » Judicent eruditiores: mihi sat est, quod reperi, bona fide indicasse. Morelius.

9. *Rogaverit, ut hereditatem reddas ... quid facies? Tu quidem reddes; ipse Ep. f. redderet.* Ern. « redderes ... faceres? ... redderet », prius suo ipsius, posterius posita Davisii periculo, suadet. Non enim viderunt hi VV. DD. quod facile videndum erat, *redderet*, cujus causa corrigi volunt, optativa vi (ἀποδιδοίη) poni: atque ita cuncta ex ordine dici. Sed infinitis pæne locis intt. in his temporibus optative positis peccant; neque prius veram verborum consecutionem discent, quam quum ad hunc modum accuratius attenderint. Ne exemplorum copia diffluamus, unum ponemus, quo in hoc ipso verbo ex opposita ratione peccatur. Cluent. 38, 105: « Eodem modo quæsitum si esset de Scamandro, certe idem respondissent: tametsi ille una sententia est absolutus: sed illam unam nemo tum istorum suam dici vellet. Uter igitur facilius suæ sententiæ rationem redderet: isne, qui se et sibi, et rei judicatæ constitisse dicit? an ille, qui ... respondet? » Ern. et qui posterius ediderunt, *reddet*. Perperam. Sed totus ille de optativo apud Latinos locus aliquando perpurgandus est. In hoc nostro quidem loco, eo magis peccatur, quod *rogaverit* futurum exactum est, cui rite futura simplicia respondent. In quo si corrigendum esset, *redderet* in *reddiderit* mutandum foret. G.

10. *Sext. Peducæus.* Obtinuit hic prætor pro consule eodem biennio Siciliam, quo Cicero ibidem quæsturam gessit; ejusque innocentia ac diligentia, in provinciæ gubernatione exhibita, ab hoc identidem in Verrinis laudatur. Filius hujus, communis

mo, eum rogatum a C. Plotio, equite romano splendido, Nursino, ultro ad mulierem venit, eique nihil opinanti viri mandatum exposuit, hereditatemque reddidit. Sed ego ex te quæro (quoniam idem tu certe fecisses), nonne intelligis [11], eo majorem vim esse naturæ, quod ipsi vos, qui omnia [12] ad vestrum commodum, et, ut ipsi dicitis, ad voluptatem referatis, tamen ea faciatis, e quibus appareat, non voluptatem vos, sed officium sequi? plusque rectam
59 naturam, quam rationem pravam valere? Si scieris, inquit Carneades, aspidem occulte latere uspiam, et velle aliquem [13] imprudentem super eam assidere, cujus mors tibi emolumentum factura sit [14]; improbe feceris, nisi monueris, ne assideat : sed impune tamen; scisse enim te quis coarguere possit [15]? Sed ni-

Ciceronis et Torquati familiaris, sæpe simpliciter *Sextus* appellatur. Cf. Att. X, ep. 1, qui locus simul documento est, quantum Cicero et patri et filio tribuerit. G.

11. *Quæro ... nonne intelligis.* Gœrenz scrib. *intelligas.* Ita, inquit, a Victorio ad Davisium usque editum est : sed hic e tribus suis *intelligis* dedit, quod in scriptis et edd. vett. aliis repertum, secuti sunt Ern. et Brem. At defenditur *intelligas* a Spir. Erl. et Bas. reliquisque Davisianis; neque raro auctor, *quæro*, *nonne* cum subjunctivo ponit. Cf. Orat. 63, 214 : « Quæro, nonne id numerus effecerit ». Acadd. II, 24, 76 : « ex me quæsieras, nonne putarem », ubi Ern. ipse *nonne*, pro *an non* positum, haud improbat : add. Tusc. V, 12, 34. Reduximus igitur, quod scribarum minus, quam auctoris manum prodit.

12. *Qui omnia ... referatis. Qui*, *quum vos* notat; atque inde conjunctivus. In Ernestiana a *quia* editum est; operarum haud dubie vitio. G.

13. *Aliquem*, quod Grut. e binis suis dedit, quatuor nostri comprobant. G.

14. *Emolumentum factura sit.* Ita, vulgata vetere reducta, recte dedit Ern. nam *futura*, quod Grut. in Pal. 1, Davis. in Eliensi deprehenderunt, quodque dudum Victorius edidit, licet idem Spir. et Erl. referant, nihil sane est, nisi scribæ correctio, veræ vocis vim non assequentis. Ne vero dubites, recte dici *emolumentum facere*, auctor enim sæpius « lucrum, detrimentum, facere », ponit. G.

15. *Sed impune tamen; scisse ... possit?* Gœr. dat *impunite.* Ita, inquit, nostri omnes. Recte igitur sic Davis. ex suis recepit, Bremiusque secutus est, Ernestio ad vulgatam relapso : nam hæc vox ex scribis insitata est. Sic autem est in Matii epist. Divv. XI, 28 : « aliis ne dolere quidem impunite licere ». Post *tamen* scripti,

mis multa : perspicuum est enim, nisi æquitas, fides, justitia[16] proficiscantur a natura, et si omnia hæc ad utilitatem referantur, virum bonum non posse reperiri: deque his rebus[17] satis multa in nostris de Republica libris sunt dicta a Lælio.

XIX. Transfer idem ad modestiam, vel temperan- 60
tiam[1], quæ est moderatio cupiditatum, rationi obediens. Satisne ergo pudori consulat, si quis sine teste

fecisse constat, vel, transverso ordine, sic exhibent, ut *scisse* ignorent: taliaque mutant, unde facile intelligas, has turbas inde ortas esse, quod scribæ pro *scisse*, *fecisse* legebant. Vulgatam, quæ ex Pal. 1 est, plene reddunt Spir. et Erl. Sic vel *impunite* in Pal. 1, scriptum esse, certo persuasi sumus. Quod autem Ern. *posset* suadet, cum eo seriba Gud. 1, peccat: uterque enim non videbat præsens optativa vi positum, suum prorsus locum occupare.

16. *Æquitas, fides, justitia.* Bas. et Gud. 1 *æqu. justitia, fides.* Quod forte esse aliquid putabis, quum *fides* his virtutibus tamquam fundamento suo nitatur. At auctor vocem, quæ ceteras complecteretur, postremam posuit, ut ubique solet: æquitas enim et fides justitiæ, si latius dicitur, notione continentur. Iidem paullo post transponunt *hæc omnia*. Et sane nescio quid in his aures non probant: neque utique bene numerus coit. Malim igitur *hæc* deletum. Solet etiam auctor alias ubique universe scribere, « referre omnia ad utilitatem », idque solet sæpissime. Quamquam quidem per se neutrum *hæc*, ad virtutes illas relatum, offendere minime debet. G.

17. *Deque his rebus.* Plerique scripti, « Sed de his rebus » : nec aliter vett. impressi. Attamen vulgata, a Spir. et Erl. comprobata, præferenda est, quum *que* post negationem *sed* notet; ut § 60, *omniaque :* modo ne cum Ernestio ante *deque* puncto maximo distinguatur. Offendunt ubique fere librarii, si *que* ad voces monosyllabas additur. Sed sæpe sic auctor; cf. N. D. I, 1, 2 : « deque his summa philosophorum dissensione certatur ». Fin. V, 6, 17. « deque eo est inter philosophos, etc » Corn. Datam. II. 1, *deque ea re*, ubi ante Heus. *de qua re* peccabatur. G.—Ceterum disputata hæc latius erant in libro III de Rep. ubi auctor Lælio justitiæ partes defendendas dederat, Furio Philoni illis Carneadis traditis, quibus justitia impugnatur. Vide, quæ supersunt, illius libri reliquias, et quæ ibi notabuntur.

XIX. 1. *Ad modestiam, vel temperantiam.* Prope abfuimus, ut verba, *vel temperantiam*, ad uncos damnaremus. Agitur h. l. de σωφροσύνῃ, quam licet auctor pluribus sæpe nominibus efferat; cf. Off. III, 33, 116; Tusc. III, 8, 16 : nullo tamen ea loco per *vel* jungit, semper per copulam. Particula *vel* autem glossas necti, alibi vidimus. Accedit, quod verba, quæ adducuntur, « quæ est moderatio cupiditatum », magis ad *modestiam* aptata videantur, quam ad *temperantiam*, quæ iis vix egeat. His si adjunxeris in Spir. et Erl. « vel cupiditatum temperantiam » legi, et a Gud. 2 hæc ipsa verba plane ignorari : nobiscum

libidini pareat? an est aliquid[2] per se ipsum flagitiosum, etiam si nulla comitetur infamia? Quid fortes viri? voluptatumne[3] calculis subductis, prælium ineunt, sanguinem pro patria profundunt; an quodam animi ardore atque impetu concitati? Utrum tandem censes, Torquate, Imperiosum illum[4], si nostra verba audiret, tuamne de se orationem libentius auditurum fuisse, an meam, quum ego dicerem, nihil eum fecisse sua causa[5], omniaque reipublicæ; tu contra nihil, nisi sua? Si vero id etiam explanare velles, apertiusque diceres, nihil eum fecisse, nisi vo-

forte, ea ex glossa accessisse, haud improbabile judicabis. — At haud facile alibi Cicero *modestiam* simpliciter sic dicit! — Immo idem ipse, hoc a se fieri, expressis verbis testatur Tusc. III, 8, 16: « σωφροσύνην, quam soleo equidem tum temperantiam, tum moderantiam appellare, nonnumquam etiam modestiam». Quod igitur si placuerit, *modestiam*, *i. e.* σωφροσύνην, ideo auctorem definivisse putabis, ne cum εὐταξίᾳ commisceretur, quam eadem voce, sed cum excusatione effert Off. I, 40, 142. G.

2. *An est aliquid.* Ern. pro *an*, *num* optat, quum *an* h. l. contra contexta negantis foret. Sed recte docuit Bremius, *ne ... an*, pro *num ... an*, dici: idque sane tam frequens auctori est, ut exemplorum numerus iniri vix possit. Cf. infra 32, 102: « Quod si dies notandus fuit, eumne potius, quo natus, an eum, quo sapiens factus est»? coll. 33, 107. Notandum autem omnino est, post « ne, num, numne, utrum », si *an* quodammodo corrigentis sequitur, ad hanc part. *potius* esse subaudiendum. G.

3. *Quid fortes viri? voluptatumne.* Gœr. scribit: *Quid? fortes viri voluptatumne.* Male, inquit, vulgata rogationis signum post *fortes viri* ponit, qui ob sui vim præmittuntur. Sæpius Virorum Doctorum inconstantiam, et vagam rationem, in *quid?* seq. particulis *ne*, *num*, etc. tetigimus; vid. ind. ad Acadd. II. Certissimum sane est, hanc, quam sequuti rationem sumus, unice esse verissimam: sed ea ipsa tum plena luce se prodet, si totam istam rem uno conspectu comprehendi licebit; quod ab hac adnotationis brevitate alienum est. — *Volupt. calculis subd.* Int. Num, antequam aliquid præclare facerent, perpendebant utra ex parte major voluptas compararetur?

4. *Imperiosum illum. T. Manlium* quippe qui severum imperium suum vel in filium exercuerit. Cf. supra I, 7, 24, et 10, 35. Hinc idem Senecæ Benef. III, 37, 3, *pater imperiosus* dicitur. G. — *Imperiosum.* Cognomen T. Manlii Torquati, ejus, a quo *Manliana imperia* dicuntur infra, cap. 32. Solo *Imperiosi* nomine ipsum designat Plinius, lib. XXII, cap. 5.

5. *Sua causa.* Bas. et Gud. 1, *sui causa*: sed ita librarii ubique peccant; vide ad Acadd. II, 37, 120. G.

luptatis causa, quo modo eum tandem laturum fuisse existimes[6]?

Esto : fecerit, si ita vis, Torquatus propter suas 61
utilitates; malo enim dicere, quam voluptates, in tanto præsertim viro[7] : num etiam ejus collega P. Decius[8], princeps in ea familia consulatus, quum se devovebat, et equo admisso in mediam aciem Latinorum irruebat[9], aliquid de voluptatibus suis cogita-

6. *Laturum fuisse existimes?* Gœr. dat *existimas*, notatque : Ita scripti plurimi, nostrorumque quatuor : nec aliter editi veteres plerique omnes. Inversionem, crebro obviam, putes, per sermonem vividiorem natam. Divin. II, 71, 146 : « ut mihi mirum videatur ... quomodo isti, si somnium verum evasit aliquod, non ex multis potius uni fidem derogant, quam ex uno innumerabilia confirmant ». Orat. I, 29, 133 : « ut nobis explices, quidquid est istud, quod tu in dicendo potes ». Plura collegit Wopk. Lectt. pag. 145. Hoc loco *existimes*, quod vulgata refert, ad structuram *si vero ... quomodo*, aliquid per se habet, cur offendat. *Velles* autem et *diceres* (quæ imperfecta a prægressis pendent) græcorum optativorum loco posita putabis.

7. *Malo enim ... viro.* Hæc, inquit Gœrenz, parenthesis signis distinguenda erant. Deinde vel *sic* excidisse cum Davisio credas; vel « malo enim ita dicere » scribendum esse, ut recte Brem. sic auctorem amare vidit. Possis rectius adeo *malo enim id dic.* conjicere ; ita enim auctor æque sæpe : quod in hac vicinitate excidere facile potuit. Unum certe ex his tribus addendum est, nisi vocem *utilitates* ante *dicere* repetitam velis; quod idem ex auctoris usu est : ut autem locus vulgatur, mancum recte statues.

8. *Num etiam ejus coll. P. Decius.* Gœr. delet *ejus*. Hoc, inquit, Spir. et Erl. meliore sane loco, postponit. Omnium vero optime idem Gud. 2 et Bas. ignorant, quippe quod pron. auctor non solum sæpe sic omittat, sed etiam, si pron. voluisset, *hujus* poni maluisset. — Hic fuit Decius Mus. Quum bellum contra Latinos cum Torquato collega gereret, atque oraculum declarasset hunc exercitum victurum cujus imperator Manibus sese devoveret, Decius cum Torquato pepigit, ut is se devoveret, qui exercitus alam, cui præesset, fatiscere videret : et quum ala cui Decius imperabat jamjam frangeretur, ipse in hostes sese immittens victoriam Romanis comparavit.

9. *Quum se devovebat, et... irruebat.* Gœr. dat *quum se devoveret, et ... irruebat.* Recte, inquit, retinet Brem. *devoveret*, lectionem tum scriptorum, tum vett. excusorum, communem ; sed vix veram ejus rationem vidit. Non enim tam conjunctivus est, quam optativus; *et* autem pro *et ita*, ut sæpe, accipienda est. *Et* autem, et *que*, si *et ita* valent, disparia sæpe et tempora et modos jungere, probabimus inferius. Neque in v. *devovere* tam devotionis cærimonia, quam consilium, resque ipsa cogitanda est.

bat? Nam ubi eam caperet[10], aut quando, quum sciret
confestim esse moriendum, eamque mortem arden-
tiore studio peteret, quam Epicurus voluptatem pe-
tendam putat? Quod quidem ejus factum nisi esset
jure laudatum, non esset imitatus quarto consulatu
suo filius; neque porro ex eo natus[11], cum Pyrrho
bellum gerens, consul cecidisset in prælio, seque e
continenti genere tertiam victimam[12] reipublicæ præ-
62 buisset. Contineo me ab exemplis. Græcis hoc modi-
cum est[13]: Leonidas, Epaminondas, tres[14] aliqui,
aut quatuor. Ego, si nostros colligere cœpero, perfi-
ciam illud quidem, ut se virtuti tradat constringen-
dam voluptas. Sed dies me deficiet: et, ut A. Varius,
qui est habitus judex durior, dicere consessori sole-

10. *Nam ubi eam caperet.* Turbant scribæ « n. ut ea, nisi ut eam, ubi ut eam »: non enim vim verbi itidem optativam capiebant. Nihil igitur Davisii conjectura, *ubi autem caperet*, opus est; vulgata omnes in se veri notas habet. G.

11. *Ex eo natus.* I. e. nepos prioris Decii, dictus ipse Mus. Anno 280 ante C. nat. se devovit. Cf. not. seq.

12. *Seque e continenti genere tertiam victimam*, etc. « E continenti genere », id est, se continua generatione propagatum. Cogitavit auctor græcum συνεχής. De tertio Decio, qui se devoverit, reliqui auctores tacent: sed idem Noster repetit Tusc. I, 37, 89: « non cum Latinis decertans pater Decius, cum Etruscis filius, cum Pyrrho nepos, se hostium telis objecissent ». Solus Zonaras, Annall. II, narrat P. Decium cos. ad devovendum se paratum fuisse, eamque famam non parum terroris incussisse hostium exercitui. Conciliari igitur recte sic posse Ciceronem cum Zonara putabis, si consilium Decio se devovendi fuisse statuas, sed, pugna in felicius versa, id esse intermissum: tam cupide tamen hunc pugnasse, ut in prælio caderet. Idque sane eo probabilius videri debet, quum Cicero alibi binos modo Decios commemoret. Cf. Paradox. I, 2, « quæ (vis) patrem Decium, quæ filium devotavit? » Cll. Off. III, 4, 16; Cato Maj. 20, 75. Scilicet nepos non se devotarat, sed modo cupide pugnans ceciderat. Quod quam bene cum verbis loci nostri conveniat, docere opus non est. Ceterum de pugna ad Asculum sermonem esse Zonaras ipse l. l. testatur. G.

13. *Hoc modicum est.* Int. non possunt Græci tot exempla virtutis proferre.

14. *Tres aliqui.* Gud. 1, *reliqui*, ψ. *alii*, ut Ursin. ex suo volebat, atque Crat. in marg. refert: sed *aliqui* pro *alii aliqui* h. l. vel Ern. positum probat, qui alibi hac in voce turbare solet; vid. adnotationes ad Acadd. II, 10, 30. G.

bat, quum, datis testibus, alii tamen citarentur, « Aut hoc testium satis est, aut nescio, quid satis sit »; sic a me satis datum est testium [15]. Quid enim? te ipsum, dignissimum majoribus tuis, voluptasne induxit, ut adolescentulus eriperes P. Sullæ consulatum [16]? quem quum ad patrem tuum retulisses, fortissimum virum, qualis ille vel consul, vel civis quum semper, tum post consulatum fuit [17]? Quo quidem auctore nos ipsi ea gessimus, ut omnibus potius, quam ipsis nobis consuluerimus [18].

15. *Satis datum est testium.* Hæc ex Palat. 1 recepta, confirmant totidem verbia Spir. et Erl. idemque habet Crat. in marg. Reliqui nostri eum olim volgata peccant, « satis testium est dictum ». Puta olim transpositum a seribis esse, « satia t. est datum », ut genitlvoa ad *satis*, oode pendet, poneretur: atque inde turbatum. G.

16. *Eriperes P. Sullæ consulatum?* De consulato a Torquato P. Sollæ, per ambitua accusationem erepto, conferaa pro Sulla, 2 et 3. G.

17. *Tum post consulatum fuit?* Iouit rem io Macedonia, provincia, bene gestam, et inde, Cicerone ipso referente, imperatoria nomine appellatum. Cf. in Pia. 19, 44. Honorificam autem Torquati, patria, mentionem inde lnjeetam putabia, qood hie omni auctoritate sua intercesserat, ne Cicero io exailium abire cogeretur, ibid. Pis. 31, 77, 78. Hue ea quoque referenda videntur, quæ proxime adduntur. G.

18. *Gessimus, ut ... consuluerimus.* Gud. 1 et Oxonn. ξ. *consuleremus*: sed cave, ne hoc præferas. Apod omoes enim Latiooa bæc constructio valet, ut præterito indicativi idem coujuoctivi addatur: atque sane ista couseentio certo in eontextu haud minua ex regula est, quam illa, qua præterito imperfeetum addi jubetur. Exempla nuper congessit Matthiæ Programm. ad lib. I de Oratore, pag. 8, quibua aie præterita per *quin* et *qui non* juoguntur: addamus pauca, ubi idem per *ut* efficitur. Philipp. XI, 3, 8: « ac Dolabella quidem tam fuit immemor humaoitatis (quamquam ejua numquam partieepa fuit), ot suam insatiabilem erudelitatem exereuerit non solom in vivo, sed etiam in mortuo ». Parenth. vulgo abest. Arch. Poet. 5, 9: « Metellua, homo sanctissimua modestissimusque omnium, tauta diligentia fult, ut ad L. Lucullum, prætorem, et ad judieea venerit, et unioa nominis litura se commotum esse dixerit ». Att. II, ep. 16: « Quid quæria? primom ita me popugit, ut somnum mihi ademerit ». Ib. IV, ep. 1 med. « Ita iter feci, ut uudique ad me cum gratulatione legati cooveneriut ». Ex hoc loco corrigas pro Milon. 31, 86: « nisi forte hoc etiam easu factum esse dicemus, nt ante lpsum sacrariom Bonæ Deæ ... primum illud vulnua acciperet, quo deterrimam mortem obiret ». Plures ibi scripti *acceperit*, quod est repooendum: nam constructio eadem eat, ae si scriptum esset *factum*

63 At quam pulchre[19] dicere videbare, quum ex altera parte ponebas cumulatum aliquem plurimis et maximis voluptatibus, nullo, nec præsenti, nec futuro dolore; ex altera autem, cruciatibus maximis, toto corpore, nulla nec adjuncta, nec sperata voluptate; et quærebas, quis aut hoc miserior, aut superiore illo beatior foret? deinde concludebas, summum malum esse dolorem[20], summum bonum voluptatem.

XX. L. Thorius Balbus[1] fuit, Lanuvinus; quem meminisse tu[2] non potes. Is ita vivebat, ut nulla tam exquisita posset inveniri voluptas[3], qua non abundaret. Erat et cupidus voluptatum, et cujusvis[4] generis ejus intelligens, et copiosus; ita non superstitiosus, ut illa plurima in sua patria sacrificia et fana[5] contemneret;

est, dicemus omisso. Hæc ipsa perfectorum, per *ut* junctorum, ratio Cornelio Nep. tam frequens est, ut apud hunc vel 50 loca numeres: perperam apud eum in universum vituperata, recte in vitarum scriptore. Hoc loco monuisse satis est, imperfectum *consuleremus* non sine ambiguitate positum fore. G.

19. *At quam pulchre.* Cf. supra, I, 12, 40, 41.

20. *Summum malum esse dolorem.* Mars. male hæc ignorat: unde exciderint, ipse vides. G.

XX. 1. *L. Thorius Balbus.* Miscent hunc Pighius Ann. ad a. 673, itemque Valens de familia Thoria, II, p. 471, cum L. Turio, qui Brut. 67 memoratur: quod vel inde fieri non debebat, quum ita non dispareat, cur hunc Torquatus *meminisse non possit,* qui 688 P. Sullam accusarat, quum *Turius* 678 tribunus plebis fuisset. G. — *Thorius Balbus fuit Lanuvinus.* Exstat L. Thorii hujus Balbi denarius argenteus; in Junonis Sospitæ simulacrum, quale Lanuvii colebatur, cum pelle caprina signatus est, adjecta inscriptione, *L. Thorius Balbus I. S. M. R.* hoc est, *Juno Sospita, maxima Regina.* Ursinus.

2. *Meminisse tu.* Lamb. transponit, *tu meminisse.* Utrumque licet; vulgata tamen melior. Secus foret, si causa, cur id non posset, adderetur. G.

3. *Ut nulla tam exquisita posset inveniri voluptas.* Noli hæc, ut tot alia, ad merum aurium judicium posita putare: continent certam collocandi, internamque rationem. Id quidem ipse facile senties, si *tam exquisita* separatim distinxeris; quod adeo debebis, si interpunctionis legem severe exercendam duxeris. G.

4. *Cujusvis.* Turbant scripti in *cujusvis;* sed ut hac in voce ubique solent. G.

5. *Sacrificia et fana.* Gœr. scribit: *et sacrif. et fana.* Veram, inquit, auctoris manum e Marso exhibuimus:

ita non timidus ad mortem, ut in acie sit ob rempublicam interfectus. Cupiditates non Epicuri divisione 64
finiebat, sed sua satietate. Habebat tamen rationem valitudinis : utebatur iis exercitationibus[6], ut ad cœnam et esuriens, et sitiens veniret[7]; eo cibo, qui et suavissimus esset, et idem facillimus ad concoquendum; vino, et ad voluptatem, et ne noceret. Cetera illa adhibebat, quibus demptis negat se Epicurus intelligere, quid sit bonum. Aberat omnis dolor : qui si adesset, nec molliter ferret; et tamen[8] medicis plus,

altera enim *et* ante *sacrificia* vulgo abest. Sic posterior copula pro *et omnino* accipienda est, ut supra II, 10, 31 : « Hæc et tu ita posuisti, et verba vestra sunt ». Cil. I, 12, 41. Hæc ipsa junctura in proximis sæpius redit. Notabis autem, ire auctorem per opposita. — *Ita non superstitiosus, ut... contemneret.* Sensus est : « in patria superstitiosa ipse minime superstitiosus ».

6. *Iis exercitationibus.* Gœr. scrib. *his exercitationibus.* Ita, inquit, omnes nostri præter Gud. 2, qui cum vulgatis *iis* refert. *His* item exhibent cum Marso et Crat. vett. impressi pierique omnes. Recte, et plane ex auctoris usu.—*Iis* notat hic *talibus.* De hac hujus pronominis quodammodo elliptica ratione alibi egimus. Cf. Acadd. I, 3, 11. Eadem ratione græci οὗτος.

7. *Ut ad cœnam ... veniret.* Id est, ἵνα ... ἔλθοι : et sic conjunctiva optativi positi pergunt. Mire peccant Spirens. Erlens. Bas. *scenam* pro *cœnam* efferentes : sed sic scribæ ab utraque parte peccant. Quod notasse liceat, ut locum illum, in desperatis huc usque relictum, pejoribusque adeo conjecturis mactatum, emendemus apud Corn. Nep. præf. § 4, « quæ non ad scenam eat mercede conducta ». Pudet nos Virorum Doctorum, qui tales quisquilias ferre possint. Scribendum est, « quæ non ad cenam est mercede condictam ». Frequenter autem Comici ἰέναι πρὸς δεῖπνον ἀπὸ συμβολῆς; cf. Plaut. Stich. III, 1, 28, « condicere in symbolam ad cœnam ». Corn. mere latine scripturus erat. Hic autem mos a Romanorum pariter, atque Græcorum reliquorum moribus abhorrebat. G.

8. *Nec molliter ferret; et tamen.* Brem. h. l. statuit, « molliter aliquid ferre », Ciceroni nihil aliud notare, nisi « æquo animo ferre ». Ita « non molliter ferre », esse « iniquo animo ferre » : parumque hunc tenere auctoris scribendi rationem, qui illud pro *fortiter ferre* dictum accipiat. Inde ille negationem sibi ita molestam fecit, ut deletam vellit. At non videmus, unde V. D. nobis probet, auctorem hoc uno sensu *molliter ferre* dici voluisse. Nos unum locum novimus, ubi sic legitur, Cat. Maj. 2, 5 : « quod ferendum est molliter sapienti ». Ponitur quidem etiam ibid. 1, 2, « mollis et jucunda senectus », i. e. *facile ferenda;* et similia : sed inde, quod in bonam partem auctori *molliter* dicitur, nulla consequentia effici potest,

quam philosophis uteretur. Color egregius, integra valitudo, summa gratia, vita denique conferta volu-
65 ptatum omnium varietate. Hunc vos beatum; ratio quidem vestra sic cogit. At ego, huic quem anteponam[9], non audeo dicere : dicet[10] pro me ipsa virtus; nec dubitabit isti vestro beato M. Regulum anteponere. Quem quidem[11], quum sua voluntate, nulla vi coactus, præter fidem, quam dederat hosti[12], ex patria

in deterius idem minus recte dici. Si enim Off. I, 21, 71 : « in dolore molliores », ii sunt, qui « dolori facile succumbunt »; si ibid. 35, 129, « effeminatum et molle » junguntur : nemo sane h. l. jure offendet, sensu ejus sic constituto : « Atque si etiam dolor adesset, haud fracto eum animo ferret; frequentius tamen medicos, quam philosophos consuleret ». *Nec* ... *et tamen* sibi respondent, ut *nec* ... *et*, *et* ... *nec*, innumeris fere locis solent. Ceterum levem ironiam, per totum locum diffusam, nemo non sentit. G.

9. *Hunc vos beatum; ratio quidem vestra sic cogit. At ego, huic quem anteponam*. Ita Davis. et Brem. partim ex Pal. 1 et Eliens. 2, partim ex Th. Bentleii conjectura, dirempta voce *cogitat*, ediderunt. Cum Pal. 1 consentiunt Spir. Erl. et Crat. in marg. Refert quoque Bas. *ratio*. Antea lectione pessime corrupta vulgabatur, « Hunc vero beatum oratio quidem vestra cogitat » : quam Ern. festinantius sic mutat, « Hunc vero beatum ratio ... sic cogit. Ego, etc. » Quum vero ad *H. vero beat.* cogitari *diceris* jubet, fieri id nequit, nisi colo distinguatur : et adeo ne sic quidem, nisi *vos* vel correxeris, vel addideris. In hoc vero cum eo sentimus, quod *at* delevit, quæ h. l. vix Ciceronis esse videtur. Sic enim locum scribendum esse judicamus : « Hunc vos beatum ..... ratio quidem vestra sic cogit .... ego quem huic anteponam, non audeo dicere ». Transponunt autem vv. *quem huic* nostri præter Gud. 2 omnes : neque causa cernitur, cur idem denuo pronomen ad eumdem relatum cum vi præponatur. Ad *beatum*, cogitabis *dicitis*. Mutare autem locum ipsi ausi non sumus, quum *cogitat* scripti omnes referant. G.

10. *Dicet*, receptum pro *dicit* a Davis. omnes nostri exhibent : nam vel Erl. qui *licet* peccat, futurum confirmat. Eodem modo peccatum vide § 25. G.

11. *Quem quidem*. Quod codd. et vett. excusi plures *quidem* omittunt, id consulto a scribis factum fuisse putabis, qui ubique fere in hac particula offendunt, si *certe*, *sane* valet. G.

12. *Nulla vi coactus, præter fidem, quam dederat hosti*. *Præter* ad unum scripti omnes referunt : sed Davis. ob codicem nullius auctoritatis, veteresque impressos quosdam, *propter* scripsit, præeunte P. Manutio, sequentibus Ern. et Bremio. At notum his viris esse debebat, præcedd. *nihil*, *nemo*, *nullus*, *non*, satis frequenti usu *præter* pro *nisi* dici. Hac vi part.

Carthaginem revertisset, tum ipsum[13], quum vigiliis et fame cruciaretur, clamat virtus beatiorem fuisse, quam potantem in rosa Thorium.

Bella magna gesserat; bis consul fuerat; triumpharat : nec tamen sua illa superiora[14], tam magna, neque tam præclara ducebat, quam illum ultimum casum, quem propter fidem constantiamque susceperat : qui nobis miserabilis videtur audientibus, illi perpetienti erat voluptarius[15]. Non enim hilaritate, nec lascivia, nec risu, aut joco, comite levitatis, sed sæpe etiam tristes firmitate et constantia sunt[16] beati.

hæc reete stabit : nam sane vis interna erat, qua adigebatur Regulus ad servandam jorisjurandi fidem. Sensus igitur est, « nulla alia vi, quam jurisjurandi, quo se ad reditum obligarat, præstandi interna adactus ». *Hosti* non sine vi enuntiati elausulam oceupat : scilicet cui vulgo fidem nullam habendam putaot. G.

13. *Tum ipsum*. Recte tuetur Brem. *tum*, Davisio e Pal. 1 *eum* 'eorrigente. Etsi sie etiam Spir. et Erl. tamen ex Gud. 2, qui *cum* refert, corruptionis viam vides. *Tum est eo ipso tempore:* contra vero *eum* nimium quautum languet. Ceterum de Reguli sopplicio ita scriptores variant (vide Drakenb. ad Sil. Ital. VI, v. 539), ut angusti sane judieii fuerit, prodigiosis illis pœnarum generibus fidem addicere, quippe quæ expressas in sese fietionis notas gerant. Faeile igitur ad Palmerii sententiam aeeedes, nixam Diod. Siculi fragmento, Regulumque morbo naturali Carthagine mortuum, probabilius judirabis. Vide illius Exercitt. ad Appian. pag. 151 seqq. Ciceronem autem vulgi sententiam sequutom, ne mireris : qui si vel ista in fabulis posuisset, tam bellum tamen exemplum, quod vel splendididissima Græcorum exempla æquabat, eripi sibi numquam pateretur. Inde eodem etiam sæpe multum utitur. Cf. potissimum infra V, 27, 82; ell. Off. III, 27 et 28, ete. Aul. Gell. lib. VI, cap. 4; Tusc. V, 5; Off. I, 13; Flor. II, 2; in Pison. 19; Horat. III, 5. G.

14. *Sua illa superiora*. Gœr. delet *sua*. Hoc, inquit, Bas. iguorat. Spir. et Erl. *illa sua sup.* præbent : Davis. eontra ex quibusdam suis, et ex Victoriana, *sua sup. illa* dedit, ut Mars. pluresque vett. eusi exhibent. Sed idem *sua* suspectum quum habeat; nos Bas. in hae leetionis ambiguitate jure sequendum esse judieavimus. Ne autem transposita velis, notabis *superiora* per appositionem addi, i. e. « illa, quæ superius gesserat » : sic vulgatus ordo præferendus.

15. *Voluptarius*. Faeile Davisio fidem habemus, qui ex uno suo sie primus dedit, nostris omnibus cum olim vulgata *voluntarius* præbentibus : ita enim alibi sæpius peccatur. Receptum etiam Marsus sequitor. G.

16. *Non enim hilaritate, nec lascivia ... beati*. Gœrenz dat *et lascivia*. Nos, inquit, Spir. Erleus. et

66 Stuprata per vim Lucretia a regis filio, testata[17] cives, se ipsa interemit. Hic dolor, populi romani duce et auctore Bruto, causa civitati libertatis fuit[18]; ob ejusque mulieris memoriam primo anno et vir, et pater

Bas. sequuti sumus. Hæc duo enim cohærent, et gradu modo differunt. In reliquo loco Davisius et Ernestius offenderunt. Ille *tristi firmitate*, etc. concinnitate sic, ut dicit, exigente, conjicit. Idem Ernestio offensioni fuit; quum enim hic subjectum desideraret, quod responderet alteri *tristes*, *hilares hilaritate* suadet. Recte rejicit utramque rationem Brem. sed, an vulgatam plene vindicarit, dubito. Loci autem primo constructio ex iis est, ubi vox primaria in sententiæ clausula ponitur. Istam structuræ rationem, ipsa linguæ natura nitentem, in Voll. superioribus plus semel, non solum in substantivis, sed in adjectivis quoque, cf. Legg. I, 1, 5, et adverbiis, ibid. III, 26, 66 docuimus. Hoc loco quum in negatione auctor vim positam vellet, hac præmissa, ne aliter quidem scribere potuit. Jam proprie scribi debuisset: « beati enim sunt non solum hilares et lascivi, ridentes et jocantes, sed sæpe etiam tristes; illi plerumque ex levitate, hi firmitate et constantia sua ». Sed auctor substantiva poni maluit, quippe quibus aptius coiret oratio. Inde paullum sibi dispar evasit, quum non æque bene *tristitia* scribere posset. Ejusmodi ἀνακόλουθα offendere in Cicerone non debent, quippe quibus etiam exemplar ejus, Plato abundet, quæque vivi sermonis αὐτοσχεδιασμὸν haud inepte imitentur. Vide, aliis prætermissis, locum haud absimilem Acadd. II, 27, 88, ubi, quæ ibi hoc de loco diximus, ad hæc accuratius exposita corriges.

17. *Testata cives.* Sic optimi quique codd. At Maffæi liber, *test. crimen*, quod idem Lamb. in libris quibusdam legi perhibet. Scaligeri vetus cod. et Eliens. 1, hujus loco *vim*, Pal. 6, *ejus vi*, Gud. 1 *test. crimen civis*. Sed vulgata vera videtur. *Testari* enim *aliquem* est sæpe, « testatum facere, testimonio suo confirmare apud aliquem ». Ita « testamur deos, hominesque », et Sull. 14, 41: « nisi ... auctoritatem hujus judicii monumentis publicis testatus essem, etc. » Cogitandum *stupri patrati flagitium*, quod contexta facillime suppeditant. *Crimen* certe auctor ipse non poneret; sed *facinus*, *flagitium*, si quid addidisset. G.

18. *Hic dolor, P. R. ... causa civitati libertatis fuit.* Non sine causa nos in his offendimus: sive enim *populi R.* ad v. *dolor* referas, ut Davis. et editi priores; sive exemplo Ernestii et Brem. cum *duce et auctore* jungas, parum junctura ista placebit. Deinde licet collocatio ista, « causa civitati libertatis », per se carpi non debeat, habent tamen ubique ejusmodi quasi συγχύσεις certam quamdam rationem suam, qualem h. l. nullam dispicias. Testatur autem Ursin. v. *civitati* a cod. suo abesse: quod libenter accipimus: scribendumque inde judicamus, « hic dolor populo romano, duce et auctore Bruto, causa libertatis fuit ». Notæ enim illæ P. R. quibus ubique librariis *pop. Rom.* scribitur, inter hos rectos casus, *dolor* et *causa*, a scribis misellis vix aliter, quam secundo casu efferri poterant. Quod quum semel peccatum esset, facile vox *civitati* addi potuit.

ejus, consul est factus. Tenuis L. Virginius[19], unusque de multis, sexagesimo anno post libertatem receptam, virginem filiam sua manu occidit, potius, quam ea Appii Claudii libidini, qui tum erat summo in imperio[20], dederetur.

XXI. Aut hæc tibi, Torquate, sunt vituperanda, 67
aut patrocinium voluptatis repudiandum. Quod autem patrocinium, aut quæ ista causa est voluptatis, quæ nec testes ullos e claris viris, nec laudatores poterit adhibere[1]? Ut enim nos ex annalium monumentis testes excitamus[2] eos, quorum omnis vita consumpta

Dolor autem de *re quavis tristi* auctori sæpe ponitur. G.

19. *L. Virginius*. De Rep. II, 37, est *Decimus Virginius*. Hic erat centurio in exercitu montis Algidi. Cf. Tit. Liv. III, 44. Vide luculentam narrationem hujus tragœdiæ, et notas nostræ edit. tom. I, pag. 399 et seqq. Hæc acta sunt anno U. C. 304.

20. *Qui tum erat summo in imperio*. Gœrenz delet *in*. Multi, inquit, scripti aliorum, nostrique omnes, præpositionem ignorant. Neque h. l. audiendus Davisius est, adstipulante Bremio: *in* stare ideo debere, quod App. Claudius, unus e decemviris, non solus summum imp. obtinuerit. Id quidem quum alibi recte valeat, tamen ad Claudium hac in re parum recte accommodatur: nam huic vere tum summum Romæ imperium fuit, reliquis decemviris ad bellum profectis. Adde, totum locum jejune positum videri debere, si eo nihil significetur, nisi Claudium tum in decemviris fuisse. Aures quoque *in* respuunt. Nihil igitur dubitantes vocem sublestam abjecimus, quæ ante *im* a scribis et addi, et subtrahi, solet.

XXI. 1. *Testes ... adhibere?* Ern. *exhibere* scribi jubet. Mire sane. Nam *testes* in re ad nos pertinente, *adhibemus* nostra, *exhibemus* aliorum causa. *Exhibere testes* igitur ubique in judicio dicitur, sc. judicum causa, ut isto tum adjumento hi litem rite disceptare possint. *Adhibemus* eos nobis, v. c. Off. III, 10, 14, jurato sententiam dicentes meminisse jubentur, *deum se* (sibi) *adhibere testem*. Terent. Phorm. IV, 4, 2: « hoc temere numquam amittam a me, quin mihi testes adhibeam ». Plin. Paneg. 75, 3: « ut orbis terrarum pietatis nostræ adhiberetur testis et conscius ». Jam hoc loco verba, « causa voluptatis, quæ nec testes ullos... poterit (sibi) adhibere », recte opponuntur proximis, « nos ex annalium monumentis testes excitamus », sc. ad vos refutandos. Nihil igitur nec mutandum, nec ad zeugma confugiendum. G.

2. *Excitamus*. Nec in simplici *citamus* præferendo (quod Ursin. ex suo laudat), Davis. et Ern. audiendi sunt; cf. Rab. Posth. 17, 47: « Possum excitare multos reductos, testes liberalitatis tuæ ». Cll. Brut. 93, 322, « ab inferis locupletissimos testes excitaret ». G.

est[3] in laboribus gloriosis, qui voluptatis nomen audire non possint : sic in vestris disputationibus historia muta est. Numquam audivi in Epicuri schola Lycurgum, Solonem, Miltiadem, Themistoclem, Epaminondam nominari, qui in ore sunt ceterorum omnium philosophorum[4]. Nunc vero, quoniam hæc nos etiam tractare cœpimus[5], suppeditabit nobis

3. *Consumpta est.* Gud. 2 *consumata*. Bas. *consummata.* Prave : nam verbum *consummare*, cujus loco alii *consumare* probant, Ciceronis non est. Eo magis notandus est Schellerus, qui idem in Lexico Ciceronis auctoritate firmatum effert. Loca enim Philipp. XI, 7, 18, et Off. I, 2, 4, in quibus solis olim legebatur, ita dudum ex optimis codd. in rectius mutata sunt, ut in editionibus recentioribus ne vestigium quidem pravatæ olim lectionis notetur. G.

4. *Ceterorum omnium philosophorum.* Notandum est, amare Ciceronem secundum hunc casum vocis *philosophus* in sententiæ clausula positum. Tusc. IV, 28, 11 : « quæ possit esse omnium, etiam de ceteris rebus discrepantium philosophorum ». Acadd. II, 35, 114 : « acutissimum omnium nostræ memoriæ philosophorum » : atque sic recte nuper Wolf. restituit Tusc. I, 6, 11, quum vulgo peccetur, *philosophorum disserentium*. Quod nisi tenueris, ex usu auctoris perpetuo transposite scribi jure males, *philosophorum omnium ;* contra quem toties a scribis peccatur. Sic v. c. restitues e binis nostris, N. D. I, 29, 80 : « Num etiam est una facies omnium ? » vulgata male *omnium facies.* Quare h. l. nec Erl. audiendus est, qui *philosoph. omnium* transponit, nec Gud. 1, in quo desideratur *philosophorum.* G.

5. *Nunc vero, quoniam hæc nos etiam t. c.* Gœrenz delet *etiam*, notatque : Variatur in scriptis *Nec vero* et *Ne vero ;* ex compendio puta. Oxon. V. *Nunc quæro.* Spir. et Erl. vulgatam confirmant. Vide notam proximam. Perperam quoque est, quod P. Manut. *Nec vero* præfert, ut bene vidit Brem. Rath. totum h. l. conjectura mactavit, sic suadens, « Nunc quæro (quoniam ... quot et quantos viros ! jam vero testium sat est) nonne, etc. » Sed hæc multas ansas habent. Ut pauca moneamus, post *suppeditabit*, sequi *jam vero*, hoc contextu, nequit. Ut enim taceamus, *vero* nusquam disjungendi vim habere posse, immo *sed* poni debuisse ; quis umquam probarit « suppeditabit .... sed jam ... satis est ». Requiretur sic certe *suppeditarit*, vel *suppeditare posset.* Neque omnino sic recte glossema retrahitur, quod scripti optimi quique respuunt. Ceterum addit vulgata post *nos*, *etiam*, quæ quum a Gud. 1 et Bas. abesset, ejusque loco in reliquis nostris *et* scriberetur, deleta a nobis est : idque magis, quoniam prorsus ignoramus, quo nomine ferri h. l. possit. Nam pro *adeo* positam (ut eo loco, quem occupat, necessario debebis), si acceperis, recte quæres, quid ea particula opus sit, ad rem, quæ tam proxime cum his, quæ tractanda erant, cohæret, designandam ?

Atticus noster de thesauris suis, quos, et quantos
viros[6][habere testium sat est[7]]! Nonne melius est[8] de 68
his aliquid, quam tantis voluminibus de Themista[9]
loqui? Sint ista Græcorum: quamquam ab his philosophiam et omnes ingenuas disciplinas habemus; sed tamen est aliquid, quod nobis non liceat, liceat illis. Pugnant stoici cum peripateticis. Alteri negant quidquam esse bonum, nisi quod honestum sit.

6. *Suppeditabit... de thesauris suis, quos, et quantos viros!* Miramur primo eos VV. DD. qui in his ironiam quærunt. Non enim de Attico, Epicureo, sed historico, agitur; et quidem historico romano. Contexta clare loquuntur. Dixerat auctor, ceteris philosophis (græcis) in ore esse *Lycurgum, Epaminondam*. Pergit, *Nunc vero*, etc. i. e. « Jam vero, quum nos, Romani, hæc tractamus, suppeditabit nobis ex patria historia summorum virorum exempla Atticus ». Cf. Corn. Nep. Att. 18. — *De thesauris*. Non probe fecerunt Dav. et Brem. qui pro *de* apertam hujus glossam *ex* receperunt. Ut enim *depromere de libris* Orat. I, 60, 252, et sup. II, 7, 22, *de narthecio promere* dicitur, ita dispicere non est, cur minus recte, *suppeditare de thesauris*, id est, de libris, qui magnorum virorum exemplis referti sunt, dici liceat. Duo Gudd. *de*, cujus loco Erl. *et* præbet: e Spir. et Bas. varietas nulla notatur, ut etiam *de* exhibuisse videantur. Vin. *Atticus et thes.* omisso *noster*, quod etiam Gud. 2 et editi vett. plures ignorant. Sed sæpe offendunt in hoc pron. scribæ, si de *communi amico* ponitur. G. — *Quos. Quot* corrigere nihil necesse est, quum *quos, quales* valeat. Divin. I, 25, 52: « Xenophon, Socraticus, qui et quantus vir! » Tamen hanc, etiam a Bremio prolatam, conjecturam plane abjectam nolim, quum auctor non solum virorum patriæ historiæ magnitudinem, sed etiam multitudinem indicare his voluisse videatur; conf. § 62. G.

7. *Habere testium sat est*. Hæc verba Gœrenz omnino expungit: absunt, inquit, a tot scriptis, ad quos tres optimi nostri accedunt, glossæque naturam ex malo cum reliquis nexu clare produnt. Occasio etiam glossæ cernitur, scribis exclamationis, quamquam auctori frequentis, rationem parum assequentibus. Talis autem in textis relinquere, vel male sibi diffidentis est, vel apertæ rei veritati. — Hæc esse delenda censuerat quoque, post Gruterum, Davis. Nonnulli legunt « quot et quantos viros habere testes sat est », ut latinitati consulatur; sed codices non favent, et frigidum prorsus est illud additamentum.

8. *Nonne melius est*. Hæc non sine jure paullo abruptius posita dixeris. Atque licet quidem plura loca excitari possint, ubi similiter Cicero: tamen quum e Bas. *testium sat esset*, notetur, *Et nonne melius est*, prorsus ex hujus usu, scribendum judicamus; sic ut *Et, et sane* valeat. G.

9. *Themista*. In nomine *Themista* consentiunt Spir. et Erl. pro *Themi-*

Alteri, plurimum se, et longe longeque plurimum tribuere honestati, sed tamen et in corpore, et extra, esse quædam bona. Et certamen honestum, et disputatio splendida[10]: omnis est enim[11] de virtutis dignitate contentio. At cum tuis quum disseras[12], multa sunt audienda etiam de obscœnis voluptatibus, de
69 quibus ab Epicuro sæpissime dicitur. Non potes ergo ista tueri, Torquate, mihi crede, si te ipse, et tuas cogitationes, et studia[13] perspexeris. Pudebit te, in-

stocle, quæ lectio diu vulgata fuit. Composuisse autem videtur Epicureus aliquis plures libros de hac muliere, ipsa Epicurea, ad quam duas ab Epicuro scriptas epistolas Diog. Laert. X, 3 et 14, memorat. Eadem a Cicerone, Pison. 26, 63, ut *sapiens* dicitur. — Themista erat mulier philosopha, Lampsacena, Epicuri amica et assecla, qui ei librum nomine *Neocles* dicavit. Conf. de eadem Menag. Histor. mulierum philosopharum, pag. 498.

10. *Et certamen honestum, et disputatio splendida*. Ern. prius *Et* in *Est* mutari mallt. Sed sua ex regula stare vulgata videtur, qua in his, quæ cum brevitate asseverative ponuntur, verbum subst. abjici solet. Divin. II, 1, 3 : « Magnus locus, philosophiæque proprius, a Platone ... tractatus uberrime ». Legg. II, 23, 59 : « Hæc laudabilia, et locupletibus fere cum plebe communia, etc. » Brem. quidem Ernestii conjecturam ex eo probat, quod auctorem partitionem sine verbo subst. antecedentibus jungere negat. Quod si vel sit verissimum, tamen huc nihil facit. Nam nulla hic est partitio : prior *Et*, *et sane* notat, posterior explicantis est : nam « certamen honestum », et *disput. splendida* non re, sed verbis tantum differunt. Sic defendi vulgata potest. Sed tamen languidiora hæc, et vix ad hæc contexta apte congruentia, retenta duplici *et*, senties. Nos quidem longe convenientius judicamus, si legatur, « En certamen honestum, en disputatio splendida! » Cf. Dejot. 6, 17 : « En crimen, en causa ». Verr. I, 37, 115 : « en memoria mortui sodalis, en metus mortuorum existimationis! » Scripti tamen nihil differunt. G.

11. *Omnis est enim*. Tres nostri *est* ignorant : ita scilicet solent scribæ hoc in positu; quippe ad quem ne VV. DD. quidem attendant. G.

12. *At cum tuis quum disseras*. Jubet pro *quum* Rath. *si* poni, atque ita præter Ursini cod. Marsus. Ex hoc similibusque clarius etiam patet, conj. recte *quum* scribi. Quod autem Grut. pro *quum* in Pal. 1 *tu* scribi dicit, in hoc haud dubie errat. Nam in Spir. et Erl. « at tamen tuis cum diss. » Misenisse igitur ille dicendus; *tn̄* enim ex comp. *tamen* scribitur, quod ex simili *cū* (pro *cum*, *quum*) ortum est. G.

13. *Si te ipse, et tuas cogitt. et studia*. Prave Davis. ex Eliens. 1 *si tuas* edidit : nam hæc duplex *et*, « non solum ... sed etiam », v. *quum ... tum* notat, atque sententia loci sic capienda, « si tu te ipse, id est non

quam, illius tabulæ, quam Cleanthes[14], sane commode, verbis depingere[15] solebat. Jubebat eos, qui audiebant, secum ipsos cogitare pictam in tabula Voluptatem[16], pulcherrimo vestitu, et ornatu regali, in solio sedentem; præsto esse Virtutes, ut ancillulas, quæ nihil aliud agerent, nullum suum officium ducerent, nisi ut Voluptati ministrarent, et eam tantum ad aurem[17] admonerent (si modo id pictura intelligi posset[18]), ut caveret, ne quid perficeret[19] imprudens, quod offenderet animos hominum, aut quidquam, e quo oriretur aliquis dolor. Nos quidem Virtutes sic natæ sumus, ut tibi serviremus; aliud negotii nihil habemus[20].

solum tuam cogitandi, sed appetendi quoque rationem persp. » G.

14. *Cleanthes.* Hic Zenonis fuit discipulus, illoque exstincto, stoicorum princeps.

15. *Verbis depingere.* Recepit Davis. e pluribus suis *pingere*, sequutique sunt Ern. et Brem. At si Ciceronem recte novimus, addidisset hic ad v. simplex illud suum *quasi.* Deinde semper idem *depingere cogitatione*, nusquam *pingere cogit.* dicit. Unus præterea nostrorum recentissimus Gud. 1, *pingere* refert, quum reliqui omnes prius vulgatam servent. Firmat eamdem etiam Plaut. Pœnul. V, 2, 154 : « Formam (puellæ) quidem hercle verbis depinxti mihi ». Atque denique, si quæsieris, utra lectio probabilius a scribis derivanda videatur, vix poteris, quin nostram rationem probes. G.

16. *Cogitare pictam in tabula Voluptatem.* Apte laudat ad hæc Davis. Augustin. Civ. Dei, V, 20, qui idem, modo Cleanthis nomine non addito, refert, et Senec. de Vit. Beat. c. 11 et 14. Ceterum patet Cleanthem, stoicum, hac re nihil aliud petisse, quam ut inconvenientia illa quasi ante oculos poneretur, qua Epicurus ipsam virtutem ad voluptatem relatam vellet; non hanc illius imperio parentem. G.

17. *Ad aurem* est *clam*, *non palam;* quippe quod ancillulas male deceret. G.

18. *Si modo id pictura intelligi posset.* Sensus est, si quidem hoc pictura ita exprimi posset, ut quisque statim intelligeret, quid Virtutes Voluptati insusurrarent. Vituperat nempe auctor Cleanthem, quum pingi id voluerit, quod pictura præsentari distincte nequeat. Mireris igitur, si Rathbium ad hæc ista notasse videas: « Quis est, qui hoc in dubium vocet? Cicero? haud ita videtur ». G.

19. *Perficeret.* Gœr. scribit *faceret.* Recte, inquit, Davis. simplex ex optimis quibusque scriptis, quibus etiam Spir. et Erl. consentit, restituit, sequutusque est Bremi : nam *perficeret* bis in contextis vix est Ciceronis.

20. *Aliud negotii nihil habemus.* Spir. et Erl. *aliud negotium non hab.* Pal. 1 et 4, *aliud negotium nihil hab.*

70 XXII. At negat Epicurus (hoc enim vestrum lumen est), quemquam, qui honeste non vivat, jucunde posse vivere. Quasi ego id curem, quid ille aiat, aut neget. Illud quæro, quid ei, qui in voluptate summum bonum ponat [1], consentaneum sit dicere. Quid affers, cur Thorius, C. Hirrius Postumius [2], cur omnium horum magister [3], Orata, non jucundissime

Gud. 2, *alius negotii*, etc. Deinde referunt Gud. 1, Bas. E. et ξ. *haberemus*. *Aliud* est *aliud quid*, quod quum scribæ non viderent, offendisse videntur. Sed *haberemus* forte negligendum non est: sic quidem hoc quoque verbum ad *natæ sumus* referendum erit. Quod si placebit, auctores sumus, ut legetur, « aliud negotium non haberemus ». G.

XXII. 1. *Ponat*. Gœr. scribit *putat*. Sic, inquit, plerique scripti nostrique præter Gud. 1, omnes. Neque aliter vett. editi, Merso excepto. Unde haud parum miramur, quod Grut. ex Pel. 1 *ponat* offert; recte hoc enim apertam illius glossam Brem. judicat. *Putare* enim *in re aliquid*, sic haud raro elliptice dicitur, ut *positum* vel *ponendum* cogitandum sit; cf. Manil. 13, 37, « imperatorem aliquo in numero putare ». Pis. 13, 34: « in hostium numero putari, etc. » Vulgatam igitur priorem cum Bremio revocavimus, idque magis, quum E. et ξ. glossam cum glossato, *ponat*, *putat*, simul exhibeant. Conjunctivum quod saltem Ern. requirit, id ex præjudicata ejus opinione natum est, ad accus. c. inf. non nisi hunc poni posse: refutata abunde per Heusingg. Scheller. Bremium, alios.

2. *Cur... C. Hirrius Postumius*. Vulgatur, *Postum. cur Chius*. Al. pro *Chius* dant *Curtius*, *Orchius*, *Curius*. At Spir. Erl. et Gud. 1 præbent cum Pel. 1, *cur Chius Postumius*: ut Scaligeri sententia verosimillime videatur, notari h. l. eumdem, qui, auctore Plin. Hist. Nat. IX, 55, « primus murænarum vivarium excogitasse dicitur ». Nobis certe in loco hoc aperte corrupto hæc sola amplectenda sententia fuit, quam etiam Davis. sic edendo secutus est. Nam quis feret *cur* ante *Postumius* omissum; quis *Chius* inter nomina romana? Mirum tamen hoc esse profitemur, quod hominis istius neque Cicero, neque quisquam satyrarum scriptor, usquam mentionem fecit. Si quid his conjectura addi licet, videtur *Postumius* ex glossa accessisse, quum rarissime Cicero sic plenum alicujus nomen efferat. Quo facilius etiam hujus transpositi ratio intelligetur. G. — Quatuor puto colligi Epicureos, L. Thorium, de quo proxime mentio facta est, Postumium, quem ignoramus, Curium, C. Sergium Oratam, qui nominatur a Cic. Offic. III, c. 16, et Val. Max. IX, 1. — Nec tamen *Curius* a *cur Chius* longe distat, quem si ponamus, eum esse dicemus de quo legimus in Pediano versiculum istum Calvi, « Et talia Curius pereruditus ». MANUTIUS.

3. *Omnium horum magister*. *Horum* etiam a Gud. 2, Bas. V. χ. ψ. et a Marso aliisque vett. impressis abest. Sed inde nihil juris Davisio nascebatur, ut *hominum horum* mallet, quod multo vulgata pejus est, quæ optime se ha-

vixerit? Ipse negat, ut ante dixi, luxuriosorum vitam reprehendendam, nisi plane fatui sint, id est, nisi aut cupiant, aut metuant[4]. Quarum ambarum rerum quum medicinam pollicetur, luxuriæ licentiam pollicetur. His enim rebus detractis[5], negat se reperire in
asotorum vita, quod reprehendat. Non igitur po- 71
testis voluptate omnia dirigentes[6], aut tueri, aut retinere virtutem. Nam nec vir bonus ac justus[7] haberi debet, qui, ne malum habeat, abstinet se ab injuria. Nosti, credo, illud :

Nemo pius est, qui pietatem[8] . . .

Cave quidquam putes[9] esse verius. Nec enim, dum

bet : nam *horum* accipit debet, i. e. *hujusmodi hominum*.—De L. Sergio Orata, qui sequitur, *cf.* Fragm. *ex* Hortens. apud Augustin. de Vita Beat. pag. 1096, Ern. cll. Macrob. Saturn. II, 11; Plin. H. N. IX, 54, et Val. Max. IX, 1; Varro de Re Rust. lib. III, cap. 3; Cic. Off. III, c. 16. G.

4. *Nisi aut cupiant, aut metuant.* Mars. et Crat. *nisi aut plane cupiant;* quod valde arridet : nam huc referri licet, quæ Epicurus de cupiditatibus finiendis præcipiebat; cf. supra 9, 27. Sed quum nullus codicum conspiret, de *inaniter cupientibus* hæc intelligi debere judicamus, vide ib. § 26. G.

5. *His enim rebus detractis.* Abest *rebus* a Bas. et a Mars. nec in Ursini cod. comparebat. Sed inde nullum jus est vocem cum hoc pro intrusa accipere, voce *rerum* proxime præcedente : auctor enim, ut supra vidimus, hanc vocem repetitam amat. De re ipsa vide Κυρίων δοξῶν X, seqq. G.

6. *Voluptate omnia dirigentes.* Gud. 1, *dirigente*, quod per se quidem placet : sed vulgata haud minus proba est. Desumpta enim similitudo de navi est; hæc ut gubernaculo dirigitur, sic vita, Epicuri ratione, voluptate. Inde « non potestis aut tueri aut retinere virtutem », velut rectum cursum. G.

7. *Nec vir bonus ac justus. Nec* pro *ne . . . quidem* est, vid. sup. 8, 25. Deinde pro *ac justus*, duo nostri cum aliis *aut* referunt. Sed videtur part. plane delenda esse : nam vide Legg. I, 18, 48, « omnes viri boni ipsam æquitatatem et jus ipsum amant ». Ad vulgatam quoque *is* ante *qui* omissum ægre ferimus; quod auctor sic cum vi addere solet. Locus si integer, sic capiendus est, ac si scriptum sit, « nec vir bonus ac justus, vir bonus ac justus hab. deb. » G.

8. *Nemo pius est, qui pietatem*, etc. Ut in Pal. 1, ita in Spir. et Erl. abest *cavet*, quod in reliquis scriptis omnibus prave adsuitur. Sed iidem illi *pietate* exhibent. Nec aliter Gud. 2, quamquam hic *cavet* refert. Ceterum judicium omne de verbis his suspendimus, quippe de quibus conjectura quævis vaga esse debeat, quum locus poetæ veteris modo indigitatus sit, nec alibi usquam legatur. G.

9. *Quidquam putes.* Iidem illi bini

metuit, justus est : et certe, si metuere destiterit, non erit. Non metuet autem, sive celare poterit[10], sive opibus magnis, quidquid fecerit, obtinere; certeque malet existimari bonus vir[11], ut non sit, quam esse, ut non putetur. Ita, quod certissimum est[12], pro vera certaque justitia, simulationem nobis justitiæ[13] traditis; præcipitisque quodam modo, ut nostram stabi-

nostri, adstipulante Marso, transposite scribunt, *putes quidquam*. Atque ita ad Brut. ep. 15 : « Cave putes ... quidquam illi esse simile ». Solet autem hic imitator sedulo Ciceronis verborum collocationem sectari. At nostri est, ut verbum finitum accusativo cum infinitivo interponat; sententia autem hæc, « atque sane hoc omnium verissimum putandum est » : ut soni vis recte in *quidquam* præmisso hæreat. G.

10. *Sive celare poterit.* Gœr. scrib. *potuerit*. Correximus, inquit, e Spir. et Erl. vulgatum *poterit*, quod reliqua futura exacta suadebant.

11. *Malet existimari bonus vir.* Nostri quoque scripti *mallet* peccant, ut omnes ubique fere hoc in futuro solent; vide nos ad Acadd. I, 2, 5. Deinde Spir. et Erl. transponunt *vir bonus*; quod utique rectius : sed omnium optime Bas. *vir* ignorat. Ita paucis ante *justus* æque simpliciter dicitur. Addidisse vocem scribæ videntur, quum sonum loci non caperent, quo *existimari* primariam enuntiati vim continet. *Ut* duplex, quæ sequitur, *licet* valet. G. — *Malet existimari bonus vir, ut non sit, quam esse, ut non putetur.* Probitatis famam probitati anteponet. « Malet existimari bonus vir », quamvis *non sit; quam esse* talis, eo modo, eo pacto, ea conditione, *ut non putetur* esse vir bonus. Passerat. — Vertit intp. gallicus : « Il aimera toujours mieux paraître homme de bien sans l'être, que de l'être et ne le paraître pas ».

12. *Ita, quod certissimum est.* Gœr. vv. *quod cert. est* parenthesi includit. Hoc loco, inquit, factum est, quod sæpe animadvertere licet, ut loci scriptora semel addubitata, VV. DD. omnia alia malint, quam de vulgatæ veritate cogitare. Th. Bentl. conjicit *turpissimum*, Davis. *nocentissimum*, Brem. *perniciosissimum*, omnesque consentiunt, *certissimum* jacere, torpere, nihil significare. Quasi non sæpissime *certum* de eo, quod « apertum, manifestum, indubitatum » est, dicatur! Sed neglecta parenthesis hunc errorem attulit. Cf. Brut. 80, 278 : « pedis (quod minimum est) nulla supplosio ». Ibid. 93, 322 : « minimum ejus (quod unum est oratoria maxime proprium), quocumque res postularet, impellere ». Alia structura hæc sic expresseris : « Itaque hoc certissimum est, vos ... tradere ». Scribæ in his aliter peccant, *Itaque cert.* referentes, ut e nostris Gud. 1 et Bas. atque sic quoque Mars. Venet. ed. 1496, aliæ.

13. *Pro vera certaque justitia, simulationem ... justitiæ. Simulationem justitiæ* idem prorsus est, quod *simulatam justitiam*. Sic autem scripsit auctor, ut æqualitati membrorum consuleret : de qua re quum VV. DD. pinguius judicare videamus (cf. v. c.

lem conscientiam contemnamus, aliorum errantem opinionem aucupemur.

Quæ dici eadem [14] de ceteris virtutibus possunt : 72
quarum omnium fundamenta vos in voluptate, tamquam in aqua, ponitis. Quid enim? fortemne possumus dicere eumdem illum Torquatum [15]? Delector enim, quamquam te non possum, ut ais, corrumpere [16]; delector, inquam, et familia vestra, et nomine. Et hercule [17] mihi vir optimus, nostrique amantissimus, A. Torquatus [18] versatur ante oculos : cujus quantum studium et quam insigne [19] fuerit erga

Scheller. Obss. 123), alibi agemus accuratius. G.

14. *Quæ dici eadem.* Ne in his pronominibus offendas, *quæ* plane *et hæc* valet. Solet vero auctor hæc ipsa pronn. interdum negligentius jungere, v. c. Tusc. II, 15, 31 : « his est enim vultus semper idem, quem dicitur Xanthippe prædicare solita in viro suo Socrate, eodem semper se vidisse exeuntem illum domo, et redeuntem ». G.

15. *Fortemne ... dicere ... Torquatum?* Nempe non possumus eum dicere fortem, si nihil nisi voluptatis adipiscendæ causa perpetravit.

16. *Quamquam te non possum ... corrumpere.* His quoque, ait Gœrenz, apertæ parentheseos signa addenda nobis fuerunt. Referuntur hæc autem ad Torquati verba, supra, I, 10, 34 : « nec me tamen laudandis majoribus meis corrupisti ». Erl. *possumus :* sed e Spir. nihil notatur. Ex proxime præcedente ortum hoc pota. Davis. tacite *possim* dedit, ut est in quibusdam vett. impressis. Non male sane, cf. quæ de conjunctivo ad *quamquam* diximus ad Legg. III, 8, 18. Sic autem hæc particula in verbis alterius laudandis frequenter ponitur. Acadd. I, 8, 30 : « quamquam oriretur a sensibus ». Tusc. V, 33, 95 : « quamquam sensu corporis judicentur, ad animum referri tamen, etc. » Sed infirmam hanc paucarum edd. veterum auctoritatem sequi noluimus.

17. *Hercule.* Mars. *hercle mihi*, Spir. et Erl. soli *mihi ;* reliqui nostri cum vulgata ante Grut. *modo*, ex compendio peccant simili : nisi quod Gud. 1, *mihi vir modo* refert, glossam cum glossato servans. G.

18. *A. Torquatus.* Ern. hunc in Clave L. F. L. N. vocat. Fuisset igitur istius, cum quo sermo instituitur, frater! Quod vix verum est; tum enim id auctor, pro suo more, monuisset. Esse hunc autem eumdem, qui A. U. 701 prætor fuit, et ad quem, exsulem, literæ Ciceronis exstant, VI, ep. 1—4, dubitari nequit. Nobis certe hic A. Torquati filius videtur, qui ex prætura ao. 676, Africam provinciam obtinuit; quem cum hoc nostro P. Maout. in comment. ad Divv. VI, ep. 1, init. miscet. G.

19. *Cujus quantum studium et quam insigne fuerit.* Gœrenz scribit : *cujus quantum studium fuerit, et quam insigne.* Ita, inquit, Spir. et Erl. *fuerit* post *studium* retrahunt.

me temporibus illis [20], quæ nota sunt omnibus, scire necesse est utrumque vestrum. Quæ mihi ipsi, qui volo et esse, et haberi gratus, grata [21] non essent, nisi eum perspicerem mea causa mihi amicum fuisse, non sua; nisi hoc dicis, sua, quod interest omnium recte facere. Si id dicis, vicimus. Id enim volumus, id contendimus, ut officii fructus sit ipsum [22] officium.
73 Hoc ille tuus non vult, omnibusque [23] ex rebus voluptatem, quasi mercedem, exigit. Sed ad illum redeo. Si voluptatis causa cum Gallo apud Anienem depugnavit provocatus, et ex ejus spoliis sibi et torquem, et cognomen induit [24], ullam aliam ob causam [25], nisi quod ei talia facta digna viro videbantur; fortem non puto. Jam si pudor, si modestia, si pudicitia, si, uno verbo, temperantia, pœnæ aut infamiæ metu coercebuntur, non sanctitate sua se tuebuntur: quo adul-

Bene sane: idque frequenti Ciceronis more. Nam vulgata, quæ idem post *insigne* positum exhibet, scribarum est, sæpe sic turbantium. Aures ipsæ h. l. hoc, quod recepimus, præferunt.

20. *Temporibus illis. Tempora* autem *illa* Ciceronis exsilium notant.

21. *Gratus, grata.* Lusit Cicero in varia ejusdem vocis vi, quod haud raro solet. G.

22. *Ut officii fructus sit ipsum officium.* Hæc verba nihil aliud volunt, quam quod toties alibi dicitur, « virtutem per se ipsam esse expetendam ». Tractantur hæc, et seqq. latius, ut sæpius, ita maxime Legg. I, 18, 48 seqq. G. — *Illum*, quod sequitur, Torquatum notat.

23. *Hoc ille tuus non vult, omnibusque.* Nostrorum tres, aliique aliorum, cum vett. excusis multis, *Hæc.* Male. *Que* autem *immo potius* valet, ut sæpe.

24. *Cognomen induit.* Ad seqq. confert plura plurium inferioris ætatis auctorum loca Davis. ut dicendi rationem *nomen induere* probet. Quæ huc nihil pertinent: nam hac junctura h. l. Cic. usus non esset, nisi per zeugma ad utrumque, et *torquem* et *cognomen*, verbum applicari voluisset. G.

25. *Ullam aliam ob causam.* Nostri quoque, ut omnes omnium, *nullam* peccant. Sed a P. Manutio inde VV. DD. unice veram vocem reposuerunt. Neque aliter refert Marsus. Ceterum de toto h. l. « et ex ejus sp. ... videbantur », notandum est, eum uno quasi spiritu pronuntiandum esse; certe virgulam ante *ullam* cum Bremio sustulimus, quæ verborum nexum obscurabat. Ipsa autem paullo impeditior series inde nata est, quod auctor vv. *ullam ... causam* proxime ante *nisi* posita voluit. G. — Int. et si in hoc præclaro facinore patrando alia causa ductus est Torquatus, quam quod vellet digna viro facere.

terium, quo stuprum, quo libido[26] non se proripiet ac projiciet, aut occultatione proposita, aut impunitate, aut licentia?

Quid? illud, Torquate, quale tandem videtur[27]? te 74
isto nomine, ingenio, gloria, quæ facis, quæ cogitas, quæ contendis, quo referas, cujus rei causa perficere, quæ conaris, velis, quod optimum denique in vita judices, non audere in conventu dicere[28]? Quid enim mereri velis jam, quum magistratum inieris[29], et in

26. *Quo adult. quo stupr. quo lib.* Gœr. scribit: *quod adulterium, quod stuprum, quæ libido non se proripiet*, notatque: Ern. ex Davisii conj. Virgil. Eclog. III, 19, laudantis, dedit, *quo ... quo ... quo*, et sic ob verba, *se proripiet*, necessario requiri judicat. Atque ita vere Oxonn. E. et ξ. Sed hi duo codd. ubique seorsim sentiunt, et vulgata ut per se bona est, ita est etiam explicatu difficilior, quam ut a scribis profecta videatur. Valent enim verba hæc idem, ac, « nonne omnis generis adulteria, etc. quæ alias occultantur, palam prorumpent, etc. » *Quod* enim, si rogat, pro *qualenam*, *quantum*, frequenter dicitur. *Rapere* deinde auctor proprie de cupiditate; *proripere* vero h. l. de eadem antehac tecta et celata, et jam novo quasi cum impetu proruente. Nihil igitur erat, cur jure Ern. in vulgata offenderet.

27. *Quid? illud, Torquate, quale tandem videtur?* Brem. interpunxit, *Quid illud Torquate?* Perperam. Sic certe *Sed* vel *At* præmittendum erat. Tenenda enim hæc certa interpunctionis regula est, ante voces, particulasque, quibus interrogatio regitur, præmitti, ut nomina (cf. Acadd. II, 33, 106), ita pronomina solere. Acadd. II, 27, 86: « Quid? hoc nonne videtur contra vos valere? » Tusc. I, 24, 56: « Quid? illa tandem num leviora censes, quæ declarant, inesse in animis hominum divina quædam? » Ita verissime Wolf. ed. priore: vulgo, « Quid illa tandem? ... censes? » sed pessime. Idem etiam sine *quid?* valet. Ut statim de *quale tandem* exemplum afferamus; cf. N. D. I, 38, 106: « Hoc, per deos immortales, de quibus loquimur, quale tandem est? etc. » Pendent ista a soni ratione, et uno complexu tractata, nullam amplius dubitationem admittent. G.

28. *Te ... non audere in conventu dicere?* Sunt hæc elegantis, sed paullo impeditioris nexus. Primum *te* cum vi præmittitur: quæ deinde auctor interposuit, ter variata idem valent; hoc nempe: « quem ad finem omnia, quæ cogitas, niteris, agis, spectant ». *Quæ facis ..... quo referas*, græce cogitanda sunt, ἃ (ἅτινα) ποιεῖς ... εἰς τί ἂν ἀναφέροις. *Denique* vero comprehendentis, vel rectius h. l. propriis verbis rem tectius expressam enarrantis est. G.

29. *Quid enim mereri velis jam, quum magistratum inieris.* Gud. 1, Bas. E. ξ. cum binis Davisii, et Victorii ed. post *quum* addunt *tu*, quod Davis. recepit. Prave: nam si addi pron. auctor voluisset, haud dubie

concionem adscenderis (est enim tibi[30] edicendum, quæ sis observaturus in jure dicendo ; et fortasse etiam, si tibi erit visum, aliquid de majoribus tuis, et de te ipso dices, more majorum), quid merearis igitur, ut te dicas[31] in eo magistratu omnia voluptatis causa facturum esse? teque nihil fecisse in vita nisi voluptatis causa? An me, inquis[32], tam amentem putas, ut apud imperitos isto modo loquar? At tu eadem ista dic in judicio, aut, si coronam times, dic in senatu. Numquam facies. Cur, nisi quod turpis est oratio[33]? Mene ergo, et Triarium, dignos existimas, apud quos turpiter loquare?

scriberet *quid tu enim*. Offendisse deinde Marsum *jam* in clausula positum videtur; exhibet enim *quum jam:* sed sine causa; cf. Milon. 28, 76 : « quæ vero aderant jam, et impendebant ». De verbi *mereri* potestate vide Ern. Clavem h. v. Conjunctivos autem hos et seqq. græcorum optatt. loco poni, nemo non videt. G.

30. *Est enim tibi edicendum*. Ad *edictum* respicitur, quo prætor quivis normam, quam in « dando, dicendo, addicendo », sequuturus esset, i. e. *jurisdictionis* suæ rationem, proponebat. Prætor autem urbanus fuit Torquatus hic an. 704. G.

31. *Ut te dicas*. Omnes nostri cum Vin. *ut dicas te ;* nec aliter editi vett. quos vidimus omnes. Et tamen vulgata, undecumque sit, verissima est. Cf. Tusc. I, 8, 16 : « Sed quæ sunt ea, quæ te dicis majora moliri »; Att. III, ep. 5 : « Quo modo igitur Domitius se dixit relaturum ? etc. » Sæpius enim docuimus, auctorem pronomina, quæ ad acc. c. inf. pertinent, verbis dicendi præmittere solere; cf. v. c. Acadd. I, 2, 7, etc. Sic autem scribæ peccare non solent. G.

32. *An me, inquis*. God. 1, *inquit;* neque aliter Ven. 1494, idque ipsum h. l. Walker. ad N. D. I, 39, 109, ex ed. nescio qua antiqua reponi jubet. A quo se non alienum Brem. profitetur, si quidem libri scripti accesserint. Quamquam quidem concedendum est, quod hic pluribus agit, « esse *inquit* personarum omnium » (vide nos ad Legg. II, 23, 58), et sæpius alibi reducendum ; sic v. c. N. D. I, 36, 100, plures scripti nostri jubent, etc. tamen id non simpliciter sic accipiendum est, sed ex subita conversione ad aliam, quæ præsens adsit, personam, etc. misere enim statueris, si, *inquit* vere impersonale esse, dixeris. Caute alias hac in re ideo versandum est, quod a librariis, idque innumeris locis, ex compendio *inqu.* scribitur, quæcumque demum verbi persona fuerit. G.

33. *Cur, nisi quod turpis est oratio?* Gœrenz scribit : *cur, nisi turpis oratio est?* Ut nos edidimus, inquit, plane referunt Spir. et Erl. et haud dubie etiam Pal. 1. *Quod* ejecerat jam Davis. ex tribus suis Parisinis : et *est* transponunt etiam God. 1 et Bas.

XXIII. Verum, esto. Verbum ipsum voluptatis non habet dignitatem : nec nos fortasse intelligimus. Hoc enim identidem dicitis, non intelligere nos, voluptatem quam dicatis[1]. Rem vides[2] difficilem et obscuram. Individua[3] quum dicitis, et intermundia[4], quæ nec sunt ulla, nec possunt esse, intelligimus : voluptas, quæ passeribus nota est omnibus[5], a nobis intelligi 75

Haud dubie verissime. Hic enim sensus est, « Cur non facies, nisi oratio ista (qua omnis ad voluptatem referuntur) vere turpis est ? » *Quod* insuere librarii, quum id pro glossa ad *nisi* superscriptum esset. *Est* autem transposuerunt, quoniam auribus ipsorum in clausula minus addicebat. Peccant hi autem tum maxime, si prædicato præmisso abstractum ita subjicitur, ut copula sententiam claudat ; ut hoc loco usu venit : qua de re aliquando accurate agemus. Nihil dicunt Ern. et Brem. qui *quod* retinent : nam ferri id posse, quis negat ? sed scribæne id omiserint, aut potius addiderint, hoc quæritur. Neque similis structura, quæ infra § 79 legitur, impedit, quo minus h. l. meliorum codd. optimam structuram sequaris. Post *nisi* autem *quod* et *quum* haud raro inseritur.

XXIII. 1. *Voluptatem quam dicatis.* Gœrenz scribit : *quam dicatis voluptatem.* Hoc, inquit, ordine nostri præter Gud. 2 omnes : eodemque modo Mars. Crat. editique vett. multi. Similis locus est Legg. I, 17, 47 : « animis omnibus tenduntur insidiæ ... vel ab ea, quæ penitus in omni sensu insidet, imitatrix boni voluptas ». Et nostro libro infra § 77 : « nemo appellat voluptatem ». Vulgatur « voluptatem quam dicatis ». Nihil mirum esse debet, si bis in structuris scribæ ad suum palatum transponunt.

2. *Rem vides difficilem.* Id est in aperta ironia, in qua Ern. *vides* negat dici posse ; *vide* mavult. Ante eum P. Manut. *videlicet* (et sic Lamb. edidit), Davis. *video* suaserunt. Neque sane ironia in *vides* hæret, sed in tenore loci totius, qui pronuntiatione adjuvandus est. Eodem modo inf. IV, 3, 7 : « Vides, quantam rem agas ; ut Circeis qui habitet, totum hunc mundum suum municipium esse existimet ». Tentat quidem Ern. hoc quoque loco *vide :* sed idem etiam alibi facit, ut supra 10, 30, etc. Si quid mutandum foret, conjici liceret *Rem vide scilicet :* nam *scilicet* frequenter simplici litera *s.* scribis notatur. G. — J. V. *Leclerc* rectius certe *videlicet*, ut jam P. Man. intellexerat et bene vertit : *Quelle difficulté, en effet, quelle obscurité !* Ironice.

3. *Individua*, atomos. — *Quum dicitis.* Hæc absunt a Gud. utroque tribusque Oxon. abjecitque Lambinus. Sed nihil in se habent, quod scribam oleat, immo et loco, quo ponuntur, et ipsa natura sua, auctoris ingenium produnt. G.

4. *Intermundia.* Sic vocabantur ab Epicuro spatia, quæ a diis incoli dicebat inter varios mundos.

5. *Quæ passeribus nota est omnibus.* Mirum est, quod nostri cum Vien. et Marso, *omnibus nota est*, transponunt. Neque huc presse pertinet, quod collectiva auctor in clau-

non potest? Quid, si efficio, ut fateare, me non modo, quid sit voluptas, scire (est enim jucundus motus in sensu), sed etiam, quid eam tu velis esse? Tum enim eam ipsam vis, quam modo ego dixi[6]; et nomen imponis, in motu ut sit, et faciat aliquam varietatem[7]: tum aliam quamdam summam voluptatem,

sula ponere amat; quippe quod magis de clausula sententiæ, quam simplicis enuntiati, valeat. Sed sunt tamen loca, quæ hunc positum vel sic defendant, v. c. Verr. III, 58, 134: « nisi rem tam notam esse omnibus et tam manifestam videres ». Nihil igitur mutandum judicamus, licet mirum sit, cur scribæ hunc positum, qui aures implet, deseruerint. G.

6. *Quam modo ego dixi.* Gœrenz delet *modo ego*. Vulgata, inquit, lectio Ernestium non sine omni causa commovit, ut *tum* priorem in *tu* mutaret; vidit enim *ego* sic languere: quamquam, ut recte Brem. notat, per se quidem pronominum oppositione nihil opus sit. At codd. nostri vv. *modo ego* vehementer suspectas reddunt. Spir. enim et Eil. *quam modo dixi ego*: Gud. 2 et Bas. *quam dixi modo ego*: Vien. *q. ego modo dixi*: solus Gud. 1 vulgatam retinet. Ex his non solum patet, VV. DD. reliquos scriptorum suorum varietatem neglexisse, sed etiam vere ex glossa a scribis esse turbatum. *Ego* libenter abjicies; si vero in *modo* dubitaris, hoc reputandum est, ita paucis verbis ante voluptatis definitionem præmitti, ut mirum sit, si auctor ipse *modo* addiderit, quum ipse adhuc verborum sonus in Torquati auribus hæreret, quæ *modo* se dixisse testetur. Judicio igitur in his vocibus expellendis egisse nobis videmur.

7. *Et faciat aliquam varietatem.* In his non nihil offendimur. Erat hoc Epicuri præceptum, Οὐκ ἐπαύξεται ἡ ἡδονὴ ἐν τῇ σαρκὶ, ἐπειδὰν ἅπαξ τὸ κατ' ἔνδειαν ἀλγοῦν ἐξαιρεθῇ, ἀλλὰ ποικίλλεται, vide Κυρίων δοξῶν XVIII. Neque hic aliter verbo ποικίλλεσθαι, nisi de indolentia, i. e. voluptate *stabili*. Atque sic quoque supra Torquatus, I, 11, 38, « omnis autem privatione doloris putat Epicurus terminari summam voluptatem: ut postea variari voluptas, distinguique possit, augeri amplificarique non possit ». Ad hæc quum auctor hoc libro II respondet, vituperat hic quidem vocem *varietas*, quæ non in motu dicatur, et sic pergit 3, 10: « ista varietas quæ sit, non satis perspicio, quod ais, quum dolore careamus, tum in summa voluptate nos esse: quum autem vescamur his rebus, quæ dulcem motum afferant sensibus, tum esse in motu voluptatem, qui faciat varietatem voluptatum, sed non augeri illam non dolendi voluptatem ». Cum his si hæc nostra verba contuleris, videbis obscurius auctorem ex nimia brevitate loquutum esse, quum vellet esse quam maxime perspicuus. Quum enim voluptas movens tota in varietate cernatur, addit ista verba ad voluptatem stabilem respiciens, quam modo expositurus erat, hoc pleno sententiæ nexu: « partim enim voluptatem eamdem mecum, nempe jucundum motum in sensu, statuis, eamque proprio nomine, in motu esse, dicis: partim aliam

cui addi nihil possit; eam tum adesse, quum dolor
omnis absit, eamque stabilem appellas. Sit sane ista 76
voluptas. Dic in quovis conventu, te omnia facere,
ne doleas. Si ne hoc quidem satis ample, satis honeste
dici putas; dic te omnia et in isto magistratu, et in
omni vita, utilitatis tuæ causa facturum, nihil nisi
quod expediat, nihil denique nisi tua causa: quem
clamorem concionis, aut quam spem consulatus ejus,
qui tibi paratissimus est, futuram putes[8]! Eamne rationem
sequare[9], qua tecum ipse, et cum tuis utare,
profiteri autem, et in medium proferre non audeas?
At vero illa, quæ peripatetici, quæ stoici dicunt, semper
tibi in ore sunt. In judiciis, in senatu[10], «offi-

in non dolendo, eamque omnium maximam, ponis, stabilemque appellas, quæ a voluptate illa, quam in motu dicis, varietur aliquo modo». G. — Nobis sensus esse videtur: Nunc voluptatem vocas eam, quæ jucundus motus est in sensu, et quæ variari potest, quia sc. ex diversis causis oritur: nunc voluptatem vocas, aliam quæ non variatur, quia non causis externis indiget, quam quidem stabilem appellatis, et quæ adest, quum omnis dolor absit.

8. *Putes!* Alias hac in structura *putas* dici solet, ut habere Bas. a correctore notatur. Vulgata tamen proba est, et optativo sensu accipienda. G.

9. *Eamne rationem sequare*. Gœr. scrib. *eamne rat. igitur seq.* Ita, inquit, Erl. et Spir. ut quæstio sit, an vere Pal. 1 *sequere* offerat, quod Davisius recepit. Male: nam tum scribendum etiam *audebis* fuerit. *Sequare* est ἕποιο ἄν. Brem. deinde *igitur*, quod a vulgatis abest, quodque jam Davis. loco eodem nobiscum reposuerat, post *eamne* transtulit Eliensis 2, E. et ξ. auctoritate: sed nulla nostrorum. Quid autem mirum, si scribæ verborum collocationem ad ipsorum captum mutant? Sæpe *igitur* altius reponitur; vide nos ad Acadd. II, 8, 23, cll. Fin. I, 18, 61. Attende denique ad constructionem; et videbis auctorem consulto sic verba collocasse, ut *profiteri*, etc. ad *eamne rationem* commodius aptari posset. Inusitatiorem autem locum hanc omittendæ particulæ occasionem præbuisse putabis, quam etiam Ernestius non agnoscit. Omissa part. locus languidior redditur.

10. *Semper tibi in ore sunt. In judiciis, in senatu.* Recte Ern. ante *in jud.* puncto distinxit; quod non debebat Brem. ut ante, in virgulam mutare. Plene hæc ita expresseris: «et in judiciis et in senatu nihil loqueris, nisi officium, etc.» Pronuntiatione ea adjuvari debent, μιμητικῶς expressa. Copulam autem ne desideres, sæpius eam auctor sic inter substantiva, adjectiva, adverbia, omittit. Ceterum prætorem urbanum cogitabis, qualis tum erat Torquatus; et ea, quæ se-

cium, æquitatem[11], dignitatem, fidem, recta, honesta, digna imperio, digna populo romano, omnia pericula
77 pro republica, mori pro patria » : hæc quum loqueris, nos barones stupemus[12]; tu videlicet tecum ipse rides. Nam inter ista tam magnifica verba, tamque præclara, non habet ullum voluptas locum, non modo illa, quam in motu esse dicitis[13], quam omnes urbani, rustici, omnes, inquam, qui latine loquuntur, voluptatem vocant; sed ne hæc quidem stabilis, quam, præter vos, nemo appellat voluptatem.

XXIV. Vide, ne non[1] debeas verbis nostris uti,

quuntur, pro locis communibus habebis, ad quæ hic, quum judiciorum præses, tum senator, suam judicandi consulendique rationem regebat. G.

11. *Æquitatem*, etc. Lambino placet *æquitas, dignitas, fides*. — *Omnia pericula pro republica*. Idem legendum *omnia pericula adire pro rep.* putat.

12. *Nos barones stupemus*. *Barones* nostri omnes. Rath. scribi *varones* jubet. Nobis non liquet. Sive enim codices sequare; omnibus quinque Ciceronis locis, in quibus hæc vox legitur, ita hi titubant, ut nescias, *barones*, an *varones*, aut *varrones* scripseris: sive ad VV. DD. judicia te applices; nihil efficis, nisi ut incertior abeas: sive denique propriam tibi viam aperire tentaris; in bivium illud, vel etiam trivium (nam versus ille Lucilianus, « Varronum ac rupicum squarrosa incondita rostra », et alia id genus, suam quamdam auctoritatem habent), vel invitus recides. Quod si nostrum qualecumque judicium quæris, omnes has tres scribendi rationes vocis, ex rusticæ plebeculæ ore desumptas, apud diversos auctores pro re nata ferri posse putamus. Illam, quasi asperatam, priscæ ætati adscripserim, atque inde etiam nomen *Varro* ipsum derivarim; posteriore autem, pro cujusque pronuntiationis ratione, aut *varonem* aut *baronem* scriptum esse. In inscriptionibus certe millies *b* pro *v*, et vice versa, legitur. Quid? nomen ipsum *Varro*, *Barro* scribitur; cf. Rube Philologiæ Numismatico-Latinæ Specim. I, pag. 4. Nemini res mira videri debet, qui de latino digamma accuratius cogitavit. G.

13. *Quam in motu esse dicitis*. Hæc verba quum ab Eliens. 1 abessent, Davis. pro glossa habet ex supra positis § 75, *in motu ut sit*, addita. Sed sæpe in talibus addendis, quæ ex contextu ipso pateant, auctoris diligentiam notavimus: et duplex *quam* omissionis errorem, ut Brem. recte vidit, peperisse putanda est. G.

XXIV. 1. *Vide, ne non*. Gœrenz scrib. *Vide igitur, ne non*. Hanc, inquit, part. primus Davis. e Pal. 1 et Eliens. 2 addidit, abjectam citra jus denuo ab Ern. sed recte Brem. revocatam probat. Præter E. ξ. reliqui Oxonn. et omnes quoque nostri eam, præter Gud. 2, exhibent. — Int. vide an rectum sit te uti iisdem sermonibus ac nos utimur, quum tamen nobis contraria sentias.

sententiis tuis. Quod si vultum tibi, si incessum fingeres, quo gravior viderere[2], non esses tui similis: verba tu fingas, et ea dicas, quæ non sentias, aut etiam, ut vestitum, sic sententiam habeas aliam domesticam, aliam forensem, ut in fronte ostentatio sit, intus veritas occultetur? Vide, quæso, rectumne sit. Mihi quidem eæ veræ videntur opiniones[3], quæ honestæ, quæ laudabiles, quæ gloriosæ, quæ in senatu, quæ apud populum[4], quæ in omni cœtu concilioque proferendæ sint[5]: ne id non pudeat sentire, quod pudeat dicere.

Amicitiæ vero locus ubi esse potest, aut quis ami- 78
cus esse cuiquam, quem non ipsum amet propter ipsum? Quid autem est amare, e quo nomen ductum amicitiæ est[6], nisi velle bonis aliquem affici quam

2. *Quo gravior vider.* Cogitandum, *quam vere es;* quod in prægresso *fingeres* latet. Paucis interjectis conjicit Davis. *verba ut fingas*, et interpunctionem mutat: sed, ut Brem. docuit, prave. Nec melius est, quod inferius *vestem* malit Lambinus: auctor enim « vestitum induere, mutare, etc. » G.

3. *Mihi quidem eæ veræ videntur opiniones.* Gœrenz scribit *hæ*. Sic, inquit, tacite jam Davis. scripsit, nec aliter duo Oxoun. quatuor nostri, editique vett. cum Mars et Crat. plane multi.

4. *Apud populum.* Spir. *ad populum.* Per se quidem non male: sed quum codd. reliqui et Erl. quoque *apud* servent, ex neglecta compendii lineola *ad* orta lectio videtur. Eodem modo corruptum locum puta Ligar. 10, 31: « Sed ego ad parentem loquor ». Bini nostri *apud;* atque ita ibi repones. G.

5. *Proferendæ sint.* Gœr. scribit *sunt.* Ita, inquit, omnes nostri. Davis. e Pal. 1, ut ait, Eliens. 1 et Scalig. *profitendæ* edidit. De Pal. 1 falli videtur, nec quidquam Grut. monet, nec nostri illi bini a vulgata discedunt. Recte vulgatum *proferendæ* Ern. melius judicat.

6. *E quo nomen ductum amicitiæ est.* Gœr. scribit *e quo nom. ductum est amic.* Ita, inquit, Erl. et Spir. Reliqui nostri, cum Davisii septem, ut hic etiam edidit, *amicitiæ ductum est:* nec aliter vett. excusi editique ante Grut. omnes. Probabile igitur est, hunc sic in Pal. 1 suo legisse, sed notare id oblitum esse. Nihilo secius tamen lectionem hanc verissimam judicamus. Addita enim sic ex auctoris more *amicitiæ*, pæne otiosa et παρέλκουσα vox est, quum facile ex præcedentibus intelligatur. Si auctor ex Davisii ratione scribere voluisset, haud dubie pron. addidisset, « ex quo nomen ipsum amicitiæ ductum est ». Ratio in enuntiati simplicis natura quærenda est.

maximis, etiamsi ad se ex iis nihil redeat[7]? Et quidem prodest, inquis, mihi eo esse animo[8]. Immo videri fortasse. Esse enim, nisi eris[9], non potes. Qui autem esse poteris, nisi te amor ipse ceperit? quod non subducta utilitatis ratione[10] effici solet, sed ipsum a se[11] oritur, et sua sponte nascitur. At enim sequor utilitatem. Manebit ergo amicitia tam diu, quam diu sequetur[12] utilitas : et, si utilitas amici-
79 tiam constituet, tollet eadem. Sed quid ages tandem, si utilitas ab amicitia (ut fit sæpe) defecerit[13]? Relin-

7. *Etiamsi ad se ex iis nihil redeat?* Gœr. dat *etiamsi ad se nihil ex his redeat*. Ita, inquit, e Spir. et Erl. pro vulgato *ex iis nihil*. *His* præterea Bas. E. veteresque impressi multi exhibent. Ceterum vel nudis auribus hic, quem nos sequuti sumus, positus probatur.

8. *Et quidem prodest, inquis, mihi eo esse animo.* Gœr. scribit *inquit*, notatque : Haud raro mireris, quomodo vera se lectio per vulgatam servarit, ita penitus scripti diffluunt. Quod h. l. in *et quidem* valet; cujus loco Spir. et Erl. simplex *quidem* servant. Gud. 1, U. et χ. cum Victorio nihil nisi *quid* referunt : solus Bas. vulgatam agnoscere videtur; nisi quod cum Ven. 1494, *inquit* ignorat. Gud. 2 denique cum multis et scriptis et editis, *quidem* delet, *et* retenta : atque ita, ne VV. DD. otiosas conjecturas referamus, Davisius edidit. Sed verissime se habent istæ particulæ, in diverbiis admodum frequentatæ; cf. Matthiæ Miscell. philoll. II, 1, p. 102; cll. Acadd. II, 17, 53. Ceterum pró vulgato *inquis* cum Davisio et Bremio *inquit* dedimus, tribus quoque nostris ita jubentibus. Abjectum nos quidem verbum hoc mallemus, nisi frequentius a scribis deleretur, quam addi sciremus.

9. *Esse enim, nisi eris.* Int. etenim non potes esse eo animo, nisi vere sis amicus.

10. *Subducta utilitatis ratione.* Vox *subducta* Nonio debetur, ad v. *subducere :* nostri quoque vel *subdubia*, vel *dubia* simpliciter peccant. Sed illud verissimum esse ne dubites; cf. supra § 60 : « Quid? fortes viri voluptatumne calculis subductis prælium ineunt? » G.

11. *A se* valet *sua vi*, *per se;* cf. Tusc. III, 17, 37, « et oriatur a se, et rursus ad se revertatur ». Græci sic ἀφ' ἑαυτοῦ ponunt. Male igitur plures scripti cum Gud. 1 *ex se*, ut ediderunt Davis. et Brem. Sed quum Erl. et Spir. *ad se* peccent, scribendum *ab se* videtur; cf. Orat. 1, 10, 45 : « dicendi ab se ». Pison. 38, 92, « ab se esse dimissos ». G.

12. *Sequetur.* Errat Ern. si Davisium sic primum edidisse putat; est scriptorum et editorum, quos novimus, omnium. In sola Gruteriana, et his quæ inde fluxerint, *sequitur* legitur; sed ex typographorum haud dubie vitio. G.

13. *Sed quid ages tandem ... defecerit?* Offendes forte in *Sed*, quum in his disjunctivæ locus esse nullus

quesne? quæ ista amicitia est? Retinebis? qui convenit? Quid enim de amicitia statueris, utilitatis causa expetenda, vides[14]. Ne in odium veniam, si amicum destitero tueri[15]. Primum cur ista res digna odio est, nisi quod est turpis[16]? Quod si, ne quo incommodo afficiare, non relinques amicum : tamen, ne sine fructu alligatus sis, ut moriatur, optabis. Quod si non modo[17] utilitatem tibi nullam afferet, sed jacturæ rei familiaris erunt faciundæ, labores suscipiendi, adeundum vitæ periculum : ne tum quidem te respicies, et cogitabis sibi quemque natum esse, et suis voluptatibus? Vadem te ad mortem tyranno dabis

videatur; immo eadem notio variatis verbis repetatur. Et sane contra loci rationem fuerit, si in ea vim posueris, quum pondus sententiæ in verbis *quid* et *defecerit* insit. Elliptica autem h. l. ut sæpe *Sed* est, et sic contexta cogitanda : « Sed aveo scire, utrum tu tandem, utilitatem sequendo, acturus sis? si amicitiam relinques, non hæc solum, sed omnis amicitia tollitur : si retinebis, tecum pugnabis ». Nihil autem dicit Ern. si pro *defecerit*, *dissederit* suadet. Proprie enim dicitur, « ab alicujus amicitia deficere » : cui dicendi formæ accommodate auctor h. l. per προσωποποιΐαν loquutus est. G.

14. *Quid... statueris, utilit. causa expetenda, vides.* Recte defendit Bremius verba *utilitatis... expetenda*, damnata a P. Man. Lamb. et Dav. qui ipsa in El. 2 non deprehendit. Oliv. quoque ea omisit; sed contra nostros codd. omnes. Neque bene omitti possunt, si recte auctoris morem tenueris. Respondetur enim his ad illa, quæ Torquatus supra dixerat, I, 20, 66 : « ut enim virtutes, sic amicitiam non posse a voluptate (quam ibi jam *utilitatem* vocat) discedere ». Videtur autem interpretibus verborum collocatio ea suspecta fecisse. Sed hæc ipsa plana ex more Ciceronis est. Sic enim posita verba notant, « quoad ... expetenda sit ». G.

15. *Ne ... tueri.* Hæc verba, quæ diverbiorum signis distinguenda fuerunt, sic cum prægressis cohærent : « Num forte ideo eam retinebis, ne destituto amico in odium incurras ». G.

16. *Nisi quod est turpis?* Hæc lectio soli Pal. 1 debetur, cui e Davisianis Eliens. 2 consentit. Ita quoque nostri Spir. Erl. et Gud. 1. Reliqui scripti cum prius vulgata, « Numquid est turpe, nisi quod est », quæ nihil est. G.

17. *Quod si non modo.* Gœr. scribit *Quid? si non modo.* Recte, inquit, Brem. *Quid?* ex Oxonn. ξ. dedit, quum prius *quod* legeretur : atque ita e nostris Spir. et Erl. ut Grut. hanc lectionem in Pal. 1 neglexisse videatur. Aperta est gradatio. Sine scriptis ferri tamen vulgata potuerit, quamquam est languidior.

pro amico, ut Pythagoreus ille fecit Siculo[18] tyranno? aut Pylades quum sis, dices te esse Orestem, ut moriare pro amico? aut, si esses Orestes, Pyladem refelleres, te indicares? et, si id non probares, quo minus ambo una necaremini, non precarere[19]?

80 XXV. Faceres tu quidem, Torquate, hæc omnia. Nihil enim arbitror magna laude dignum, quod te prætermissurum credam aut mortis, aut doloris metu. Non quæritur autem, quid naturæ tuæ consentaneum sit, sed quid[1] disciplinæ. Ratio ista quam

18. *Ut Pythagoreus ille fecit Siculo tyranno?* Gœr. dat *ut Pythag. ille Siculo fecit tyranno.* Ita, inquit, ex Gud. 1 et Bas. recepimus: vulgatur, *fecit Siculo tyranno.* Grut. et Davis. bina hæc ultima verba abjici jubent, eaque Brem. vere cancellis cohibuit. Ern. *tyranno* certe abesse malit. Erl. *Siculo* ignorat: unde illorum sententiæ pondus quoddam addi videatur. Sed ex recepta a nobis lectione omnia bene coeunt. Nam ita distinctius ponitur, ut statim lectoris animus ad Dionysium illum dirigatur. Quod autem *tyranno* quasi παρέλκει, de eo supra sæpius diximus: additum est tamquam contextus complementum omnibus in linguis usitatum. De re ipsa cf. Tusc. V, 22, 63, et Off. III, 12, 16, ibique intt.

19. *Quo minus ambo ... necaremini, non precarere?* Offenderunt in his VV. DD. In animum enim sibi induxerunt, his verbis notari, « nonne precarere, ut ambo simul necaremini ». Huic sententiæ convenienter suadet Davis. « quo vos ambo necaremini, comprecarere? » Quod recte displicet Bremio, qui vulgatam ferri posse dicit, hoc sensu accommodato: « si probare non posses, te Orestem esse, malles simul cum Oreste mori, quam precari, ne », vel « quo minus ambo necaremini ». Hæc etsi quidem non satis intelligimus, falsa tamen esse certum est. Contexta sic capies: « Si tibi non placeret amicum refellere te indicando, nonne precarere (ut ambo viveretis), alias enim ambo una necaremini »: alter nempe aliena manu, alter sua ipsius; quum sine amico vivere nolis. Respicit auctor Orestem Pacuvii, cf. Læl. 7, 24, ex quo infra V, 22, 63, ipsa verba laudantur, « ambos ergo una vivere precamur ». Putant quidem hæc quoque VV. DD. corrupta, sed nos vide infra l. l. G. — Nobis Gœr. errare videtur in interpretatione verbi *probares.* Sensus esse videtur: Et si hoc probabile non fecisses te verum esse Orestem, nonne precarere ut non ambo una necaremini, unus saltem servaretur? nedum faceres quod duo illi amici, qui simul occumbere voluerunt.

XXV. 1. *Non quæritur autem, quid ... quid.* Bas. *non autem quær.* Prave: est enim eadem structura, quæ in *non est autem* Divin. II, 54, 110; Off. I, 20, 68, etc. Deinde Spir. et Erl. duplex *quod* referunt; idque non contemnendum, si *id* cogites: atque sic ad contexta adeo melius. G.

defendis, præcepta quæ didicisti, quæ probas, funditus evertunt amicitiam; quamvis eam Epicurus, ut facit, in cælum efferat laudibus. At coluit ipse amicitias. Quasi quis illum neget[2] et bonum virum, et comem, et humanum[3] fuisse. De ingenio ejus in his disputationibus, non de moribus quæritur. Sit ista in Græcorum levitate perversitas, qui maledictis insectantur eos, a quibus de veritate dissentiunt. Sed quamvis comis in amicitiis tuendis fuerit, tamen, si hæc vera sunt[4] (nihil enim affirmo), non satis acu-

2. *Quasi quis ... neget.* Gœr. dat *quis quæso... negat.* Quatuor, inquit, meorum optimi, *quis quasi ... negat:* nec aliter alii aliorum. Quintus Gud. 1, certe cum tribus Oxonn. *negat* refert, ut contra Mars. simplex *quis quasi* refert. *Neget* autem an in ullo codice legatur, dubito. Tot codd. vestigiis resistere non potuimus, quin *quis quæso ... negat*, suadente sic jam Davisio, corrigeremus, quum vel supra 2, 6, eadem prorsus ratione peccare codd. vidissemus, quumque similiter sæpissime Cicero, v. c. infra IV, 26, 72, « quis istud, quæso, nesciebat »; ubi æque scripti *quasi* peccant. At displicet sic legi Bremio: frigere hic inde locum dicit. Nos frigus sane nullum sentimus.

3. *Comem, et humanum.* Gud. 1, Bas. et E. qui *commune*, et Gud. 2, qui *commendatum* exhibent, vitii quid in his suspicari faciunt. Si quid peccatum est, ex compendio puta: nam *coēm*, *communem* scribis notat. Ponitur autem sæpius hæc vox de amico, cf. Læl. 18, 65: « Simplicem et communem et consentientem, qui rebus iisdem moveatur, eligi par est ». Cato Maj. 17, 59, « et ceteris in rebus comem erga Lysandrum atque humanum fuisse, et ei quemdam conseptum agrum, diligenter consitum, ostendisse ». Ubi Græv. ex binis suis item *communem* edidit, et nostri itidem bini *commune* referunt. Quodsi ibi recte; hoc nostro quoque loco sic edendum est: nam utrobique *humanum* comes additur. Sed si ita correxeris, tum item paucis post, « quamvis communis in amicitiis tuendis », necessario scribendum erit (repetitur enim bis adjectivum præcedens), licet nullum ibi corruptæ lectionis vestigium appareat, nec recte etiam sic dici posse videatur. Nihil igitur h. l. mutamus, idemque altero quoque loco placet. Ceterum eadem ipsa verba Spir. et Erl. transponunt, « quamvis comis fuerit in am. t. » quæ series vulgatæ præferenda videtur. G.

4. *Si hæc vera sunt.* Hæc interp. gallicus refert ad verba *quamvis ... fuerit*, vertitque: *S'il est vrai qu'il ait été fidèle en amitié (car je n'affirme rien là-dessus).* In quo bis errare nobis videtur, primo, quod *comis* per v. gallicam *fidèle* verti non potest: secundo, quod quæ de amicis Epicuri narrabantur certa esse debebant, nec in dubium venire: ita ut vv. *si hæc vera sunt* respiciant ad opiniones Epicuri, quibus amicitiam ad utilitatem referri debere dicit. Sensus est:

81 tus fuit. At multis se probavit. Et quidem jure fortasse[5]; sed tamen non gravissimum est testimonium multitudinis. In omni arte, vel studio, vel quavis scientia, ut in ipsa[6] virtute, optimum quidque rarissimum[7]. Ac mihi quidem, quod et ipse bonus vir fuit, et multi Epicurei fuerunt, et hodie sunt[8], et in amicitiis fideles, et in omni vita constantes, et graves, nec voluptate, sed officio consilia moderantes, hoc videtur major vis honestatis, et minor voluptatis. Ita enim vivunt quidam[9], ut eorum vita refellatur oratio.

Etiamsi concederem veras esse has opiniones (nihil enim affirmo), tamen non fuit acutus, qui profiteretur amicis suis, se in amicitia solam utilitatem sequi.

5. *At multis se probavit. Et quidem jure fortasse.* Hoc loco, inquit Gœr. diverbiorum signa addenda fuerunt (sic : — *At m... se prob.—Et*, etc.), quum vulgo ante *Et quidem* male colo interpungatur. Ceterum pro *jure* multi et codd. et vett. impressi *in rem* referunt. Sed Spir. et Erl. et ipse contextus vulgatam tuentur. *Se probavit* est, « se in amicitia probandum laudandumque exhibuit ». Ex quo autem semel *in re* peccatum esset, tum scribæ casum ad qualemcumque sensum accommodarunt.

6. *Ut in ipsa virt.* Ern. ex conjectura Davisii nihil necessaria, *ut in ipsa virt.* edidit. Nec melius est, quod idem *quavis* cum eodem deletum malit. Tum *scientia*, pro *doctrina*, *disciplina*, positum foret, quum nusquam bene Latinis nostrum *Wissenschaft* (*une science*), sed simpliciter *Wissen* (*la science, la connaissance certaine*), valeat. Ad *scientiam hanc* autem refertur etiam virtus, quatenus addiscitur. Nam Partitt. 22, 76 : « Virtutis est vis duplex, aut enim scientia cernitur, aut actione ». G.

7. *Optimum quidque rarissimum.* Exhibent quidem scripti nonnulli *quodque*; sed horum pronn. discrimen vide ad Acadd. II, 16, 49, « me tibi primum quidque concedente ». Deinde recte delevit Ern. *est*, quod in vulgatis ad clausulam additur, sed in proverbiali brevitate ab auctore omitti solet. G.

8. *Fuerunt, et h. sunt.* Cum Lamb. malim *et fuerunt, et h. s.* Ita enim auctor hac in forma ubique; frequenter etiam hæc prior *et* a scriptis abjicitur. G.

9. *Ita enim vivunt quidam.* Forte *quidem* conjici malis : nam præcessit *multi*, et frigere quodammodo *quidam* videtur. Exornare conjecturam inde liceat, quod haud raro sic *quidem* in clausula ponitur, ut *sane* notet. Cf. Acadd. II, 40, « et teneamus hoc verbum quidem ». Pronomen autem sæpissime cogitandum omittitur; ut facile sic contextus pergat, « hi multi ita sane vivunt, etc. » Sed hæc in universum addita puta h. s. « Nam ita solent quidam vivere, etc. » Alias enim, nisi omnia nos fallunt, auctor orationem ad Epicureos non solum qui *sunt*, sed etiam qui *fuerunt*, accommodasset. Facile tamen apparet, *quidam* dici mitius, quum, si ista tempora, et Epicureos Romanos noris,

Atque ut ceteri existimantur dicere melius[10], quam facere, sic hi mihi videntur facere melius, quam dicere.

XXVI. Sed hæc nihil sane ad rem. Illa videamus, 8
quæ a te de amicitia dicta sunt. E quibus unum mihi videbar ab ipso Epicuro dictum cognoscere[1]: amicitiam a voluptate non posse divelli, ob eamque rem colendam esse, quod sine ea tuto, et sine metu vivi non posset, nec jucunde quidem posset[2]. Satis est ad hoc responsum[3]. Attulisti aliud[4] humanius horum

recte *maximam partem* scribere auctor potuisset. G. — Certe hæc *ita enim* ... *quidem* non ad vituperationem, sed ad laudem pertinent, quod nescimus an Gœr. intellexerit.

10. *Existimantur dicere mel.* Gœr. transp. *dicere existim. melius.* Ut in vulgg. scribitur, inquit, scribere Cicero non potuit, quum vis sententiæ non in *existimantur*, sed in *dicere* lateat, quippe cui *facere* opponatur, et deinde invertatur enuntiatio. Jure igitur Spir. Erl. Bas. et Gud. 1, sequendi fuerunt.

XXVI. 1. *Cognoscere.* Ern. *agnoscere* suadet. Sed satis hunc verbi *cognosc.* usum, quod pro *agnoscere* dicitur, ad Acadd. II, 1, 1, ell. ibid. 27, 86, etc. docuisse videmur. G.

2. *Quod sine ea tuto, et sine metu vivi non posset, nec jucunde quidem posset.* Hoc ultimum membrum *nec j. q. p.* Gœrenz delevit. Hæc, inquit, verba, quum in pluribus codd. non legerentur, dudum VV. DD. pro glossemate habuerunt. Absunt eadem a Gud. 2 et Bas. Matthiæ contra sic legi malit, « et si sine metu non posset, nec jucunde posset » : addita *si* ante *sine*, et *quidem* deleta. Apte etiam monet, excidere illa ob duplex *posset* facile potuisse. Plene olim ab hac eleganti conjectura stetimus : nunc hæc nos ad diversa trahunt. Primum respexit auctor ad illum Epicuri locum, Κυρ. Δοξῶν XXIX, ἀσφάλειαν φιλίας μάλιστα κτήσει δεῖ νομίζειν συντελουμένην. Quod si est (de quo dubitari nequit, quum et auctoritates suas Cic. in Epicuri philosophia plerumque ex hoc libello repetat; quumque hic ipse locus supra I, 20, 68, afferatur); parum recte ista verba auctoris putabis. Huic si addideris, scribarum id maxime esse, ut notiones intermedias suppleant, atque hoc in genere pleraque glossematum longiorum omnia numerari debere; sique denique videris, eadem ipsa sua sponte intelligi, et nescio quid habere, quod a Ciceronis dicendi ratione peregrinum sonet : haud casui simpliciter tribuendum videtur, quod pluribus in codd. desiderantur. Hæc sat gravia nos commoverunt, ut ea deleremus. Conf. etiam de Fin. I, 20, 66.

3. *Satis est ad hoc responsum.* Sic ea accipienda sunt, ut sufficienter hanc Epicuri amicitiæ expetendæ rationem refellisse se dicat, quum utilitatem fundamentum parum honestum esse docuerit, quo amicitia niteretur, § 78 et 79. G.

4. *Attulisti aliud.* Gud. 1 *aliquid*, quod pro *aliud aliquid* bene dictum putari debet, cf. ad Acadd. II, 10,

recentiorum, nunquam dictum ab ipso illo[5], quod sciam : primo utilitatis causa amicum expeti; quum autem usus accessisset, tum ipsum amari propter[6] se, etiam omissa spe voluptatis. Hoc etsi multis modis reprehendi potest, tamen accipio quod dant[7]. Mihi enim satis est, ipsis non satis[8]; nam aliquando posse

30, etc. atque ita restitues ex uno nostro, et pluribus aliorum, qui *aliquid* peccent, Agrar. I, 8, 26 : « neque aliquod negotium exstiterit ». Hoc autem contextu, vel ex industria mutasse librarius putari potest. G.

5. *Ab ipso illo*. Erl. et Spir. *ab illo ipso* transponunt; ut nuper Schütz. suasu Ernestii, Att. IV, 1 mutavit. Sed non rectius, quam h. l. quum utrobique in *ipso* vis sit. Cf. Orat. I, 58, 247 : « Nam ipsum quidem illud ». Ibid. II, 78, 317 : « si in ipso illo gladiatorio vitæ genere ». III, 32, 129 : « Ipse ille Gorgias in illo ipso libro » ; in quo loco utrinsque positus ratio cerni potest. G.

6. *Amari propter se*. Gœr. scrib. *am. per se*. Ita, inquit, nostri omnes, bini Oxonn. veteresque editi plerique : ut dubitari nequeat, vulgatam *propter* hujus glossam esse. Cf. Heusing. ad Off. II, 12, 6. Ita plane Græci. De re vide supra l. l. I, 20, 69.

7. *Etsi multis modis ... tamen accipio quod dant*. Primo referunt Spir. Erl. et Gud. 2, *etiamsi*, quod ad contexta melius foret, nisi statim *etiam* præcessisset. Et tamen sic auctorem scripsisse judicamus, quippe qui in particularum repetitione minime sit ea religiositate, quali vulgo ipsum credunt. Ita *etiam* ter repositam vide Acadd. II, 19, 62. Bis sæpe; cf. Legg. III, 2, 4; Acadd. II, 4, 10. Adde, quod prior *etiam* h. l. *adeo* notat, atque ita non proprie eadem redeat. Deinde quærendum est, anne Cic. *multimodis* scripserit, ut sæpe Lucretius pro *varie* dicit, quum in Pal. 1 *multimode* perhibeatur? G. — Postea idem Gœr. in Additamentis : *Multimodis* legitur singulis quoque locis apud Plaut. Terent. et Cornel. Nep. Similiter apud Lucret. *omnimodis* frequentatur, quod nuper ex Gronovii codice, Divv. III, ep. 13, Schütz. loco vulgatæ *omnino* recepit. At nusquam (si locum ex veteri poeta exceperis, Orat. III, 58, 218) deprehendes apud Ciceronem, nec hæc, nec adjectiva *multimodus*, *omnimodus*, licet ejus generis sint, ut sæpe iis ponendis locus esset : ut hic ejusmodi compositionem damnasse videatur. Inde igitur in solius Palatini 1, *multimode* lectione, cum qua ne Spir. et Erl. quidem consentiunt, immorari nobis parum licebat. — *Dant* denique ex Pal. 1, receptum auctoritate sua Spir. et Erl. firmant : alias ex reliquorum scriptura *dat*, malueris cum Mead. E. et ξ. *datur*.

8. *Ipsis non satis*. Habent forte hæc quædam, cur quibusdam auribus minus placeant. Ex solito sane more auctor *non item* scripserit, sed ita etiam alibi. Orat. 64, 216 : « Animo istud satis est, auribus non satis ». Cogita græca ἐμοὶ μέν τοι ἀρκεῖ, αὐτοῖς δὲ οὔ. Quum autem Latini *non* sic in clausula haud ponant, repetita vox est. Similia sunt, « tu quidem ista potes, ego non possum, etc. » G. — Int. ut nobis videtur : mihi satis est, ut

recte fieri dicunt, nulla exspectata, nec quæsita[9] voluptate.

Posuisti etiam[10], dicere alios, fœdus quoddam inter 83 se facere sapientes, ut quemadmodum sint in se ipsos[11] animati, eodem modo sint erga amicos; id et fieri posse, et sæpe esse factum, et ad voluptates percipiendas maxime pertinere. Hoc fœdus facere si potuerunt, faciant etiam illud, ut æquitatem, modestiam, virtutes omnes per se ipsas gratis diligant. At vero[12] si fructibus[13], et emolumentis, et utilitatibus amicitias colemus, si nulla caritas erit, quæ faciat amicitiam ipsam sua sponte, vi sua, ex se, et propter se

probem eos parum sibi constare : iis oon satis est : nam si semel concedunt aliquid recte fieri posse sine quæsita voloptate, cur ex hoc directo noo concludunt amicos per se ipsos amari posse, vel io priocipio?

9. *Quæsita.* Spir. et Erl. *exquisita* referuot. Solet anctor *exquirere* pro simplici *quærere* dicere, et haud ita raro adjectiva iisdem præposs. composita juoguntur, v. c. « excoltus atque expolitus, excussus et exhaustos, etc. » sed ejusmodi exempla sine necessitate augenda ooo sunt. G.

10. *Etiam. Etiam* ex Pal. 1, cum quo, præter God. 2, oostri faciunt omnes. Possit tameo olim volgata *autem* ferri, qoum sit transeuntis, et *porro* valeat.

11. *In se ipsos.* God. 1 et Bas. *ipsi in se ipso*, unde probabiliter saoe, *in se ipsi* conjeceris : in hac enim structura, Ciceronis propria, scribæ fere mutant. De re vide I, 20, 70. G.

12. *At vero si . . . dubium est, quin . . . anteponamus?* Forte scribendum est, *An vero, si*, etc. Datur quidem alia expediendi ratio, si *dubiumne* legeris, qoum bini apud Davis. *non* præbeant : sed io hoc omisso vix scribæ peccarunt. *Ne* antem hoc loco, ot alias solet, ab anctore ipso omissom putare, nescio quid noo Ciceronianum sonat : io Seoeca aliisque recte tuleris. Nihil aotem mirum sit, si scribæ *An* in *At* motariot, tot ioterjectis, qoibus particulæ vis obscurabator. Vice versa *At* pro *An* certissima conjectura scribendum N. D. I, 30, 84 : « At sioe nomioibus sunt! » est enim diverbium. Ceterum sic *vero* levi irooiæ, ot sæpe, inserviet. Cf. Philipp. VI, 2, 4 : « Facile vero huic denuntiationi parebit, ot io patrum cooscriptorum atqoe in vestra potestate sit, qui In sua non fuerit! » Pessime vulgo ibi interrogandi signum pooitur. G. — Sed idem, io Additamentis, mutata senteotia, addit : Sine justa causa his io verbis hæsimus, parum attenti ad *non* præcedens, tecteque pro *nonne* ioterrogans. Ita, hac io oppositione, item tecte rogans *dubium est*, ferri jure optimo potest. *At* deinde, sic interrogaotem, vel his io libris recurrere meminimus; etsi raro id fieri exemplo fateodum est.

13. *Fructus*, suot reditus; *emolumenta*, quæ stodio et labore nobis

expetendam: dubium est, quin fundos et insulas[14]
84 amicis anteponamus? Licet hic rursus ea commemores, quæ optimis verbis ab Epicuro de laudibus amicitiæ[15] dicta sunt. Non quæro, quid dicat, sed quid convenienter possit rationi[16] et sententiæ suæ dicere.

Utilitatis causa amicitia est quæsita[17]! Num igitur utiliorem tibi hunc Triarium putas esse posse, quam tua sint Puteolis granaria[18]? Collige omnia, quæ so-

paramus; *utilitates* denique, commoda quævis, notione generali ex proprio auctoris more quasi collective addita.

14. *Insulas*. De *insulis* satis constat; sed notandum est, eas h. l. ob mercedem conductitiam nominari, quæ ex his larga possessoribus redibat: multos enim sæpe conductores unam habitasse certum est; atque inde ipsas Philox. gloss. συνοικίας vertit, et Att. XV, ep. 17, *mercedes insularum* expresse dicitur.

15. *De laudibus amicitiæ*. Tres optimi nostri cum Marso *laude* exhibent, quod nisi lectius dixeris, non minus certe probum est, licet vulgata frequentioris sit usus. G.

16 *Possit rationi*. Transponunt Gud. 2, Vien. Mars. Crat. pluresque editi vett. cum Oliv. *rationi possit*. Qui positus licet per se sit optimus, et auctori frequentatus; tamen quum *et* explicantis sit, eamque nos part. fere proxime ad explicatum addi viderimus, mutari quidquam noluimus. G.

17. *Utilitatis... est quæsita?* Non solum, inquit Gœr. incisi signa bis addenda fuerunt; sed transponendus etiam vulgatus ordo, *est quæsita*, in *quæsita est* auctoritate codd. præter Gud. 2, nostrorum omnium. Nec aliter Crat. et aliæ. Sic asseveratio bis inest, quam loci sententia requirit.

18. *Quam tua sint Puteolis gran.* Gœr. scrib. *quam si tua sint Put. gr.* notatque: Brem. cum Mureto, quem Lamb. Dav. Ern. sequuntur, *si* ad uncos damnavit, quamquam dubius, ut dicit, an sit admittenda, nec ne, i. e. plus se fecisse fatetur, quam debebat. Omnia redeunt ad *granaria* illa cujusnam recte dicantur; Torquatine, an aliorum: nam de ipsa vocis veritate jure dubitari nequit, probata per binos quoque nostros, et Marsum; quum *gramina*, ut reliqui scripti referunt, prorsus huc nihil pertineant. Ad Torquatum si ista referuntur, primum nos *sint* offendit; solet enim in tali contextu auctor verbum subst. omittere. Malis etiam pro ipsius more, « quam tua illa Puteolis granaria ». Deinde jure quæras, num Turquatus mercaturam frumentariam exercuerit; sique exercuerit, cur horrea sua Puteolis potius, quam Romæ habuerit. Hoc autem cave putes, Puteolorum nomine Puteolanum quoddam Torquati prædium intelligi; sic enim Latini non loquuntur. Neque sane probabiliter statues, ex prædiis suis, nescio quibus, Torquatum frumenta Puteolos in horrea nescio quæ sua congessisse: quot enim prius vaga conjectura ponenda sint, vides, antequam ad ejusmodi sententiam accedere liceat. At vero si cum Gronovio *granaria* sive publica, sive negotiatorum, qui Puteolis merca-

letis. Præsidium amicorum[19]. Satis est tibi in te, satis in legibus, satis et in mediocribus amicitiis præsidii[20]. Jam contemni non poteris. Odium autem et invidiam facile vitabis : ad eas enim res ab Epicuro præcepta dantur. Et tamen, tantis vectigalibus ad liberalitatem utens[21], etiam sine hac Pyladea amici-

turam faciebant, sive denique aratorum ex provinciis, Africa maxime, statueris (vocatur autem hoc oppidum Straboni, pag. 169, μέγιστον ἐμπορεῖον, coll. Cic. Att. V, ep. 11) : non solum *si* recte se habebit, sed verborum etiam positus aptissimus erit. Sic de frumentorum maxima vi, qualia non in unius privati hominis facultates cadit, locus capiendus est, quam Torquatus æque possidere fingitur, ut ille parva sorte contentus apud Horatium, Od. I, 1, 12 : « Quidquid de Libycis verritur areis ». Sed intelligi tamen maxime frumenta publica, quæ e decumis in hoc oppidum congesta, deinde ad varios usus diversis temporibus Romam subvecta sint, ex *tantis vectigalibus*, quæ sequuntur, quæque huc referenda sunt, vix dubitare licet. Vide paucis post, not. 21.

19. *Præsidium amicorum*. Id est : Pone primum *præsidium* quod *ex amicis* petitur.—Post hæc Gœr. lineolam posuit, ut elliptica horum verborum ratio statim oculis subjiceretur. Hoc modo plenam cogitabis sententiam : « In amicitiæ expetendæ rationibus præsidium amicorum ponitis ».

20. *Præsidii*. Gœr. scr. *præsidium*, notatque : Vulgata *præsidii* est ex regula. Sed scripti libri ad unum omnes, ut edidimus; et recte jam ante nos Brem. sic reposuit : ad omnes enim casus *satis* ponitur. Huc conferas Att. XII, ep. 50, « si satis consilium quadam de re haberem »; vide Ern. in Clave v. *satis* et Intt. ad Corn. Epamin. 4, 6 : « Abstinentiæ hoc satis erit testimonium ». *Contemni*, quod proxime subjicitur, ex solo Pal. 1 receptum, bini illi nostri confirmant. Prius editum *contemnere* inde derivandum, quod scribæ *præsidium* ad seqq. accommodarunt. Pressius autem Cicero ad Torquati verba respondet supra I, 20, 67, « odia, invidiæ, despicationes ». *Jam est*, « hac conditione quum ais ». G.

21. *Et tamen, tantis ... utens*. Abjecere VV. DD. a Grutero inde *non*, quæ olim post *tamen* edebatur. In Pal. 1, aliisque haud obvium; neque in binis nostris illis comparens. Recte : quamquam vix locum cepisse videntur, quem solus Rathius ingenue profitetur se non intelligere. Contexta hæc sunt : « Satis tibi in te, in legibus, in mediocribus amicitiis præsidii est, unde tibi a contemptu, odio, invidia caveris. Et tamen (si vel illa tibi non essent) si modo tantis illis, quæ dixi, vectigalibus liberaliter utaris, vel sine ista Pyladea amicitia, conciliata tibi multorum benivolentia, tectus tutusque eris ». *Vectigalia* autem de frumenti *decumis* dici, si vel doctum de his P. Burmanni libellum ignoraris, abunde ex tertia Cic. Verrina intellexeris. Respici igitur ad illa *Puteolis granaria* vix dubitari posse videtur. Quumque illa vox de privatorum reditibus non dicatur, *granaria publica* cogitanda esse, pari conse-

tia[22], multorum te benivolentia præclare et tuebere, et munies[23]. At quicum joca, seria, ut dicitur, quicum arcana, quicum occulta omnia? Tecum optime; deinde etiam cum mediocri amico. Sed fac ista esse non inopportuna[24]: quid ad utilitatem tantæ[25] pecuniæ? Vides igitur, si amicitiam sua caritate metiare, nihil esse præstantius; sin emolumento, summas familiaritates prædiorum fructuosorum[26] mercede superari.

quentia colligitur. Ceterum male fecit Grut. quod *libertatem*, licet idem etiam optimi nostri referant, ex compendii similitudine natom, pro *liberalit.* reciperet. G. — Vertit Interp. gallicus perinde ac si Cic. laudaret h. l. liberalitatem Torquati, quod nobis minos placet, qoam ea a Gœr. sopra exhibita interpretatio.

22. *Hac P. am.* Ea revocat quæ in fine c. 24 de hac amicitia dicta sunt.

23. *Etiam sine hac Pyladea amicitia... munies.* Pro *etiam* Gœr. dat *eis*, notatque: Olim edebator *iis etiam*; Davis. autem et Ern. retenta *etiam*, *iis* abjecerunt; Brem. admissom cancellis coercuit: dubius hic tamen hæret, sane ferendum sit per ἀνακόλουθον. Prius quærendom erat, qoo jore *etiam* poneretur. Nam hanc part. scripti plerique, nostrique omnes ignorant: atque ea sane non tam omitti a scribis, quam addi solet. Sique verborum sententiam accuratius quæras, otiqoe molesta erit, *Pyladea* enim *amicitia*, *intima* quæque dicitur, eique supra *mediocres amicitiæ* opponontur. Quid igitor h. l. *etiam*, i. e. *adeo* (nam sic ot acceipias, positus ejus cogit), opus est? Deoique scripti eum multis vett. impressis, non *iis*, sed *eis*, Spir. et Erl. *eam*: prave nempe scribs pronomeo ad *liberalitatem* retulit. — At *eis* propter *multorum benivolentia* locum habere neqoit! Ita certe Brem. Sed hic non vidit, in *beniv.* latere ablativos consequentiæ, dicique pro *benivolentia* (inde) *conciliata*. Vide ad Acadd. II, 1, 2; ibid. 9, 27. Sæpe denique pronomina demonstrativa cum vi sic addi, in volgus notum est. G.—Prorsus nobis videtor Gœr. constroctionem hojus phraseos ex arbitrio suo contorqoere, quum nihil necesse sit ea motare qoæ per se facilia et clara sont.

24. *Inopportuna.* Spir. et Erl. *inportunæ*, ceteri nostri *imp.* Sed servaot jam Marsus et Crat. volgatam, a Lambino ex conjectora editam; itemqne Pal. 1, si quidem recte Grutero fides est habenda, quum bini nostri dissentiant; cf. Orat. III, 5, 18. G.

25. *Quid ... pecuniæ?* elliptica forma, a græco τί πρὸς ...; repetita, frequens auctori est, demptaque rogatione *nihil ad* sonat; cf. Legg. I, 2, 6.—*Tantæ* antem *pecuniæ*, i. e. *granariorum Puteolis:* nam « pecuniæ nomine, non solum numerata pecunia, sed omnes res, tam soli, quam mobiles, et tam corpora, quam jora, continentor ». Verba hæc suot Hermogeniani L. 222, D. de verbb. et rerr. signif. G.

26. *Prædiorum fructuosorum.* Vulgabatur ante Davis. *pretiosorum:* sed recte hic ex suis, qood nostri omnes firmant. Nec aliter Marsus et vett. impressæ plores. Crat. « præd. pretio-

Me igitur ipsum[27] ames oportet, non mea, si veri amici futuri sumus.

XXVII. Sed in rebus apertissimis nimium longi sumus[1] : perfecto enim et concluso[2], neque virtutibus, neque amicitiis usquam locum esse, si ad voluptatem omnia referantur; nihil præterea magnopere dicendum[3]. Attamen[4], ne cui loco non videatur esse responsum, pauca etiam nunc dicam ad reliquam orationem tuam.

Quoniam igitur omnis summa philosophiæ[5] ad beate 86

sorum et fructuosorum »; glossa nempe sie juncta est cum glossato. Ernestium, qui jejuna ex ratione ad prius vulgatum post Oliv. rediit, apte reprehendit Brem. *Merces* enim est, quæ ex *fructibus* prædiorum redit. G.

27. *Me igitur ipsum.* Gœr. scribit *me ipsum igit.* Vulgata, inquit, est a Grut. quem Ern. et Brem. sequuti sunt, ex Pal. 1. Sed prave; retinent reliqui et scripti et omnes editi ordinem verborum eum, quem reduximus, quum sit ad hæc contexta aptior. Vide supra ad I, 18, 61.

XXVII. 1. *Sumus.* Spir. et Erl. *fuimus :* sed vulgata auctoris usui magis respondet. G.

2. *Perfecto ... concluso.* De his verbis in disputatione adbibitis exemplorum silvas eollegit Mencken. Obss. in *perficere*, et *concludere*. G.

3. *Nihil præterea magnopere dicendum.* Gœr. addit *est* ante *magnop.* Vulgata, inquit, male *est* ignorat, quod ex binis illis nostris, aliisque tum scriptis, tum vett. excusis, restituimus : necessario enim ad loci asseverationem requiritur. Dedit deinde Davis. *magno opere ;* nec aliter Gud. 2. Sed, quamquam alibi sic auctor : hoc certe loco id nihil est.

4. *Attamen.* Gœr. *ac tamen.* Sic, inquit, cum Spir. et Erl. pro *attamen* dedimus, ut, hoc nexu, ubique fere Cicero, vel *et tamen*, scribit, *ac*, vel *et* pro *sed* posita. Solent autem tum scribæ *ac tamen* in *attamen* corrumpere. Cf. Orat. III, 9, 35 : « discipulos dissimiles inter se, attamen laudandos », corrigas ex optimo cod. a nobis collato, *ac tamen* ; ibid. 18, 66 : « Accedit, quod orationis etiam genus habent fortasse subtile, et certe acutum, sed, ut in oratore ... obscurum, inane, jejunum, attamen ejusmodi, quo uti ad vulgus nullo modo possit ». Schütz. mutavit ex ingenio *ac totum ;* sed *ac tamen* corrigendum; ut idem hic recte fecit Orat. 2, 6; cf. 8, 26.

5. *Omnis summa philosophiæ.* Dubitamus, anne potius Spir. et Erl. sequendi sint, qui transposite *summa omnis* referunt. Non quidem ut *omnis* ad *philosophiæ* referatur; nam sæpius auctor *summa communis ;* et Fin. V, 14, 38 : « in homine autem summa omnis animi est, et in animo, rationis ». Immo *summa* in his aliisque locis id dicitur, « quo summa res redit, quodque quaque in re primum præcipuumque est ». Inde vis in substantivo magis, quam in adjectivo quærenda videtur. Neque ullum locum

vivendum refertur, idque unum expetentes homines se ad hoc studium contulerunt, beate autem vivere alii in alio, vos in voluptate ponitis; item contra, omnem infelicitatem in dolore[6]: id primum videamus, beate vivere vestrum quale sit. Atque hoc dabitis, ut opinor, si modo sit aliquid, esse[7] beatum, id oportere totum poni in potestate sapientis. Nam, si amitti vita beata potest, beata esse non potest. Quis enim confidit semper sibi illud stabile[8] et firmum

tenemus, ubi huic voci hac in sententia adject. collectivum præmittatur. Sed forte sic scripsit auctor, ut adjectivi ambiguitas vitaretur. G.

6. *Item contra, omnem infelicitatem in dolore.* Gœr. dat *item contra, miseriam omnem in dolore.* Sic, inquit, ut Davis. ex suis edidit, nostri omnes, præter Gud. 2, qui cum vulgata, ad quam Ern. relapsus est, « omnem infelicitatem in dolore », exhibet. Locum omnem de glossa suspectum Th. Bentleius fecit. Brem. quoque hæc omissa malit, quum in seqq. de vita modo beata sermo sit, hæc igitur prorsus in superfluis addantur: abjudicata tamen Ciceroni non vult, quippe qui interdum duo illa sic opponat, ut in seqq. nonnisi de altero sermo sit; eamque in rem laudat supra I, 12, 41, ubi nos vide. Sed hoc etiam loco nec Bentl. nec Brem. recte attenderunt. Agitur enim a § 90, « quid de dolore dicemus? » ... § 99 sat multis *de dolore*, ex Epicuri sententia, *in miseria ponendo*, ut mireris, quomodo hic quis offendere potuerit, qui morem auctoris perspectum habeat, quo dispositionis ordo bis in sermonibus tegi potius, quam aperte indicari solet.

7. *Si modo sit aliquid, esse beatum.* Εἴπερ εἴη τι, εἶναι μακάριον, i. e. « si quidem beatitas vere in rebus expetendis sit ponenda ». De dicendi autem forma, *esse aliquid*, pervagatum est. Inde sane miramur Bremium, qui *esse*, ut superflue additum, contra Davis. defendit, a quo vv. *esse beatum* deleri jubentur. Omnia sunt ex ordine, et *esse* propter vim præmissum est, ut ubique solet. G.

8. *Semper sibi illud stabile.* Gœr. scrib. (deleto *illud*) *sibi semper stabile.* Ita, inquit, nos quidem edendum judicavimus. Spir. et Erl. *sibi semper id st.* Bas. *sibi sit semper.* Gud. uterq. *semper sibi illud*: atque sic vulgata; quam ex uno suorum Davis. in *semper illud sibi* mutavit, ut refert Venet. 1496. *Illud*, vel *id*, ex glossa additum esse, vaga ejus sedes prodit. Causam turbarum autem in *semper* postposito quærimus, quum in *sibi* auctor pondus esse voluisset, hac loci sententia: « Quis confidit, in sese exceptionem hanc valere, ut, quod natura sua fragile sit, id ipsi firmum contingat ». Hoc ita esse, intelligitur ex *suorum* paullo post cum vi in enuntiati clausula addito. Hic ipse autem sensus ut exsisteret, *sibi* ante *semper* ponendum erat. Ne alia ejusmodi loca excitemus, quæ haud raro obviam sunt, simili ratione *semper* postponitur, male ab Ern. deletum

permansurum, quod fragile et caducum sit? qui autem diffidet[9] perpetuitati bonorum suorum, timeat necesse est, ne aliquando, amissis illis, sit miser. Beatus autem esse in maximarum rerum timore nemo
potest. Nemo igitur esse beatus potest[10]. Neque enim 87
in aliqua parte, sed in perpetuitate temporis vita beata dici[11] solet; neque appellatur omnino vita beata, nisi confecta, atque absoluta; nec potest quisquam alias beatus esse, alias miser. Qui enim existimabit posse se miserum esse, beatus non erit. Nam quum semel est suscepta beata vita[12], tam permanet, quam ipsa illa effectrix beatæ vitæ sapientia; neque[13] ex-

Philipp. XI, 7, 16: « Nam extraordinarium semper imperium populare atque ventosum est ». Cf. Liv. V, 41, « nec ullum erat tempus, quod a novæ semper cladis alicujus spectaculo cessaret ».

9. *Diffidet.* Gœr. scrib. *diffidit*: Ita, inquit, nostri omnes; idque recte: nam si auctor *diffidet*, ut vulgatur, voluisset, idem paucis post *erit*, non *est* scripsisset: quamquam ipse in conclusionis consequentia futura amat. Ad nostrum quidem arbitrium, si locum formare liceret, « quis enim confidet ...? qui autem diffidit, etc. » scriberemus: sed in *confidit* scripti omnes conspirant.

10. *Nemo igitur esse beatus potest.* Omnes nostri *beatus esse*; nisi quod Gud. 2, cum Marso totum locum, ob duplex *potest* puta, ignorat. Et tamen videtur vulgatus ordo præferendus esse; idque partim ob positus vim; idem enim valet, ac si scriberetur, « nemo igitur esse potest, qui sit beatus »: partim ob variationem. Nihil igitur mutavimus. G.

11. *Dici.* Recte VV. DD. *dici*, quod Bas. et Gud. 1 habent, præferre: nam *duci*, quod Grut. recepit, quamvis scriptorum sit et multorum et probatorum, tamen rejiciendum est. Miramur autem Ratbium, qui, nisi *duci* legatur, turpem oriri tautologiam putet: nam prius enuntiatum ad distinctionem, « non in parte, sed in perp. temporis », spectat; posterius ad rem ipsam, atque inde *omnino* additur. Neque beatam vitam Epicurus in temporis perpetuitate ponebat. G. — Oliv. habet *duci*.

12. *Quum semel est suscepta beata vita.* Gœr. scrib. *quum suscepta semel est b. v.* Sic, inquit, omnes nostri, excepto Gud. 2, qui solus vulgatam refert, *qu. semel est suscepta*, etc. Offenderunt nempe scribæ in verborum positu, quum non viderent, vv. *beata vita* contextui modo adhærere; qua de re toties monuimus. Cf. Att. X, ep. 4, « res si cœpta semel fuerit ». Recte autem *suscepta* præmissum putabis, quum in eo sententiæ vis sit.

13. *Neque exspectat.* Mirificus sane Ratbius est, quum verbis, *neque exspectat*, *aliter* interseri velit, vulgatam sine sensu judicans. Sic hæc capienda sunt: « neque vita beata mortem ex-

spectat ultimum tempus ætatis : quod Crœso scribit Herodotus præceptum a Solone.

At enim[14], quemadmodum tute dicebas, negat Epicurus diuturnitatem[15] quidem temporis ad beate vivendum aliquid afferre, nec minorem voluptatem percipi in brevitate temporis, quam si illa sit sempi-
88 terna. Hæc dicuntur inconstantissime. Quum enim summum bonum in voluptate ponat, negat[16] infinito tempore ætatis voluptatem fieri majorem, quam finito atque modico[17]. Qui bonum omne in virtute ponit, is

spectat, ut permaneat ». Aliis verbis : « neque exspectanda, ex Solonis dicto, mors est, ut vitæ beatæ perpetuitate fruaris ». Προσωποποιΐαν nemo non videt. De Crœso denique quæ sequuntur, cf. Herodot. I, c. 32, quæque h. l. congessit Davis. G.

14. *At enim.* Ita verissime conjecit P. Manut. receperecque a Davisio inde interpretes ; nam *Etenim*, quod scriptorum veterumque editorum omnium est, ferri hoc nexu nequit. Est enim oppositio, ac licet quidem *et* sæpe *sed* valeat ; nusquam tamen simpliciter pro *at* ponitur : erratque Fr. Hensing. ad Off. III, 15, 12, si *etenim* unde pro *at enim*, *enimvero* dici putat, nulla copulæ vi obtinente, quæ etiam in disjunctione non cessat. Quare non probamus Hottingerum, si Divin. II, 69, 143, *At enim* corrigit, ubi *Etenim* pro *Sed enim* dicitur, atque negatio etiam præcedit. Hoc autem loco alia sunt omnia. *Etenim* tum retinere poteris, si ante *quemadmodum*, *quum* addideris, et *hæc... inconstantissime* in apodosi per ἀνακόλουθον dicta putes. G. — Lectionem *etenim* sic P. Manut. qui *at enim* suasit, oppugnat : Non reddit Noster rationem superioris sententiæ, quod beatam appellari vitam perpetuitate temporis dixerat ; sed apponit Epicuri opinionem, negantis diuturnitate temporis augeri beatam vitam : quod refellit infra in eo loco, « Hæc dicuntur inconstantissime ».

15. *Negat Epicurus diuturnitatem quidem ... nec.* Gœr. inserit *nec* ante *diuturnitatem*. Ita, inquit, referunt Spir. Erl. Gud. 1, Crat. hærebamusque jam olim part. *quidem* vitiosam judicantes, quum a vulgata *nec* prior abesset. Jubet etiam Rosa *quidem* deleri, ut fecit Lamb. At *nec* reposita, omnia optime coeunt. De structura *nego ... nec* alibi vidimus, v. c. Acadd. II, 47, 145. *Quidem* jam *sane* notat, ut quum alias, tum Acadd. II, 26, 82, docuimus. VV. DD. qui in illa constructione ubique offendunt, ad *nec* alteram, quum in quibusdam codd. desideraretur, ne attenderunt quidem.

16. *Quum enim ... ponat, negat.* Mire peccat Gud. 2, pro *quum*, *animo* exhibens. Sed nihil inde extricandum. *Quum* est *licet*, et ante *negat*, *tamen* cogitabis, quæ sæpe sic omittitur. *Ponat* autem optative capiendum. G.

17. *Atque modico.* Spir. et Gud. 1, *ac modico*, quod auribus magis arridet. G.

potest dicere, perfici beatam vitam perfectione virtutis[18]: negat enim summo bono afferre incrementum diem. Qui autem voluptate vitam effici beatam putabit, qui sibi is conveniet[19], si negabit voluptatem crescere longinquitate? Igitur ne dolorem[20] quidem. An dolor longissimus quisque miserrimus; voluptatem non optabiliorem diuturnitas facit[21]? Quid est igitur, cur ita semper Deum appellet Epicurus beatum et æternum[22]? Dempta enim æternitate nihilo

18. *Perfici beatam vitam perfectione virtutis.* Erl. *perspici*, quod forte Brem. arripuerit, qui hoc loco hæsit, velut in laqueo. Dubium enim esse negat, quin in prægressis, « is non potest dicere », interposita *non* legendum sit, quum Stoici, ad quos hic sermo pertineat, negarint, « perfici vitam beatam, perfici virtutem », quippe qui negarent summo bono afferre incrementum diem. Sed speciosius hæc dicuntur, quam verius. Non Stoici, *perfici virtutem*, sed *erescere*, negabant; cf. III, 15, 48: « sed quamquam negent nec virtutes, nec vitia, crescere : attamen utrumque eorum fundi quodam modo et quasi dilatari putant ». Quid? si virtute præditos Cleanthes τελειωθέντας, quique minus, ἀτελεῖς dixit? Nonne deinde virtus ipsa τελείωσις dicitur; cf. Laert. VII, § 89. Jam græca cogita, τελειοῦσθαι εὐδαιμονίαν τῇ τῆς ἀρετῆς τελειώσει; quorum si denuo sententiam quæsieris, nihil his notari nisi hoc videbis, « vitam tum vere beatam esse, quum perfecta adsit virtus ». *Perfectio* enim est *perfecta ratio;* vide quæ passim de substt. in *io* exeuntibus monuimus, v. c. Acadd. II, 19, 62. Sic recte additur, negari in summo bono incrementum, quod afferat dies. Cavet enim his suctor, ne præcedentia prave sic accipiantur, tamquam virtus tempore crescat.

19. *Qui* (quo modo) *sibi is conveniet.* Erl. et Spir. *is* ignorant, Gud. 1, *is sibi* transponit : unde suspectum videri pronomen debet. G.

20. *Igitur ne dolorem.* Ex præcedenti *negabit*, *dicet* cogitandum est, sc. *crescere longinquitate.* Quod auctori eo magis licebat, quum supra scribat II, 10, 30: « neget se posse ne suspicari quidem ».

21. *An dolor longissimus quisque miserrimus ... facit?* Similem huic locum non novimus : nam alias *an*, *si ... non ...?* vel, *an*, *quum ... non ...?* etc. struitur. Sed *si* haud raro subauditur. Deinde ne *est* desideres; solet hoc in ejusmodi epiphonemate omitti. G.

22. *Cur ita semper Deum appellet Ep. beatum et æternum?* Gœr. transp. *cur ita semper Deum beatum Ep. appellet, et æt.* Ita, inquit, Spir. et Erl. quum vulgo *appellet Epicurus beatum*, serie minus proba, legatur. Peccant in ejusmodi structura non scribæ solum, sed etiam VV. DD. Cf. Provv. Cos. 13, 33: « Itaque cum acerrimis nationibus, et maximis, Germanorum et Helvetiorum præliis, felicissime decertavit ». Ad hæc Ern. « Hoç rectum non est: cum nationibus et præliis

beatior Jupiter, quam Epicurus: uterque enim summo bono fruitur, id est, voluptate. At enim [23] hic etiam dolore. At eum nihili facit: ait enim se [24], si uratur,
89 « quam hoc suave! » dicturum. Qua igitur re a Deo vincitur, si æternitate non vincitur? In quo [25] quid est boni præter summam voluptatem, et eam sempiternam? Quid ergo attinet gloriose loqui, nisi constanter loquare? In voluptate corporis (addam, si vis, animi, dum ea ipsa, ut vultis, sit quod et in corpore [26]) situm est vivere beate. Quid? istam volu-

decertare ». Non sane est : sed quis sic construat ? Et *maximis* pertinet ad *nationibus* : rectius igitur interpunges. Verum autem nos ordinem reposuisse, vel inde conjicitur, quod Bas. vulgatam seriem servans, *et* ignorat : copulam nempe præcedens obliterati ordinis syllaba extruserat. Ceterum *Epicurus* h. l. nos offendit, quum statim idem hoc nomen sequatur, et reliqua loci textura eo abjecto concinnior evadat. Forte hoc insertum turbarum causa exstitit.

23. *At enim hic etiam dolore.* Sensus est objicientis : non parem rationem esse, quum Epicurus dolori quoque obnoxius sit, Jupiter non sit. G. — Pearcius deleri vellet voces *at enim*, ut ex sequentibus verbis *ait enim* natas, sed nullo bono allato argumento. — *At cum nihili facit.* I. c. at Epicurus dolorem nihili æstimat. — J. V. *Leclerc* dat *nihil* pro *nihili*, quod præbent cett. edd.

24. *Ait enim se.* Ignorant Spir. et Erl. *et*, et Crat. idem post *uratur* ponit. Eodem modo supra omissum est II, 15, 50 : « sine ea negat posse jucunde vivere ». Id quidem nos adegit, ut *se* cancellis coerceremus. Dictum autem Epicuri, quod sequitur, ad illum Phalaridis taurum spectat; cf. Senec. ep. LXVI, § 17 : « Epicurus ait, sapientem, si in Phalaridis tauro peruratur, exclamaturum, quam dulce est, et ad me nihil pertinet ». Cll. Tusc. II, 7, 17. G.

25. *In quo.* Recte sic primum Walkerus sequente Pearcio : scripti enim, veteresque editi omnes, *in qua*. Quid mirum, si scribæ non videbant, *in quo* esse, *nam in hoc* i. e. *deo*; atque sic relat. ad proximam *æternitatis* notionem aptabant. G. — Oliv. *in qua*.

26. *Sit quod et in corpore.* Gœr. scrib. simpliciter *sit e corpore*. Ita, inquit, dedit Davis. idemque plane præbent Spir. et Erl. ut probabile sit, in Pal. 1, non *et*, sed e legi. Vulgata refert, « sit quod et in corpore ». Quam ut recte Brem. corruptam judicat, ita lectionem, a nobis receptam, duram censet : non bene enim absolute, *esse e corpore*, dicit. Mavult igitur, « sit profecta a corpore » : sic enim N. D. I, 40, 11 : « Epicurique sententiam hanc esse : animi voluptates nasci e corporis voluptatibus, et ad eas redire ». Ne moneamus, sic magis optari, quam corrigi; duri etiam nihil in recepta inest. Nam quomodo « esse e natura, e more, ex usu, ex re, ex ratione, aliquid » auctori dicitur, ut id « consentaneum,

ptatem perpetuam quis potest præstare sapienti? Nam quibus rebus efficiuntur voluptates, hæ non sunt in potestate sapientis[27]: non enim in ipsa sapientia positum est beatum esse, sed in iis rebus, quas sapientia comparat ad voluptatem: totum autem id externum; et, quod externum, id in casu est. Ita fit beatæ vitæ domina fortuna, quam Epicurus ait « exiguam intervenire sapienti[28] ».

XXVIII. Age[1], inquies, ista parva sunt. « Sapientem locupletat ipsa natura »; cujus divitias[2] Epicurus

aptum, accommodatum naturæ, etc. » designetur : sic h. l. *esse e corpore* animi voluptas coarctata dictione dicitur, quæ profecta a corpore, ad idem refertur, cf. supra I, 17, 54. Videtur autem e scriptis veteribusque impressis doceri posse, quo modo sensim ista lectio corrupta sit. Oxonn. E. ξ. *sit quod est in*. χ. ψ. Gud. 2, *sit quod in*. Gud. 1, Bas. et Ven. 1493, cum pluribus Gruteri et Davisii *sit quod et, in* omissa. His accuratius consideratis, videntur verba, *quod est*, ex judicio scribæ super *sit* adscripta, quibus iste suam confirmantis sententiam, ut toties in codd. videre licet, adderet. In texta deinde quum relata essent, *est*, quum proxime redeat, partim in *et* mutatum, partim omissum : *e* autem vel abjecta, vel ejus loco *in* scripta. *In* denique scribæ fecere, ut ad *situm est* accommodarent.

27. *Hæ non sunt in pot. sap.* Gœr. transp. *sunt* post *in potestate*. Ita, inquit, Spir. et Erl. Acuitur sic negatio, cf. Philipp. VIII, 8, 23, « cui (P. Ro.) qui non paret, non ab eo mandata accipienda sunt, sed ipse est totus repudiandus ». Acadd. II, 17, 54 : « cur id potius contenditis, ut non suo quidque genere sit tale, quale est? » Aperte igitur, si contexta videris, meliorem verborum seriem sequuti sumus.

28. *Quam Epicurus ait « exiguam intervenire sapienti »*. *Quam* est, *quamquam eam*. Deinde transponit Gud. 2, *exiguam ait;* in quo duplici de causa non est contemnendum. Primum enim sic *exiguam*, in quo oppositionis vis inest, gravius pondus accipit : deinde amat auctor maxime accusativo cum inf. verbum finitum interponere; ne dicamus, frequenter *ait* enuntiato suo interseri solere. G.

XXVIII. 1. *Age*, *inquies*. *Age* concedentis est, ut pro Mil. 19, 49 : « Age, sit ita factum ». Prave igitur, post *inquies*, vulgata colon ponit. Sunt autem ista per μίμησιν expressa, ut etiam Rosa vidit. G.

2. *Cujus divitias Epicurus*. Vulgata post v. *Epicurus* addebat *ipse;* sed Davis. et Ern. pron. delerunt, quum multis in scriptis non compareret. Abest idem in nostris quoque, et Oxonn. omnibus; nec Brem. recte id sic revocasse videtur, ut *Epicurus* deletum malit. Nobis certe, « ipsa natura : cujus divitias ipse », minus placet : quamquam de pronominis vi recte monet. — At vel *Epicuri nomen* paucis verbis ante legitur! — Quod hoc loco movere neminem debet. Non

parabiles esse docuit. Hæc bene dicuntur; nec ego repugno: sed inter sese ipsa pugnant. Negat enim, tenuissimo victu, id est, contemptissimis escis et potionibus, minorem voluptatem percipi, quam rebus exquisitissimis ad epulandum [3]. Huic ego, si negaret quidquam interesse ad beate vivendum, quali uteretur victu, concederem; laudarem etiam: verum enim diceret; idque Socratem [4], qui voluptatem nullo loco numerat, audio dicentem, cibi condimentum esse famem, potionis sitim. Sed, qui ad voluptatem omnia referens, vivit ut Gallonius [5], loquitur ut Frugi ille Piso [6], non audio. Nec enim eum, quod sentiat, di-
91 cere existimo. Naturales divitias dixit parabiles esse, quod parvo esset natura contenta. Certe, nisi volu-

tamen abjicimus, si quis cum Nissen utramque vocem delendam statuat. Frequentissime enim his in libris Epicuri nomen cogitandum omittitur, v. c. cf. § 88, etc. *Cujus* est *et ejus*; et *parabiles*, *facili opera parandas*.

3. *Rebus exquisitissimis ad epulandum*. Ne putes ultima verba παρέλκειν. *Epulæ* sunt per se ciborum exquisitiorum; adductorque hæc, ut paria membra quasi exæquentur, quum opponatur, « contempt. escis et potionibus »: ubi *escas*, pro *cibis* simpliciter positum, ex auctoris, Celsi, paucorumque aliorum more putabis. G.

4. *Idque Socratem ... audio dicentem... Sed, qui ... non audio.* Gœr. notat: *Idque* est, *et id sane*; vide ad Acadd. II, 13, 42: « Socratem audio dicentem », id est, « Socratem probo, si dicit ». *Sed, qui* deinde debebat esse, *sed eum, qui*: at sæpe sic auctori ante *qui*, *is* omittitur. Apte Brem. laudat Tusc. V, 7, 20; Philipp. I, 15, 38; N. D. III, 14, 35. Add. Paradd. VI, 3: « Uter igitur est ditior, cui deest, an cui superat? » Eodemque modo *iis* rejiciendum Orat. III, 16, 60, quod Ern. addidit; locusque ipse rectius interpungendus. Inde nihil est, si Ern. ante *non audio*, *eum* addi jubet, transpositum putans, quum illud post *nec enim* commode abfuerit. Quod ipsum æque negamus: nam notat ibi, « talis quum sit, qualem dixi ». Malim potius *enim* deletam, quippe quæ a Spir. Erl. et Marso absit. Uncus certe meruit, quibus inclusimus; quum, si absit, *nec* vim accipiat, quam ex contextis requirit. Nostro loco scribæ quoque offenderunt: nam Bas. *quis*, God. 1, *quia* peccant. G.

5. *Gallonius.* De illo præcone, propter gulam famoso, vide supra cap. 8, § 24, not. 19.

6. *Frugi ille Piso.* L. Calpurnius Piso, *Frugi* cognomine dictus propter magnam temperantiam et morum austeritatem, fuit consul ann. ante Chr. nat. 145 et 143, et C. Gracchi inceptis obstitit. De eo cf. Tusc. III, 20.

ptatem tanti æstimaretis. « Non minor, inquit, voluptas percipitur ex vilissimis rebus, quam ex pretiosissimis ». Hoc est non modo cor non habere, sed ne palatum quidem. Qui enim voluptatem ipsam contemnunt, iis licet dicere, se acipenserem menæ non anteponere[7]. Cui vero in voluptate summum bonum est, huic omnia sensu, non ratione sunt judicanda; eaque dicenda optima, quæ sunt suavissima[8].

Verum, esto[9] : consequatur summas voluptates, 92
non modo parvo, sed per me nihilo, si potest; sit voluptas non minor in nasturtio illo, quo vesci Persas esse solitos scribit Xenophon[10], quam in Syracusanis mensis, quæ a Platone graviter vituperantur; sit, inquam, tam facilis, quam vultis, voluptatis compara-

7. *Qui enim voluptatem ipsam contemnunt ... non anteponere*. Brem. cum Th. Bentleio part. negativam deleri jubet, propter argumentationis seriem, qua hoc velit auctor : mirum esse, quod Epicurum pudeat, ea dicere, quæ vel istis dicere liceat, qui nihili voluptatem putent. Comparat etiam, quæ supra 8, 24, similiter dicuntur. Habent hæc suam probabilitatem quamdam, sed nullam correctionis necessitatem. Nam vel sic vulgata bene coit : qui enim voluptatem per se ipsam contemnunt, etiamsi his acipenser suavioris saporis, quam *mæna*, est, tamen dicere possunt, se illum huic non anteponere. Si vero auctor ex Bremii sententia scribere voluisset, tum, nisi plane fallimur, *Nam vel iis, qui*, aut similiter posuisset. G. — Hæc laudat Nonius in v. *Menæ;* nec abit a Tullii codicibus, nisi quod *voluptates ipsas* habet. Vide Nic. Heinsium ad Ovid. Fast. II, 578. DAV.

8. *Quæ sunt suavissima*. Ita Spir. Erl. Crat. aliique vett. editi plures. Reliqui nostri cum binis Oxonn. et Marso, *sint ;* quod Davis. ex suis edidit, probante Ernestio. Sed recte Brem. vulgatum tuetur. Adde quod est hæc enuntiatio comprehendentia: nam *que* colligit : sic conjunct. minus etiam valet. G.

9. *Verum, esto*. Si cum Pal. 1 et Eliens. 1 congruunt Spir. Erl. et, si accurate Alter, ut alias solet, contulit, Vien. Atque ita conjecit Lambin. Nec aliter ad marg. Crat. Reliqui codd. omnes, *verum ista modo*, quod nihil est. Est Platonis ἀλλ' εἶεν. Ita quoque paullo post, *per me*, quod Palatino 1 debetur, a nostris illis binis confirmatur : reliquis omnibus *ferme*, aut *firme* exhibentibus. Vitium ex eo tempore est, quo meris initialibus literis scribebatur. G.

10. *Nasturtio... quo Xenaphon*. Loca ad quæ in proximis respicitur, sunt Xenophontis in Cyrop. I, 11, 8, et Platonis Epist. VII, pag. 97, Bip. Hunc Cic. ipse latine expressit Tusc. V, 35, 101. G.

tio[11] : quid de dolore dicemus? cujus tanta tormenta
sunt, ut in his beata vita, si modo dolor summum
malum est, esse non possit. Ipse enim Metrodorus,
pæne alter Epicurus, beatum esse describit his fere
verbis : « Quum corpus bene constitutum sit, et sit
exploratum, ita futurum[12] ». An id exploratum cuiquam
potest esse[13], quo modo sese habiturum sit corpus non
93 dico ad annum, sed ad vesperam[14]? Dolor igitur, id
est, summum malum[15], metuetur semper, etiamsi
non aderit : jam enim adesse poterit. Qui potest igi-
tur habitare[16] in beata vita summi mali metus?

11. *Voluptatis comparatio.* Gœrenz transponit : *comparatio voluptatis.* Hoc ordine, inquit, scripti nostri omnes, atque ita quoque editi priores, quos vidi, omnes. Vulgatur *vol. comp.* Primum deprehendi hoc vitium apud Manutios. Davisius tacite ad veram verborum seriem rediit, a suis haud dubie scriptis item admonitus. Neque sane vis est in recto casu, sed in regente.

12. *Quum corpus... futurum.* Clemens Alexandr. Strom. II, p. 498 : Ὅ τε Μετρόδωρος ἐν τῷ Περὶ τοῦ μείζονα εἶναι τὴν παρ' ἡμᾶς αἰτίαν πρὸς εὐδαιμονίαν τῆς ἐκ τῶν πραγμάτων, Ἀγαθὸν, φησὶ, ψυχῆς τι ἄλλο ἢ τὸ σαρκὸς εὐσταθὲς κατάστημα, καὶ τὸ περὶ ταύτης πιστὸν ἔλπισμα; Sic et alii plures. Vide nos ad Tusc. II, 6. Davis.

13. *An id exploratum... potest esse.* Sententia sumpta ex Sophoclis versibus, in Trachiniis (vs. 960 sqq.), quam expressit etiam in Catone : Ὥστ' εἴ τις δύο ἢ καὶ πλείους τις ἡμέρας λογίζεται, Μάταιός ἐστιν· οὐ γὰρ ἔσθ' ἥγ' αὔριον Πρὶν εὖ πάθῃ τις τὴν παροῦσαν ἡμέραν. Ursin.

14. *Sed ad vesperam?* Gœr. scrib. *vesperum.* Sic, inquit, Spir. et Erl. rectius, cum uno Davisii, suppeditant : quod est eo majoris faciendum, quum jam, præter unum, nisi fallimur, locum, feminea hujus vocis flexio, a Cicerone aliena, scriptorum ubique auxilio, in hujus scriptis sublata sit : nam, qui alter locus Fin. III, 2, 8, laudari solet, is dudum ad meliores codd. correctus est. Restat igitur Catil. II, 4, 6. Sed vel hic addubitatæ fidei est, quum in editt. vett. pluribus *ad vesperum* legatur.

15. *Id est, summum malum.* Tres nostri meliores *id* ignorant. Scribæ scilicet non videbant, Ciceronem hæc ex Epicuri mente loqui. Notat autem « id est, quod (secundum Epicurum) nihil aliud est, quam ». G.

16. *Qui potest igitur habitare.* Brem. *igitur* ex præcedd. illatam, ejusque loco *autem* legendum judicat. At non movenda hæc part. erat, quum proxime ad *habitare* pertineat. Positum enim erat, « beatam vitam, si dolor summum malum esset, locum habere non posse. Id ipsum judicare Metrodorum, qui apud Epicureos pæne parem cum ipso Epicuro auctoritatem obtineat : cum enim ad vitam

Traditur, inquit, ab Epicuro[17] ratio negligendi doloris. Jam ipsum absurdum[18], maximum malum negligi. Sed quæ tandem ista ratio est? « Maximus dolor, inquit, brevis est ». Primum quid tu dicis, breve? deinde dolorem quem maximum? Quid enim? summus dolor plures dies manere non potest? vide ne etiam menses. Nisi forte eum dicis, qui simul atque arripuit, interficit. Quis istum dolorem timet? illum mallem levares, quo optimum atque humanissimum virum[19], Cn. Octavium, M. F. familiarem meum, confici vidi; nec vero semel, nec ad breve tempus, sed et sæpe plane[20], et diu. Quos ille, dii immortales[21]! quum omnes artus ardere viderentur, cruciatus

beatam corpus bene constitutum requirere, de quo certum sit, etiam in posterum id tale fore. At nemini certum esse posse, quomodo corporis constitutio vel ad vesperum futura sit. Dolorem igitur semper, si summum malum sit, metuendum esse. Nam si hic vel non sit, posse tamen subito adesse. Quum igitur res ita sit, non posse sempiternum summi mali metum in vita beata locum habere : ergo nec beatam vitam ipsam ». Ultimum enuntiatum auctor omisit, quum sua sponte ex prægressis sequeretur. Sæpius autem *igitur* repetite ponitur; cf. Topic. 4, 25 : « His igitur locis ... datur. Utrum igitur, etc. » G.

17. *Traditur, inquit, ab Epicuro.* Gud. 1 verba *ab Epicuro* non habet; neque sane ea valde desideres, si, quæ ad § 90 monuimus, tenueris: nisi ea inde loco vindicaris, quod brevi ante Metrodori auctoritas adhibita erat. Sed ob hanc ipsam consulto pass. positum videtur, ut ad communia Epicureorum hac de re præcepta respexisse auctor putari possit. G.

18. *Jam ipsum absurdum. Ipsum*, pro *id ipsum*, a Cicerone dici multis locis (conf. supra I, 15, 49, et Legg. II, 5, 12), comprobatur, recteque unde positum h. l. Brem. vindicat, Ernestio *id* addi jubente. Sat multa loca Ciceroni restitui debent, per intt. hujus usus ignaros corrupta, ex. gr. Orat. I, 7, 8, et 39, 134.

19. *Virum*, J. V. L. tacite omittit.— *Cn. Octavium.* In hunc, consulem ann. U. C. 677, et tum etiam, ob hoc ipsum arthriticum malum, fasciis devinctum, et multis medicamentis delibutum, vide Sicinii tr. pl. lepide dictum Brut. 60, 217. G.

20. *Sed et sæpe plane.* Peccant in his varimode et scripti et vett. editi : ita tamen, ut librarios in *plane* postposito hæsisse videas. Id autem hac de causa sic positum putabis, quod loci vis in oppositione cernitur. Ita quoque *non plane*, *non prorsus* dicitur, si in negatione vis insit; cf. supra II, 5, 17. G.

21. *Quos ille, dii immortales!* Gud. uterq. *Quos dii immort. ille*, atque sic Victor. Manutii, Lamb. Davis. A Grutero est nostra lectio,

perferebat? Nec tamen miser esse, quia summum id malum non erat, tantummodo laboriosus videbatur. At miser, si in vitiosa et flagitiosa vita [22] afflueret voluptatibus.

94 XXIX. Quod autem magnum dolorem brevem, longinquum levem esse dicitis [1]: id non intelligo, quale sit. Video enim et magnos, et eosdem bene longinquos dolores, quorum alia toleratio [2] est ve-

propagata per Ern. et Bremium, et per Spir. Erl. Mara. et Crat. confirmata; recepta est autem ab illo tacite. Bas. « Dii immortales, quos ille ». Qui ipse ordo per se quidem contemnendus non est. Explicari inde etiam liceat, cur in codd. nonnullis, v. c. Gud. 2, proxime ante *diu* exciderit. Sed ex hac triplici loci transpositione, non sine veri specie, « Quos, dii immortales, quos ille » conjeceris. Ceterum lectio a Davisio reposita, omnium minime probanda est. G.

22. *In vitiosa et flagitiosa vita.* Nostri omnes, serie mutata, *in flagit. et vitiosa v.* Quæ ipsa defendi recte potest, si *et* pro *et omnino* acceperis, ut sæpe dicitur. Simili ratione sæpius *flagitiosum et turpe* jungitur. In E. et ξ. vv. *et vitiosa* absunt; unde sane ipsa ex glossa irrepsisse putari liceat. Sed quum hi bini codd. ubique fere seorsim sentiant; facileque ex transpositione illa excidere potuerint; quumque denique auctor vel alias Tusc. I, 30, 72, « vitia et flagitia domestica » dixerit: in vulgata acquiescendum esse judicavimus. G.

XXIX. 1. *Long. levem esse dicitis.* Gœr. delet *esse*. Hoc, inquit, cum Spir. et Erl. abjecimus. Peccatur ab utraque parte; nam scribæ pariter, atque VV. DD. *esse* tum addunt, tum delent, ubi sic fieri partim auctoris usus, partim linguæ ingenium vetant; multiplexque in ea re et præceptio est, et cautio. Nos quidem, ne longius abeamus, hoc jam, in breve comprehensum, ponamus. *Levem esse dico*, addita modo ratione, cur quis levis judicetur, scribi recte licet. Contra vero *levem dico* tum, si simplici dicto aliquem talem pronuntio. Ratio est in asseverante vi verbi substantivi. Id quod magis etiam patebit, si *esse* postposueris. N. D. I, 14, 36, « æthera deum dicit esse », ubi male Ern. *esse* delevit. Cf. Off. II, 15, 7: « melius etiam, quod largitionem dixit esse ». Vide inferius 31, 102, ad verba, « quem se esse vult ». His præmissis, *esse* h. l. vel sine codd. auctoritate improbabis; valent enim hæc de simplici Epicuri dicto, Κυρίων δοξῶν IV; itaque delevi.

2. *Quorum alia toleratio.* Pro *quorum* refert Gud. uterque et Bas. cum quatuor Oxonn. editisque vett. multis, *quænam*. Ursini cod. *quædam*; ut ante Grut. editum est. Sed hic ex Pal. 1 *quorum* dedit, firmantibus idem Spir. Erl. et Crat. in margine. Recte: sic enim arctius contexta coeunt. Davisio etiam *toleratio* displicet, sed hic si *tolerandi ratio* suadet, meras glossatoris partes agit: sæpe enim de substantivorum in *io* apud Cic. vi egimus, qua rei ratio notatur. De v. *perfectio* modo vidimus § 88. Pluribus interjectis, « qui bonestatem ipsam

rior; qua uti vos non potestis, qui honestatem ipsam per se non amatis. Fortitudinis quædam præcepta sunt, ac pæne leges, quæ effeminari virum vetant in dolore. Quamobrem turpe putandum est, non dico dolere (nam id quidem est interdum necesse), sed saxum illud Lemnium clamore Philoctetæo[3] funestare:

Quod ejulatu, questu, gemitu, fremitibus
Resonando, multum [4] flebiles voces refert.

Huic Epicurus comparet se, si potest [5],

per se non amatis», i. e. «sectandam esse, vobis non placet». G.

3. *Philoctetæo*. Bremi tacite *Philocteteo* edidit: ad exemplum forte magistri, Tusc. II, 24, 56. At rediit Wolf. editione posteriore ad vulgatam *Philoctetæus:* idque rectissime. Nam a *Philoctetes*, *æ*, et *Philocteta*, illa adjectivi forma non datur, quæ in Socrates, Carneades, etc. et reliquis græcis tertiæ flexionis nominibus, ex regula est. Græca tacite loquuntur, Φιλοκτηταῖος, Σωκράτειος, etc. G. — De Philocteta; Herculis amico, in insula Lemno a Græcis per decem annos propter pestiferum morbum derelicto, omnia nota sunt.

4. *Resonando*, *multum*. Sic et Tuscul. II, 13. Alii, e codd. *Resonando mutum*, quod habent quoque vett. edd. complures: Ern. non constanter ediderat. Gœr. dedit *mutum*. Ita, inquit, reliqui nostri: sed Spir. et Erl. *mutu:* unde nobis in mentem venit, posse vetus esse substantivum, ut *natu*, etc. sed vaga in conjectura nihil licet immorari. Nonius certe et Isidorus adjectivum per onomatopœiam, quasi *mugitus* explicant. Haud parum autem præstat hæc lectio ei, quæ Tusc. II, 13, 33, in scriptis legitur: ubi idem locus plenior reperitur. Nam *multum*, etsi quidem ferri potest, tamen, cum nostra comparata, friget. Miramur igitur Bremium, qui *multum* reduxit. Nam quod verba, *flebiles voces refert*, sic nude posita, frigere dicit; in eo ἀναίσθητοι sumus. Neque sedes vocis nos offendit, vel in prosa probanda, quum *mutum* vim habeat. Locum, quem apte Rath. laudat, Divin. I, 50: «mutos sonos flebilium vocum refert», frustra quæsivimus. Ceterum conf. R. Bentleii Comment. ad Tusc. II.

5. *Huic Ep. comparet se, si potest.* Gœr. *Huic Ep. si pot.* Vulgatur, inquit, mera, et a codicum scriptura altius recedens Manutii correctio, «Huic Epicurus comparet se, si potest». Nam scripti plerique omnes ante *si*, *compe-tenter*, v. *compenter et*, v. *competentur* referunt, quorum primum e nostris Bas. et Gud. uterque: nisi quod Gud. 1 in marg. *alii comparentur*, addit, quod Marsus exhibet. Ursini liber, *comparet si quid potest*. Erl. *prætentet*, Spir. *protentet*, Palat. 1 (si plena Grutero fides), *Huic Ep. et si potest.* In his scribarum, loco, quem non capiebant, succurrentium, commenta qui non viderit, nihil umquam istis in

Cui viperino[6] morsu venæ viscerum
Veneno imbutæ tetros cruciatus cient.

Sit Epicurus Philocteta[7] : si gravis dolor, brevis. At jam decimum annum in spelunca jacet[8]. Si lon-

rebus videbit. Neque vix ulla et aptior, et tutior, ratio excogitari poterit, quam si, abjectis reliquis, ea solum verba retinueris, quæ constanter scripti omnes tenent. Quod ipsum recte vidit Rath. etsi in reliquis ab eo dissentimus. G. — Manutianam correctionem, ut egregiam, defendit Brem. et interpretatur « se alicui comparare », rem, « de qua litigare quis potest, cum aliquo componere »; quo sensu verbum illud Livio est familiare, ex. c. XXIV, 10. Davisius Manutii correctionem leviorem judicans, conjicit « huic Epicurus aiat, si potest... (Et infra) Aiat Epic. Philoctetæ ».

6. *Cui viperino.* Rath. suadet pro *cui*, *quum e* legendum, prout est Tusc. II, 7, 19, ubi idem locus legitur. Sed miramur primum, *quum* sic, Davisii exemplo, ad ipsa poetæ verba trahi : quum hæc potius ista particula ad reliquam orationem applicet. Deinde solet auctor poetarum loca haud ita raro sic afficere, ut eorum prima verba ad præcedentis sermonis nexum accommodentur. Denique consentiunt plene scripti in vulgata : ut vel sic correctio, haud necessaria, vetetur. G.

7. *Sit Epicurus Philocteta.* Gœr. scribit : *Sic Epicurus Philoctetæ.* Vulgatam, inquit, recte interpretes sensu cassam judicant. Rath. suadet : « Huic Epicurus : Philocteta, si gravis, etc. » *Huic* per se quidem optimum est; et vere versus hi aliquo modo παρενθετικῶς inseruntur. At longa via est, qua *Sit* in *Huic* mutatum dicitur : neque nobis sane ullum ejusmodi exemplum innotuit. Nec hoc placet, quod hac ratione *Philocteta* alloquentis sit : habet enim nescio quid non Ciceronianum. Melius suasisset, *huic Ep. Philoctetæ.* Sed *sic*, quam nos edidimus, est in Gud. 2, Bas. Ven. 1494, et Cameraria; et ubique cum *sit* confunditur. Notat autem, « tali conditione quum sit, quali eum hi versus fingunt ». *Philoctetæ* autem nostra sponte dedimus : nam scribæ videntur locum ita accepisse, ac si Epicurus Philoctetæ loco poneretur; atque tum non potuere, quin nominandi casum ponerent. Quod tamen sequentia non admittunt. Hoc modo leve anacoluthon exsistit, qualia in auctore sunt innumera; et ex quo maxime turbæ istæ repetendæ sunt : quumque proprie post versus istos, *huic* reponendum fuisset; efficacius *sic*, addito *Philoctetæ* nomine, scripsit. — Vulgatæ sensus : Si Epicurus Philoctetæ loco esset, dicet solatii causa : *si gravis dolor*, etc.

8. *At... jacet.* His et sequentibus diverbiorum signa addenda fuerunt. De re cf. Sophoclis Philoct. v. 311 : Ἔτος τόδ' ἤδη δέκατον ἐν λιμῷ τε καὶ Κακοῖσι βόσκων. Quæri autem operæ pretium videtur, unde hi versus, et hoc loco, et reliquis, quæ in Tusculanis quæstionibus de Philocteta, laudentur : quam rem usquam in quæstionem venisse, inde jure miramur, quoniam res ea magnum momentum in κρίσει facit. Eos Attii putare, cujus fabula ejusdem nominis passim citatur, verba minus prisca vix admittere videntur : sed forte antiqua eis vestis, ut solet, detracta esse po-

gus, levis: dat enim intervalla, et relaxat. Primum non sæpe; deinde quæ est ista relaxatio, quum et præteriti doloris memoria recens est, et futuri atque impendentis torquet timor? Moriatur, inquit. Fortasse id optimum, sed ubi illud, Plus semper voluptatis[9]? Si enim ita est, vide ne facinus facias, quum mori suadeas. Potius[10] ergo illa dicantur, turpe esse viro[11] debilitari dolore, frangi[12], succumbere. Nam ista vestra, «Si gravis, brevis; si longus, levis», dictata[13] sunt. Virtutis, magnitudinis animi, patientiæ, fortitudinis fomentis[14] dolor mitigari solet.

test. Contra vero eosdem Ciceroni adscribere, ut ex illa Sophoclis fabula versos, solum hoc prohibet, quod hic tum græcum poetam *ipsum* nominare solet. Sed nimis hæc etiam a verbis Sophocleis discedunt, cf. v. c. ad priorem locum Sophocl. Philoctet. v. 185-189. Hoc *inde* satis certum videtur, laudari his fabulam latini poetæ, quæ, quum adhuc ageretur, omnibus bene esset cognita. G.

9. *Plus semper voluptatis?* Hoc intt. explicandum prætermisere, licet non per se pateat. Statuebat Epicurus, cf. Diog. Laert. X, 140: αἱ πολυχρόνιοι τῶν ἀῤῥωστιῶν πλεονάζον ἔχουσι τὸ ἡδόμενον ἐν τῇ σαρκὶ, ἤπερ τὸ ἀλγοῦν. Quæ sic vertit Cic. Tusc. II, 19, 45: «dolor diuturnus habet lætitiæ plus, quam molestiæ». Proxima autem hæc ad supra, I, 19, 62, disputata respondent. Eodem etiam ea spectant, quæ paulo post sequuntur, *quum mori suadeas*. Nam *ibidem* est, «non dubitabit (sapiens), si ita melius est, migrare de vita». G.

10. *Potius*. Plures edd. vett. ad antecedentia referunt: sed vide quæ de hoc adverbio supra ad I, 16, notavimus. G.

11. *Turpe esse viro*. Gœr. scribit: *viri non esse*. Pal. 1, inquit, Spir. et Erl. *turpe viri non esse*; et Crat. æque in marg. *viri non esse*. Reliqui nostri omnes *viri*. Quis ex his non videt, vocem *turpe* olim ex glossa ad vv. *viri non esse*, adhæsisse, et deinde reliqua ad eam accommodata esse? Veram igitur auctoris manum restituimus, quam etiam Bremi suspicatus est; modo quod *in* media via perstitit.

12. *Debilitari dolore, frangi*. Alii distinguunt *debilitari, dolore frangi*. Victorius *debilitari, dolere, frangi*.

13. *Dictata*, i. e. *nihil nisi dictata*: nuda præceptoris verba, non re et veritate comprobata; cf. N. D. I, 26, 72: «ista enim a vobis quasi dictata redduntur, quæ Epicurus oscitans hallucinatus est». Pessime igitur Grut. *dictata virtutis sunt*. G. — *Dictata sunt*. Id est, dictari possunt, atque ut dicitur, de Orat. lib. I, cap. 23: «loquacitas sine usu, cantilena ex scholis».

14. *Fomentis*, etc. Simili ratione Tusc. II, 24, 59, «vera laus et honestas fomenta summorum dolorum» dicuntur. G.

96 XXX. Audi, ne longe abeam, moriens quid dicat Epicurus; et intellige[1], facta ejus cum dictis discrepare. Epicurus Hermacho[2] S. « Quum[3] ageremus,

XXX. 1. *Audi... et intellige.* Spir. et Erl. cum Pal. 1, *ut intelligas*, idque edidit Davis. E. et ξ. *et intelliges:* quod nos quidem præferremus, quum sic auctor ex more scribat; nisi hos binos codd. toties seorsim sentientes deprehendissemus. Est etiam hæc lectio quasi media, sic ut reliquarum quodammodo fons putari possit. G.

2. *Epic. Hermacho.* Gœr. scribit: *Epicurus Hermarcho.* In Erl. legitur, inquit, *Hermarche;* unde veram scripturam non potuimus, quin revocaremus. Sic enim hujus Epicuri successoris nomen in statua Herculanensi ænea, quæ faciem hominis superne expressam sistit, cf. *Antichità di Ercolano*, vol. V, tab. 17, et in libro nondum edito Philodemi περὶ ῥητορικῆς ex iisdem Herculanei ruinis eruto, clare scriptum legitur. Vide ejusd. tab. enarrationem, pag. 721, cll. Athen. Deipnos. XIII, cap. 53, et Schweighæuseri ad hunc adnott. VII, p. 165, et VIII, p. 514, Creuzerique commentation. de Causis rer. Bacchicar. I, p. 32. Ita quoque infra § 102, in scriptis est: Exemplum aliud quoddam hoc quoque addi potest, veram hujus nominis scripturam confirmans. Occurrit enim *Hermachus* alius quidam de Harusp. responss. 16, 34, his eadem § nominatus; ubi priore loco cod. quem nos contulimus, *h'marcho*, posteriore *armarchi*, et Oxon. ψ. expresse *Hermarchi* exhibet: ut dubitatio nulla sit, etiam eo loco sic esse reponendum. At quæritur, an hæc ipsa verba auctoris sint, nec ne. Nam primum epistola, quæ h. l. Hermarcho inscribitur, ad *Idomenem* data Laertio, X, 22, dicitur: deinde offendit etiam *inquit* mire primis epistolæ verbis interpositum. Has ipsas rationes judicamus, cur istas voces Rath. deleri jusserit. Si *Hermarchi* nomen ad hanc epistolam suspectum est, hac tantum de causa erit, quod Laertii auctoritas obstat. Alias enim in hoc scholæ suæ successore, et tot annis auditore, cui tantum in testamento tribuit, mirum esse non debet, si hoc vitæ die supremo literas absenti misit. Adde quod hujus nomine, epistolæ initio, omnes Epicureos alloqui videtur, ὑμᾶς scribens. Denique Metrodori liberorum, sub finem epistolæ, commendatio, ad neminem rectius pertinet, quam ad Hermarchum: quum contra mirum sit, quod eos Epic. vel Idomeni commendarit, quorum educationem et reliquam curam Amynomacho et Timocrati testamento sic tradidisset, ut hos cuncta ex Hermarchi auctoritate facere juberet. Quod autem, *inquit*, offendere potest, id inde fit, quod ejusdemmodi exemplum ignoramus: sed per se ipsum nihil h. v. habet, cur hæreas; optimeque verteris, « so schreibt er, genau übergetragen ». Jure autem, omissis verbis istis, hæseris, si plenam epistolam latine factam, non tamen eum nominatum, videris, ad quem data ipsa sit. Ex his, nihil hoc loco mutandum, sed fidem Ciceronis Laertiana majorem habendam esse, judicamus.

3. *Quum ageremus.* Apponamus plenam epistolam græce ex Laert. X, 22: Τὴν μακαρίαν ἄγοντες καὶ ἅμα τελευταίαν (sic recte Davis.) ἡμέραν τοῦ βίου, ἐγράφομεν ὑμῖν ταυτί. Στραγγουρία τε παρηκολούθει, καὶ δυσεντερικὰ

inquit, vitæ beatum, et eumdem supremum diem, scribebamus hæc : tanti autem morbi aderant vesicæ et viscerum[4], ut nihil ad eorum magnitudinem posset accedere[5] ». Ecce miserum hominem[6], si

πάθη, ὑπερϐολὴν οὐκ ἀπολείποντα τοῦ ἐν ἑαυτοῖς μεγέθους. Ἀντιπαρετάττετο δὲ πᾶσι τούτοις τὸ κατὰ ψυχὴν χαῖρον ἐπὶ τῇ τῶν γεγονότων ἡμῖν διαλογισμῶν μνήμῃ· σὺ δὲ ἀξίως τῆς ἐκ μειρακίου παραστάσεως πρὸς ἐμὲ καὶ φιλοσοφίαν, ἐπιμελοῦ τῶν παίδων Μητροδώρου. Vocem ὑμᾶς a Cic. quum reliqua tam religiose vertantur, non expressam miramur. Videtur ea post *scribebamus* ex comp. *us*, quo *vobis* scribitur, excidisse :· ea enim addita locus ipse auribus magis probatur. G.

4. *Tanti autem morbi aderant vesicæ et viscerum*. Gœr. scribit : « tanti autem aderant vesicæ et torminum morbi ». Ita, inquit, edendum esse judicavimus. Nam primum verborum ordo, quem sequuti sumus, in nostris est, præter Gud. 2, omnibus; ut sic auctor ad eum se græcorum verborum accommodasse videatur, quæ æque πάθη in clausula positum habent. Quod deinde *torminum* pro *viscerum* dedimus, in eo tam parum reprehendendi sumus, ut potius nobiscum mireris, cur, sic corrigendum esse, non dudum VV. DD. viderint. Quis enim sibi recte persuaserit, Ciceronem græca, δυσεντερικὰ πάθη, *viscerum morbos* vertere potuisse? Quum enim voce *viscera*, præter eam vim, qua omnem, quæ cute tegitur, *carnem* notat, eas modo partes corporis interni proba latinitas intelligat, quæ super abdomen sunt, quæque nobiliores vocantur : nullo modo ferendum est, *viscera* h. l. pro *intestinis* dici. Sed age, posse ita dici (licet alias auctor sic, se *ex intestinis laborare*, dicat Divv. VIII, ep. 26), quæ vaga ratio fuerit δυσεντερικὰ πάθη *viscerum morbum* vertere, quippe sub quo diversissimorum, diversissimas partes tentantium morborum turba intelligi possit? Injuriam sane haud parvam Ciceroni inferes, si eum sic scripsisse putaris! Quæ si, ut par est, reputaris, non de nihilo videbitur, quod Palat. 1, Spir. Erl. Veneti, quos Camerar. vidit, et Crat. in marg. *torminum* pro *viscerum* exhibent. — At respuunt VV. DD. hanc lectionem! — Inde scilicet, quod non attenderunt, *tormina* proprie de δυσεντερίᾳ dici. Ita quidem Plin. H. N. XX, et seqq. plus quam quinquaginta locis. — At male junguntur, *vesicæ et torminum morbi!* — Æque bene saltem, atque idem Plin. H. N. XXXII, 2, *torminum et vesicæ* mala jungit. Cf. præterea Tusc. II, 19, 45.

5. *Posset accedere*. Ita præter Gud. 2, nostri omnes : ut recte Davis. et Ern. in hoc tempore, pro vulgato *possit* reponendo. Bremi, vulgatum defendens, dicendum proprie ait auctori *potuisset* fuisse. At tum Epicurus, hæc scribens, non supremum diem in terris, sed primum ἐν Ἅιδου egisset. Ἀπολείποντα imperfecti æque participium esse atque præsentis potest. G.

6. *Ecce miserum hominem*. Gœr. *En mis. hom.* notatque : *Ecce* abjecit Dav. quum a Pal. 1 abesset. Ignorant idem Spir. et Erl. Neque sane Cicero in tali exclamatione, *Ecce*, sed *En*, ponit : putavimus igitur ita h. l. esse corrigendum; quum ex literarum etiam vicinitate facile pateat, quomodo *en*

dolor summum malum est. Dici aliter non potest. Sed audiamus ipsum : « Compensabatur tamen, inquit[7], cum his omnibus animi lætitia, quam capiebam memoria rationum, inventorumque[8] nostrorum. Sed tu, ut dignum est tua erga me, et erga philosophiam voluntate ab adolescentulo[9] suscepta,
97 fac ut Metrodori tueare liberos ». Non ego jam Epaminondæ, non Leonidæ mortem hujus morti antepono : quorum alter quum vicisset Lacedæmonios apud Mantineam, simulque[10] ipse gravi vulnere exanimari se videret; ut primum dispexit, quæsivit, salvusne esset clypeus? Quum salvum esse flentes sui respondissent : rogavit, essentne fusi hostes? Quumque id quoque[11], ut cupiebat, audivisset, evelli jussit eam, qua erat transfixus, hastam. Ita multo sanguine profuso, in lætitia et in victoria[12] est mortuus. Leo-

exciderit. Exclamationis autem particula h. l. vix recte carebis.

7. *Compensabatur tamen, inquit.* Gœr. qui transponit *inquit* ante *tamen*, notat : Ordo vulgatus quum in nullo nostrorum esset, quumque *tamen* postposita vim acciperet, qua vulgo caret : adsciscendam hanc meliorem seriem joris nostri esse vidimus. Ita quoque cum Marso et Crat. vett. impressi plures. Cf. supra, I, 2, 4 : « Synephebos ego, inquit, potius Cæcilii, aut Andriam Terentii, quam utramque Menandri legam? »

8. *Rationum, inventorumque.* Expressit auctor binis verbis, simplex διαλογισμῶν. Quum enim *rationum* presse vertisset, veritus, ne obscurius scriberet, explicationis causa *inventorum* addidit.

9. *Ab adolescentulo.* Quatuor nostri *ab adulescentulo* : solus Gud. 2, *ab adolescentia*. G.

10. *Simulque ipse.* Gœr. scribit : *atque ipse.* A vulgata, inquit, dissentiunt nostri quatuor, veteresque impressi cum Crat. plures, qui *atque* simpliciter præbent. Quatuor Oxoon. cum God. 2 et Veo. 1494, *simul atque.* Vulgata utramque lectionem junxit : nam *atque* verum est; *simulque* ex glossa, *simul* ante *atque* addita, coaluit. Addi *simul* a scribis, vidimus ad Legg. III, 4, 11. Pauci post tres nostri *dispexit* probant.

11. *Quumque id quoque.* Gœr. scribit : *quum id quoque. Que*, inquit, ignorant, præter Gud. 2, nostri omnes; quumque addita copula orationem languidiorem, et *quoque* ad nexum plene sufficientem, vidissemus, part. a tot codd. damnatam delevimus. De hoc Epaminondæ occasu cf. Divv. V, ep. 12.

12. *In læt. et in vict.* Spir. et Erl. *in lætitia et victoria*, altera *in* abjecta.

nidas autem, rex Lacedæmoniorum, se in Thermopylis, trecentosque eos, quos eduxerat Sparta, quum esset proposita aut fuga turpis, aut gloriosa mors, opposuit hostibus. Præclaræ mortes sunt imperatoriæ: philosophi autem in suis lectulis[13] plerumque moriuntur. Refert tamen, quod sibi videtur esse morienti magna laus[14]: « Compensabatur, inquit, cum summis doloribus lætitia ». Audio equidem philoso- 98
phi[15] vocem, Epicure; sed quid tibi dicendum sit, oblitus es. Primum enim, si vera sunt ea, quorum recordatione te gaudere dicis, hoc est, si vera sunt

Quod h. l. malim, quum ita sententia fuerit, « in lætitia ex victoria nata »: esset enim sic *victoria* in explicationem addita. Vide nos ad Acadd. I, 35, 112. Scribæ, ut in omittendis præposs. repetite positis peccant, ita quoque easdem pro suo arbitrio iterant. G.

13. *Philosophi autem in suis lectulis plerumque.* Gud. 2 *plerumque* non habet, sed post *autem*, *plurimumque* addit, cujus loco ibidem E. et ξ. *ut plurimum* referunt. Quod videtur aliquid, si cum græco ὡς πλεῖστα compares, cf. Legg. II, 14, 34: *jus ut plurimum valet:* sed ibi debet *quam maxime* valere; alius autem Ciceronis locus, ubi sic dicatur, nobis nullus innotuit. Quum tamen sic scribæ vix mutent, notari id voluimus, usque dum alii scripti idem confirmarint: nam hos binos sæpe jam diximus a reliquis sine jure seorsim sentire solere. G.

14. *Refert tamen, quod sibi videtur esse morienti magna laus.* In his corrumpendis certatim et scribæ et VV. DD. nituntur. Spir. et Erl. « quomodo sibi videbatur esse morientis m. l. » ut vix recte Pal. 1 inspectus videatur, quippe ex quo, « quomodo s. videtur esse moriens », affertur. Gud. 2 transponit, « quod sibi morienti videtur esse mag. laus ». Eliens. 2, *quo sibi vid.* etc. Viri Docti alia omnia suadent. Davis. « quo modo sibi videatur esse oriens ». Ern. pro « magna laus », « magnæ lætitiæ ». Brem. *quid videatur esse*, etc. Rath. denique *quod mihi vid.* Retulimus ista, ut intelligeretur, quanta vis sit in interpunctione. Vix enim umquàm turbatum in his esset, nisi post *laus* puncto maximo distinctum esset: quo enim sublato plana sunt omnia. *Refert* est *exponit*, et ad Epicuri verba spectat, quæ sequuntur. *Tamen, sane, quidem*, notat, ut sæpissime: *sibi* pro *ipsi* auctori satis frequens est (unde haud raro hoc cum illo a scribis confunditur, cf. Off. III, 22, 10, Heusing.); et *morienti* denique quoad sonum sic ponitur, ut pro singulari enuntiato, « in mortis articulo versanti », capiendum sit. Hanc vocem si auctor addi noluisset, haud dubie *magnæ laudi* scriberet. His monitis egregie conveniunt omnia. G.

15. *Philosophi.* Mars. *summi philosophi;* sed nihil est adjectivo opus: nam *veri* cogitandum est: seu « vocem, qualis philosophum decet ». G.

tua scripta et inventa : gaudere non potes. Nihil enim jam habes, quod ad corpus referas. Est autem a te semper dictum, nec gaudere quemquam[16], nisi propter corpus, nec dolere. « Præteritis, inquit, gaudeo. » Quibusnam præteritis? Si ad corpus pertinentibus, rationes tuas te video compensare[17] cum istis doloribus, non memoriam corpore perceptarum voluptatum. Si autem[18] ad animum; falsum est, quod negas animi ullum esse gaudium, quod non referatur ad corpus. Cur deinde[19] Metrodori liberos commendas? quid ex isto tuo egregio[20] officio, et tanta fide (sic enim existimo), ad corpus refers?

99 XXXI. Huc et illuc[1], Torquate, vos versetis licet: nihil in hac præclara epistola scriptum ab Epicuro congruens et conveniens decretis ejus reperietis. Ita

16. *Nec gaudere quemquam*. Sic unus e nostris Gud. 2; reliqui *quidquam*: forte *quemquam quidquam*, cf. Orat. II, 19, 77: « qui quemquam nostrum quidquam intelligere arbitretur? etc. » G.

17. *Rationes* (συλλογισμοὺς) *tuas te video compensare*. Pressius ad epistolæ verba respici, vix est, ut moneamus. G.

18. *Si autem*. Gœr. *Sin autem*. Ita, inquit, Spir. et Erl. Et rara sane exempla sunt, quibus in plena oppositione, *autem* addita, *si* excusari possit: variatque ubique lectio. Recte igitur Martyni-Lagunam *sin autem* reposuisse judicamus, Divv. III, epp. 7 et 8.

19. *Cur deinde*. Malim « Quum denique... commendas, quid, etc. » Aures enim Ciceronianæ dicendi rationis adsuetæ in vulgata vix recte acquiescent. Abruptius sic absolvitur epistolæ Epicureæ censura. Certe videtur *denique* corrigendum, quæ et alias pari ratione pravatur. Ita recte pro *deinde* restituit Schütz. Herenn. IV, 5, 8. Atque refert sane nostro loco Oxon. ξ. *denique*. G.

20. *Isto tuo egregio*. Gœr. dat: *isto egregio tuo*. Sic, inquit, ex Erl. et Spir. transposuimus, quod vel solæ aures præferunt, quodque necessario loci via requirit. Gud. 2 pro *tuo*, *suo* peccat: sed nihil inde extricandum. *Isto* refertur etiam ad *fide*, ut sæpe. Ceterum in ὁμοιοτελεύτοις latis ne sis delicatior; frequenti enim exemplo apud Nostrum leguntur, v. c. Legg. II, 2, 4: « Me quidem ipsæ illæ nostræ Athenæ... delectant », ne plures locos colligamus. G.

XXXI. 1. *Huc et illuc*. Noli *et* deletam, ut alibi factum vidimus: copula enim sic omissa rarissime Cicero. Si enim *et* omittere hac in forma ex ejus usu esset, haud dubie omisisset, Off. I, 28, 11. Ὁρμὴ... « quæ hominem huc et illuc rapit ». G.

redarguitur ipse a sese, veneuntque scripta[2] ejus probitate ipsius ac moribus. Nam ista[3] commendatio puerorum, memoria et caritas amicitiæ, summorum officiorum in extremo spiritu conservatio, indicat, innatam esse homini probitatem gratuitam, non invitatam voluptatibus, nec præmiorum mercedibus evocatam. Quod enim testimonium majus quærimus, quæ honesta et recta sint, ipsa esse optabilia per sese[4], quum videamus tanta officia[5] morientis? Sed, ut epistolam laudandam arbitror eam, quam modo totidem fere verbis interpretatus sum (quamquam

2. *Veneuntque scripta ejus*. Gœr. scribit : *vineunturque*. Sic, inquit, recte pro vulgato *veneunt* ex Pal. 1, Eliens. 2, Med. E. ξ. Davis. et Brem. Nec aliter Lambini scripti, et e nostris Spir. et Erl. Item Mars. et in marg. Crat. Nec opus est, ut *convincuntur* cum Davisio malis : petitum enim verbum ex jure est, quo *vinci* dicuntur, « qui judicio convincuntur ». *Scripta* de *sententiis* intelligenda sunt, « quas continent, probitati minus convenientes ».—Ceterum mirum est, quod in prægressis scripti nostri omnes, *redargueretur* : sed ex futuro forte, quod antecedit. G. — Int. et scripta ejus ob id tantum magna fama feruntur, quod ipse probus fuisse narratur.

3. *Ista commendatio*. Gud. 2 *commendatione* : idemque inferius pro *indicat*, *judicat*. Quod per se quidem probari potest : sed vulgata rectius rem in universum spectari jubet. G.

4. *Quæ honesta et recta sint*, *ipsa esse opt. per sese*. Gœrenz delet *sint*. Vulgata, inquit, post *recta*, *sint* addit. Quod offendere Ciceronianæ scripturæ gnaros debebat : nam *sunt* debebat esse, quum verbum subst. sic asseveranter addatur, et in ejusmodi locis illa grammaticorum regula, ex qua ad accus. cum inf. conjunctivus modus ponendus sit, nihil valeat. Atque sane Bas. et Gud. 1 cum Marso *sunt* exhibent. At Gud. 2 *sint* et *sunt* nescit : et hanc veram auctoris manum putabis, quum ex hujus more comprobatam, cf. Acadd. II, 7, 25, tum, quod vaga hæc scriptura ubique fere hoc verbum suppositum indicat. Ita dele *sit*. Nat. Deor. I, 33, 93 : « meretricula etiam Leontium contra Theophrastum scribere ausa sit ». Alii *est*; sed utrumque scribarum est. *Ipsa* nutat *ea ipsa*, idque frequenti auctoris usu.

5. *Tanta officia*. Gœr. dat *tanta esse off.* Ita, inquit, quatuor nostri, quinque Oxonn. nec aliter Mars. Venet. 1494, aliæ. Vulgo Gruteri culpa *esse* abest : nam et ex positu suo, et sua ipsius natura, verbum hoc majorem loco vim conciliat. Neque de ejus veritate ideo dubites, quod statim adfuit. Cf. Tusc. III, 15, 32 : « qui censet (Epicurus) necesse esse omnes in ægritudine esse, qui se in malis esse arbitrantur ». En ter idem repositum; et ita sæpius.—Int. quum sibi putet Epicurus tanta officia superesse, eo tempore quo jam nihil

ea cum summa ejus philosophi[6] nullo modo congruebat): sic ejusdem testamentum non solum a philosophi gravitate, sed etiam ab ipsius sententia[7] judico discrepare. Scripsit enim, et multis sæpe verbis, et breviter apteque, in eo libro, quem modo[8] nominavi, mortem nihil ad nos pertinere : quod enim dissolutum sit, id esse sine sensu; quod autem sine sensu

ad corpus amplius referri potest, quum jamjam moriturus sit.

6. *Philosophi.* Gœr. *philosophia.* Vulgata, inquit, ante Gruterum, « cum sententia ejus philosophi », sic per hunc ex Pal. 1 mutata est, ut *summa* corrigeretur. Quæ quomodo Viri Docti huc usque ferre potuerint, ut non saltem *hujus* corrigerent (ut Gud. 1 et Bas. referunt), nos quidem haud assequeremur, nisi falsissimam illam opinionem jam a Victorio inde propagatam esse novissemus, *is* eleganter pro *hic* dici. Sed accusamus Grut. de lectione Palatini 1, non plene exhibita : Spir. enim et Erl. clare ut edidimus; atque ita proba sunt omnia. *Summa* autem *philosophia* dicitur alias, ut « summa respublica, summa res, etc. », i. e. « universa, tota philosophia ». Supra, 27, 86, *summa philosophiæ* dicitur. Voces vero *summa* et *sententia*, ob idem plane compendium *s̄a*, ubique confundi, iis, qui umquam codicem scriptum inspexere, debet esse notissimum. Sed vide quæ notantur infra in verbis *in eo libro... nominavi.*

7. *A philosophi gravitate... ab ipsius sententia.* Mirum est, quod in scriptis omnibus *a* desideratur, quæ abesse plane nequeat. Forte olim *ab* scriptum erat, et scribæ sic ante consonam positam abhorruerunt. Amat autem Cicero geminata *ab* scribere. Invent. II, 53, 160 : « res et ab natura profectas, et ab consuetudine probatas ». Orat. II, 6, 25 : « neque ab inductissimis se, neque ab doctissimis, etc. » ex eaque ipsa causa « abesse ab forensi contentione, etc. » Acadd. II, 1, 3, dicit. Id quidem hac de causa monuimus, ne ista negligantur, si forte in scriptis reperiuntur. G.

8. *In eo libro, quem modo nominavi.* Quo libro? Nominaverat modo testamentum Epicuri : at quæ vertit, ea sunt secundæ Κυρίων δοξῶν, et ad verbum inde translata, sæpeque ab aliis totidem verbis laudata; cf. Laert. X, § 139 : Ὁ θάνατος οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς· τὸ γὰρ διαλυθὲν, ἀναισθητεῖ· τὸ δὲ ἀναισθητοῦν οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. Cll. Sext. Emp. Pyrrh. III, 229; Alex. Aphrodis. Top. I, p. 9; Gell. N. Att. II, 8, etc. Jam vix probabile est, Epicurum ipsa illa verba in testamenti v. c. introitu posuisse, quum etiam alias eadem variaret, cf. epist. ad Menœc. Laert. X, 124, seq. cll. Lactant. Institt. III, 17, 30. Vix igitur, nisi errasse Ciceronem statuas, aliter judicari licebit, quam ut verbis præcedd. *summa ejus philosophia* ipsæ κύριαι δόξαι illæ intelligantur, quippe in quibus philosophia summa ejus, id est, præcipua capita omnia comprehensa essent. Sed tum miramur, non clarius auctorem hunc librum designasse. Multo minus vulgatum *philosophi* præferes, pro quo rectius vocem hanc ipsam deleris. G.

sit, id nihil omnino ad nos pertinere[9] ». Hoc ipsum
elegantius poni, meliusque potuit. Nam quod ita po-
situm est, Quod dissolutum sit, id esse sine sensu,
id ejusmodi est, ut non satis plane dicat, quid sit
dissolutum[10]. Sed tamen intelligo, quid velit. Quæro 101
autem, quid sit, quod, quum dissolutione, id est,
morte, sensus omnis exstinguatur, et quum reliqui
nihil sit omnino, quod pertineat ad nos, tam accu-
rate, tamque diligenter caveat et sanciat, « ut Amy-
nomachus[11] et Timocrates, heredes sui, de Herma-
chi sententia[12] dent, quod satis sit ad diem agen-
dum natalem suum quotannis, mense Gamelione[13];

9. *Nihil omnino ad nos pertinere.* Gœr. scribit : « nihil ad nos pertinere omnino ». Hoc, inquit, ordine Spir. Erl. Gud. 1 et Crat. Vulgo « nihil omnino ad nos pertinere ». Offendere reliqui scribæ in adverbio in clausula posito. Davisius tacite dedit « n. ad nos omnino pert. » item haud dubie ex suis. Cicero ita scribit, ut nos reposuimus. N. D. III, 27, 69 : « ut vinum ægrotis... melius est non adhibere omnino ». Acadd. II, 15, 48 : « et si hæc, cur non inter quæ nihil intersit omnino ». Atque ita infra nobis transponendum erit, Fin. IV, 25, 70 : « inter ceteras res nihil interesse omnino ». At in Græcis nihil est, cur Ciceronem *omnino* addidisse putes. Vaga quoque sedes vocem suspectam facere potest. Sed scripti omnes *omnino* servant.

10. *Quid sit dissolutum* notat « quid Ep. dissolutum dicat ». G. — *Quid sit, quod*, etc. Int. quomodo fieri possit, ut tam accurate Epicurus caveat et sanciat, etc. quum dissolutione, etc.

11. *Ut Amynomachus . . . colatur.* Non ipsa hæc sunt continua Epicuri verba, sed modo excerpta ex Epicuri testamento, eaque auctoris verbis exposita : sic tamen, ut pressius ad græca respiciatur. Cf. Laert. X, 19. Inde etiam oblique hæc efferuntur. G. — Ex Diogene Laert. patet Timocratem fuisse Metrodori fratrem. De Amynomacho nihil aliud compertum est, nisi eum fuisse Epicuri discipulum et amicum.

12. *De Hermachi sent.* Gœr. et Sch. ut sup. (§ 96) *Hermarchi.* — Sic expresse Erl. nec Spir. multum discedit, *Hermarci* præbens. Reliqui fere cum editis vett. *Hermadii* peccant. Cf. quæ ad § 96 notavimus. Uterque autem cod. non *de*, sed *ad* referunt ; ut *ad H. sententiam* conjicere liceat. Sed sæpe auctor, « facere, capere, tradere de sententia alicujus ». Nec licebit *ab* conjicere, quamquam recte, *dare ab aliquo ;* sed modo in pecunia numeranda. Cf. Att. V, ep. 21. G.

13. *Mense Gamelione.* Hic mensis nomen ducebat ex eo, quod mos erat Atheniensibus in eo mense uxorem ducere : respondet, ut quidam putant, januario. Hoc etiam nomine vocabatur poematis genus epithalamio similis. Cf. in Pis. c. 28-29, et *Mél. de Char-*

itemque omnibus mensibus, vicesimo die lunæ, dent ad eorum epulas, qui una secum philosophati sint :
102 ut et sui, et Metrodori memoria colatur ». Hæc ego non possum dicere non esse hominis quamvis et belli, et humani [14]; sapientis vero nullo modo, physici præsertim, quem se ille esse vult [15], putare ullum esse cujusquam diem natalem. Quid? verene [16] potest esse dies sæpius, qui semel fuit? certe non potest. An ejusdemmodi [17]? ne id quidem, nisi quum [18] multa

don de la Rochette, t. I, p. 200 et sqq.

14. *Hominis quamvis et belli, et humani. Quamvis* e Pal. et Eliens. 2, a Davis. Breminque receptum, firmant e nostris quoque Erl. Spir. Crat. aliæque vett. editæ. Ern. idem denuo rejecerat; sed sine ulla causa probabili.—*Quamvis* autem h. l. *quantumvis* valere, non est ut moneamus. G.

15. *Quem se ille esse vult.* Delevit Davis. et Ern. *esse*, quod ante *vult* prius addebatur. Idem ignorant Bas. Oxonn. E. ξ. Crat. aliæ. At Brem. ideo non audit, quod iidem hi codd. *putari* peccent. Sed hoc vitium scripti fortasse omnes communicant; nostri certe, nullo excepto. Et tamen vere est *esse* reponendum. Satis enim certum videtur, ad verba *velle*, *malle*, *nolle*, in hujusmodi structura, vel ex ipsorum natura, non recte *esse* omitti posse. Sunt quidem adhuc tria vel quatuor loca, quæ secus suadeant; sed in omnibus his scripti plures *esse* addunt. Tusc. V, 23, 66, tres nostri, et unus Oxon. « qui se esse non hunc mathematicum malit », quum vulgo *esse* absit. Infra, V, 5, 13, ex optimis nostris « physicum se esse voluit » restituendum est. Deinde Off. II, 22, 9, dudum viderunt Heusingg. « populares se esse volunt » reponendum esse; quod idem bini nostri confirmant. Vide simul exemplorum silvam, quam hi ibi congesserunt. Denique nuper recte Schütz. ad Orat. I, 24, 112: « ineptum esse me minime vellem ». Hoc autem loco quatuor optimi nostri cum aliis scriptis veteribusque editis multis *esse* defendunt. Malim tamen *ille* abesse, quod facile addi a scribis potuit. Causam et aures indicant, et loca illa ab Heusingeris allata probant. G.

16. *Quid? verene.* Gœr. scribit : *Quid? idemne.* Vulgatum, inquit, *verene* Davis. jam ex Eliens. 2 in *idemne* mutari jubet, Fr. Gronovii codice *itemne* exhibente. Prius recte. Probant vocem Spirens. et Erl. atque Gud. 1, Bas. et Mars. *verene idemne* junctim ponunt. Neque putes scribi *verene idem* posse: transponenda hæc essent, *idemne vere*, ut Ciceronianum quid sonarent. Sed quis nescit *vere* et *verum* intrudi ab librariis solere? Cf. Off. III, 1, 3, Heusingg. — Perspicue gallica vers. *Le jour qui a été peut-il revenir plusieurs fois?*

17. *An ejusdemmodi?* Suadet Brem. *at*, ut sit objectio ex Epicuri mente. Sed talis est etiam *an* retenta : et post *ne*, rectius *an*, quam *at* ponitur. G.

18. *Nisi quum multa.* Ignorant bini illi nostri cum Pal. 1 *quum;* abjecit-

annorum intercesserint millia, ut omnium siderum
eodem, unde profecta sint, fiat ad unum[19] tempus
reversio. Nullus est igitur cujusquam dies natalis. At
habetur. Et ego id scilicet nesciebam[20]. Sed, ut sit,
etiamne post mortem coletur? idque testamento cave-
bit is, qui vobis quasi[21] oraculum ediderit, nihil ad
nos pertinere post mortem[22]? Hæc non erant ejus,
qui innumerabiles mundos, infinitasque regiones,
quarum nulla esset ora, nulla extremitas, mente per-
agravisset. Numquid tale Democritus? ut alios omit-
tam, hunc appello, quem ille unum sequutus est. Quod 103
si dies notandus fuit, eumne potius, quo natus, an
eum, quo sapiens factus est? Non potuit, inquies,
fieri sapiens, nisi natus esset. Et isto modo ne si avia
quidem ejus nata non esset. Res tota[23], Torquate,

que particulam Davis. Recte. *Quum* scribæ ubique inculcant; cf. Hotting. ad Divin. II, 28; Brem. de Fat. 19, etc. Similiter supra, II, 22, 74, post *nisi*, *quod* additur. Accedit, quod via est in *multa*, quæ debilitatur, voce hac tertio loco posita. G.

19. *Ad unum tempus*, id est, « ad unum idemque temporis momentum ». Agi autem de *anno* Physicorum *magno*, verba ipsa docent. G.

20. *Et ego id scilicet nesc.* Gœrenz transp. *scilicet id.* Sic, inquit, quatuor nostri, Vin. Mars. Crat. aliæ, ut reposuimus. Sæpe Cic. « scilicet is sum; scilicet id agitur »: et cui non poetæ illud, « scilicet is superis labor est », animo obversatur? Sed ita modo in ironia; quæ hoc loco valet.

21. *Qui vobis quasi.* Gœr. dat *nobis.* Sic, inquit, trini nostri cum Davis. et Bremio dederunt, jejune Ern. vulgatam defendente.

22. *Nihil ad nos pertinere post mortem.* Gœr. transp. « nihil post mortem ad nos pertinere ». Hoc, inquit, ordine nostri omnes, Vien. et Ven. 1494. Davis. tacite « n. ad n. post mort. p. » atque ita Marsus et Crat. Ex hac vaga scriptura suspicari liceat, vv. *post mortem* ex glossa adhæsisse: sed, his contextis, non recte aberunt. Exciderant, et, in margine scripta, varimode deinde inserta sunt. Per se quidem hæc ipsa omni loco stare possunt, dicuntur enim velut in parenthesi: sed ordo a nobis receptus, reliquis est probatior; vis enim, quæ in *nihil* est, magis acuitur. G.

23. *Res tota, Torquate, non doctorum h.* Malim post *Torquate*, *est* additum: nam verbi substantivi asseveratio desideratur, facileque excidere id potuit, et plane commodo loco sic additur, extruso sc. ejus compendio per præced. literam. Sic enim ex loci sententia cum vi ab enuntiati fronte ponitur. G. — Int. omnino indignum est doctis viris.

non doctorum hominum, velle post mortem epulis celebrari memoriam sui nominis. Quos quidem dies quemadmodum agatis, et in quantam hominum facetorum[24] urbanitatem incurratis, non dico. Nihil opus est litibus. Tantum dico, magis fuisse vestrum, agere Epicuri diem natalem, quam illius[25], testamento cavere, ut ageretur.

104 XXXII. Sed, ut ad propositum revertamur (de dolore enim quum diceremus, ad istam epistolam delati sumus), nunc totum illud[1] concludi sic licet. Qui in summo malo est, is tum, quum in eo est[2], non est beatus. Sapiens autem semper beatus est, et est[3] aliquando in dolore. Non est igitur summum malum dolor. Jam illud quale tandem est[4]: « Bona præterita

24. *Facetorum*. Ita ex nostris quoque Erl. nec Spir. multum abiudit *factorum*. Reliqui cum olim vulgata *facetosam*; χ. *factiosam*. Vulgata verissima est. G.

25. *Magis fuisse vestrum, agere... quam illius*. Gud. 2 cum aliis, cumque vett. editis quibusdam, itemque Victorina *verum... illum*: Bas. et Gud. 1, *agi*. Inde consarcinari lectio possit, « magis fuisse verum, agi... quam illum », ut *verum*, *æquum* valeat; qua vi sæpius ponitur. Sed perit oppositio, quæ haud dubie ab auctore profecta est; optimique illi nostri vulgatam tuentur. G.

XXXII. 1. *Totum illud... licet*. Tres optimi nostri, *totum id*: sed vulgatum *illud* probatius est; ita positum, ut ad rem remotiorem respiciatur, interjecto nempe hoc, quod ad epistolam Epicuri, et testamentum refertur, episodio. — *Concludi sic licet*. Sine ulla auctoritate Brem. scribit: *sic concludi licet*. G.

2. *Is tum, quum in eo est*. Ita ex solo Pal. 1 a Grutero inde legitur, bonaque fide nos dedimus, licet Erl. *iste*, ut codd. reliqui omnes, et e Spir. nihil enotetur. Sic enim vere scribit Cicero, ut innumera loca docent: quum contra *iste*, ut recte Davis. vidit, frigeat. Neque mirum est scribas sic peccare, ex quo semel binæ hæ voces in unam coaluissent. G.

3. *Et est aliq*. Ante hæc Gœr. majore interpunctione opus esse dicit, quia *et* est assumptionis.—*Et* valet *et tamen* sapiens est aliquando in dolore.

4. *Jam illud quale tandem est*. Oxonn. E. et ξ. *Nam* offerunt: per se quidem bene, et probato usu. Ut enim *jam* transeuntis est, ita eamdem quoque vim *nam* habet: et arctius etiam contexta nectit, cf. Acadd. I, 5, 21, inprimis si objectionem occupantis et diluentis est, cf. pro Arch. Poet. 10, 23. Sed in his solis codd. tam sæpe diversa a reliquis sequentibus fides haud satis certa est, ceterique in vulgata perstant. G.

non effluere sapienti, mala meminisse non oportere? » Primum in nostrane potestate est, quid meminerimus? Themistocles quidem, quum ei Simonides, aut quis alius [5] artem memoriæ polliceretur : « Oblivionis, inquit, mallem; nam memini etiam quæ nolo, oblivisci non possum quæ volo ». Magno hic ingenio. 105
Sed res se tamen sic habet [6], ut nimis imperiosi philosophi sit, vetare meminisse. Vide, ne ista sint Manliana vestra [7], aut majora etiam, si imperes, quod facere non possim. Quid, si etiam [8] jucunda memoria est præteritorum malorum? ut proverbia nonnulla

5. *Simonides, aut quis alius.* Gœr. scribit *an* pro *aut*. Hoc, inquit, e Pal. 1, Davis. et Brem. Idem confirmant Spir. Erl. et Crat. cf. Tursell. de Partt. p. 104, n. 4 et 5. Plena dicendi forma hæc erat, « an Simonides (dicendus est), an alius quis? » Cf. Brut. 23, 89 : « paucis ante, quam mortuus est, an diebus (dicam), an mensibus ». Leg. Manil. 19, 57 : « Gabinio dicam, anne Pompeio, an utrique? » Incertum autem fuisse, quisnam Themistocli memoriæ artem docendam promiserit, vides ex Acadd. II, 1, 2, coll. Orat. II, 74, 299. — J. V. L. omnino Gœrenzio assentitur.

6. *Res se tamen sic habet.* Gud. 2 *se res tamen*, et Gud. 1 ac Bas. *tamen se* transponunt : E. et ξ. *se* ignorant. Unde *se* a scribis additum putaris. Sed hi, nescio quo corrupto sensu, ubique hac in forma peccant. Pluribus egimus de ista ipsa re ad Legg. I, 13, 36. Eamdem structuram vide Brut. 40, 149 : « res se tamen sic habet ». Sed parum recte vulgo interpungitur, virgula ante *ut* posita, quum *ut* sit apodoseos, et *ita ut* valeat. Tenor totius sententiæ hic est : « Fatendum quidem est, Themistoclem magno fuisse ingenio (atque ita cum communi hominum captu comparari non recte posse); nihilo secius tamen ita se res habet, ut diximus : sic ut imperiosius agatur, si jubeamur non meminisse ». In hac explicatione Rathio acquiescere licebit, qui se in his hærere fatetur. G. — Gœrenzii interpretationi prorsus assentimur; unde minus probandus gallicus intp. qui vertit : *La réponse de Thémistocle est ingénieuse.*

7. *Vide, ne ista sint Manliana vestra.* Offendere olim, teste Lamb. in his VV. DD. et ipse dubius hæsisse videtur, quid statueret. Sed proba sunt, et sic accipienda : « Cave ne ista ex proavi tui, qui nomen imperiosi invenerat, more, vel ultra etiam, fiant ». Respicit autem ad ea, quæ supra dixerat, 19, 60, ubi item ille Manl. Torquatus *Imperiosus* audit. Hoc tamen silentio præterire non licet, in multis codicibus *vides* legi, ut est in quinque Oxonn. Bas. *vide si*; et sic Ven. 1494. Forte scripsit auctor : *vide sís, ne*. *Sís* certe sæpe Terent. v. e. Heaut. II, 2, 125 : « Sed heus tu, vide sis, ne quid imprudens ruas ». Notum autem est *sís* compendio *s.* pingi. G.

8. *Quid, si etiam.* Gœr. interpungit *quid? si etiam*. Addidimus, inquit,

veriora sint[9], quam vestra dogmata. Vulgo enim dicitur, « jucundi acti labores ». Nec male Euripides (concludam, si potero, latine; græcum enim hunc versum nostis omnes[10]):

Suavis laborum est præteritorum memoria.

Sed ad bona præterita redeamus. Quæ si a vobis talia dicerentur[11], qualibus C. Marius uti poterat, ut expulsus, egens, in palude demersus[12], tropæorum recordatione levaret dolorem suum: audirem, et plane probarem. Nec enim absolvi beata vita sapientis, nec ad exitum perduci[13] poterit, si prima quæque

interrogandi signum, quod ad *quid*, *si*, semper addi debet. Aliis in locis nihil huc usque novavimus, ne rem improbatam poneremus; sed hoc loco, et aliis, vis exaggerandi, quæ in *quid?* clare apparet, per se ipsa loquitur. Viri Docti in his interpungendis plane vagi sunt: sic Ern. qui alias *Quid, si* distinguit, Orat. II, 73, quinquies *Quid? si* scribit. Recte *quid? si* bis Bremi, c. 33 et 34

9. *Ut... sint. Ut*, quæ item apodosin inchoat, ex præmissa enuntiatione concludit; cf. Leg. I, 18, 49.

10. *Concludam... omnes.* Ad hæc parenthesis signa addenda nobis fuere Davisii exemplo, quod posteriores editores nullo jure deseruerunt. Præterea offendit Brem. in *omnes*, quum duo modo sint, cum quibus Cicero colloquatur. Inde aut auctorem sui oblitum dicit, aut *omnes* delendum. Nos quoque dudum in eodem offenderamus: neque non mirum hoc dici debet. At Corn. Nep. eodem modo *omnia* de *duabus rebus*; cf. Epam. I, 1: « Scimus enim, musicen nostris moribus abesse a principis persona; saltare vero etiam in vitiis poni. Quæ omnia apud Græcos et grata et laude digna ducuntur ». Idem Ibid. 7, 3, *omnes* de *tribus*, de Epaminonda nempe, et binis collegis. Ita certe excusandum hoc foret. Sed quid h. l. cogit, ut *nostis omnes* ad Torquatum et Triarium referatur? Rectius ad Epicureos referes, h. sens. « vos Epicurei nostis omnes, quippe qui eum in ore geratis ». Et sane is est hic versus, ut eum Epicuri sectatores optime in rem suam trahere possent. Græca ipsa Euripidis, ἀλλ' ἡδύ τοι σωθέντα μεμνῆσθαι πόνων, ex Andromeda sunt, deperditæ fabulæ: sed hic ipse versus a multis Veterum laudatur, cf. Gatakeri Adverss. Miscell. p. 513-515, quæ opportune laudat Bremius. G. — *Concludam* h. l. non solum *vertam* valet, sed « græcum versum latino versu includam ». — Sic quoque Virgil. « forsan et hæc olim meminisse juvabit ».

11. *Quæ si a vobis talia dic.* Int. si quum de bonis præteritis agitur, vos talia bona intelligeretis, etc.

12. *In palude demersus.* E. et ξ. *mersus.* Hoc ne videatur esse aliquid; cf. pro Sext. 22, 50: « C. Marium senile corpus paludibus occultasse demersum ». G.

13. *Nec ad exit. perd.* Gœr. scrib.

bene ab eo consulta, atque facta, ipsius oblivione obruentur[14]. Sed vobis voluptatum perceptarum re- 106
cordatio vitam beatam facit, et quidem corpore perceptarum. Nam si quæ sunt aliæ, falsum est, omnes animi voluptates esse e corporis societate. Corporis autem voluptas si etiam præterita delectat[15], non intelligo, cur Aristoteles Sardanapali epigramma tantopere derideat: in quo ille rex Assyriæ[16] glorietur, se omnes secum libidinum voluptates abstulisse. Quod enim ne vivus quidem, inquit[17], diutius sentire poterat, quam dum fruebatur; quo modo id potuit mortuo permanere? Fluit igitur voluptas corporis, et prima quæque avolat[18], sæpiusque relinquit causas

nequa. Parnimus, inquit, nostris omnibus, Vien. Marso, Crat. add. vett. aliis; vulgo enim *nec* editur. Sed dudum Davis. sic tacite ediderat, haud dubie itam ex suis. Innumera autem pæne loca excitari licet, quibus auctor *nec*... *neque*, et vice varsa, ponit. *Exitum* de quovis rel effectu et perfectione dici, notum esse debet ad Ciceronem rite accedentibus.

14. *Obruentur.* Hoc firmant Spir. Erl. Gud. 1, E. et ξ. 2 Lamb. pro *obruerentur*, quod stare nequit, correctum, et a Davis. in binis suis rapertum. G.

15. *Si etiam præterita delectat.* Cum tribus nostris editi vatt. plerique *etiam si*. Forte olim scriptum erat, *si præterita etiam*. Sia *prætarita* vim contextis aptam accipit; atqua *etiam*, si *adeo* notans, altius reponitur, per scribas sæpe locum suum mutare cogitur. Cf. Ligar. 2, 4: « profectio voluntatem habnit non turpem, remansio etiam necessitatem honestam ». Repone cum binis nostris *necessitatem etiam h*. G.

16. *Ille rex Assyriæ.* Gœr. scrib. *ille rex Syriæ*. Ita, inquit, nostri omnes, aliique aliorum, editique vateres plerique: non *Assyriæ*, quod vulgata refert. Eodem modo recta legitur Tusc. V, 35, 101: « Sardanapali, opulentissimi Syriæ regis », Ernestio *Assyriæ* ex Corradi correctione reponanta, licat ibi Davis. vagum harum vocum apud vett. auctores usum abunde probasset. Ad quem locum hunc vide, qui vel ipse ad hoc Aristotelis epigramma commentarii instar erit: quod ipsum ex deperdito Aristotelis libro est; sed quum ab aliis, tum maxime ab Athenæo Deipnos. VIII, pag. 336, Lugd. laudatur. G.

17. *Inquit*, supple Aristoteles, in illo loco quo Sardanapali epigramma daridat.

18. *Et prima quæque avolat.* Gœr. scrib. *prona*. Ita, Inquit, tres nostri, pluresque aliorum, editique vett. plerique omnes: vulgo *prima* editur. Davis. nec *prima*, nec hoc a nobis receptum concoquens, quum scriptos editosque plures his verba, « ut aiebant », addere videret, « et prona quidem aqua, ut aiunt; sæpiusque, etc. » con-

pœnitendi [19], quam recordandi [20]. Itaque beatior Africanus cum patria illo modo loquens,

Desine, Roma, tuos hostes [21].....

reliquaque præclare :

Namque tibi monumenta mei peperere labores [22].

Laboribus hic præteritis gaudet : tu jubes voluptati-

jicit. Sed ut verba ista, in binis etiam nostris obvia, aperte scribæ sunt, hæc quoque ad Aristotelis dictum, quod præcedit, trahentis : ita hujus conjectura, quæ insuper Ciceronem mire loqui facit, per se ipsa cadit. Bremio quidem vulgata æque non placet : monet tamen, vv. *fluere* et *avolare* ejus generis esse, quæ metaphoræ vim amiserint. *Prima quæque* autem ex verbis præcedd. « si prima quæque... obruentur », explicari, notarique voluptatem, quæ hoc ipso momento adfuerit. Sed nescio quo modo istæ voces, supra bene positæ, h. l. vagæ videntur. Certe putamus, auctorem tum, « et prima quæque, quum vix accessit, avolat », vel simile quid, additurum fuisse. Possis quidem *Effluit* conjicere, quod verbum auctor valde amat, cf. supra, I, 12, 41 : « nec præteritas voluptates effluere patiatur » : et facile præpos. ob præcedentem *e* excidere, vel, ut in *efferri* solet, consulto omitti potuit. Sed tamen altera lectio, *prona*, præferenda videtur, sic ut vox hæc ad *fluit* accommodata sit, ut *pronum flumen*, quod incitate fertur, *prona via*, etc. Sic enim bene contexta coeunt, notatque auctor, « nihil stabile in corp. voluptate esse; immo prono quamque cursu auferri ». Dixit autem *avolat*, ut ejus fugæ celeritatem verbo adjuvaret : nihil de non servato tropo sollicitus, quum voce, *prona*, satis indicasset, quo tendi orationem vellet. — Eisdem fere verbis dixit Virgil. Georg. III, 67 : « optima quæque dies miseris mortalibus ævi Prima fugit ».

19. *Causas pœn.* Gœr. scr. *causam*. Sic, inquit, nostri omnes : nam vel Gud. 2, qui ex compendio *tam* peccat, hanc lectionem firmat. Davis. sic ex solo, ut videtur, Pal. 1 dedit. Quod si est, recte Brem. ejus exemplum sequendum negat. Sed vix probabile est, in tot hujus codd. *causas* scriptum esse, nostris, sine ulla variatione, tam inter se diversis, unum illud amplectentibus.

20. *Recordandi.* Miraberis, quod *recordandi*, quum media sit potestate, in hac oppositione, simpliciter in bonam partem dicatur. Sed in prægressis auctor sæpe *recordatio* de jucundis tantum lætisque rebus dixerat : ut h. l. in hac oppositionis brevitate offendere non debeas. G.

21. *Desine, Roma, tuos hostes.* Hic versus (qui memoratur quoque de Orat. III, 42, 167) et sequens : « Namque tibi, etc. » desumpti sunt ex Ennii poemate, quo laudes Scipionis Africani celebraverat. Alii editt. jungunt duos versus.

22. *Namque tibi monumenta m. p. l.* Gœrens. scrib. *nam tibi munimenta m. p. l.* Sequuti sumus, inquit, Mureti conjecturam, qui recte in vulgata, *Namque, tibi monumenta*, hærebat, probatam etiam Bremio. Nam

bus. Hic se ad ea revocat, e quibus nihil umquam retulerat[23] ad corpus: tu totus hæres in corpore.

XXXIII. Illud autem ipsum qui obtineri potest, 107
quod dicitis, omnes animi et voluptates et dolores ad corporis voluptates et dolores pertinere[1]? Nihilne te delectat umquam[2] (video, quicum loquar)? te igitur[3], Torquate, ipsum per se nihil delectat? Omitto

verba Ennii præcedentia vix aliter accipi licet, quam ut Roma sua hostes suos *timere* prohibeatur. Ad hanc rationem, per se satis firmam, adde quod Spir. et Erl. *que* ignorat. Referunt etiam omnes nostri, quos ipsi vidimus, *monimenta;* unde pronam corruptionis viam videas. Deinde codd. tres nostri, cum aliis et scriptis et editis vett. *reperere*, et ex eodem fonte E. ξ. *repetere*. Quod ipsum ex græco τὐρίσκειν defendi possit. Sed ubique hæc scribæ permutant, et bini illi nostri vulgatæ favent. — J. V. *Leclerc* in vulgata Ennii manum magis agnoscit.

23. *Retulerat.* Omnes omnino et scripti et editi, *retulerit*: quod his in contextis ferri nequit. Secuti igitur cum Bremio sumus Ernestium, qui sic correxit. Nam si *retulerit* optativum putaris, *nihil umquam* obstabit: secus foret, si *nihil fere*, vel tale quid, positum esset. Erl. *nihil* ignorat, si inde forte aliquid exspicari liceat. G. — Postea in notis ad calcem appositis Gœr. addidit: Possis tamen defendere *retulerit*, hoc loci sensu: « hic eorum, quæ dixi meminit, quippe qui ex his ». Ita certe Nat. D. I, 18, 49, *viderit* tueri licet, cujus loco Ernest. plus quam perfectum ponit, aliaque intemperantius mutat. Simili modo ibid. I, 15, 41, *dixerit* legitur. G.

XXXIII. 1. *Omnes. . . ad corporis v. et dolores pertinere?* Sic e nostris unus Gud. 1. Nam reliqui verba, *ad corporis. . . dolores*, ignorant. Hinc est, quod Marsus *omnes. . . ad corpus*, reliquis æque omissis. Sed noli inde additamenti quidquam a scribis suspicari. Immo aberrarunt a priore v. *dolores*, ad posteriorem: et h. l. proprie auctoris erat explicate loqui. G.— *Et dol. pertinere.* Gœr. dedit *ac* pro *et*. Sic, inquit, Davis. e tribus suis et Victoriana, nosque ex Gud. 1, Venet. 1494, aliisque dedimus.

2. *Nihilne te delectat umquam.* Gœr. scrib. *nihil tene del.* Sequendi fuere, inquit, Spir. et Erl. nam si vulgata vera esset, alio ordine auctori post parenthesin, quam cum Bremio addidimus, scribendum fuisset. *Nihil* ob vim negationis præmittitur: Orat. II, 15, 64: « Harum tot tantarumque rerum videtisne, nulla esse præcepta, quæ in artibus rhetorum reperiantur ». Pessime ibi Ern. *ulla* mutavit. Sic facile carebis Lambini correctione, qui ante *delectat*, *sua sponte* infert: qua ad vulgatam vix recte carebis.—*Umquam* deinde, pro quo, ut alii, ita duo nostri *inquam* præbent, verum est, et sæpenumero cum hoc, inprimis si in clausula positum est, permutatur; cujus erroris exemplum occurrit statim infra, § 108.

3. *Igitur* sæpe parenthesin excipit, cf. supra II, 22, 74; infra III, 14, 45; IV, 14, 38, etc. atque tum *inquam* valet. G.

dignitatem, honestatem, speciem ipsam virtutum, de quibus ante dictum est; hæc leviora ponam: poema, orationem quum aut scribis, aut legis; quum omnium factorum, quum regionum conquiris historiam; signum, tabula, locus amœnus, ludi, venatio, villa Luculli[4] (nam si tuam dicerem, latebram haberes: ad corpus diceres pertinere); sed ea, quæ dixi, ad corpusne refers, an est aliquid, quod te sua sponte delectet[5]?

Aut pertinacissimus fueris, si in eo perstiteris, ad corpus ea, quæ dixi, referre[6]; aut deserueris totam Epicuri voluptatem, si negaveris.

108 Quod vero a te disputatum est[7], majores esse voluptates et dolores animi, quam corporis; quia trium temporum particeps animus sit, corpore autem præ-

4. *Villa Luculli.* Bini e nostris, ut et aliorum alii, *Lucilii* peccant: quod hoc in nomine fit sæpissime. De Lucullanæ autem villæ magnificentia et splendore, cf. Plut. Lucoll. c. 39, cll. Legg. III, 13, 30. G.

5. *Hæc leviora ponam...signum, tabula...refers, an...delectet?* Hoc anacoluthon ut vitaretur, conjecit Davis. *ponantur.* Sed collegit Brem. loca satis multa, quibus hanc Ciceronis scripturam firmaret. Nobis otiom nuper fecit Matthiæ, qui, in libello de anacoluthis Ciceronis I, p. 8, ut alia, ita hunc etiam locum laudat monetque, esse hos accusativos et nominativos, qui vulgo absoluti dicantur. Si accusatt. spectas, hi vix huc pertinent: nam constructio est, *quum poema, orationem aut scribis*, etc. Nominativi autem ita orti videntur, ut auctor ante parenthesin constructionem ita plenam sibi cogitasse videatur, *signum...villa Luculli, nonne te sua sponte delectant?* post parenth. autem ejus oppositionem interseruisse. Ne autem ejusmodi anacolutha ex memoriæ lapsu orta putes: consulto admittuntur, ne post longiorem maxime parenth. constructio nimis ad amussim facta videatur. G. — Idem Gœr. post *refers*, non virgulam, sed punctum interrogationis ponit.

6. *Si in eo perstiteris...referre?* Ignorat Erl. *in eo*. Sed sic modo poetæ loquuntur, *perstat certare, negare*, etc. Neque audies Ern. qui *referri* suadet. Vide nos supra ad 15, 50: «Sine ea igitur jucunde negat posse vivere.» *Te* cogitandum esse supra monuimus. *Perstiteris* sc. *dicendo*. G.

7. *Quod vero a te disputatum est.* Gud. 1, Bas. tres Oxonn. Crat. pro *a te*, *late disp.* Quod primo adspectu videatur esse aliquid, quum sane hæc a Torquato I, 17, 55, seqq. *latius* edisserantur. Sed tum nimis vage *disputatum est* poneretur: nisi malis junctim *late a te* scribi; quod tamen nihil necesse est. G.

sentia solum sentiantur[8]: qui probari potest, ut is, qui propter me aliquid, plus, quam ego ipse, gaudeat[9]? Animi voluptas oritur propter voluptatem cor-

8. *Sentiantur.* Hic prave Ern. et Bremi rogandi signum ponunt, ut recte dudum Matthiæ Rathiusque viderunt.

9. *Qui probari potest, ut is, qui propter me aliquid, plus, quam ego ipse, gaudeat?* Sic Gœrenz. nisi quod post *propter me aliquid* addit *gaudet*. Idemque totam sequentem sententiam « animi voluptas... cui gratuletur » delet. Ex Spir. inquit, *gaudet* addidimus. Erl. in eo differt, quod *gaudeat* variet; prout Victor. Grut. et Davis. ediderunt. Abesse id per se quidem facile posset, nisi inde multiplicem totius loci turbam uno quasi oculorum obtutu perspicere liceret. Hinc enim est, quod Palatini, Oxonn. nostrique reliqui codd. verba, *plus quam ego ipse*, ignorant, aberrante scilicet scriba a *gaudet* ad *gaudeat*, et sic interposita omittente. Hinc etiam in vett. editis insignis illa lectionis diversitas, quum sive librarii, sive editores, nexui varimoda via consulerent. Auxit turbam assutus pannus, qui nobis resecandus fuit, quemque vulgata post hæc his verbis addit: « Animi voluptas .... cui gratuletur ». Ista quidem verba cum prægressis ita refert Marsus, « ut is, qui propter me aliquid gaudeat, animo gaudeat, si voluptas animi (ut dicitis) oritur, etc. » proxima autem, « et major est...corporis », ignorat. Paullo aliter Hervag. Camerar. Crat. aliter P. Manut. aliter alii: nam in his diversitatibus enumerandis lurri nihil facies. Neque vulgata cum scriptis ipsis consentit: plerique enim reliquorum, nostrique omnes, *animo vol.* et *gratulatur* referunt, prout etiam Davis. edi curavit. Sed spuriam ista naturam suam produnt luculenter. Nam quis putet, hac in re Ciceronem scripsisse, « animi (v. *animo*) voluptas oritur propter corporis voluptatem », quum hic ubique et hoc, et priore libro, « pertinet animi vol. ad vol. corp. » vel « proficiscitur animi vol. a corpore et ad idem redit, etc. » Deinde Ciceronis non est, *ita fit*, dicere, si ex alterius sententia judicat; sed *ita sequetur*, etc. Denique (ne *gratulator*, ut nove dictum, urgeamus, quum auctor magno numero substt. in *or*, a verbis derivata, neque pauca rarioris usus, ponat; quod contra Bremium monemus) quis hanc hoc nexu structuram Ciceronis feret: « Animi voluptas oritur...et major est...ita fit, etc. » pro « si animi... et si..., sequetur, ut ». etc. Viderunt etiam VV. DD. his scribarum subesse manum. Ern. enim verba, « ita fit... gratuletur », uncis coercet: Brem. autem et Rath. totum locum, *ut is... gratuletur*, in suppositis judicant. Sed ex illius ratione magis etiam reliquorum jejunitas cernitur. Hi committunt, ut prorsus incertus hæreas, quem hujus interpretamenti ortum dicas. Sequendus igitur unice nobis Matthiæ fuit, qui verba, *ut is...gaudeat*, ex eo defendit, quod insigni arte Cicero rem confutandam cum ipsa confutatione eadem sententiæ serie jungat; quippe quo modo inconvenientia rei luculentius appareat. Sic enim hic maxime solet, ubi rem ad absurdum deducit: quod vel h. l. dicendum est. Si vero Rath. structuram, « qui probari potest, ut », atrocissimum in Pri-

poris, et major est animi voluptas, quam corporis : ita fit, ut gratulator lætior sit, quam is, cui gratuletur. Sed, dum efficere vultis beatum sapientem, quum maximas animo voluptates percipiat, omnibusque partibus majores, quam corpore : quid occurrat [10], non videtis. Animi enim quoque dolores percipiet omnibus partibus majores, quam corporis. Ita miser sit aliquando necesse est is, quem vos beatum semper vultis esse. Nec vero id, dum omnia ad voluptatem doloremque referetis, efficietis umquam [11].

109 Quare aliud aliquid, Torquate, hominis summum bonum reperiendum est. Voluptatem bestiis concedamus; quibus vos de summo bono testibus uti soletis. Quid, si etiam bestiæ multa faciunt, duce sua quæque natura, partim indulgenter vel cum labore; ut in gignendo, in educando perfacile appareat [12], aliud

scianum peccatum vocat; expiabit auctorem Gesner, qui ad Quintil. VII, 1, 35, et in Thesaur. L. L. ad v. *ut*, exemplorum nubem congessit, quibus docetur, ad verba dicendi maxime (quale h. l. *probare* est), *ut* pro accusat. cum inf. frequenti usu poni. Ita demum clare cernitur, quo hoc glossema pertineat : nam commentatus est nescio quis in verba, *ut is ... gaudeat*. Jure igitur auctore indigna recidimus.

10. *Occurrat*. Recte vindicat Brem. *occurrat* pro *adversatur* positum, de qua verbi vi Ern. dubitabat. Ex græco ἐναντιοῦσθαι dictum puta, quod Platoni frequentatur. Cf. Acadd. II, 14, 44. G.

11. *Umquam*. Tres nostri *inquam* : sed vide sup. p. 297, not. 2, fin. G.

12. *Partim ind. vel cum labore... appareat*. Offendunt in his VV. DD. Pearcius enim suadet : « partim indulgent labori, in gignendo, in educ. ut p. a. » Pearcium Ern. probat. At Bremi audacius hoc, et minus definite, conjectum judicans, haud dubitat, quin locus sic refingendus sit, « partim indulgentes vel cum labore gignendo, educando, ut perf. app. » Rectius Matthiæ, reliquis intactis, ante *perfacile*, *sit* addi probat. Nos nihil jure in his mutari posse statuimus. Nam *indulgenter* est illud Neofrancorum, *avec attachement : vel*, *adeo* valet; et *ut* pro *ita ut* accipiendum est, atque hac vi haud raro in exemplis afferendis ponitur. Quod autem ad *partim* alterum constructio mutatur, id consulto facit auctor, quum, quæ ad prius ponuntur, ad bestias omnino omnes referenda sint; quæ contra posteriori adduntur, ad certa modo earum genera spectent. Exempla similia passim occurrunt. Possis hoc leve anacoluthon etiam propter interposita admissum putare;

quiddam iis propositum, non voluptatem? partim [13] cursu, et peregrinatione lætantur; congregatione aliæ cœtum quodam modo civitatis imitantur. Videmus in quodam volucrium genere nonnulla indicia pietatis, cognitionem, memoriam; in multis etiam disciplinam videmus [14]. Ergo in bestiis erunt secreta a voluptate humanarum quædam simulacra virtutum: in ipsis hominibus virtus, nisi voluptatis causa, nulla [15] erit?

cujus generis apud auctorem pæne innumera occurrunt. G.

13, *Partim*. Hanc lectionem ex solo Palat. 1, a Grut. receptam Spir. et Erl. confirmant, reliquis nostris, cum olim vulgata, *turtures et*, vel *eicures et*, ex nescio quo glossemate peccantibus. G.

14. *Videmus in quodam volucrium genere... in multis etiam disciplinam videmus.* Offendimur in *Videmus* ab initio posito; neque vim verbi assequimur, qua, hoc in contextu, frontem enuntiati occupasse dicendum sit. Vix igitur dubitamus, delendum hoc loco id esse, et alterum modo, quod sententiam claudit, retinendum: quod quidem a Marso abest, et a pluribus recentius editis; sed scripti omnes servant. Neque nos tam in his posito offendimur, quam quod prius locum non suum obtinet. Malim igitur illo abjecto sic scribi, « in quodam vero vol. » Nam particula *vero* ob seq. syllabam facile excidere potuit, quippe quæ per comp. *vō* scribatur: eaque ipsa, intendendi vi nostrum *in* æquante, vel in vulgata ægre carebis. *Volucrium* deinde sola Charisii auctoritate nititur: scripti enim omnes *volucrum*; nisi quod Erl. *volucrunt* peccat. *Disciplinam* solus e nostris Bas. offert, reliquis cum olim vulgatis *desideria* exhibentibus, sed servant idem duo apud Davis. Veo. 1494, Crat. in marg. aliique vett. impressi. Cujus altius a vera lectione recedentis originem ex eo repetes, quod scribæ haud assequebantur, quomodo *disciplina* cadere in aves posset. Intelliguntur autem psittaci, corvi, picæ, etc. quæ apud Veteres ludicris varii generis adsuefiebant. Davisius, abjectis *disciplinam videmus*, suadet interpungi « memoriam in multis etiam »: quo nihil magis, ne altius inquiram, ob pravam verborum collocationem, marcet: scripsisset tum auctor « in multis etiam memoriam ». G.

15. *Ergo in bestiis erunt... nulla erit?* Bas. *bestiis si erunt*: quod cave probes; post syllabam enim *is* sæpe *si* intrusa reperitur. Tenenda etiam est vis particulæ *Ergo*, qua, si a minori, quod vocant, ad majus interrogando concluditur, ejusdem verbi futurum his post se requirit. Tusc. II, 17, 39: « Ergo hæc veteranus miles facere poterit, doctus vir sapiensque non poterit ». Ibid. III, 15, 31: « Ergo hoc Terentius... commode dixerit; nos... non et dicemus hoc melius, et constantius sentiemus? etc. » Restituendum igitur erit ibid. I, 14, 31: « Ergo arbores seret diligens agricola, etc. » quum nuper *serit* correctum sit. Nihil enim movere versus ille poetæ debet, ad quem bis respicitur. G.

et homini, qui ceteris animantibus plurimum præstat, præcipui a natura nihil[16] datum esse dicemus?

111 XXXIV. Nos vero, si quidem in voluptate sunt omnia, longe multumque superamur a bestiis; quibus ipsa terra fundit ex sese pastus varios, varieque abundantes[1] nihil laborantibus: nobis autem aut vix, aut ne vix quidem[2], suppetunt multo labore quærentibus. Nec tamen ullo modo summum pecudis[3] bonum, et hominis, idem mihi videri potest. Quid enim tanto opus est instrumento[4] in optimis artibus com-

16. *Præcipui...nihil.* Scripti nostri quatuor cum totidem Oxoniensibus *præcipue;* nec secus Mars. Crat. aliæ. Gud. 1, *præcipuum.* Sed ne vulgatum inde minus verum putes: sic solent scribæ, quum ob notionis vim gignendi casus præponitur, adverbio regente posterius adjecto. Ita similiter ubique pæne in *reliqui nihil fecit* turbatur. G.

XXXIV. 1. *Varios, varieque abundantes.* Spir. et Erl. pro *varieque, atque* præbent, idque recepit, P. Manutii exemplo, ex Eliens. 2 Davis. Et vix sane dubium est, sic etiam Pal. 1, exbibere, quippe cum quo bi tres tantopere conspirent. Gud. 2 ignorat *varios.* Nisi nos omnia fallunt, scripsit auctor, *varietate abundantes.* Quum enim scribæ hanc dicendi rationem haud assequerentur, nata est duplex lectio, *varios* et *varie*, eaque deinde utraque, ut fit, in texta recepta est, *que* adjecta. Cicero certe istam structuram non frequentat: Livius ita solet, et alii. Nostra autem ratio vere auctoris est, cf. Orat II, 14, 58: «Timæus rerum copia, et sententiarum varietate abundantissimus». Pingitur autem ex compendio *varie.* Sed ne cupide nostra defendere videamur, vide supra, 3, 10, «dissimilibus rebus, dissimiliter efficientibus voluptates». G.

2. *Nobis autem aut vix, aut ne vix quidem.* Dubitamus, anne prior *aut* ex Bas. et Gud. 1 delenda sit: quippe quam scribæ, semel positam, iterare ament, auctorque alias hac in forma simplici fere *aut* scribat; cf. infra Fin. IV, 13, 32, et similiter Att. III, ep. 23: «Scis Clodium sanxisse, ut vix, aut omnino non posset ... infirmari sua lex». Accedit, quod in partt. *autem aut* sæpius alterutra a scribis adhæsit. Sic *autem* delebis Off. I, 3, 7: «Tum autem aut anquirunt, aut consultant», vacillantibus inter utramque codicibus. Sed opportune meminimus, auctorem ubique, «aut vix aut nullo modo», dicere; cf. Off. 7, 20. Inde enim cautius judicare cogimur. G.

3. *Summum pecudis.* Omnes nostri *pecudum;* nec secus, quos vidi, editi vett. itidem tres Oxoun. Sed vulgatæ simplex numerus unice verus est. G.

4. *Quid enim tanto opus est instrumento.* Ignorant *est* Gud. 1 et Bas. at Gud. 2 idem transpuuit in locum particulæ *enim*, quam ignorat. Hoc ferri non potest, quum vis sententiæ

parandis, quid tanto concursu honestissimorum studiorum, tanto virtutum comitatu, si ea nullam ad aliam rem, nisi ad voluptatem conquiruntur? Ut, si 112
Xerxes, quum tantis classibus[5], tantisque equestribus et pedestribus copiis, Hellesponto juncto[6], Athone perfosso, maria ambulavisset, terramque[7] navigasset; si, quum tanto impetu in Græciam venisset, causam ejus quis ex eo quæreret[8] tantarum copiarum, tantique belli, mel se auferre ex Hymetto[9] voluisse di-

ad *tanto* pertineat. Ad *opus* autem rarissime *est* omittitur. Et tamen fatemur, locum fieri lætiorem verbo substantivo omisso. Incitatius enim quum hæc pronuntianda sint, mora quædam interponitur, *est* interjecto. G.

5. *Quum tantis classibus.* Ne de duplici illa longarum navium et onerariarum intelligas; cf. Corn. Nep. Themist. 2, 5, ibique Bos. sed eas regis, et sociorum. Ita reponi debet Divin. I, 40, 87: « eumque ducem classium fuisse, ubi Ern. et Hotting. *classis* correxere. Intelliges enim *classes* βασιλέων καὶ ἀνάκτων Græciæ in unam junctas. G.

6. *Hellesponto juncto... terramque navigasset.* Primus vidit Ursinus, expressa hæc esse ex Isocratis Panegyrico, c. 25: ὥςε τῷ ςρατοπέδῳ πλεῦσαι μὲν διὰ τῆς ἠπείρου, πεζεῦσαι δὲ διὰ τῆς θαλάττης, τὸν μὲν Ἑλλήσποντον ζεύξας, τὸν δὲ Ἄθω διορύξας. Ceterum clare præbent Erl. et Gud. 2, *Athone perfosso.*

7. *Terramque navigasset.* Gœrenz delet *que.* Paruimus, inquit, Spir. et Erl. idque magis, quum Gud. 2, *vel terram* exhibeat. Ignorant item copulam Oxonn. ξ. et χ.

8. *Causam ejus quis ex eo quæreret.* Gœr. scribit: *et causam quis ex eo quæreret.* Miramur, inquit, neminem interpretum vidisse, *et* hanc, quam nostra sponte addidimus, abesse ab his contextis nullo modo posse, quum *si* præcedens ad *diceret* referatur. Causam, ex qua exciderit, quisque, nullo monente, videt. Causam autem eam, cur minus VV. DD. hunc defectum viderunt, disparia tempora dixeris, quæ h. l. *et* jungit. Sed hæc ut variis ex causis sæpe reperiuntur, ita hoc loco quasi ex regula ponuntur, quum *quærerent* sit optativi loco, verte, *fragen wollte.* De *si*, post enuntiationes interjectas repetite posita, vide nos ad Acadd. I, 2, 4. Post *causam* deinde addit vulgata *ejus*: quod recte rejicit Brem. Nam si vel sic acceperis, ut duplices sint genitivi, diverse recti, qualia exempla apud auctorem haud ita rara sunt; cf. Wopk. Lectt. Tull. p. 89; tamen vel sic pronomen friget. Sequuti igitur Spir. et Erl. sumus, qui idem ignorant.

9. *Mel se auferre ex Hymetto. Auferre* Spir. et Erl. cum Pal. 1 referunt, quod P. Manut. ex conjectura suaserat. Prave olim *afferre.* — De melle autem Hymettio apud Veteres exquisitissimo, recte laudat, præter alia, Rosa Dioscorid. (II, p. 101) μέλι πρωτεύει τὸ Ἀττικὸν, καὶ τούτου τὸ Ὑμήττιον καλούμενον. G.

ceret, certe sine causa videretur tanta conatus[10] : sic
nos sapientem, plurimis et gravissimis artibus atque
virtutibus instructum et ornatum, non, ut illum,
maria pedibus peragrantem, classibus montes, sed
omne cælum, totamque cum universo mari terram
mente complexum, voluptatem petere si dicemus,
113 mellis causa dicemus tanta molitum[11]. Ad altiora
quædam et magnificentiora, mihi crede, Torquate,
nati sumus : nec id ex animi solum partibus[12], in
quibus inest memoria rerum innumerabilium, vitæ
quidem infinita[13], inest conjectura consequentium,

10. *Conatus.* Præbet Marsus *molitus.* Per se quidem optime; quum præcipue Cicero hoc verbum de iis ponat, quorum magni conatus inani exitu deprehenduntur. Sed ipse vides, glossam esse, ultimo apodoseos verbo huc translato. G. — Fuere etenim qui narrarent Xerxem non majore causa inductum fuisse, ut bellum Græcis inferret; sed eum tanta molitum fuisse, suadente medico, qui ficuum Atticarum ei amorem injecerat; cf. Dinon. ab Athen. laudato, XIV, 18.

11. *Mellis causa dicemus tanta molitum.* Elegans hæc est comparandæ rei ad comparatam applicatio, frequens Platoni et Demostheni, et omnino ex illa Homeri, qua similia similibus comparat, ratione imitando expressa videtur. Sensus est, « tam exiguæ rei causa, quam quali Xerxem ingenti bello Græciam aggredientem fecimus ». G.

12. *Nec id ex animi solum partibus.* Gœr. delet voculam *id*, non admonito lectore, notatque : De v. *partes*, si de animo dicitur, satis egimus ad Acadd. II, 39, 124. Intelliguntur autem eæ vires mentis rationisque, quæ adjuncto appetitu (nam hæc altera animi pars est, cf. inf. § 115), ex thesauro rerum perceptarum, i. e. memoria (« memoria enim præteritorum, futurorum prudentia est » Cato Maj. 21, 78), futuro tempori prospiciunt, cupiditates moderantur, socialem vitam omnem regunt, et in rebus denique gravioribus constantiam jubent. Sic proxima facile capientur.

13. *Vitæ quidem infinita.* Mendosus locus : emendavit Manut. *et ea quidem.* J. V. L. — Gœr. scribit « inde quidem infinita inest conj. etc. » vocesque has *inde quid.* usque ad *contemptio* parenthesi includit. Ita, inquit, locum ex Spir. et Erl. additis parenthesis signis, restituimus. Dudum VV. DD. locum laborare viderant, multis modis suppetias ferentes : sed quum nihil, quod operæ pretium sit, ex eorum conatibus expiscari liceat, non est, ut eos enumeremus. Viam corruptionis docent E. et ξ. qui *in te* exhibent. Parenthesin autem vel his subjecta *ergo* prodit, quippe quæ sæpius sic parentheses excipiat. Cf. Tursell. de partt. p. 219, n. 9, maxime Tusc. I, 7, 14. Anacoluthon autem, quod leve ex parenthesi huic loco inest, et ipsa parenthesos ignoratio, scribas de turba, quam fecerunt, facile excusabit.

non multum a divinatione differens, inest moderator
cupiditatis pudor, inest ad humanam societatem ju-
stitiæ fida custodia, inest [in] perpetiendis labori-
bus[14] adeundisque periculis firma et stabilis doloris
mortisque contemptio. Ergo hæc in animis: tu autem
etiam membra ipsa sensusque considera; qui tibi, ut
reliquæ corporis partes[15], non comites solum virtu-
tum[16], sed ministri etiam videbuntur[17]. Quid, si in 114
ipso corpore multa voluptati præponenda sunt, ut
vires, valitudo, velocitas, pulchritudo? quid[18] tandem
in animis censes? in quibus doctissimi illi[19] veteres
inesse quiddam cæleste et divinum putaverunt. Quod
si esset in voluptate summum bonum, ut dicitis, opta-

14. *Inest [in] perpetiendis laboribus.* Gœr. delet τὸ *in*. Intrudit his vulgata *in*, inquit, quod vel contexta respuunt. Nam ablatt. *perpp. lab.* dicunt pro, *ad perpetiendos labores*, etc. Ignorant autem præpositionem Spir. et Gud. 2, quibus libenter paruimus.

15. *Qui tibi, ut reliquæ corporis partes.* Spir. et Erl. *corporis* ignorant. Atque facile hac voce carebis, quum *membra* præcesserint; quumque Bas. et Gud. 1, *reliqui corporis* referant, quod tum mutatum videri possit, ex quo glossa arrepta in texta esset. G.

16. *Virtutum.* Recte compescit Brem. conatum Davisii, *voluptatum* loco *virtutum* conjicientis; quod citra jus Ernestio probatur. G.

17. *Videbuntur.* Spir. et Erl. firmant, reliquis nostris cum pluribus aliorum *videbantur* referentibus. Futurum est, ut sæpe, præsentis loco. G.

18. *Quid, si in ... qui tandem.* Gœr. scripsit: *quod si .... quid tandem.* Veram, inquit, scripturam ex Spir. et Erl. reposuimus. Cf. Orat. 21, 51; « Quod si in philosophia tantum interest ... quid tandem in causis existimandum est? etc. »

19. *Doctissimi illi veteres.* In scriptis multis post *illi* additur *viri*; quo facile caremus, quum sæpe auctor *doctus*, *doctissimus* simpliciter de philosophis. Sed in sententia ipsa hæremus. Nonne omnium temporum Academici, Peripatetici, Stoici, in animis *cæleste quiddam et divinum esse* statuerunt? Cur appellantur *illi veteres* potissimum? Quod si propter sententiæ auctoritatem sic dici putaris, nonne exspectaris *quique* vel additum, vel pronominis *illi* loco positum? Et quinam sunt *veteres illi*? Physici? (ut ad Anaxagoram usque philosophi dicuntur), an Plato, Aristoteles, Zeno ipse? an horum primi sectatores? nam sic diverse, pro cujusque loci contextu, *veteres* auctori dicuntur. Vage igitur hæc dici, nemo non videt; ita tamen, ut non in scribis, sed in auctore ipso ambiguitas ista quærenda videatur: nam in codicibus vestigium nullum est, unde aliter olim scriptum esse conjeceris. G.

bile esset, in voluptate maxima[20], nullo intervallo interjecto, dies noctesque versari, quum omnes sensus dulcedine omni quasi perfusi moverentur. Quis est autem dignus nomine hominis, qui unum diem totum velit esse in isto genere voluptatis? Cyrenaici quidem non recusant. Vestri hæc verecundius: illi fortasse constantius[21].

115 Sed lustremus animo non has maximas artes, quibus qui carebant, inertes a majoribus nominabantur: sed quæro[22], num existimes, non dico Homerum, Archilochum, Pindarum, sed Phidiam, Polycletum[23],

20. *In voluptate maxima.* Erl. et Spir. *in maxima voluptate*, Gud. 1 et Crat. *maxima in voluptate.* Ex hoc horum incerto situ maxime probabile est, *voluptate* ex glossa adhæsisse. Si tamen vocem retinueris, in quo nos non valde repugnamus, vulgatæ ordinem prætulerim, sic ut *maxima* pro singulari enuntiato, *quæ sit maxima*, dictum accipiatur. Tum scribas ex nescio quo veri sensu adjectivum sua sponte, ob vim, quæ ei inest, transposuisse, putandum erit. G.

21. *Illi fortasse constantius.* Melius forte quis putarit, *sed illi*, etc. particula enim per compendium scripta præcedens *s* extrusisse videri poterit, ut sæpe observare licet; cf. Acadd. II, 25, 80. At vim auctor ex oppositione in *illi* positam voluit; scribitque etiam alias sic, ut *sed* excidisse videatur. Verr. I, 35, 88: « Sunt illi quidem dicto audientes, quam diu adsunt hi (sic pro *ii* corr.) qui imperant: simul ac discesserunt, etc. » Si *sed* addideris, vis frangetur, quæ in *discesserunt* aperte inest. Tusc. I, 34, 83: « qualecumque est, fit enim ad punctum temporis: illud angit, vel potius excruciat, etc. » G. — *Constantius.* Int. melius sibi et suæ doctrinæ constant Cyrenaici, qui hoc voluptatum genus non recusant.

22. *Sed lustremus animo non ... sed quæro.* Anacolutho hoc ne offendaris. Oratio enim pergere debebat, « sed statuariam atque pictoriam ». Quum vero auctor pro istis artibus artifices positurus esset, et bis ex illa maximarum artium, poesi, poetas præmissurus: consulto legitimam verborum consequentiam deseruit. G. — Obscurior videtur Gœrenzii interp. Nobis « maximæ artes », de quibus hic agitur, videntur esse virtutes, quæ a Veteribus bonæ, optimæ artes vocabantur, ut sæpe est apud Sallustium: unde inertes apud veteres Romanos habebantur, qui fortitudine, prudentia carebant.

23. *Polycletum.* Gœr. scrib. *Polyclitum.* Ita, inquit, Spir. et Erl. ut edidimus; et peccant Gud. 2, *Penditum*, et Bas. *Polictitum*, unde correctio nostra firmatur. Atque ita plures codd. Verr. IV, 3, 5, ut utroque loco (ne plura tangamus), sic scribi debeat. Sæpe enim notavimus, Ciceronem græcam ει per *e* et *i*, sine discrimine, efferre solere, et alteram

Zeuxin, ad voluptatem artes suas direxisse? Ergo opifex plus sibi proponet ad formarum, quam civis excellens ad factorum pulchritudinem? Quæ autem est alia causa[24] erroris tanti, tam longe lateque diffusi, nisi quod is, qui voluptatem summum bonum esse decernit, non cum ea parte animi, in qua inest ratio atque consilium, sed cum cupiditate, id est, cum animi levissima parte deliberat? Quæro enim de te: si sunt dii, ut vos etiam putatis, qui possunt esse beati, quum voluptates corpore percipere non possint[25]? aut si sine eo genere voluptatis beati sunt, cur similem animi usum in sapiente esse nolitis?

XXXV. Lege laudationes, Torquate, non eorum, 116
qui sunt ab Homero laudati, non Cyri, non Agesilai, non Aristidis, non Themistoclis[1], non Philippi, non Alexandri; lege nostrorum hominum, lege vestræ familiæ: neminem videbis ita laudatum, ut artifex callidus comparandarum voluptatum diceretur. Non elogia monumentorum id significant, velut hoc ad

per *i* scribendi rationem ubique fere obliteratam reperiri.

24. *Quæ autem est alia causa*. Gud. 1, *quæ est autem*. Bene: gravius enim sic negat. Cf. Divin. I, 6, 12, « quæ est autem gens », et ibid. 40, 87, « Quis est autem, quem non moveat, etc. » Nat. Deor. II, 20, 52: « Quæ est enim alias tellus? » G.

25. *Possint?* Tres nostri, editique vett. multi exhibent *possunt*. Ex compendio *pnt*, quod utrique modo commune est, quodque exhibet Erl. G.

XXXV. 1. *Non Aristidis, non Themistoclis*. Gœr. scribit: *non Aristidi, aut Themistocli; non Philippi, aut Alexandri*. Hoc, inquit, debemus Erlangensi, ut in *Aristidi* et *Themistocli*, formam illam priscam secundi casus in nominibus græcis tertiæ flexionis in *es*, auctori tam usitatam, revocaremus, quippe in quo clarissime expressa cernatur; cf. ad Acadd. II, 6, 16, adde ibid. 34, 108, *Herculi*. Verr. IV, 55, *Agathocli*, ut recte Beck. Tusc. I, 41, 98, *Ulixi*. Att. II, 2, *Isocrati*. Et sic locis aliis multis.—Duplex *aut* deinde Spir. et Erl. exhibent; priorem quoque Gud. uterque Bas. E. et ξ. posteriorem Vien. et Crat. servant. Noli autem id, quod consilium peperit, scribarum inscitiæ tributum: auctor enim quum ante diversorum populorum homines posuisset, jam eos per *aut* distinguit, quibus eadem esset patria. — *Volupt*. El. 2, Par. 2, 3, Med. et Ball. *utilitatum*; nec id absurde. Dav.

portam[2] : UNO ORE CUI PLURIMÆ CONSENTIUNT GENTES,
117 POPULI PRIMARIUM FUISSE VIRUM. Idne consensisse de Calatino[3] plurimas gentes arbitramur, primarium populi fuisse, quod præstantissimus fuisset in conficiendis voluptatibus? Ergo in iis adolescentibus bonam spem esse dicemus, et magnam indolem, quos suis commodis inservituros, et quidquid ipsis expediat, facturos arbitramur[4]? Nonne videmus, quanta per-

2. *Velut hoc ad portam : Uno ore cui plurimæ*, etc. Quum codices habeant *uno cum*, vel *uno cui*, recte Davisius aliique legunt « velut hoc ad portam unicum : plurimæ, etc. » Cicero de Leg. II, 23, dicit, antiquitus aram fuisse extra portam Collinam cum hac inscriptione, « Domina Honoris », eamque caussam fuisse ædis Honoris postea dedicandæ : sed quum multa in eo loco sepulcra fuissent, a pontificibus exarata sunt ; statuit enim collegium locum publicum non potuisse privata religione obligari ». Hoc igitur Cicero in eo, quem excutimus, loco videtur innuere, sepulcrum solius Atilii Calatini ibi a pontificibus intactum relictum fuisse : inde vere dici potuit hoc *unicum* fuisse *elogium*, quum ne monumenta quidem elogiis ceterorum exstarent. Nec aliter Noster dicit in Senect. cap. 17 : « Quanta in Atilio Calatino ! in quem illud elogium unicum : Plurimæ, etc. » — *Velut hoc ad portam ? Uno ore cui plurimæ*. Nihil ausi sumus mutare, licet prorsus non dubitemus, lectionem hanc esse suppositam. Primum nullus nostrum *ore ;* quod spurium se vel ex vaga sede prodit : alii enim tum scripti, tum editi, in quibus est Mars. *ore uno*. Deinde probatissimi codices Pal. 1, Spir. Erl. *uno cum* præbent, a quibus parum discrepat Gud. 2, *immo cum ;* hæc enim duo ubique confunduntur. Ven. 1494, *unum esse plurimæ*. Denique nec in proximis, ubi eadem ipsa verba oblique repetuntur, nec de Senect. 17, 61 (ubi scripti plerique omnes *unicum* referunt), ullum verbi *ore* exstat vestigium. VV. DD. multifariam loco succurrerunt. Ne reliquos moremur, Davis. ex l. l. de Sen. *unicum*, *plurimæ* recepit: Brem. modo *cui* cancellis inclusit. Melius Rath. *unum cum*. Sed *cum* friget : sic enim *hunc* malle debebis. Altius etiam conjectura a codicum scriptura remota videtur. Nos quidem in *unicum* acquiescimus, sed non ut ad præcedentia referatur, ut Davis. edidit, et ut altero illo loco vulgatur. Construas *unicum primarium virum*. Primarii enim viri plures una esse Romæ poterant, et erant : Calatinum autem hæc inscriptio ἀριστευόντων ἄριστον dicit, voce *unicum* cum vi a fronte posita. G. — *Ad portam*. Gallica vers. Capenam port. intelligit.

3. *De Calatino*. Anno 495 A. Atilius Calatinus Enna, Drepano, Lilybæo hostilia præsidia dejecit, Panormum cepit, totamque Siciliam pervagatus, paucis navibus magnam hostium classem, duce Amilcare, superavit. MURETUS.

4. *Facturos arbitramur ?* Gœr. scrib. *arbitrabimur*. Ita, inquit, Par. 1 et 3, apud Davis. et e nostris Gud. uterq.

turbatio rerum omnium consequatur? quanta confusio? Tollitur beneficium; tollitur gratia : quæ sunt vincula concordiæ. Nec enim, si tuam ob causam cuiquam commodes, beneficium illud habendum est, sed fœneratio; nec gratia deberi videtur ei, qui suam ob causam[5] commodaverit. Maximas vero virtutes jacere omnes necesse est, voluptate dominante. Sunt etiam turpitudines plurimæ, quæ, nisi honestas natura plurimum valeat[6], cur non cadant in sapientem, non est facile defendere[7]. Ac[8], ne plura complectar 118
(sunt enim innumerabilia), bene laudata virtus[9] voluptatis aditus intercludat necesse est. Quod jam[10] a me exspectare noli. Tute introspice[11] in mentem tuam

et Bas. Et ipsa vera consecutio sic requirit. Sed offenderunt scribæ in futuro duplici, de quo vide exempla ad Legg. I, 15, 43. Addes ex aliis Ligar. 8, 24, *facturi fueritis;* ibid. 12, 34, *futurus fuerit*, cll. Philipp. IX, 1, 1, *fuerit ... futurus.* In quibus locis omnibus scribæ peccant.

5. *Tuam ob causam ... suam ob causam.* Offendere debet, quod Spir. et Erl. utramque *ob* ignorant. Inde enim suspicio nascitur, auctorem forte, *tua causa*, *sua causa*, scripsisse, quippe quæ hujus propria dicendi ratio toties corrumpatur. Sed tamen vulgatam prætulerim, ex qua in *tua*, *sua*, loco prorsus accommodate, gravior vis insit. — Pro *cuiquam* Erl. et Gud. 1, *cui*. G.

6. *Nisi honestas natura plurimum valeat.* Sensus, « nisi honestum, ex sua natura vel solum, vel maximum bonum judicetur ». Nihil autem est *honesta natura*, quod ex suis Palatt. omnibus Grut. defendit, licet idem etiam Spirens. et Erlaug. referant. Æque prave peccat Cratandria quæ *honestatis* exhibet. G.

7. *Defendere* prægnanti sensu est, « docere, quo caveas, ne talia in sapientem cadere putentur ». G.

8. *Ac*. Nostri plerique *at.* Sed vulgata verissima est : notat enim *Et sane;* et ubique partt. istæ confunduntur; cf. Acadd. II, 2, 5. G.

9. *Bene laudata virtus*, valet pro, « sua natura rite commendata ». Ita *laudabile bonum* dicitur Legg. I, 17, 48; cll. ibid. II, 5, 11. — *Voluptatis aditus intercludat.* Cum Lambino ne *voluptati* corrigas; quum obstent codd. et alioquin crebro usu sic secundus casus pro tertio dicatur. Conf. supra ad 9, 27.

10. *Quod jam a me exspectare noli.* Interp. nec ego ipse hoc tibi confirmare laborabo : hoc tibi satis tua confirmabit conscientia, si eam interroges.

11. *Tute introspice ... percontare ipse te.* His verbis Ciceronem aliquem græci auctoris locum, qui animo ejus obversabatur, nisi plane fallimur, Platonis, expressisse, certissimi sumus : facile enim se produnt, quæ hic

ipse, eamque omni cogitatione[12] pertractans, per-
cunctare ipse te, perpetuisne malis[13] voluptatibus per-
fruens[14] in ea, quam sæpe usurpabas, tranquillitate
degere omnem ætatem sine dolore, assumpto etiam illo,
quod vos quidem adjungere soletis, sed fieri non po-
test[15], sine doloris metu; an quum de omnibus gen-
tibus optime[16] mererere, quum opem indigentibus sa-
lutemque ferres, vel Herculis[17] perpeti ærumnas: sic
enim majores nostri labores non fugiendos, tristis-
simo tamen verbo ærumnas etiam in deo nominave-
119 runt[18]. Exigerem ex te, cogeremque, ut responderes,

ex aliorum imitatione scribit. Plures quidem loci similes nobis ex Phædro hujus, et de Republica (quos libros Noster maxime imitatur), item ex Alcibiade primo, etc. mentem subibant, sed non horum velut exemplum statuere licebat. Notatum tamen hoc voluimus, ut aliis, quibus plus esset otii, viam quamdam inveniendi horum fontis aperiremus. G.

12. *Cogitatione*. Præbent Gud. 1 et Bas. *cognitione* : sed scribæ ubique fere has voces permutant; cf. Acadd. II, 46, 142. G.

13. *Malis*. Secunda est persona verb. *malle* in subjunctivo.

14. *Voluptatibus perfruens*. Ita scripti nostri omnes; alii aliorum cum vett. impressis *perfluens*. Sed ita nusquam Cicero; *affluens* potius scribit. Cf. supra § 93, et sæpius. *Perfruendas voluptates* cf. Off. I, 8, 1. G.

15. *Quod vos ... potest*. His, inquit Gœrenz, parenthesis signa admovimus, sine quibus ne capi quidem recte locum putamus. *Quod* autem relat. parenthesin inchoans vide Brut. 80, 278; 97, 332.—Interp. si etiam illud addas, ut timore doloris sis liberatus, quod tamen fieri non potest.

16. *De omnibus gentibus optime*. J. V. *Leclerc* V. C. edidit *bene mer.* non admonito lectore. — Abest *gentibus* a Spir. et Erl. quod probare noli. Hæc enim applicate ad Herculem scribuntur, de quo inferius, « quæ pro salute gentium ... gessisset ». G.

17. *Vel Herculis*. Gud. 1, *velles H.* Non viderat scriba, apodosin quoque ad *malis* referri. G.

18. *Sic ... labores non fugiendos, tristissimo tamen verbo ærumnas etiam in deo nominaverunt*. Primo mire, « sic ... fugiendos ... nominaverunt ». Per zeugma hæc dici puta, pro « fugiendos existimarunt, tr. tamen ... nom. » Simili ratione Acadd. II, 21, 67, ex *dabat*, i. e. *concedebat*, cogitandum *statuebat*, etc. Deinde reduximus cum Bremio *ærumnas*, quod Davis. ad uncos damnatum, Ern. delerat. Ita enim omnes omnino et codd. et edd. vett. et sæpe sic auctor repetere sine necessitate substantiva, in quibus sententiæ vis est, solet. Denique Gud. uterq. et Bas. cum aliis multis et scriptis et vett. cusis, pro *in deo*, *ut video*. Unde putare liceat, *etiam* deleta scribendum esse *vel in deo*. Sed ex quo semel *video* peccatum esset, librarii de suo *ut* addiderunt. G.

nisi vererer, ne Herculem ipsum ea, quæ pro salute gentium summo labore gessisset, voluptatis causa gessisse diceres.

Quæ quum dixissem, Habeo, inquit Torquatus, ad quos ista referam; et, quamquam aliquid ipse poteram[19], tamen invenire malo paratiores[20] familiares nostros. Credo, Syronem dicis et[21] Philodemum, quum optimos viros, tum[22] doctissimos homines. Recte, inquit, intelligis. Age sane, inquam. Sed erat æquius, Triarium aliquid de nostra dissensione[23] ju-

19. *Poteram.* Sc. his respondere.

20. *Tamen invenire malo paratiores.* Forte *inveniri*, sc. *ad disputandum:* h. sensu, « attamen familiares nostros instructiores reperiri ad Epicuri decreta defendenda malo », sc. quippe qui hæc docendo profiteantur. G.

21. *Syronem dicis et Philodemum.* Nonnulli male legunt *Scyron.* Nostri, quos ipsi vidimus, hoc loco *Sironem* referunt : ut probabile videatur, esse hoc nomen, ut apud Servium ad Virgil. Ecl. VI, 13, *Syronem* scribendum. De *Philodemi* nomine vix dubitari licet. Erat enim hic vere Ciceronis tempore Epicureorum nobilissimus. Cf. Ascon. Ped. ad orat. in Pison. 28, p. 826, ed. P. Manut. eumque, suppresso nomine, in ista oratione Cic. l. l. ut literatum hominem, philosophum, et poetam lasciviorem, pluribus commemorat. Plerique quidem codd. *Polidemum* scribunt, ut bini Oxon. tres nostri, Vin. editique vett. plerique omnes; hi tamen fere *Polydemum.* At hujus nominis nullus Epicureorum Ciceronis ætate claruit. Ceterum post *Syronem*, *inquam* excidisse videtur, quod vel Tironiana nota *ī*, vel *iū* scribæ sæpe pingunt. G. — Syro et Philodemus erant ambo inter primos illius ætatis Epicureos, prior Ciceronis amicus, ut patet ex ejus Epistt. Div. VI, 11, et ex Acadd. II, 33, 106; posterior, qui nonnullos de philosophia libros et erotica poemata scripserat : est iste idem ille Philodemus, patria Gadarenus, cujus plura scripta ex Herculanei quasi sepulcro eruta sunt, quorumque illud περὶ Μουσικῆς Neapoli 1793, editum est. Ab eodem Epigrammatum plus quam triginta in Iacobsii Anthologia græca leguntur. Cf. t. II, p. 70—79.

22. *Quum optimos viros, tum.* Gœr. scrib. *tum ... tum.* Sic, inquit, quatuor nostri, editique bene multi : *tum ... tum* enim h. l. *partim ... partim* notat. Ceterum, quod *viri ... homines* ponitur, cf. Divv. II, ep. 14 : « Fabio viro optimo, et homine doctissimo ». Ita auctorem crebro more scribere, multis locis docuit Vir Doctus in Bibl. Crit. III, parte ult. p. 62. Causam hujus primo adspectu miræ rationis in eo positam putabis, quod sic distinctius laudatur. G.

23. *De nostra dissensione.* Quatuor nostri, uno Gud. 2 excepto, transverso ordine *de dissensione nostra.* Sed prave, quum ex oppositione adjectivo, his contextis, vis adsit. Sæpe autem monuimus, neque quidquam

dicare. Immo, inquit[24] arridens, iniquum, hac quidem de re. Tu [25] enim ista lenius; hic stoicorum more nos vexat. Tum Triarius, Posthac quidem, inquit, audacius. Nam hæc ipsa mihi erunt in promptu, quæ modo audivi; nec ante aggrediar, quam te ab istis [26], quos dicis, instructum videro. Quæ quum essent dicta, finem fecimus et ambulandi, et disputandi [27].

certius est, adject. si in eo pondus inest, præponi. G.

24. *Immo, inquit.* Gœr. scrib. *Ejuro, inquit.* In vulgata, inquit, semper offendimus; quis enim hanc ellipsim tulerit? Neque sic codices: immo tres Oxonn. cum binis nostris *juro.* Spir. et Erl. *jure.* Inde nobis plus quam verosimilis conjectura visa est, quam edidimus. Nota enim ex jure dicendi forma est, *ejurare iniquum*, vel *forum* vel *judicem*, i. e. *recuso ut iniquum.* Verr. III, 60, 197: « Negotiatores putant esse turpe, id forum sibi ejurare, ubi negotiantur». Cf. Orat. II, 70, 285, « quum ei (Scipioni) M. Flaccus, multis probris objectis, P. Mucium judicem tulisset. Ejero, inquit, iniquum. Quum esset admurmuratum: Ab, inquit, P. C. non ego mihi illum iniquum ejero, verum omnibus ». Adde Philipp. XII, 7, 18, « me iniquum ejurabant, etc. » Hoc autem loco *e* per præcedentis vocis ultimam literam extrusa est. Ita demum intelliges, cur auctor *arridens* addiderit: nec negliges, quod idem in librorum fine acute, vel lepide dictum aliquod admiscere solet. Cf. Acadd. II, 48, 148: « Tum ille (Hortensius) ridens, tollendum ». Sic item infra V, 32, 98: « Non quam nostram quidem, inquit Pomponius jocans ». Cf. Orat. I, 62; ibid. II, 90, 267, etc. His rite perpendendis, vix quisquam erit, qui nos in eo, quod *ejuro* recepimus, jure accusare audaciæ possit.—*Inquit*, sc. Torquatus.

25. *Tu*, Cicero; *hic*, Triarius.

26. *Ab istis, quos dicis.* Sc. Syronem et Philodemum, Epicuri defensores.

27. *Finem fecimus et ambulandi, et disputandi.* At quomodo *ambulandi?* nam nulla utroque hoc libro ambulationis mentio. Unum illud ad dialogi quasi scenam formandam supra additur I, 5, 14, Torquatum et Triarium salutandi Ciceronis causa in Cumanum venisse. Nec in fine prioris libri, nec ab initio hujus posterioris quidquam, quod huc trahi possit: immo hi ita arcte junguntur, ut continuo ab ultimis defensionis verbis ad prima oppugnationis pergat oratio. Neque intercidisse quidquam putes: eamdem enim rationem inter tertium et quartum librum servatam vides. Quid igitur judicandum? Vix aliud relinquitur, quam hoc: Auctori, quum diu hos libros, ut in introductione docuimus, in scriniis continuisset, nonnulla in iis subinde, uti solebat, resecando, addendo; quum consarcinasset interea etiam alteram Academicorum editionem, Tusculanasque Disputationes inchoasset; facile tale quid accidere potuit, ut initii oblitus putaret antea se de ambulatione inter disputandum mentionem fecisse.

M. T. CICERONIS

DE FINIBUS BONORUM ET MALORUM,

AD BRUTUM,

LIBER TERTIUS

ARGUMENTUM
LIBRI TERTII DE FINIBUS.

Ut antecedentium librorum altero Epicuri sententia proponitur, altero refellitur, ita Stoica ratio, hoc tertio enarrata, quarto impugnatur. Ad quam rem parans auctor sese de difficultatibus primum conqueritur, quas subtile Stoicorum disserendi genus objiciat, idque maxime latino in sermone, ad has res, in ipso novas, aptando, § 1-3. Sua quidem cuique arti verba esse, a vulgari usu remota : sed horum Stoicos præ ceteris plurima novasse; quippe quorum inventa verbis magis novis, quam rebus constent. Quodsi Græcis liceat in rebus a vulgari cognitione separatis, et in lingua, quæ (quamquam falso) copiosior putetur : multo id magis in latina lingua licere, in qua hæc nunc primum tententur. Latinam enim in romanis artibus (cf. Tusc. I, 1, 2), græca esse etiam superiorem; enitendum igitur, ut eadem idem sit in artibus græcis : modo quod verba, ex veteri usu et instituto recepta, ut philosophia, dialectica, etc. retineantur, § 4, 5. Excusat deinde se auctor, quod ad Brutum de rebus scribat ipsi notissimis; sed mittere se hæc ad eum dicit, tamquam ad æquissimum horum studiorum æstimatorem et judicem, § 6.

Jam, scena sermonis in Tusculanum L. Luculli, nuper fato defuncti, translata, fingit se Cicero bibliothecam ibi Lucullеam, ut quemdam Aristotelis librum inde promeret, adisse, in eaque Catonem deprehendisse, Stoicis libris circumdatum; utpote et huic disciplinæ deditissimum, et omnino lectionis librorum avidissimum. Sic inter hos sermonem esse natum, quum de hærede hujus bibliothecæ, puero Lucullo, tum de Stoicorum ratione, ad quam hic ipsum traductum vellet; quippe quem omnium maxime deceat, nihil, nisi virtutem, in bonis numerare, § 7-10. Tum, negante Cicerone Stoicos re ab Academicis diversos, discrimenque omne in verbis ponente, Catonem contra nisum esse, et denique promisisse, totam Zenonis et Stoicorum de finibus sententiam se explicaturum, § 10-14. Præfatus hic igitur

pauca de Stoicarum rationum difficultate et obscuritate, inprimis latino sermone eas enarranti, rem ipsam aggreditur, § 15, 16.

Omne animal, ex quo natum sit, eo ferri, ut se, suumque statum conservet, ab hisque refugere, quæ ipsi interitum concilient, aut conciliare posse videantur. Nam parvos, prius quam voluptatem doloremve senserint, appetere salutaria, quæ contra sint, abhorrere : idque fieri e sensu sui, quo se suaque diligant. Hinc principium ductum esse, a se diligendo. In reliquis autem principiis naturalibus, voluptatem a plerisque Stoicorum, jure non admitti; ne turpia inde consequantur. Sed prima a natura data recte diligi. Omnes enim omnino integras corporis partes esse malle, quam affectas et pravas. Notiones quoque communes (καταλήψεις) ipsarum causa esse asciscendas, quod in sese expressa veritatis signa contineant : nam vel pueros delectari, si quid ratione suapte sponte intellexerint, si vel ipsi nihil inde emolumenti sperent. Ita item artes propter se ipsas esse amplectendas, § 16-19.

Progredienti ab his, primis a natura datis (conservatione sui ipsius, rerum cognitione, et artibus), primam sequi divisionem, rerum *æstimabilium* et *inæstimabilium*. *Æstimabile* autem esse, quod vel ipsum secundum naturam sit, vel certe ejusmodi quid efficiat, quod æstimari, atque inde seligi, mereatur. Contra vero *inæstimabile*, contraria vi esse, atque ita rejiciendum. Ita primum hominis officium esse, conservare se in naturæ statu: deinde, ut ea sequatur, quæ secundum naturam sint, quæque secus, removeat. Hæc ipsa, selectionis beneficio inventa, sequi porro selectionem respectu ad officium proxime habito; quæ si perpetua fuerit, exoriri denique illam, in qua naturæ prorsus consentanea sequaris : atque tum demum simul intelligi, quid vere bonum dici mereatur, § 19, 20. Primo enim applicare se hominem (οἰκειοῦσθαι) ad ea, quæ sint secundum naturam (i. e. prima naturæ): sed ex quo intelligentiam ceperit, i. e. rerum agendarum ordinem et quasi concordiam cognoverit, longe tum eum hanc illis natura primis præferre : atque ita *convenientiam* vitæ, ipsumque honestum summum bonum statuere; quum hoc per se sit expetendum, illa per se expetenda non sint. *Officia* autem ad prima naturæ referenda esse, quippe a quibus proficiscan-

tur : modo ne in his summum bonum ponatur, quum in applicatione ad prima natura honesta actio quærenda non sit, sed post illam oriatur. Esse tamen et hanc secundum naturam, et longe intentius ad se expetendam invitare, quam superiora. Inde sequi, falli eos, qui duo ultima bona statuant : superiora enim illa ducere modo ad ultimum bonum, non id ipsum continere, § 21, 22. Ut autem omnia officia a primis naturæ repetenda sint, ita ipsam quoque sapientiam : sed hanc illis nobis cariorem fieri, commendatam ab iisdem, quum appetitio animi ad certam tantum vitæ rationem data sit; eodemque modo ratio, et perfecta ratio (in qua consistit sapientia), § 23-25.

Egregie autem illa cum his modo positis convenire. Nam quum ultimum bonum sit, naturæ convenienter vivere; necessario sequi, ut omnes sapientes semper feliciter, pleneque fortunate vivant. In hoc autem, quod *honestum solum bonum* sit, omnem non solum disciplinæ, sed etiam vitæ rationem contineri; idque licet copiose ornateque doceri possit, malle se tamen breviter conclusa Stoicorum sequi. Hos autem sic argumentari : omne bonum laudabile, omne laudabile, honestum esse; esse igitur omne bonum, honestum. In hoc posterius sumptum ab adversariis concedi, non concedi prius, omne bonum esse laudabile. Sed primo eum perabsurdum esse, qui bonum quodque, non expetendum; expetendum, non placens; placens, non diligendum, atque inde probandum, judicet. Jam quod probandum sit, id laudabile; laudabile autem honestum : bonum ergo esse honestum, § 26, 27. Deinde, nonnisi de beata vita gloriari licere : hanc igitur solam gloriatione dignam. Id autem fieri non posse, nisi hæc sit etiam honesta : sequi ergo, honestam vitam eamdem esse cum beata. Ut porro ei, qui jure laudetur, aliquid sit, unde decore et gloria insigniatur, et propterea recte beatus dici possit; utque inde hujus vita jure honesta dici mereatur : ita, si beata vita item honesta sit, honestum ipsum solum bonum putandum esse, § 28. Certissimum enim esse, virum fortem effici non posse, qui dolorem in malis putet : fortem enim, quæcumque homini accidant, despicere : nihil igitur hunc in malis ponere, nisi quod turpe sit. Hinc consequi, nihil bonum esse, nisi honestum : beate vivere autem idem valere, quod honeste, vel cum virtute, vivere, § 29.

Varias quidem esse sententias philosophorum, summum bonum in animo ponentium; et quamquam hi præferendi sint illis, qui vel virtutem a summo bono separent, vel virtuti aliud quid addant: tamen absurdos esse et eos, qui scientiam, et eos, qui ἀδιαφορίαν (Acadd. II, 42, 130) tale statuant. Reliquum igitur hoc esse, ut summum bonum sit, vivere sic, ut scientia rerum, natura evenientium, ubique adhibita, ea seligas, quæ secundum naturam sint, contrariaque rejicias, i. e. ut convenienter naturæ vivas, § 30, 31. Contrariam autem rationem esse sapientiæ et reliquarum artium: quæ enim artificiose facta dicantur, hæc per consequens (et accessionem) talia esse: at quæ sapienter, ea esse statim a primo nisu omnibus numeris absoluta, atque huc Stoicis id pertinere, quod in expetendis ponatur. Ut enim peccata non in effectu solum, sed in primo jam animi nisu, peccata sint: ita, quoad virtutem, recta a prima inde animi intentione, in rectis numeranda esse, § 32.

Boni definitionem amplecti se dicit Cato illam Diogenis, *id quod natura sit absolutum*, bonum esse statuentis. Huic per consequens adesse utile, idque partim *motum* (utile modo videri), partim *statum* (vere utile) esse, *e natura absoluto*. Boni autem notitiam factam esse collatione rationis, cujus ope animus, ascendens ab iis, quæ secundum naturam sint, ad boni notionem pervenerit. Hoc ipsum autem bonum vi modo propria sua valere, æstimandumque esse, non magnitudine, sed genere. In perturbationibus autem naturæ vim nullam inesse, quippe quæ omnes e falsis opinionibus oriantur. Sapientem igitur semper ab his liberum esse debere, § 33, 34, 35. Quod autem bonum omne per se expetendum sit, id primum facile ex eo probari, quod nemo umquam tam perditus sit, quin, quod sine scelere possit, id cum scelere fieri malit, etiamsi prorsus impune sic possit. Nulla deinde utilitatis appetitione occulta naturæ nos, cognituque digna, scrutari; aut illustrium virorum facta, dicta, consilia discere. Tum ingenue educatum quemque, vel in aliena turpitudine, quæ ipsum non lædat, offendi. Atque sane, ista nisi per se odio digna esset, quum clam facere posset, in omne dedecus se esse effusuram. Ex his intelligi, honestum solum esse bonum, idque mediis illis (nec honestis, nec turpibus) ab ipso pendentibus, longe præferendum, § 36-40.

His præmissis, pergit ad magnam illam, motam singulari Carneadis acumine, controversiam, Stoicos a Peripateticis, in tota de bonis et malis quæstione, non rebus, sed verbis discrepare : contenditque longe majus inter eos esse rerum, quam verborum discrimen, quum primum Peripatetici dolorem in malis ponant, Stoici sapientem vel in tormentis beatum prædicent. Illos deinde, admissis tribus bonorum generibus, vitam omnem complere commodis a corpore rebusque externis pendentibus : hos secus; quippe quibus ne prima naturæ quidem ad beatam vitam quidquam conferant, sed una virtus tantum valeat, ut res in corpore positas, velut lux solis lucernæ lumen, obruat, et penitus obscuret, § 40-45. Ut (agendi) opportunitas in ipso rei agendæ momento cernatur, nec accessione temporis produci possit : sic in ipsum bonum crescendi accessionem non cadere. Parum autem acute objici, ex eo quod valitudo longa brevi præferenda sit, sapientiæ usum, quo longior sit, eo esse præstantiorem : quum valitudo *spatio* æstimetur, virtus, opportunitate. Stoicos autem, qui crescere summum bonum negent, negare etiam alium alio aut sapientiorem esse, aut magis vel peccantem, vel recte facientem. Mira hæc quidem videri, sed, ut ex veris firmisque consequentia, recte probari, § 46-48. Divitias autem, secundum Diogenem, non modo hoc valere, ut ad voluptatem et valitudinem quasi ducant, sed utramque etiam contineant. Ad virtutem vero et ceteras artes ducere illas quidem, continere eas minime, neque quidquam omnino, quod in bonis numeretur. Hinc pergit disputatio ad rerum differentiam, quæ nisi esset, vita omnis confunderetur; nec sapientia ad eam degendam, nec delectus rerum ullus adhiberi posset, § 49-51. Quamvis igitur certum sit, solum bonum, honestum, solum malum, turpe esse; tamen aliquam differentiam ut statuerent, necesse fuisse, ut alia essent, quæ æstimarentur, alia contra, alia denique neutrius partis essent. Hinc προηγμένα illa, et ἀποπροηγμένα distingui, quæ in ἀδιαφόροις sint, æstimatione mediocri dignanda. Fuisse enim necessario quædam in mediis (inter honestum et turpe) relinquenda, atque hæc esse, quæ sint secundum naturam, aut contra. Referenda igitur προηγμένα ad finem esse; sed ad hujus vim naturamque nihil pertinere, § 51-54. Προηγμένα autem vel præposita, triplicis generis esse : partim

propter se ipsa præposita esse, partim ex sese aliquid efficere, partim ab utraque parte valere. Bonam autem famam (εὐδοξίαν) posteriores Stoicos, Carnadeorum argumentorum vim non ferentes, in propter se præpositis statuisse, quum Chrysippus et Diogenes eamdem rectius in iis modo posuissent, quæ ex se aliquid efficerent, § 55-57.

Officia autem licet nec in bonis, nec in malis, sed in mediis, ponantur, tamen fungi iis consentaneum esse. Esse autem officia in mediis ponenda, patere inde, quod media in sese probabile quid habeant, cujus reddi ratio possit; officium autem ejusmodi factum sit, de quo probabilis ratio reddi possit. Officio porro sapientem quoque teneri. Quum enim perfectum officium sit, dari etiam inchoatum (imperfectum) necesse esse: ut, quum juste depositum reddere in recte perfecteque factis sit, depositum reddere simpliciter sit officii. Quum enim non dubium sit, quin ex mediis aliud sumendum, aliud rejiciendum: quidquid simpliciter ita fiat, id in communi officio poni. Ita et sapienti et insipienti commune esse officium. Ad has res medias, unde officia nascantur, omnes referri etiam cogitationes nostras: in his quoque excessum e vita, et in vita mansionem. In quo enim plura sint, quæ secundum naturam sunt, hujus officium esse, in vita manere: excedere e vita vero ejus, in quo plura contraria aut sunt, aut fore videntur. Ergo sapientis aliquando esse, e vita excedere, quia beatus sit; stulti contra, quia hic miser sit, in vita manere, § 58-61.

Ex eo vero, quod parentium in liberos amor a natura sit, communem quoque humani generis societatem ex eodem fonte derivari. Eamdem naturæ vim ex labore bestiarum quoque in fœtu et educatione perspici. Natura igitur nos ad procreatorum a nobis amorem impelli. Inde item patere, naturam homines hominibus commendasse, ut cœtus, concilia, civitates essent. Mundum autem quasi communem quamdam hominum deorumque esse urbem, et unumquemque aliquam ejus partem, § 62-64. Naturæ inde usu communem utilitatem, propriæ cujusque anteponendam esse; nec minus peccare, qui suam utilitatem communi anteferat, quam si patriam prodat. Nec eorum, qui nondum nati sunt, curam esse negligendam: hinc testamenta proficisci, et morientium commendationes. Neque velle quem-

quam, si vel omnibus rebus largissime abundet, ab omni hominum societate remotum vivere. Impelli potius quemque natura, ut prosit quam plurimis, maxime ingenii doctrinæque ope. Esse igitur homines ad civilem communitatem natura consociatos: quod secus si esset, nec justitiæ, nec benignitati locus foret; eum enim, qui hoc civile jus servet, justum esse, qui idem migret, injustum, § 64-67.

Sed, quamvis mundus communis sit omnibus, suum tamen quemque locum tenere: atque inde sapientem quoque rempublicam gerere, uxorem ducere, et ex ea liberos tollere velle, § 67-69. Ad conservandam autem hominum societatem emolumenta et detrimenta velle Stoicos communia; itemque paria: incommoda autem et commoda, communia quidem, sed paria minime. At recte facta, et peccata, communia non esse. Amicitiam vero adhibendam esse, quum ad ea pertineat, quæ prosint. Amici autem rationem non minus caram sapienti esse, quam suam. Neque amicitiam, nec justitiam, propter utilitates sectandas esse: nam quæ utilitates eas pepererint, easdem has etiam evertere posse. Jus autem a natura nihil differre; nec sapientem injuriam facere, nec utilitatem a justitia secludi posse: quidquid porro æquum justumque sit, id item esse honestum; atque ita vicissim, § 69-71.

In virtutibus vero Stoicos Dialecticam et Physicam numerare: illam, quod temeritatem et ignorantiam pellat, hanc, quod, qui naturæ convenienter vivere velit, eam ipsam cognitam habeat, necesse sit, § 72, 73. Adduntur nonnulla de persona et dignitate sapientis: solum eum regem, divitem, pulchrum, liberum, invictum, solum igitur beatum esse, § 74, ad finem usque.



M. T. CICERONIS

DE FINIBUS BONORUM ET MALORUM,

AD BRUTUM,

LIBER TERTIUS.

I. Voluptatem quidem[1], Brute, si ipsa pro se loquatur, nec tam pertinaces habeat patronos, concessuram arbitror, convictam superiore libro, dignitati[2]. Etenim sit impudens[3], si virtuti diutius repugnet, aut si honestis jucunda anteponat, aut[4] pluris esse 1

I. 1. *Voluptatem quidem*. Ante Davis. *equidem* vulgabatur : sed ut sex hujus seripti cum Victoriana *quidem* exhibent ; ita nostri omnes, duo Oxx. P. Mars. Crat. editique vett. plerique idem confirmant. Falluntur enim, qui *equidem* pro *quidem* simpliciter a Cicerone poni statuunt. Est hic mos serioris maxime ætatis, quæ nescio quam elegantiam in *equidem* ad alias, præter primam, personas ponenda, quærit. Neque sane dubitari debet, hanc part. pro *ego quidem* poni, quæcumque etiam cum aliis Schellerus, ut sæpius, ita maxime Observv. p. 111 sq. monet : nam id loca reliqua infinito numero clare contestantur. De reliquis auct. vett. nunc quidem tacemus : quæ autem ex Cicerone loca afferuntur, ea sine exceptione ejus generis sunt, ut facile ex præcedente syllaba *e* adhærescere potuerit. Præcedit enim in istis, quæ laudantur, locis partim e, partim *e* : quod item h. l. valet, quum *m* lineola superscripta a librariis notari soleat, ut *s* in finali syllaba *es*, Att. XIII, ep. 26, fin. At pro Sext. 57, 122, verba, *equidem audiebamus*, multiplici de causa glossam sapiunt. Cf. inferius § 9. G.

2. *Concessuram... dignitati*. In his ne hæreas, VV. DD. parum caverunt. *Concessuram* valet *cessuram* ; amat enim auctor hoc compositum pro simplici positum. *Dignitati* autem, abstracte eum vi pro « æmulæ digniori, quam ipsa est », dicitur. Similiter Græci συγχωρεῖν ἀξιώματι. Verba autem *convictam... libro*, consulto interposita putabis, ut vox *dignitati* eo graviore pondere clausulam occuparet. G.

3. *Etenim sit impudens*. Ex verborum collocationis ratione cum asseveratione accipienda sunt. G. — Intellige : Imprudens sit oportet si, etc.

4. *Aut... aut*. Duplex *aut* aperte explicantis est, qua vi positam VV. DD. toties lacessunt. G.

contendat dulcedinem corporis titillantem[5], ex eave natam lætitiam, quam gravitatem animi atque constantiam. Quare illam quidem dimittamus, et suis se finibus tenere jubeamus[6], ne blanditiis ejus illecebrisque impediatur disputandi severitas. Quærendum est enim, ubi sit illud summum bonum, quod reperire volumus, quoniam et voluptas ab eo remota est, et eadem fere contra eos dici possunt, qui vacuitatem doloris finem bonorum[7] esse voluerunt. Nec vero ita ullum probetur summum bonum, ut virtute careat; qua nihil potest[8] esse præstantius. Itaque

5. *Dulcedinem corporis titillantem.* Gœr. scrib. « dulc. corp. et titillationem », quam lect. jam receperat et defenderat Dav. Vulgatur, inquit Gœr. *corp. titillantem*, quæ est solius Riviani codicis. Sed ut alii aliorum cum vett. editis multis; Ita tres nostri, *et titillantem :* ex compendio nempe *titillatem*, cujus linea super *a* transposita necessario vulgatum peperit. Hinc alli scripti, *et utilitatem* (ut olim vulgatum est) peccant, librariis, ignotum ipsis, et incongruens visum, subst. sic mutantibus. Recte igitur Davis. ex cod. Ursini et Eliens. 2 sic edidit. At ignorant hæc ipsa Spireus. et Erl. modo *dulc. corporis* exhibentes! Ex eadem causa puta, ex qua alii scribæ pro lubidine mutarunt. De γαργαρισμῷ, Epicuri proprio hac in re verbo, vide l. l. Bremius quidem monet, sic trium substantivorum loco, duo modo sequi, « gravitatem animi, et constantiam ». At non tria his duobus opponuntur : nam vv. « ex eave natam læt. » seorsim ponuntur, quasi ex parenthesi. Recte autem illa ut ἓν διὰ δυοῖν posita, per *dulcedinem titillantem* explicabis, qua figura auctor sæpissime. Vide plura ad Legg. I, 17, 47, « quia hac dulcedine (voluptatis) et scabie carent ». Conf. ad Acadd. II, 8, 26.

6. *Suis se finibus tenere jubeamus.* Nulli nostrorum *tenere*, nisi quod in Gud. 1 superscriptum est, qui cum Gud. 2, *cedere;* reliqui *petere :* atque ita plerique aliorum. Vulgatum Davisiani 4, in quibus est Eliens. 2 (quod vett. impressorum tantum non omnium est), confirmant. *Tenere* et *cedere*, media syllaba ex compendio suppressa, facile permutari potuerunt. Sed quo modo *petere*, quod inepte Gronov. et Verburg. admisere, tantæ auctoritatis scriptos occuparit, vix dispicere est, nisi librarii pro libidine in loco non intellecto correxerunt. Vulgatum tamen verum judicamus, quippe quod plane sit ex auctoris usu. G.

7. *Finem bonorum.* Bremiana, diversitate nullis scriptis defensa, *summum bonum* refert.

8. *Nec vero ita ullum probetur summum bonum, ut virtute careat; qua nihil potest.* Gœr. scribit : « Nec vero ullum probetur ut summum bonum, quod v. c. qua nihil possit ». Multa, inquit, in his novanda fuerunt : ut edidimus, plene referunt Spir. et Erl. nisi quod *posset* cum Gud. 1, et tribus Oxonn. peccant, Gudiano 2, Bas.

quamquam in eo sermone, qui cum Torquato est habitus, non remissi fuimus : tamen hæc acrior est cum stoicis parata contentio. Quæ enim de voluptate dicuntur, ea nec acutissime, nec abscondite disseruntur. Neque enim qui defendunt eam, versuti in disserendo sunt, nec qui contra dicunt, causam difficilem repellunt[9]. Ipse etiam dicit Epicurus, ne ar- 3
gumentandum quidem esse de voluptate, quod sit positum ejus judicium[10] in sensibus, ut commoneri nos satis sit, nihil attineat doceri[11]. Quare illa nobis simplex fuit in utramque partem disputatio. Nec enim in Torquati sermone quidquam implicatum, aut tortuosum fuit; nostraque[12], ut mihi videtur, dilucida oratio. Stoicorum autem non ignoras quam sit subtile, vel spinosum potius, disserendi genus : idque quum Græcis, tum magis nobis, quibus etiam verba parienda sunt, imponendaque nova novis[13] rebus no-

binisque Oxonn. *possit* præbentibus; quod ipsum ex tribus suis Davisius correxit; exhibentque idem Ven. 1494, et aliæ. *Quod*, pro vulgato *ut*, referunt etiam E. et ξ. quum alii codd. inque his tres reliqui Oxonn. cum Crat. *que* exhibeant. Ceterum prodit se ipsa vulgatæ diversitas ut a scribis profecta. *Qua* est *cum ea*, atque inde conjunctivus.

9. *Causam difficilem repellunt.* Lamb. *refellunt*, quod Ernestio non displicet, licet utramque formam et *refellere*, et *repellere causam* duriorem judicet. Sed satis huic Brem. occurrit. Adde quod auctor *repellere* simpliciter pro *refutare* ponit; cf. Verr. IV, 4, 8 : « Sed quid ego tam vehementer invehor? Verbo jam uno repellar. Emi, inquit ». Similiter etiam Tusc. V, 6, 15, *profligare quæstionem* dicitur; utroque verbo e re militari traducto. G.

10. *Ejus judicium.* Gœr. scr. *judicium ejus.* Hoc, inquit, ordine Spir. Erl. Bas. Gud. 1, nec causæ quidquam est, quare *ejus* interponatur, quum vis in *sit* cernatur, non in *positum.*—*Judicium* valet κριτήριον. G.

11. *Doceri*, de argumentis a ratione petitis intelligendum est : quæ Epicurus rejiciebat, solis sensibus fidem suam addicens. G.

12. *Nostraque.* Lambinus conjicit *totaque*, quam conjecturam infelicem declarat Davisius, nullusque editor recepit.

13. *Imponendaque nova novis rebus nomina.* Spir. et Erl. *nova rebus novis*; quod forte putabis melius, quum auctor opposita verborum inversione insigniat, et tum fere scribæ mutent. Cf. V, 29, 88. Sed idem adjectiva eadem, ut *singula singulis*, *alii alios*, etc. consociare amat; cf. Nat. Deor. I,

mina. Quod quidem nemo mediocriter doctus[14] mi-
rabitur, cogitans, in omni arte, cujus usus vulgaris
communisque non sit, multam novitatem nominum
esse, quum constituantur earum rerum[15] vocabula,
4 quæ in quaque arte versentur. Itaque et dialectici,
et physici verbis utuntur iis, quæ ipsi Græciæ nota
non sunt[16]. Geometræ vero, musici, grammatici,
etiam more quodam loquuntur suo[17]. Item ipsæ rhe-
torum artes[18], quæ sunt totæ forenses atque popu-

17, 44: « sunt enim rebus novis nova ponenda nomina ». Quo ex loco Bas. audiendus esse videtur, qui item simpliciter *ponendaque* promit. Gud. 1 et Bas. *nova rebus nomina novis*; quæ structura poetæ foret, non prosæ scriptoris. G.

14. *Nemo med. doctus.* Ernest. qui verbis, *nemo mediocriter doctus*, *ne* aut *vel* addi vult, recte opponit Brem. Tusc. II, 3, 7. Quum vero vel hic locus sollicitetne, adde ad Herenn. IV, 4, 7: « id facile faciat quivis mediocriter literatus ». G.

15. *Earum rerum vocabula, quæ.* Gœr. dat: « ea rerum voc. quæ ». Ita, inquit, Spir. et Erl. Vulgata licet ferri possit, tamen a nobis receptum præferri meretur. Scripsisset enim tum haud dubie auctor *iis rebus*. Rectius etiam *quæ* ad *vocabula*, quam ad *rerum*, refertur, h. s. « quibus in quacumque arte peculiaribus uti liceat ». Ex vulgata ratione, quo *quæ* applices, ambiguum est. Adde denique, alteram lectionem magis a scribis ortam videri, quam nostram. Eadem ratione non multo post in vv. *ea res* peccatum esse videbis.

16. *Iis, quæ ipsi Græciæ nota non sunt. Non* servant, præter Gud. 2, nostri omnes, male abjectam a Grutero, quum sensus sit, « Græci et dialectici et physici verbis utuntur, quæ a Græcis, non dialecticis..... ignorantur ». *Græciæ* pro *Græcis*, sæpe auctori positum, ita scribas offendit, ut Gud. 2 et Mars. ejus loco *scientiæ* pro arbitrio correctum exhibeant. Restituendum idem est ex Gud. 2, et uno nostrorum optimo, Orat. 8, 25: « Rhodii numquam probaverunt (id dicendi genus); Græcia multo minus: Athenienses vero funditus repudiaverunt ». Vulgo *Græci*; sed præcesserat *Caria*, *Phrygia*, *Mysia*; et Cic. variationem amat. G.

17. *Geometræ vero, musici, grammatici, etiam more quodam loquuntur suo.* Gœr. scribit: « Geometræ vero, et musici, etc. » virgulamque post *etiam* ponit. Non viderunt, inquit, VV. DD. *etiam*, sic distinctam, necessario cum vi dici debere; quam contexta non admittunt, nisi virgula postposita. Sed tum desiderabatur *et* ante *musici*, quam nos addidimus e nostris omnibus, Gud. 2 excepto, qui totum locum, *geom.... item*, ignorat.

18. *Ipsæ rhetorum artes.* Offendor in *rhetorum*: nam ubi auctor umquam sic plurium numero de rhetorica? Immo hoc modo artificia (*Kunstgriffe*) intelligenda forent, quæ rhetores discipulos suos doceant; idque contextis invitis. Putamus potius, his artibus eam reipublicæ gubernandæ, et juris quum publici, tum privati,

lares, verbis tantum in docendo [19] quasi privatis utuntur ac suis.

II. Atque, ut omittam has artes elegantes[1] et ingenuas, ne opifices quidem tueri sua artificia possent, nisi vocabulis uterentur nobis incognitis [2], usitatis sibi. Quin etiam agricultura, quæ abhorret ab omni politiore elegantia, tamen eas res [3], in quibus versatur, nominibus notavit novis. Quo magis hoc philosopho faciendum est. Ars est enim philosophia vitæ [4]; de qua disserens arripere [5] verba de foro non potest. Quamquam ex omnibus philosophis stoici plurima novave-

prudentiam simul intelligi. Id enim scribas ad glossam addendam commovere potuit, quod non capiebant *ipsæ*, pro *eæ ipsæ* dici : de qua pronominis vi toties egimus. His haud parvum momentum ex Gudieno 2 accedit, qui istam ipsam vocem in textu ignorat : modo, glossematis more, minutis literis superscriptam refert. *Rhetorum* igitur scribarum esse statuimus. G.

19. *Verbis tantum in docendo.* Gœr. scribit *tamen*, quod J. V. L. probat, notatque : Vulgata *tantum*, quam Grut. e Pal. 1 induxit, nihil plane habet, unde vel excusetur modo; necessarioque nobis cum Bremio, *tamen*, *certe* v. *saltem* notans, reponendum fuit. Rectius idem ex eodem *docendo* dedit, quod illi bini nostri cum Gud. 2, Vien. et Crat. in marg. firmant; reliquis *dicendo* peccantibus.

II. 1. *Has artes elegantes.* Spir. et Erl. *has* non male ignorent : quamquam pron. stare potest. Iidem priscam formam *elegantis* præbuerunt. G.

2. *Nobis incognitis.* Refert Erl. et Gud. *novis*. Quod ne probes, notabis, auctorem tum, *sibique modo usitatis*, vel simpliciter, scripturum fuisse. Neque audiendus Marsus est, qui *nobis* ignorat ; quippe quod ex oppositione stare debeat. G.

3. *Tamen eas res.* Gœr. scrib. *tamen ea res.* Ita, inquit, Spir. Erl. Bas. Vien. cum Crat. et forte aliorum complures; sed VV. DD. vitium esse puterunt, quod vera lectio est. Etsi enim vulgata, *eas res* ferri potest; longe tamen *ea* melius est, et plane ex auctoris usu, quum *quæ*, *quamquam ea*, valeat, atque ita recte *ea* addatur. Cf. Acadd. II, 25, 79. Si *eas* retinebis, quæremus, cur non melius pron. omissum sit, vel certe ex perpetuo auctoris usu in clausula (*res eas*) positum? Scribas autem in vulgatam pæne necessario deflectere debuisse, si eorum ingenium recte noveris, ipse fateberis. Similiter paullo superius in *ea rerum* peccatum vidimus.

4. *Ars est enim philosophia vitæ*, pro *Phil. enim est ars vitæ.* Hæc verborum collocatio ex solo orationis tenore, quem sonum vocamus, probari potest. G.

5. *Arripere... de foro.* Int. quibus vulgo utuntur : et *arripere* temeritatem eorum usum, delectu omni secluso, indicat. G.

runt[6], Zeno quoque[7] eorum princeps non tam rerum inventor fuit, quam novorum verborum[8]. Quod si in ea lingua, quam plerique uberiorem putant, concessum a Græcia est[9], ut doctissimi homines de rebus non pervulgatis[10], inusitatis verbis uterentur : quanto id nobis magis[11] est concedendum, qui ea nunc pri-

6. *Stoici plurima novaverunt.* Editi vett. multi, non omnes, ut Ern. vult, *nominaverunt;* quod idem vulgata haud deterius judicat. Gud. 2, *noverunt*, Gud. 1, Ven. 1494, *minaverunt:* unde hanc lectionis varietatem ex compendio ortam esse patet. Reliqui tres nostri vulgatam firmant, a Lambino profectam, et per Pal. 1 et 3 stabilitam. Quod autem Ern. *nominaverunt* æque probum dicit, in eo valde discrepo : nam præterquam quod vulgatum multo significantius est, toto etiam loco de *novandis* verbis sermo est, i. e. « non solum de novis rerum nominibus inveniendis, sed dudum inventis novas etiam significationes addendis ». G.

7. *Zeno quoque.* Gœr. scrib. *Zenoque.* Sic, inquit, e Spir. et Erl. dedimus. Sæpius docuimus hanc *que*, si continuativa est, aut transitiva, tum sic, tum aliter corrumpi solere, v. c. Legg. II, 8, 19. Sic corriges Nat. Deor. I, 13, 33, *Aristotelesque :* sic alibi Orat. III, 55, 211, scribi, « et quales ipsique » jussimus : sic denique ex binis nostris restitues Leg. Manil. 18, 55 : « nos, quorum majores... superarunt... vicerunt, bis (sic) nullo in loco jam prædonibus pares esse poteramus : nosque, etc. » Quibus in locis omnibus vulgo *quoque* legitur. — Ceterum locum rectius interpunximus : male enim ante *Zeno* puncto maximo distinguitur.

8. *Quam novorum verborum.* Gœr. scrib. *quam verborum novorum.* Perverso, inquit, ordine vulgatur, *novorum verborum :* pertinet enim *novorum* ad *rerum* quoque. Adjectiva autem, quæ pluribus substantivis communia sunt, vel præcedere debent, pro Muren. 17, 36 : « summo ingenio, opera, gratia, nobilitate ». Rabir. 5, 17 : « meo consilio, virtute, auctoritate » ; vel sequi, Divv. IV, ep. 8 : « gratulari magis virtuti debeo, quam consolari dolorem tuum ». Orat. III, 25, 99 : « potione uti, aut cibo dulci ». Rariori exemplo priori subst. ejusmodi adjectivum postponitur, Brut. 76, 263 : « Ea (disciplina Hermagoræ) dat rationes certas, et præcepta dicendi, etc. » Nusquam autem idem ante posterius subst. collocatum deprehendes, nisi apud poetas ; idque vel interna prosæ natura prohibente. Parendum igitur nostris, præter Gud. 2, fuit omnibus.

9. *Concessum a Græcia est.* Gœr. vv. *a Græcia* delet. Recte, inquit, voces has Bremius, improbante jam Ernestio, ad uncos damnavit, quum ab Ursini codice abessent. Nesciunt easdem Spir. et Erl. quod satis erat ad eas plene delendas.

10. *Pervulgatis.* Gœr. scribit *pervagatis.* Ita, inquit, omnes nostri et vett. edd. ut Ern. intempestive *pervulgatis* revocasse pateat. Vid. II, 5, 15. G.

11. *Quanto id nobis magis.* Gud. 2, « quanto vel nobis magis » ; Gud. 1 et Bas. cum tribus Oxonn. et vett. editis plerisque « quanto id vel nob.

mum audemus attingere? Etsi, quod sæpe diximus, et quidem cum aliqua querela non Græcorum modo, sed etiam eorum, qui se Græcos magis, quam nostros haberi volunt, nos non modo non vinci a Græcis verborum copia, sed esse in ea etiam superiores: elaborandum est[12], ut hoc non in nostris solum artibus, sed etiam in illorum ipsorum[13] consequamur. Quamquam ea verba[14], quibus ex instituto[15] veterum utimur pro latinis, ut ipsa philosophia, ut rheto-

m. » atque ita ante Grut. vulgatum est; qui ex Pal. 1, *vel* delevit. Recte, conspirantibusque Spir. et Erl. Offenderunt enim scribæ in *magis* altius reposito : sed auctor sic interponere pronn. solet. Cf. Milon. 9, 25. G.

12. *Etsi, quod sæpe... sed etiam eorum... superiores : elaborandum est.* Hæc periodus, quæ qualis nunc scribitur, intelligi nequit, Guyeto sic distinguenda et corrigenda videtur : « Etsi (quod sæpe dix.... volunt), nos non modo non *vincimur* a Græcis verb. copia, sed sumus in ea etiam superiores : elaborandum, etc. » Davisius locum sanat tollendo unam voculam *quod*, et scribit : « Etsi sæpe diximus ... nos non modo non vinci, etc. » quæ correctio maxime probabilis videtur. Gœr. verba *quod sæpe...superiores* parenthesi includit. Infinitum foret, inquit, et sine fructu, VV. Doctorum conatus in hoc loco corrumpendo referre, quum sit integerrimus. Addidimus parenthesis notas, quibus cuncta in orbem suum redeunt. — Qua tamen Gœr. correctione locum plene illustrari minime videmus.

13. *Sed etiam in ill. ipsorum consequamur.* Gœr. delet *etiam*. Hoc, inquit, Gud. uterq. et Bas. recte ignorant : nam *ipsorum* particulam hanc otiosam reddit : ne repetamus, quod toties vidimus, post *non modo*, *non solum*, ad *sed* frequenter *etiam* scribis deberi; vide ad Acadd. II, 24, 75, cll. Legg. III, 7, 17. Pro *consequamur* plures scripti, binique nostri, *assequamur :* sed vulgata multo probatior est, quum sit sermo de pluribus.

14. *Quamquam ea verba.* Mirum est, quod ex uno Pal. 1, Grut. et Ern. *quam* correxerunt, quum ea part. huc plane nihil pertineat. Consentiunt quidem Spir. et Erl. sed qui compendium vocis *quam* noverit, nihil is in lineola neglecta mirabitur. Lectionem igitur unice veram cum Bremio reposuimus. Neque quis in *quamquam* repetita offendat : sunt enim verba, « ut ipsa philosophia.... musica », velut ex parenthesi interposita. G.

15. *Quibus ex instituto vet.* Gœr. delet *ex*. Hoc, inquit, e nostris solus Gud. 2 refert. Perperam. Multis enim locis auctor, « instituto majorum, veteri instituto, instituto Lælii, etc. » estque ista ratio ablativorum consequentiæ curtatorum, quorum sæpius mentionem fecimus. Eodem modo *more veterum*, etc. dicitur. Multis modis horum ignoratione peccatur. Conf. Corn. Nep. Epam. 9, 1.

rica, dialectica, grammatica, geometria, musica[16], quamquam latine ea dici poterant, tamen, quoniam usu percepta[17] sunt, nostra ducamus.

6 Atque hæc quidem de rerum nominibus. De ipsis rebus autem sæpenumero, Brute, vereor, ne reprehendar, quum hæc ad te scribam, qui quum[18] in philosophia, tum in optimo genere philosophiæ tantum processeris. Quod si facerem quasi te erudiens, jure reprehenderer. Sed ab eo plurimum absum: neque, ut ea cognoscas, quæ tibi notissima sunt, ad te mitto, sed quia facillime in nomine tuo acquiesco, et quia te habeo æquissimum[19] eorum studiorum, quæ mihi communia tecum sunt, existimatorem[20] et judicem.

16. *Musica.* In Venet. 1471 et C. C. C. (codice collegii corporis Christi, Cantabrigiæ) legitur *musica et astrologia*, non incommode quidem; quum tamen eas voces non agnoscant optimi libri, vehementer an Tullii sint dubito. Davis.

17. *Usu percepta.* Grut. ex Pal. tertio *præcepta* dedit, et Davis. quum alius suus idem referret, sequutus est, interpretans *præcepta*, ante cognita, præoccupata (vide Servium ad Virgil. Eclog. III, 98; Æn. VI, 105, et Nic. Heins. ad Val. Flacci IV, 751). Lamb. antea *recepta* scripserat. — At his contextis vulgata non modo, ut Bremi vult, ferenda, sed præferenda est. *Percepta* enim valet, « penitus accepta, plane in linguam latinam recepta »; et sensus est, « quoniam usus ea plene nostra fecit, pro vere nostris habeamus ». G.

18. *Quum... tum.* Prave, inquit Gœr. scripti, et edd. vett. multi *tum in philos. tum*; cf. Legg. I, 11, 32.

19. *Et quia te habeo æquissimum.* Mars. *æquissimum habeo*: quod videtur esse aliquid; nam vox enuntiati primaria ad quintum locum usque Latinis rejici nequit. Illa autem tria vel quatuor loca, quæ in omnibus Ciceronis scriptis secus suadentia deprehendimus (de his enim jam solis agimus), aperte corrupta sunt: alia perpauca ex prava interpunctione laborant. Sed vulgatus verborum ordo probus est. Verba enim, « te habeo æquissimum », plane sunt ex enuntiati ordinarii positu, nullumque inde, quem dicimus, sonum habent. (Nam quod olim obscurius posuimus, accurate tenendum est: ordinarium positum, v. c. « homines sunt mortales », neque habere sonum, nec habere posse): *æquissimum* vero inde modo sonum accipit, quod hoc adjectivum a substantivo suo tot verbis interjectis ponitur: haberetque eumdem vel tum, si huic modo præpositum esset; nullum enim adject. substantivo suo præmitti umquam licet, nisi in illo vis cernatur. G.

20. *Existimatorem et judicem.* Omnes nostri cum vulgata. Aliorum scripti plures *æstimatorem*: hæc enim scribæ ubique permutant, in utramque partem in his, horumque conju-

Attendes igitur, ut soles, diligenter, eamque controversiam dijudicabis, quæ mihi fuit cum avunculo tuo, divino ac singulari viro[21].

Nam, in Tusculano quum essem, vellemque e bi- 7
bliotheca pueri Luculli[22] quibusdam libris uti, veni in ejus villam, ut eos ipse, ut solebam, inde promerem[23]. Quo quum venissem, M. Catonem, quem ibi esse nescieram, vidi in bibliotheca sedentem, multis circumfusum stoicorum[24] libris. Erat enim, ut scis, in eo inexhausta[25] aviditas legendi, nec satiari pote-

gatia, peccantes. Operæ igitur pretium fuerit, accurate hæc secernere, quorum diversa vis parum distincte hucusque exposita videtur. Acquiescunt enim VV. DD. fere cum Bremio in eo, ut *æstimare* accipiant de *judicio, quod deliberato animo fiat in re ab utraque parte probabili : existimare* contra, *omnino judicare* notet, *etiamsi res non sit ab omni parte expensa.* Sic compositum verbum minus valebit, quam simplex, quod nobis contra linguæ naturam videtur. Immo, ut sup. I, 4, 10, discrimen inter *elaborare* et *laborare* constituimus (p. 42, not. 2), sic etiam hoc loco præp. *ex* effectum rei notare statuimus : quumque « æstimare, rei pretium constituere », valeat, « existimare ex pretio rei (externo vel interno, vero vel opinato) judicare », valebit. Hoc discrimen ut ad omnes verborum istorum, conjugatorumque usus aptissimum est, ita etiam nihil opus erit statuere, quod illi debent, vel optimis scriptoribus vv. *existimator* et *existimatio* pro *æstimatore* et *æstimatione* dici, sed utrumque ubique sua vi ponetur. G.

21. *Quæ mihi fuit cum avunculo tuo, divino ac singulari viro.* Spir. et Erl. *fuit* post *viro* ponunt. Quod idem ferri potest : sed ex auctoris more optimus verbi subst. locus post *tuo* fuerit. At vulgatus ordo item bonus est : sic enim vv. *avunculo tuo* enuntiati pondus habent; neque opus est, ut id ad *fuit* transferatur. G.

22. *Pueri Luculli.* Hic filius erat, ut patet e Plut. Cat. cap. 54, illius Luculli qui, non semel victo Mithridate, deinde omnino a republica recessit : nec minus fuit notus villarum suarum deliciis, quam ante fuerat victoriis. — Non sine causa *pueri* præmittitur : si enim postpositum esset, separata quædam filii, ab illa Luculli, patris, bibliotheca intelligi posset. Sic autem simul tempus indicatur, quo scenam dialogi auctor positam velit; patre nempe Lucullo mortuo. De hac prædicati præmissione vide not ad Acadd. II, 6, 18. G.

23. *Inde promerem.* Referunt Spir. et Erl. cum Pal. 1, *depromerem;* sed ex aperto vitio, quum præced. *m* verbi *solebam* syll. *in* τοῦ *inde* hauserit.

24. *Stoicorum* abest a Gud. 2, quod probo. Cicero enim in biblioth. intrans, suspicari quidem, non autem scire poterat, quibus libris Cato circumfusus sederet. Pingitur etiam plenius ista hujus *legendi aviditas*, quæ sequitur. G.

25. *Inexhausta.* Hanc voc. Gœr.

rat : quippe qui ne reprehensionem quidem vulgi inanem reformidans, in ipsa curia soleret legere sæpe, dum senatus cogeretur, nihil operæ reipublicæ detrahens; quo magis[26] tum in summo otio[27], maximaque copia, quasi helluari libris[28], si hoc verbo in tam
8 clara re utendum est, videbatur. Quod quum acci-

nucis includit. Hanc, inquit, adulterinam esse, vehementer suspicamur. Præterquam enim, quod nusquam alibi in Ciceronis scriptis legitur, ignorant eam quoque Pal. 1, Spir. et Erl. Eademque manente non solum putida ταυτολογία in verbis, *nec satiari poterat*, inest, sed etiam *nec*, quæ distinguentis est, male probabitur : nam si *inexhausta* ad præteritum tempus retuleris, et *sat. pot.* ad præsens et futurum, et ipse argutaberis, et auctorem ineptire facies. Contra vero voce ista facile carebis, quum ipsum illud nimium, quod auctor exprimi vult, in nudo subst. *aviditas* insit. Quam si abjeceris, reliqua bene coibunt : tum enim *nec*, *et non* valebit, et ad *satiari*, *legendo* cogitandum erit. Adde, quod auctor, si *inexhausta* voluisset, haud dubie scripsisset : « erat... in eo inexhausta quædam aviditas legendi, ut satiari non posset ». Amant autem scribæ efficacia adjectiva addere, quorum exemplum Off. III, 29, 105, in voce *turpificati* residet : quam, vel numeri causa plane superfluam, quomodo VV. DD. sine omni νοθείας suspicione admittere potuerint, plane miramur.

26. *Quo magis* idem valet ac quanto magis; interrogationis igitur nota fuit addenda. Dav. — Optime tamen vel sine interrogatione loc. intelligitur.

27. *In summo otio.* Gud. 1, *in ipso otio summo :* unde *summo* glossema judicaris, quod *ipso* extruserit. G.

28. *Helluari libris.* In vett. edd. *helluo librorum.* Cod. Cujat. *helluaris libri*, ex quo, plane mendoso, Lamb. conj. *helluari libros.* Gœr. defendit vulgatam, nisi quod *heluari* cum sola *l.* Spir. inquit, et Erl. vulgatam, quæ ex Jos. Scalig. cod. fluxit, confirmant : eratque eadem in Pal. 1. Nam *h* et *b* ita similibus στοιχείοις in scriptis pinguntur, ut centies per se distingui plane non possint. Reliqui nostri cum reliquis, *heluo libri*, idque inde corruptum putabis, quod, syllaba *ri*, quæ verbis passivis superscribi a librariis solet, neglecta, *a* in *o* mutatum est, et sic littera *s* in *libris* consulto recisa. Lamb. *libros* corrigit, eumque sequitur Bremi; sed certo ex vitio. *Heluari* enim non nisi de fluidis dicitur, verbi causa, *vinum*, *sanguinem*, etc. atque inde quoque est, quod Festus idem ab *eluere* deducit. — Moser dicit sibi suspectum esse *heluari* cum ablativo casu, malletque *heluari in libris :* idem notat : scripsi *heluari*, non ut plerumque fit, *helluari*, ad præceptum Grotefendii in orthogr. lat., § 142, cum quo conf. Ald. Manutii orthogr. p. 46; Cellar. orthogr. lat. p. 248, ed. Harles. Noltenii, lex. Antibarb. p. 72 seqq. Vossii (G. J.) Etymol. ling. lat. p. 246, et qui primo loco advocandus fuit, Festum de verb. signif. p. LXXI, ed. Scaliger. Add. Beckmannus, de origin. L. L. p. 792.

disset [29], ut alter alterum nec opinato videremus, surrexit statim. Deinde prima illa, quæ in congressu solemus: Quid tu, inquit, huc? A villa enim, credo: et, si ibi te esse scissem, ad te ipse venissem. Heri, inquam, ludis commissis [30], ex urbe profectus veni ad vesperum [31]. Causa autem fuit huc veniendi, ut quosdam hinc libros promerem: et quidem [32], Cato, totam hanc copiam jam Lucullo nostro notam esse oportebit. Nam his libris eum malo, quam reliquo ornatu villæ delectari. Est enim mihi magnæ curæ: quamquam hoc quidem proprium tuum [33] munus est,

29. *Quod quum accidisset. Quod* Lamb. pro *Sed* v. *Autem* dictum putans, jure reprehenditur a Bremio; certe *Sed id* dicere debuisset. At ipse Brem. quum dicat, referri idem vel ad enuntiationem sequentem, vel ad antecedentia, et cum ellipsi præpositionis *propter*, *igitur* signare: majora etiam, quam Lamb. miracula narrat. *Quod* notat *Idque*, et refertur ad vv. seqq. *ut...videremus*, quibus auctor ad superius posita redit, quod in bibliotheca illa ex improviso Catonem deprehenderit. G.

30. *Ludis commissis.* Explicat Ern. in Clave v. *committere*, *cœptis*: idque sane sic accipi potest; sed, an debeat, quæstio est. Ut enim *pugna commissa*, et pugnam, *quæ committi cœpit*, et *quæ pugnata est*, notat: sic, *ludis commissis*, tempus æque post ludos, atque quod iis habendis intercedit, indicari et potest, et indicatur. Jam quæritur, utrum huc potissimum conveniat. Putamus prius. Feriæ enim narrantur, et quamquam Cicero, ut sæpe indicat (cf. Epp. Fam. VII, 1), ludos publicos non amabat: tamen quum Romæ præsens esset, religionis causa frequentasse se eos, significare videtur, atque iis finitis continuo in Tusculanum suum abisse. Quod quum duodecim fere milliarium romanorum ab Urbe abesset, facile, post ludos profectus, sub æstivi diei vesperum ad villam pervenire potuit. Vage contra plurium horarum spatium notator, si cœptis ludis se profectum auctor scripserit. G.

31. *Vesperum.* Alii, *vesperam.* Firmant Spir. Erl. Bas. ξ. et ψ. *vesperum*, quod recte Grut. ex tribus suis recepit. G.

32. *Et quidem.* Scribæ turbant. Gud. 2, hæc ignorans, post *Cato*, *autem* refert. Gud. 1 et Bas. *equidem*, de quo ad init. libri hujus diximus. Non viderunt isti, *quidem*, *sane* notare, atque ita pro ingenio loco consuluerunt. G.

33. *Quamquam hoc quidem proprium tuum munus est.* Hæc Gœrenzius parenthesi includit, quum constructio pergat, *est mihi magnæ curæ*, *ut ita erudiatur*, etc. Ingreditur autem *quamquam* parenthesin sæpissime: vide nos ad Acadd. II, 45, 139.— Volgata tamen interpunctio servari potest, si construas: Hoc, nempe ut ita erudiatur ut, etc. tuum munus est.

ut ita erudiatur, ut et patri, et Cæpioni[34] nostro, et
tibi tam propinquo[35] respondeat. Laboro autem non
sine causa : nam et avi[36] ejus memoria moveor (nec
enim ignoras, quanti fecerim Cæpionem; qui, ut opi-
nio mea fert, in principibus jam esset, si viveret),
et Lucullus mihi versatur ante oculos, vir quum om-
nibus excellens, tum mecum et amicitia, et omni
9 voluntate, sententiaque conjunctus. Præclare, inquit,
facis, quum et eorum memoriam tenes, quorum uter-
que tibi testamento liberos suos[37] commendavit, et
puerum diligis. Quod autem meum munus dicis, non
equidem recuso[38], sed te adjungo socium. Addo etiam
illud, multa jam mihi dare signa puerum et pudoris,
et ingenii; sed ætatem vides. Video equidem, in-

— Inde autem id proprium Catonis munus dicitur, quippe qui Luculli F. tutor esset (cf. not. 35); cf. Varro R. R. III, 2, 17; Cic. Att. XIII, ep. 6; Phil. X, 4, 8; Colum. VIII, 16, 5. G.

34. *Cæpioni*. Spir. et Erl. cum Pal. 1, *Cæpioni* confirmant, quod P. Manut. ex ingenio, pro *Scipioni*, correxerat. G. — Hic Cæpio nonnullis videtur esse M. Jun. Brutus, qui nonnumquam appellatur Q. Servilius Cæpio, vel Q. Cæpio, quia adoptatus fuerat a Q. Servilio Cæpione, ejus avunculo. Conf. Appian. B. C. Cic. Philipp. 10, 11; Att. Ep. 2, 24; Famil. 7, 21. P. Manut. ipsum Bruti avunculum, qui trib. mil. Spartaci bello, in Asia ante quæsturam obiit, hic nominari censet. Ceterum neuter miscendus est cum altero Cæpione, de quo statim infra, qui pueri Luculli *avus* dicitur.

35. *Tibi tam propinquo*. Lucullus puer, cui tutor a matre M. Cato relictus est, matrem habuit Serviliam, Q. Servilii Cæpionis filiam (de quo vid. not. inf.), Catonis ex matre tantum sororem, cujus fratrem Plut. in Catone Uticensi, Cæpionem nominat; nec ignorat quisquam cognomen Serviliæ gentis *Cæpionem* fuisse. Hujus Luculli igitur avunculus erat M. Cato; unde minime mirum sit si Catoni *tam propinquus* dicatur.

36. *Avi... Cæpionem*. Q. Servilius Cæpio, Serviliæ, Luculli uxoris, pater, pueri Luculli avus erat. Periit in bello Marsico, an. U. C. 663.

37. *Testamento liberos suos*. Ordine verborum mutato Sp. et Erl. *suos testamento liberos*, quod non est rejiciendum, si vel concinnitatem loci respicias. G.

38. *Quod autem meum munus dicis, non equidem recuso*. In his ne hæreas, neque cum intt. ad miras relativi explicationes confugias, tenendum est, *quod autem* pro *id autem, quod* poni, atque inde non opus esse, ut ad *recuso, id* adjiciatur. Cf. Tusc. V, 7, 20 : « Xerxes præmium proposuit (ei), qui invenisset novam volupta-

quam : sed tamen jam infici[39] debet iis artibus, quas si, dum est tener, combiberit, ad majora veniet paratior. Sic, et quidem[40] diligentius, sæpiusque ista loquemur inter nos, agemusque communiter. Sed resideamus[41], inquit, si placet. Itaque fecimus.

III. Tum ille : Tu autem, quum ipse tantum librorum habeas, quos hic tandem requiris? Commentarios quosdam, inquam, Aristotelios[1], quos hic sciebam esse, veni ut auferrem, quos legerem, dum essem otiosus : quod quidem nobis, ut scis, non sæpe contingit[2]. Quam vellem, inquit, te ad stoicos inclinavisses! Erat enim, si cujusquam, certe tuum, nihil præter virtutem in bonis ducere. Vide, ne magis,

tem ». G. — *Et pudoris et ing. Pudor* ad mores castos pertinet et egregiam indolem : *ingenium* notat facultates eas quibus liberalibus artibus feliciter studemus.

39. *Infici*. Eleganter sane Scaliger *suffici*; accommodate ad locum ex Hortensio apud Nonium v. *combibere* : « qui combibi purpuram volunt, sufficiunt prius lanam medicamentis quibusdam ». Sed sine omni necessitate : nec quidquam scripti nostri a vulgata discedunt. G.

40. *Sic, et quidem*. Gœrenz. interpungit *sic : et quidem*. Ita, inquit, plane Spir. et Erl. Reliqui, præter Pal. 1 scripti *equidem* peccant. Davis. conjecit pro *Sic*, *Scilicet*. Sed nihil mutandum, ut Brem. vidit, qui *sic* cum græco οὕτως comparat, quod item affirmandi vim habet. Et quis est, cui, quum Comicos latinos legerit, non plura exempla succurrant, ubi æque hæc partic. in affirmate respondendo ponitur? Cf. Terent. Heautontim. III, 2, 12; Phorm. III, 1, 2.

41. *Resideamus*. Lamb. dicit scriptos suos *residamus* referre. Bene : eadem ratio est in *considere* Legg. II, 3, 7, et *assidere* Acadd. I, 4, 14, peccaturque ubique in hoc verbo. Sic corriges ex Erl. Pison. 34, 82, *Si montes residissent*. G. — Quamvis hanc correctionem probet Gœr. vulgatam retinuit.

III. 1. *Aristotelios*. Spir. et Erl. *Aristotelis*, reliqui *Aristotelicos*. G.

2. *Quod quidem nobis, ut scis, non sæpe contingit*. Vulgo *contigit* : sed verum verbi tempus ex nostris omnibus reddidimus. Quumque editi ad Davis. usque omnes sic referant, certum est, operarum peccatum per edd. Ernestianas propagatum, Bremianam quoque occupasse. Ceterum ignorant Spir. et Erl. *ut scis* : reliqui nostri *sicut scis*, cum vett. editis plerisque. Quamquam inde verba hæc suspecta videntur, tamen ipsa defenderim. *Ut* enim sæpe a scribis in *sicut* mutari notissimum : formula autem, *ut scis*, sic adhiberi solet, ut ad alterius experientiam, prorsus ut nostro, *wie du weist*, provocetur. Quæ quidem quum scriba aliquis superflua judicaret, abjecit. G.

inquam, tuum fuerit, quum re idem tibi, quod mihi videretur, non nova te rebus nomina imponere[3]. Ratio enim nostra consentit, oratio pugnat[4]. Minime vero, inquit ille, consentit. Quidquid enim præter id, quod honestum sit, expetendum esse dixeris[5], in bonisque numeraveris: et honestum ipsum, quasi virtutis lumen, exstinxeris, et virtutem penitus everte-
11 ris[6]. Dicuntur ista, Cato, magnifice, inquam : sed

3. *Vide, ne...tuum fuerit...non nova te rebus nomina imponere.* Davis. et Ern. *te*, ut supervacuum, abjici jubent, Bremiusque idem ad uncos damnavit. Quod equidem non ausim. Si enim dicere licuit Plauto Stich. V, 4, 36 : « Haud tuum istuc est te vereri » : magis idem auctori licebit, interposito duplici inter *tuum* et *te* enuntiato. Quid ? si vel recte *te*, cum vi aliqua additum, probari possit ? Est enim tecta oppositio, ubi Latini pronomina sic addere amant. Cf. Att. IX, ep. 15 : « Sed tu id quanti æstimes, tuum Judicium est ». Cogitabis nempe ad *te*, *mecum disserendo*. G.

4. *Ratio ... consentit, oratio pugnat.* Gœrenz. scribit *pugnat oratio.* Ita, inquit, præter Gud. 2, nostri omnes : vulgo transposite, *oratio pugnat.* Sæpe autem monuimus, auctorem oppositorum enuntiata transpositione verborum insignire, v. c. Orat. III, 35, 143 : « Malim equidem indisertam prudentiam, quam stultitiam loquacem ». Adde eumdem idem quoque in simplici sententiæ variatione solere. Legg. I, 14, 40 : « Sed angore conscientiæ, fraudisque cruciatu ». Ab utraque parte multa adhuc loca rectius disponenda sunt, quæ librariorum sapientia conturbavit. Ad hanc rationem quum soni, tum numeri legibus faventem, forte etiam χιασμὸς ille, quem grammatici vocant, referendus est, cujus exempla coacervarunt Bengel ad Divv. I, ep. 9, et Corte ad Sallust. Catil. 3, 3.—Nobis vis major esse videtur in vulg. ordine.

5. *Quidquid ... expetendum esse dixeris.* Davis. quum in Paris. 1 *esse si dixeris* reperisset (ut etiam Mars. habet), *quidquam esse...si dix.* conjecit. Atque ita quidem, quod mirum est in vitio, plene Gud. 2 refert. Errare autem illum, quum receptam lectionem non belle procedere dicat, recte vidit Bremi. At hic si structuram istam non Ciceronis dicit, nec *quidquam* sic adhiberi posse putat, plus dicere putareque videtur, quam liceat. Nam recte ex soni ratione *quidquam* præmitti potest, *si* altius rejecto : ita enim vis loco hæc conciliatur, *si vel quidquam.* Idque magis sic posse apparet, quum in interrogatione *quisquam* præmitti soleat. Acadd. II, 28, 87 : « Quisquam sanissimus tam certa putat, quæ videt, quam is putabat, quæ videbantur ? » Tamen h. l. vulgatum probum, et casum veritatem imitatum, putamus, quod facile per compendium fieri potuit. G.

6. *Et virtutem penitus everteris.* Hæc ignorant E. et ξ. una cum priore *et*, ante *honestum* posita. Quod quamdam veritatis speciem habebit ignorantibus, *et...et* pro *non solum... sed omnino* dici. Vide nos supra II, 10, 31; 20, 63. G.

videsne, verborum gloriam tibi cum Pyrrhone et Aristone[7], qui omnia exæquent, esse communem, de quibus, cupio scire, quid sentias. Egone? quæris, inquit, scire, quid sentiam[8]? Quos bonos viros, fortes, justos, moderatos aut audivimus in republica fuisse, aut ipsi vidimus; qui sine ulla doctrina naturam ipsam sequuti, multa laudabilia fecerunt; eos melius a natura institutos fuisse, quam institui potuissent a philosophia, si ullam aliam probavissent, præter eam, quæ nihil aliud in bonis habet, nisi honestum; nihil, nisi turpe, in malis: ceteræ philosophorum disciplinæ, omnino alia magis alia[9]; sed tamen omnes, quæ rem ullam vir-

7. *Cum Pyrrhone et Aristone.* Gœr. addit *cum* ante *Aristone.* Posteriorem *cum*, inquit, a Davisio e binis suis additam, recte agnoscit Brem. servantque nostri omnes cum Marso, Crat. aliisque vett. impressis. Cf. Catil. I, 13, 33; Læl. 21, 81.

8. *Egone? quæris, inquit, scire, quid sentiam?* Gœr. scribit: « Egone? inquit, [quid sentiam?]» notatque: Bas. *egone inquit sentiam.* Spir. et Erl. « Egone quæro inquam quid sentiam ». Gud. 1, « egone inquit quæris scire q. s. « Hæc si cum iis compararis, quæ in universum de structura *Egone?* apud Cic. ratione docuimus ad Legg. I, 4, 14: « de civili jure quid sentias? M. Egone? summos fuisse in civitate nostra viros, etc. » vix dubium relinquetur, etiam vv. *quid sentiam* scribis deberi. Hæc tamen ipsa abjicere noluimus, quum tenacius scripti ea servarent: nam quod *quid* in Basil. abest, magis a præcedente syllaba absorptum putari debet, quam ut in nostram rem id trahi possit: quamquam hæc ipsa scriptorum in his retinendis constantia facillime ex loci natura explicatur. Varietas *inquam* ex verbi compendio nata est, ut sæpissime. Ceterum *quæro*, quod Bas. nescit, Gud. 1 in *quæris* mutat, et *scire*, quod neque hic, nec Spir. et Erl. agnoscunt, Bremiusque recte jam uncis inclusit, sine dubitatione abjecimus.

9. *Ceteræ philosophorum disciplinæ... alia magis alia*, etc. Lambin. ne solœcismi reus sit Cicero, legit: « ceteras philos. disciplinas, omnino *aliam* magis, *aliam minus*, etc. » Et sane codd. dant « alia magis, alia minus », nisi quod Pal. 1 ultimam vocem merito prætermittat. Ipse minima mutatione legerim: « ceteræ phil. disciplinæ, omnino *aliam* magis *aliâ*, etc. « *Ceteræ disciplinæ*, i. e. quod attinet ad ceteras disciplinas; sic enim passim loquuntur scriptores. Dav. — Apertum in his, inquit Gœr. anacoluthon recte Ernest. et Bremi agnoverunt. Ortum inde est, quod auctor sibi ad verba, « ceteræ... alia », cogitabat, « nihil adjuvant »: sed quum hæc altius rejiceret, oratio paullum deflexit, sic ut totam mutare nol-

tutis expertem[10] aut in bonis, aut in malis numerent, eas non modo nihil adjuvare arbitror, neque affirmare[11], quo meliores simus, sed ipsam depravare naturam. Nam si hoc non obtineatur, id solum bonum esse, quod honestum sit: nullo modo probari possit, beatam vitam virtute effici. Quod si ita sit, cur opera philosophiæ sit danda, nescio. Si enim sapiens aliquis
12 miser esse possit, næ ego istam gloriosam memorabilemque virtutem non magno æstimandam[12] putem.

IV. Quæ adhuc, Cato, a te dicta sunt, eadem, inquam, dicere posses, si sequerere Pyrrhonem, aut Aristonem. Nec enim ignoras, his istud honestum, non summum modo, sed etiam, ut tu vis, solum bonum videri[1]. Quod si ita est, sequitur[2] id ipsum,

let, imitatione vivi sermonis usus. G. —Si nihil mutemus, interpretabimur: Ceteræ disciplinæ omnes, quæ ea quæ virtutis sunt expertia in bonis numerant, non modo nihil adjuvant; sed ipsam naturam depravant, alia tamen magis alia.

10. *Virtutis expertem*, etc. Hunc locum esse mutilum plerique editt. censuerunt, et diversis modis eum sanaverunt. Davis. «quæ rem ullam virtutis expertem *aut vitii* in bonis, aut in malis numerent». Sed nihil supplendum erit, si intelligatur *res virtutis expers*, in qua nulla virtutis cura habetur.

11. *Affirmare*. Lallem. *afferre*, quod facilius intelligitur.

12. *Magno æstim*. Bas. et Mars. *magnopere*. Sed offendit forte scribam abl. quum genit. hac in structura sit longe frequentior. Nec usquam sic ad *æstimo* legere meminimus. Contra cf. Verr. IV, 7, 13: «Quid, tu ista permagno æstimas?» G.

IV. 1. *Nec enim ignoras, his istud honestum...videri*. Gœr. addit *similiter* ante *his*, notatque: Vulgata primo *similiter* ignorat, deinde *illud*, non *istud*, refert. At omnes præter Bas. scripti nostri cum binis Oxonn. *si* ante *his*, χ. cum Ven. 1494, *si vis istud*, Bas. E. et ξ. *similiter his*: quod ut verisimillimum sequuti sumus. Compendium enim hujus adverbii quum *s̄r* scribatur, in *si* degenerare facillime potuit. Ob *si* deinde *videri* apud Gud. utrumque in *videtur* mutatum est, reliquis nostris vulgatum referentibus. *Istud* autem non scripti solum nostri et Oxonn. sed etiam edd. et vett. et recentiores, quas vidimus, omnes. Ernestiana primum *illud* (typographorum haud dubie vitio) novavit. Cf. inferius § 13: «Unum istud quod honestum appellas». *Similiter* est, quod de Aristone dicitur, Acadd. II, 42, 130: «Re probavit, quod ille (Zeno) verbis»: adstrictiori enim sensu illi accipiebant, quod Zeno laxius statuebat.

2. *Sequitur id ipsum*. Nempe ex

quod te velle video, omnes semper beatos esse sa-
pientes. Hosne igitur laudas, et hanc eorum, inquam [3],
sententiam sequi nos censes oportere? Minime vero
istorum quidem, inquit. Quum enim virtutis hoc pro-
prium sit, earum rerum, quæ secundum naturam
sint, habere delectum: qui omnia [4] sic exæquaverunt,
ut in utramque partem ita paria redderent, uti nulla
selectione uterentur [ejus [5]], virtutem ipsam sustule-
runt. Istud quidem, inquam, optime dicis: sed quæro, 13
nonne tibi faciendum idem sit, nihil dicenti bonum,
quod non rectum honestumque sit, reliquarum re-
rum discrimen omne tollenti [6]? Si quidem, inquit, 14

Pyrrbonis Aristonisqne sententis, quod tu ex Zenonis et Stoicorum statuis. G.

3. *Inquam*. Quatnor nostri eum Ven. 1494, Marso, aliis firmant, quinto, Gudiano 2, ejus loco *in* eum aliis referente. G.

4. *Qui omnia sic exæquaverunt*. Spir. et Erl. *que*, i. e. *quæ*: nec aliter Gud. 2, E. et ξ. Prave. Non intellexerunt scribæ *qui*, *hi* v. *isti*, *qui*, valere. G.

5. *Uti nulla selectione uterentur* [*ejus*]. Gœr. delet *ejus*. Hoc, inquit, ab hoc loco alienum esse, omnes viderunt interpr. Quatuor nostri *hujus*; ξ. *hujusmodi*. Editi vett. plures, v. c. Asc. 2: « Ut in nulla selectione verterentur ejus ». Crat. « in nullam selectionem vert. » Eodemque modo peccant Gud. 2 et Vien. modo quod *uterentur* servant. *Ut in* referunt scripti plures; sed ex alliteratione natum. Crat. *ejus* ignorat; quam cum Lamb. secuti sumus, quum maxime probabile sit, scribas *selectione* ad *virtutem* retulisse, atque ita hoc contextus quasi fulcrum adjecisse. Interpretes in alia omnia abierunt: Davis. *funditus*, Ern. *hi vero*, Nissen *ei usu*, Bremi *ii*. Quæ omnia sua sponte corruunt: nam si vim additi pron. *ipsam* tenueris, ne cum Davisio quidem tale additamentum desiderabis. — De istorum autem duumvirum ἀδιαφορίᾳ et ἀπαθείᾳ, non est ut moneamus. Cf. Acadd. II, 42, 130.

6. *Nonne tibi faciendum idem sit... dicenti... tollenti?* Recte Bremi Ernestium in viam reducit, qui hæc pro « idem ac dicenti, tollenti », græca forma accipit. Referuntur enim hi participiorum casus ad *tibi*, forma Græcis item frequentissima, pro, « ut nihil dicas... tollas ». Sed æque fallitur Bremi, qui *tollenti* ad *idem* aptat, licet, ut par erat, *dicenti* ad *tibi* retulerit. Sensus est: « Nonne tibi idem cum Pyrrhone et Aristone sentiendum est, ut nihil, nisi quod rectum, bonum statuas, reliqua omnia in indifferentibus relinquas? » G. — Addit Gœr. in calce libri: Verba *tibi faciendum... tollenti* rectius ad proxime præcedentia, « ut in utramque... selectione utaris » applicanda sunt. Tum *dicenti* erit *ut dicas*, etc. Ita Græci εἰπόντι, pro ὥστε εἰπεῖν. — Nobis sensus esse

tollerem : sed relinquo. Quonam modo, inquam, si una virtus, unum istud, quod honestum[7] appellas, rectum, laudabile, decorum (erit enim notius quale sit, pluribus notatum vocabulis idem declarantibus), id ergo, inquam, si solum est bonum, quid habebis præterea, quod sequare? Aut, si nihil malum, nisi quod turpe, inhonestum, indecorum, pravum, flagitiosum, fœdum, ut hoc quoque pluribus nominibus insigne faciamus[8], quid præterea dices esse fugiendum? Non ignoranti, inquit, tibi, quid sim dicturus, sed aliquid, ut ego suspicor, ex mea brevi responsione arripere cupienti, non respondebo ad singula: explicabo potius, quoniam otiosi sumus, nisi alienum putas[9], totam Zenonis stoicorumque sententiam. Minime id quidem, inquam, alienum; multumque ad ea, quæ quærimus, explicatio tua ista profecerit. Experiamur igitur, inquit, etsi habet hæc stoicorum ratio difficilius quiddam et obscurius. Nam quum in græco sermone hæc ipsa quondam rerum nomina nova tum videbantur[10], quæ nunc consue-

videtur: in id Catonem incidere, ut inter ceteras res omnes nullum esse discrimen contendat, nullaque selectione utatur: quæ est Pyrrhonis doctrina.

7. *Honestum... rectum, laudabile, decorum.* Hac vocum varietate item græci Stoici τὸ καλὸν notant, τὸ ὀρθὸν, ἐπαινετὸν, πρέπον appellantes; ut idem in proximis de *malo* valet. G.

8. *Ut. . . faciamus.* Hæc Gœr. parenthesi includit.

9. *Nisi alienum putas.* Scribæ multifariam hæc tentant, *non*, *ne*, *alienam*, exhibentes. Vulgata verissima est; nisi olim *ni* scriptam esse putabis; quam curtatam formam multis modis in codd. corruptam videre licet. Hæc quoque verba parenthesi includenda fuerunt. G.

10. *Hæc ipsa quondam rerum nomina nova tum videbantur.* Gœrenz scribit *novarum non vid.* Facile, inquit, VV. DD. hunc locum expedissent, si ad Ciceronis regentia rectis interponendi morem, et ad passivam verbi *videri* vim animadvertissent. Scribas in talibus peccare ex ordine est. Hanc autem, quam dedimus, lectionem servant plene Palatt. Spir. Gud. 1, Bas. V. χ. ψ. Plus abludit Erl. *novarunt non*, omisso *rerum*. Gud. 2, *novantur non*. Vulgata ab Ern. exhibet *nova tum videbantur*, ut editi vett. fere præbent. Sed *tum*, præ-

tudo diuturna trivit: quid censes in latino fore? Faciendum id quidem est [11], inquam. Si enim Zenoni licuit, quum rem aliquam invenisset inusitatam, inauditum quoque ei rei nomen imponere, cur non liceat Catoni [12]? Nec tamen exprimi verbum e verbo necesse erit, ut interpretes indiserti solent, quum sit verbum, quo idem declaret, magis usitatum [13]. Equidem soleo etiam, quod uno Græci, si aliter non possum, idem pluribus verbis exponere. Et tamen puto concedi nobis oportere, ut græco verbo utamur, si quando minus occurret latinum, ne hoc ephippiis [14] et acra-

terea quod pravo loco ponitur, friget etiam *quondam* præcedente. P. Manut. ex ingenio dedit, « rerum nomina novarum nova vid. » eumque sequuti sunt Lamb. Grut. Davis. sed falso positu; auctor scripsisset « nova rerum novarum nomina, » quod idem contra Bremium monendum, qui ipse de suo, « novarum rerum nomina nova », edidit. Cf. supra § 3. Nostra tot scriptis comprobata lectio optima est. Genitiva autem regentem casum suum complectentia sæpius occurrunt, v. c. Legg. III, 10, 23. Adde ex ingenti locorum, quem collegimus, numero hæc, Orat. III, 37, 150: « In hoc verborum genere propriorum », et supra Fin. II, 3, 7: « non suo, sed populorum suffragio omnium, etc. »

11. *Fore? Faciendum id quidem est.* Solus sic e nostris cum Eliensi 1 et χ. Bas. Reliqui vel *facillimum*, vel *fore faciendum? facillimum*, ut multi aliorum referunt. Ortum vitium inde est, quod scribæ olim bis *faciendum* opus esse putarunt, ut eum aliis quatuor Oxonn. præbent. Ex compendio autem parum distincte scripto *facillimum* ortum est. Vulgatum editi vett. plures firmant. G. — *Faciendum id quid. est.* Nova nobis verba edenda sunt, ut fecere Græci.

12. *Cur non liceat Catoni?* Similia occurrunt init. Acadd. lib. I.

13. *Magis usitatum.* Ante Grut. *magis minusque* legebatur, quod hic e Pal. 1 abjecit. Recte. Ignorant idem Spir. et Erl. cum Marso: et vix quidquam frequentius fit, quam ut scribæ post *magis*, *minus* addant. Ita supra 3, 11, ad vv. *alia magis alia*, multi codd. *minus* adsutum referunt. G.

14. *Ne hoc ephippiis...concedatur.* Malim « ne hoc in ephippiis... quam in proegm. » Ita enim putidior προσωποποιΐα vitabitur. Sed sine scriptis in talibus nihil audendum est. G. — *Ephippiis.* Ephippiorum nomine utimur, pro equi tegmine ad mollem vecturam parato, ut ait Nonius. Cato de liberis educandis, « Mihi puero modica fuit una tunica et toga, sine fasciis calceamentum, equus sine ephippio ». Et notus est versiculus, « Optat ephippia bos piger, optat arare caballus ». Vocabulo *acratophori* Varro utitur de Re rust. lib. I: « Ea minus sumptuosa vinea, quæ sine jugo ministrat *acratophoro* vinum ». Ἀκρατο-

tophoris potius, quam proegmenis et apoproegmenis, concedatur. Quamquam hæc quidem præposita recte,
16 et rejecta, dicere licebit. Bene facis, inquit, quod me adjuvas: et istis quidem, quæ modo dixisti, utar potius latinis. In ceteris subvenies, si me hærentem videbis. Sedulo, inquam, faciam. Sed fortuna fortes[15]. Quare conare, quæso: quid enim hoc possumus agere divinius[16]?

V. Placet his, inquit, quorum ratio mihi probatur, simul atque natum sit animal[1] (hinc enim est ordiendum), ipsum sibi conciliari et commendari ad se

φορὸν Julius Pollux in catalogo poculorum ait esse, quod alii ψυκτῆρα, alii δῖνον ἐν ᾧ ἦν ὁ ἄκρατος, nominant, ubi vinum merum servabatur. Morel.

15. *Sed fortuna fortes.* Addunt scripti multi *adjuvat:* sed auctoris est proverbia trita indigetare magis, quam plene ponere. Ita supra II, 16, 52, *quicum in tenebris.* Acadd. I, 4, 18, *sus Minervam.* Orat. II, 57, 233, *docebo sus sc. Minervam*, ut sine causa Schütz addidit. Scribas talia supplere solere, plane ex eorum regula est. G. — *Fortuna fortes.* Subaudi, *adjuvat.* Proverbium est, cujus in Tuscul. II, 4, mentio fit: « Fortes enim non modo fortuna adjuvat, ut est in vetere proverbio, sed multo magis ratio, quæ quibusdam quasi præceptis confirmat vim fortitudinis ». Admonet adagium, ait Erasmus, fortibus periclitandam esse fortunam; nam bis plerumque res prospere cedere. Mor.

16. *Quid enim hoc possumus agere divinius?* Gud. 2, et Ven. 1494, *agere possumus:* Bas. Gud. 1, Mars. Crat. aliæ, *possumus hoc.* Utrumque prave. Causam transpositionis in eo quæres, quod scribæ non videbant, vocem, cui primaria enunciati vis inest, in clausulam esse rejectam. Ceterum recte Bremi *divinius* defendit, cujus loco Ern. quum ei nimium videret, *dignius* suadet. Eximius scil. hic vir non ad ea tempora vivendo pervenit, ubi mediocria quæque *divina* sonant; ut ætatis suæ exemplo parem Ciceronianæ, excusatius modum excedentis, ὑπερβολὴν ferre didicisset. G.

V. 1. *Simul atque natum sit animal*, etc. Omnem hanc argumentationem Cicero sumpsisse videtur ex Chrysippi libro primo περὶ τελῶν, cujus verba huc pertinentia habet Diogenes Laert. lib. VII, 85. Stoici sæpissime inde a Chrysippo sic ratiocinabantur, et Cicero idem sæpe habet. Vide Lipsium ad Senecæ Epist. 121.—Voluptatem autem post demum oriri aiebant, si nempe voluptas sit, quum ipsa natura suo ipsius studio ea adipiscatur, quæ primæ commendationi convenientia sint. Laert. VII, 86, ubi pro αὐτὴν καθ' αὑτὴν haud dubie cum Salmasio ad Simplicium, p. 54, legendum est αὐτὴ καθ' αὑτήν. Similis jam de voluptate sententia est apud Aristot. Ethic. lib. X, 3. Conf. etiam Arrian. III, 7. De primis naturæ vid. Gell. XII, 5. Brem. — *Conciliari et*

conservandum, et ad suum statum, et ad ea[2], quæ conservantia sunt ejus status, diligenda; alienari autem ab interitu, iisque rebus, quæ interitum videantur afferre. Id ita esse sic probant, quod, ante quam voluptas aut dolor attigerit, salutaria appetant parvi, aspernenturque contraria. Quod non fieret, nisi statum suum diligerent[3], interitum timerent. Fieri autem[4] non posset, ut appeterent aliquid, nisi sensum haberent sui, eoque se et sua diligerent[5]. Ex quo intelligi debet, principium ductum esse a se diligendi

commendari. Expressit his Cic. Chrysippi verbum οἰκειοῦσθαι. Vid. Laert. VII, 85. G.

2. *Et ad suum statum, et ad ea, quæ*. Gœr. scribit : *et ad suum statum, eaque, quæ*. Davis. inquit, priorem *ad* ex Eliensi 1 delevit, Bremio eamdem cancellis cohibente. Aures hi maxime sequuti esse videntur; sed altius quærendum est. Auctor his haud dubie Chrysippi verba sequutus est Laert. VII, 85 : οἰκεῖον εἶναι παντὶ ζώῳ τὴν αὑτοῦ σύστασιν, καὶ τὴν ταύτης συνείδησιν. Quod si est (idque ita esse ex pleno loco, quem paucis laudavimus, si eum cum hoc capite contuleris, videbis), satis clare cernitur, verba, *et ad suum statum*, non ad vv. præcedd. *ad se servandum*, sed ad seqq. pertinere. Per se etiam *status* ipse, et *conservantia statum*, disjungi non debent. Ita vitiose Davis. et Bremi egerunt, quum *ad* illam rejicientes, sequentem relinquerent. Jam referunt Spir. Erl. Basil. pro « et ea, quæ, eaque, quæ », Pal. 1, *æque quæ*, Gud. 1, *et ea quæque*. Ex his sua sponte quisque videt, hanc, quam nos in corrigendo loco rationem inivimus, unice veram esse; prioremque *ad* recte stare posse, et fere scribarum culpa, sic repetitam, omitti : *diligenda* autem ad *statum* quoque referendum esse. De *que* denique, *et* excipiente, sæpius monuimus. Cf. v. c. Acadd. I, 12, 43 : adde quæ loca P. Manut. ibidem ad 10, 37, « officia et servata prætermissaque » congessit. G.

3. *Nisi statum suum diligerent*. Gœrenz addit *ipsum* ante *suum*, notatque : Sex codd. apud Davis. *ipsum* pro *suum* referunt : unde hic *statum ipsi suum* conjicit; quod recte improbat Bremi. E nostris Gud. 2 et Bas. *ipsum* præbent; idque sic accipi liceat, ut *statum ipsum suum* legatur, sine ullo scilicet voluptatis respectu. Sic sæpissime pron. *ipse* dicitur. Cf. Acadd. II, 38, 120, coll. ibid. § 127. Facile etiam post syll. *sum*, *suum* excidere potuit. Quumque non dispicias, quæ causa illati pronominis fuerit, hanc conjecturam nostram in textu admisimus : auctor enim alias, pro more suo, his in contextis, *statum hunc* (i. e. quem dixi) *suum*, scripsisset.

4. *Autem*. Recte Bremi Davis. *autem* in *enim* mutari jubentem, coercet. Sæpe sic hæc part. consecutioni inservit. G.

5. *Se ; et sua diligerent*. Cum Pal. 1 faciunt quidem Spir. et Erl. *et sua* ignorantes : tamen hæc cum Grut. et Davisio expuncta nolim. Pertinent

17 sui[6]. In principiis autem naturalibus diligendi[7] sui, plerique stoici non putant voluptatem esse ponendam. Quibus ego vehementer assentior: ne, si voluptatem natura posuisse in iis rebus videatur, quæ primæ appetuntur, multa turpia sequantur. Satis esse autem argumenti videtur, quamobrem illa, quæ natura prima sunt ascita, natura[8] diligamus; quod est nemo, quin, quum utrumvis liceat, aptas malit et integras omnes partes corporis, quam, eodem usu, imminutas[9] aut detortas habere.

ad verba superius posita, « quæ conservantia sunt ejus status ». Nec huc facit, quod Davis. putat, tum auctorem in proximis, « a se suaque diligendo », scripturum fuisse: quippe quod opus non esset. Adde potius, ea appeti, quæ nostra facere cupiamus: habendi autem cupiditas ipsa in causa est, ut nostra diligamus. G.

6. *A se diligendi sui.* Gœr. scribit: *a se diligendo.* Ita, inquit, cum Pal. 1, et Eliensi 2, exhibent Erl. et Spir. Idem etiam Ursini cod. et Scaligeri præbebant. Vulgata *diligendi* nihil est, ut etiam Ern. vidit, qui ex Ven. 1494, « a se diligendi sui » edidit.

7. *In principiis autem naturalibus diligendi sui.* Gœrenz vv. *diligendi sui* delet. Hæc, inquit, unus Ursini codex ignorat: delenda sane, si vel de hujus fide dubites. Dudum ad uncos damnata cum Bremio abjecimus, idque non solum ob Chrysippi verba, quæ apte citat Davis. ex Laert. l. l. sed etiam quoniam omnia τὰ τῆς πρώτης ὁρμῆς, i. e. *principia naturalia*, ex amore sui, tamquam ex fonte communi, enascuntur.

8. *Quæ natura prima sunt ascita, natura diligamus.* Gœrenz delet prius *natura*, notatque: Ern. primus in *natura*, bis posita, hæsit, prius abjici suadens; idemque Bremi cancellis inclusit, quum in ξ. non legatur. Ignorant ipsum æque Spir. et Erl. et hoc vel sine scriptorum auctoritate delendum erat: *nusquam enim natura prima*, semper *prima natura*. Cf. Acadd. I, 6, 22. Deinde ut, « quæ prima data sunt natura », respectu ad naturam ipsam, quæ ea conciliat, ipsis his verbis dicuntur Fin. II, 11, 33: ita recte quoque, « quæ prima sunt ascita natura », ratione ejus, qui *datis* utitur, posita putari debent. Nihil igitur dubitari licet, prius *natura* recte esse deletum. Infra simpliciter § 21, *quæ prima dilexerat.*

9. *Quam, eodem usu, imminutas.* Pearcius *easdem* suadet; ita tamen, ut nihil doceat, quid tum *usu* sibi velit. Davis. utrumque, *eodem usu*, abjectum mavult; Ern. ab utraque horum ratione se non alienum profitetur: Bremi denique *eas* legendum commendat, sic ut in *eodem usu* substantivum aliud quoddam latere putet. Inani nisu hos VV. DD. laborare intelliges, si videris, verba *eodem usu* ad curtatos ablativos consequentiæ referenda esse, hac vi, « si ad eumdem usum destinatæ maneant ». Sic caute hæc addita videbis. De ipsis autem

Rerum autem cognitiones, vel, si hæc verba aut minus placent, aut minus intelliguntur, καταλήψεις appellemus licet[10], eas igitur[11] ipsas propter se asciscendas arbitramur, quod habeant quiddam in se quasi complexum et continens veritatem. Id autem in parvis intelligi potest; quos delectari videmus[12], etiamsi eorum nihil intersit, si quid ratione per se ipsi invenerunt. Artes etiam ipsas propter se assumendas pu- 18

ablatt. conseq. non plenis sæpe monuimus. Virgulas h. l. addidimus, quibus dignoscerentur. G.— Supra Gœr. notam Moser observat: equidem quamquam ejusmodi ablativos consequentiæ apud Cic. et sæpe agnosco et fero, tamen h. l. minus probo, quia sensus quem verbis istis inesse vult Gœr. nescio quomodo mihi frigere videtur. Liceat igitur illis aliorum VV. DD. conj. meam qualemcumque emendationem addere. Si Cicero scripsit *easdem* (vel quodam) *easu imminutas*, facile abire potuit posterius vocabulum in *usu*: quo facto prius immutari necesse fuit, præsertim quum, quando semel erratum, vel peccatum est, in omnia alia abire potius soleant scribæ, quam ad rectam rationem redire.

10. *Rerum autem cognitiones*, *vel*, *si*... *appellemus licet.* Gœrenz scribit: *Rerum autem cognitiones (quas vel comprehensiones, vel perceptiones, vel*... καταλήψεις). Verba, inquit, « quas vel comprehensiones, vel perceptiones », in editis non leguntur, sed nova nunc accesserunt e Spir. et Erl. Neque opus est, ut ipsa multia probemus, quum aperte sic locus olim mutilus coeat. Ὁμοιοτέλευτα in causa fuerunt, ut exciderent. Sed magis etiam ea Ciceronis esse putabis, si intellexeris, verbis *comprehendere* et *percipere* junctis, innumeris pæne locis hunc græcum καταλαμβάνειν exprimere solere. Adde Acadd. II, 6, 17: « Quid esset cognitio, aut perceptio, aut, si verbum e verbo volumus, comprehensio, quam κατάληψιν illi vocant », quo loco Davis. usus est, ut ex conjectura *vel comprehensiones* addi suaderet; probante idem Reizio ad exemplar suum, laudanteque c. 15, 49. Quam anxie contra ex vulgata in proximis *hæc verba* explicanda sunt!

11. *Eas ig.* Vien. *has* refert, idque penitus ex auctoris more, si sine parenthesi, post quamcumque παρεμβολῇ *igitur* pro *inquam* sequitur. Ita Tusc. I, 36, 88, *hoc igitur;* ibid. IV, 15, 34, *hujus igitur virtutis;* Catil. IV, 11, 23, « pro his igitur omnibus rebus ». Atque ita locis plane multis: contra vero minime. Ejus quidem rei ratio ex vaga alterius pronominis vi, quum alterius certa et determinata sit, sua sponte intelligitur. Sequuti igitur rectius sumus. G.

12. *Videmus.* Gœrenz: *videamus.* Recte, inquit, conjunctivum auctori Bremi vindicavit, quem Ern. ex ingenio *videmus* edens, obliterarat. Eodem modo et *habeant* præcedit, et sequitur, *sit*, *contineat*, *contineant*: sed *intersit*, ut Bremi vult, commune nihil habet, quippe quod ab *etiamsi* pendeat, semper hunc modum requirente, si *mag auch gleich* valet. De hac conjunctivorum interna ratione alio loco agemus.

tamus, quum quia sit in his aliquid dignum assumptione, tum quod [13] constent ex cognitionibus, et contineant quiddam in se ratione constitutum et via. A falsa autem assensione [14] magis nos alienatos esse, quam a ceteris rebus, quæ sunt contra naturam, arbitramur [15]. Jam membrorum, id est, partium corporis [16], alia videntur propter eorum usum a natura esse donata, ut manus, crura, pedes, ut ea, quæ sunt intus in corpore, quorum utilitas quanta [17] sit,

13. *Quum quia...tum quod.* Gœr. scribit : *tum...tum.* Pessime, inquit, hucusque *quum...tum* editum est; idque vel tum, si non *quia...quod* adderetur : junguntur enim res nec a se pendentes, nec sibi oppositæ. Bas. Gud, 1. Mars. Crat. aliæ, rectiori auctoritatem suam adjiciunt.

14. *A falsa autem assensione.* Gud. 1, *assentatione.* Voluit scil. librarius sapientiam suam promere, qui, « assentationem falsam assensionem esse », nosset. At non omnis « falsa assensio, assentatio » est, sed ejus modo, qui contra ipsius sententiam alterius gratia assentitur. Quod huc nihil pertinet. G.

15. *Nos ... arbitramur.* Gœrenz scrib. *arbitrantur*, notatque : Davis. et Ern. de suo *arbitramur* dederunt. Bremi vulgatum defendit ex solemni, ut dicit, personarum permutatione. Sic hæc accipies, *nos* (Stoicos omnes) *arbitrantur* (ii, quorum auctoritatem sequimur). Idem valet etiam de loco, quem Bremi laudat, infra 19, 62, *arbitrantur...persequimur.* Vides igitur hanc personarum permutationem ex modestiæ fonte fluxisse. Sæpe autem hoc in libro verbis, *appellant*, *explicant*, *statuunt*, simpliciter positis, Stoicorum principes intelliguntur : et omnino Cicero Catonem de Stoicis tertia persona loqui fecit.

16. *Membrorum, id est, partium corporis.* Verba *id est, partium corporis* Walker ad N. D. I, 30, abjici jubet; assentiturque Bremi, quippe qui non videat, quid hic agant, aut cur auctor *membri* vocabulum, satis cuivis notum, explicare voluerit. De dicendi ratione, *id est*, sæpe ad Acadd. egimus, ubi loca in indice laudata junctim spectasse non pœnitebit. His sategisse nobis videmur : nihil igitur addimus, nisi hoc : Ciceronem agere h. l. de membris, quatenus partes sunt totius corporis. Adde etiam, quod, « quæ sunt intus in corpore », ut sequitur, non recte, certe non proprie, *membra* dicuntur : et sic duplicem, utramque gravem, rationem videbis, cur consulto sic auctor scripserit. G.

17. *Quorum utilitas quanta sit.* Ne in hoc positu offendas, notandum est, velle auctorem in ipsa voce *utilitas* vim positam, non tantum in ejus magnitudine. Cluent. 33, 87 : « Quum ipsa pecunia, quæ Staleno data est, numero ac summa sua non modo, quanta fuerit, sed etiam ad quam rem data fuerit, ostendat ». Dicuntur igitur pro, « et quoad utilitatem eorum, si spectas quanta sit ». Si secus acce-

a medicis etiam disputatur; alia autem nullam ob utilitatem, quasi ad quemdam ornatum, ut cauda pavoni, plumæ versicolores columbis, viris mammæ
atque barba. Hæc dicuntur fortasse jejunius: sunt 19
enim quasi prima elementa naturæ; quibus ubertas orationis adhiberi vix potest, nec equidem eam cogito consectari: verumtamen quum de rebus grandioribus dicas, ipsæ res verba rapiunt[18]. Ita fit quum gravior, tum etiam splendidior oratio. Est ut dicis, inquam; sed tamen omne, quod de re bona dilucide dicitur, mihi præclare dici videtur. Istiusmodi autem res dicere ornate velle, puerile est; plane autem[19] et perspicue expedire posse, docti et intelligentis viri.

VI. Progrediamur igitur, quoniam, inquit[1], ab his 20

peris, scriptum voles, « quorum quanta sit utilitas ». G.

18. *Ipsæ res verba rapiunt.* Eorum probo conjecturam, qui reponunt, *ipsæ res verba pariunt.* Sic certe loquutus est Noster lib. II de Orat. cap. 34. Davisius. — Qui *pariunt* suadent, locum elumbem reddunt: quod Bremius ex mera aliorum conjectura edidit. Res enim *grandiores* sunt, quæ affectus cient: *rapere* autem auctori de affectibus proprie, et multifariam, dicitur, Acadd. II, 36, 114. Hoc loco est, « celeriter expediunt, rapaci celeritate suppeditant ». Atque sane animus rerum granditate excitatus, vel infantis, facundus redditur. Facili autem ellipsi *ad se* cogitandum est. Quæ si recte perpenderis, *pariunt* frigere senties. De elati autem animi oratione hæc dici, proxima verba clarissime loquuntur. G.

19. *Istiusmodi autem ... plane autem.* Gœrenz delet prius *autem.* Hujus, inquit, loco Davis. *enim* suadet adstipulante Ernestio, Bremio refragante. Oppositionem hac particula enuntiato præcedenti fieri. Recte sic *autem* defenderetur, nisi rectius eliminanda esset. Si enim codd. consulas, Spir. et Erl. ejus loco *ut* præbent; Gud. 2 transponit, *istius autem modi;* sique simul hanc indubitatam verborum collocationis legem tenueris, ultra quartam vocem in latino sermone (in vernacula secus est) unsquam primariam enuntiati vocem excedere posse, nisi in clausula ponatur; si denique vocem istam primariam, *ornate*, ex vulgata quinto loco videris: nos in ea ejicienda recte fecisse concedes. Ceterum nihil huc facit, quod *autem* ex vulgata repetite ponitur: ut enim Bremi Wopk. Lectt. Tull. p. 18, laudat, ita vide nos ad Acadd. lib. I, cap. 10, § 36.

VI. 1. *Quoniam, inquit.* Davis. ex Eliens. 1, transverso ordine, *inquit, quoniam;* eumque sequutus est Bremi. Sed ex tam imbecilli auctoritate res impeditioris quæstionis non dirimitur. Alibi monuimus, auctorem non solere

principiis naturæ discessimus, quibus congruere debent, quæ sequuntur. Sequitur autem prima [2] divisio hæc. Æstimabile esse dicitur; sic enim, ut opinor, appellemus id [3], quod aut ipsum secundum naturam sit, aut tale quid efficiat, ut selectione dignum propterea sit, quod aliquod pondus habeat dignum æstimatione, quam ille ἀξίαν vocat [4]: contraque inæstimabile,

inquam nisi in medio enuntiato ponere; hoc excepto, si sententiæ clausulam occupet. In quem ejus morem aperte hac transpositione peccatur. Contra vero haud raro fit, ut idem alteri enuntiato post inseratur. Cf. 4, 12: « hosne igitur laudas, et hanc eorum, inquam, sententiam sequi non censes oportere? » Interdum adeo in apodosin rejicitur, vid. Acadd. I, 4, 14. Quæ reputantes, tardiores h. l. ad corrigendum reddimur, licet nos quoque in hoc positu paullum offendamur. Ex vulgatæ ordine stant nostri omnes. G.

2. *Sequitur autem prima divisio hæc.* Quatuor nostri, *hæc prima divisio.* Ne quintus quidem Gud. 2, cum vulgata: refert enim *hoc;* ut *prima divisione hoc*, conjicere possis, quum syllaba *ne* superscripta toties obliterata deprehendatur. Sed licet ordo, quem illi servant, optimus sit, et vulgata adeo selectior; valet enim idem, quod, « hæc divisio, quæ prima est »: tamen dubitamus, an hic aliter, quam *ut* sequente, hac in forma dicatur. Cf. infra 16, 55: « Sequitur illa divisio, ut, etc. » Vulgatæ contra structura frequentissima est. Possis tamen *hæc* ex glossa additum putare, quum toties auctori tali in structura demonstrativa omittantur. G.

3. *Æstimabile esse dicitur; sic enim, ut opinor, appellemus id... vocat: contraque inæstimabile.* Sic Gœrenz, nisi quod vv. *sic enim... vocat* parenthesi includit. Primum, inquit, tria verba ab initio sic accipies: « statuitur a nostris esse aliquid, quod æstimabile dicatur ». Deinde recte, jussu Th. Bentleii et Davis. dedere Ern. et Bremi *appellemus*, licet quatuor etiam nostri cum prima vulgata, *appellamus:* sed vel Gud. 2, qui *appelleremus* habet, recepti veritatem indicat. Denique putant P. Manut. Lamb. Davis. Bremi, excidisse græcam vocem, quæ *æstimabile* notet; commendatque Manut. inauditum verbum ἀξιωτὸν, quod ponit post *appellemus*. Davis. contra ἀξίαν ἔχον, quod Stoicis in usu est unice. At hi VV. DD. tale quid vix statuissent, si parenthesis signa verbis, *sic... vocat*, addenda esse vidissent. His enim a nobis adjectis, de loci integritate dubitari vix licet. Rei enim notio verbis, *sic enim*, etc. explicatur: neque opus erat, ut auctor græcam adjectivi vocem adderet, quum eam substantivi ponat. — De his, ut de iis quæ sequuntur, vide Exc. III ad nostr. Acadd. I.

4. *Quam ille ἀξίαν vocat.* Si hæc est vera loci lectio, subintelligendus est Zeno: quem tamen Cato ex eo, quo in hanc disputationem ingressus est, ne semel quidem nominavit. Opinor igitur legendum esse, *quam illi ἀξίαν vocant*, scilicet Stoici, quos Cato memoravit modo, et quorum dogmata hic explicaturus est. Huic

quod sit superiori contrarium. Initiis igitur ita constitutis, ut ea, quæ secundum naturam sunt, ipsa propter se sumenda sint, contrariaque item rejicienda; primum est officium (id enim appello καθῆκον[5]), ut se conservet in naturæ statu; deinceps ut ea teneat, quæ secundum naturam sint, pellatque contraria; qua[6] inventa selectione, et item rejectione, sequitur deinceps cum officio selectio[7]; deinde ea perpetua,

vero conjecturæ favet id, quod infra in hoc ipso capite occurrit, *quam appellant ἔννοιαν isti.* Pearc. — *Quam ille ἀξίαν vocat.* Vulgatum reliquimus, sed toti cum Pearcio facimus, qui *illi... vocant* suadet. Bremi vulgatum sic defendit, ut moneat, poni excellentiæ pronomen de primis alicujus scholæ philosophis, nomine eorum ipso ab asseclis sæpe suppresso: simulque illud Pythagoreorum αὐτὸς ἔφα laudat. Sed sic hæc non satis defenduntur. Nam si vel plene hæc concesseris, jure quæres, cur *vocat*, nec potius *vocavit* dicatur? ut infra 15, 51: *Zeno* προηγμένον..... *nominavit*: præsens enim h. l. Zenoni propriam esse hanc opinionem innuit, ac si reliqui Stoici aliter; quum tamen tota porticus in eodem hoc consenserit. Deinde cur Zeno maxime, in re Stoicis communi omnibus? Contra vero sæpissime *illi* hoc in libro Stoici audiunt. § 21, *quam appellant ἔννοιαν illi,* cll. § 24, 32, 35, 53. Adde quod vel l. l. *Zeno* ideo nominatur, quia in *proegmenis* statuendis plures Stoicorum principes diversa sentiebant. Relinquitur ex his, locum correctione, quam diximus, indigere. G.

5. *Id enim appello καθῆκον.* Cf. infra 16, 52: (*id enim est* προηγμένον), cll. V, 29, 87; Acadd. I. 6, 18, etc. Nihil igitur dicit Dav. *ita* conjectans.

6. *Qua inventa selectione... sequitur.* Gœrenz scrib. *quæ inv.* etc. notatque: Davis. Ern. Bremi, *qua... sequitur*, ediderunt, sic jam P. Manutio et Grutero ex suis suadentibus. Ante scriptum est, *quæ... sequuntur;* inepte. Spir. Erl. et Gud. 2, sic ut exhibuimus, præbent: neque aliter haud dubie duumviri illi in suis repererunt; sed quum *sequitur* legerent, non videbant, *quæ inventa* quarto casu plural. accipi et posse, et, quum *quæ* sit scriptorum plerorumque certe omnium, debere. Accedit, quod ex « selectione rejectioneque inveniuntur, quæ secundum naturam sunt, et quæ contraria »; est igitur per se jam *quæ* rectius, hoc sensu, « quibus, selectione adhibita, et rejectione, inventis », etc.

7. *Deinceps cum officio selectio.* Lamb. et Davis. suadent *deinceps officiorum sel.* probante Bremio. At falluntur: debent enim verba *cum officio selectio* pro una notione accipi, seligendique rationem eam significant, ubi proxime, quid officii sit, quæritur. Structura eadem est, qua, « cum judicio eligere, secernere », dicitur. Hæc autem *cum officio selectio* differt ab illa generali proxime ante posita: versatur enim in eo, quid, duabus rebus honestis, sit honestius; duabus utilibus, utilius, simul cum respectu ad temporum conditionumque varietatem. Qua de re de Officiis libro II

tum ad extremum constans, consentaneaque naturæ, in qua primum inesse incipit et intelligi [8], quid sit,
21 quod vere bonum possit dici. Prima est enim conciliatio hominis ad ea, quæ sunt secundum naturam. Simul autem [9] cepit intelligentiam, vel notionem potius, quam appellant ἔννοιαν illi, viditque rerum agendarum ordinem, et, ut ita dicam, concordiam: multo eam pluris æstimavit, quam omnia illa, quæ primum dilexerat [10]; atque ita cognitione [11] et ratione collegit,

et III exponitur. Ceterum non debet *deinceps* repetitum offendere : simili ratione fit cum *deinde, denique*, etc. vide ind. ad Acadd. G.

8. *In qua primum inesse incipit et intelligi, quid sit, quod vere bonum possit dici.* Vel auctoris mentem non assequor, vel hæc a sciolis corrupta sunt. Omnes Pall. Par. 1, 3, Eliens. uterque, Med. C. C. C. Balliol. et editio Victoriana, *incipit et intelligit.* Ciceronem scripsisse suspicor, « in qua primum inesse concipit et intelligit id quod vere bonum possit dici ». Nam « simul vidit rerum agendarum ordinem; statuit in eo collocatum summum illud hominis per se laudandum et expetendum bonum », sicut Noster paullo post loquitur. Περὶ τῆς ὁμολογίας, sive τοῦ ὁμολογουμένως ζῆν, qui Zenoni finis fuit, agit Noster. De eo vid. Just. Lips. Manuduct. ad Stoic. phil. lib. II, diss. 15. Dav. — Gœrenz scribit : « In qua quum primum inesse incipit et intelligit ». Ausi sumus, inquit, aliquid nostro Marte, ne alieno audaces sine eventu videremur. Addidimus *quum :* vulgata *intelligi* refert; quod haud dubie ex conjectura fluxit, nam liber scriptus, qui sic referret, repertus nullus est. Omnes *intelligit;* nec aliter editi veteres. Et tamen in communi lectione acquievissemus, nisi vel hæc per zeugma excusanda esset : quis enim umquam probarit, « in qua primum inesse incipit quid sit, quod vere bonum possit dici ? » Contra vero, in formis, « quum primum, quum maxime, quum potissimum », haud raro *quum* a scribis abjicitur : nec minus sæpe idem post pron. relativum excidit.

9. *Simul autem.* Ursin. ex libro scripto *ac* pro *autem* commendat. Editi vett. multi in iisque Ven. 1494, Crat. *simul atque.* Quod si verum fuerit, *sed simul atque* corrigendum erit. *Autem* melior est, et nostris omnibus comprobata. Scribæ consulto mutarunt, quum *simul* pro *simul atque* poni nescirent. Cf. Tursell. de Partt. p. 816, n. 13. Adde ex multis, pro Quint. 5, 18 : « simul atque sibi hic annuisset ». G.

10. *Quæ primum dilexerat.* Gœr. scribit *prima.* Ita, inquit, excepto Gud. 2, nostri omnes. Vulgata *primum* vage ponitur, quum intelligantur *prima naturæ*, quæ paullo post plene dicuntur. Supra, § 17 : « quæ prima sunt ascita natura, diligamus ».

11. *Cognitione et ratione.* Multi scripti editique, *cogitatione et ratione*, idque amplectitur Davis. sed est ex vitio scribis admodum solemni. Præ-

ut statueret, in eo collocatum summum illud hominis per se laudandum et expetendum bonum, quod quum positum sit in eo, quod ὁμολογίαν stoici, nos appellemus convenientiam, si placet[12]; quum igitur in eo sit id bonum, quo referenda sint omnia [honeste facta[13]], ipsumque honestum, quod in[14] bonis

cesserat *intelligentia*, ad hanc igitur *ratione* adhibita, *collegit*, etc. Similiter Off. I, 44, 10 : « in cognitione et scientia ». Hinc Orat. I, 3, 10, pro *scientiæ cognitione*, quod nihil est, Schütz. non *scientia et cogitatione*, sed *sc. et cognitione* corrigere debuisset. Nostrorum ibi optimus *scientiæ et cognitione* peccat. G.

12. *Nos appellemus convenientiam, si placet.* Gœr. hæc verba parenthesi includit, notatque : Mirum est, quod toties VV. DD. in parenthesi ponenda cæcutiunt. Ad hæc verba ejus signa pertinere, structuræ loci ratio, et *igitur*, quæ proxime sequitur, clamat. Ὁμολογία autem τῆς φύσεως (naturæ quum universæ, tum humanæ) intelligenda est. Inde Stoici in *καθήκοντος* definitione ὁμολογουμένως ζῆν et κατὰ φύσιν ζῆν, synonyma ponunt; junguntur etiam ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν. Dicitur item eadem συμφωνία, et σύμφωνον ζῆν. Stob. Ecl. Eth. II, p. 132, 134, 138; cll. Laert. VII, 87, etc.

13. *Quo referenda sint omnia [honeste facta]*. Gœrenz scribit : *quo omnia referenda sunt*, delet *honeste facta*, notatque : Ern. et Bremi vv. *honeste facta*, Davisii monitu, cancellis incluserunt. Sed accuratius videamus. *Sint* primum vitium est Ernestianæ, haud dubie operarum, a Bremio propagatum : *sunt* enim præbent edd. et codd. omnes. Ordinem deinde, quem dedimus, omnes nostri servant, itemque χ. ψ. Vien. bini apud Davisium et edd. vett. plures. Sed addunt Spir. Erl. Vien. Mars. alterum *omnia* eo loco, quo vulgo legitur. Bas. adeo, « *se* omnia honeste facta », refert. Inde nempe aperta glossa cognoscitur. Erant olim hæc tria verba superscripta, et quod Bas. *se* legit, id *sc.* hoc est *scilicet* ex nota valet. Ordinem autem vulgatum vere corruptum esse, is, qui de vera verborum collocatione cogitavit, facile intelliget. *Omnia* enim ita cum vi postpositum modo in sententiæ clausula recte stabit, non in ea media contexti. Hoc ne dubites, exempla vide. Acadd. II, 8, 24 : « Quum vero dubitabit, quid sit extremum et ultimum bonorum, ignorans, quo omnia referat, qui poterit esse sapientia? » Fin. II, 2, 5 : « quo omnia, quæ recte fierent, referrentur, neque, etc. » At contra Off. I, 14, 2 : « ad quam referenda sunt omnia », etc. — *Ipsumque* valet *et adeo ipsum*. Inde aliquo modo verum sensit P. Manut. quum post *omnia* colo interpungeret; sed loco inepto.

14. *Quod in bonis ducitur.* Gœrenz dat : *quod solum in bonis d.* Hoc, inquit, addidimus ex Spir. et Erl. quorum prior plene consentit, alter modo *quo* peccat. Mirum est, cur sic non dudum VV. DD. ex conjectura : e Stoica enim ratione *solum* abesse nequit. Neque ob *solum* mox repetitum hæreas : vis est in iteratione.

ducitur, quamquam post oritur, tamen id solum vi sua[15] et dignitate expetendum est : eorum autem, quæ sunt prima naturæ, propter se nihil expeten-
22 dum[16]. Quum vero illa, quæ officia esse dixi, proficiscantur ab initiis naturæ; ea ad hæc referri necesse est[17] : ut recte dici possit, omnia officia eo referri, ut adipiscamur principia naturæ[18]; nec tamen ut hoc sit bonorum ultimum, propterea quod non inest in primis naturæ conciliationibus[19] honesta actio. Consequens enim est[20], et post oritur, ut dixi. Est tamen ea secundum naturam, multoque nos ad se expetendam magis hortatur, quam superiora omnia. Sed ex hoc primum error tollendus est, ne quis sequi existimet, ut duo sint ultima bonorum. Ut enim[21] si cui

15. *Vi sua.* Gœrenz dat : *sua vi.* Ita, inquit, transponi Gud. uterque et Bas. jusserunt, quum multo efficacius sit *sua* præmissum : prorsus ut « suapte natura et ingenio » dicitur. Bremiana verbis *post oritur*, particulam *demum* interserit, auctoritate nulla probatam.

16. *Eorum autem, quæ sunt prima naturæ, propter se nihil expetendum.* Hæc Academicis Peripateticisque opponuntur; cf. Acadd. I, 6, 22 : « Communis hæc ratio, et utrisque hic bonorum finis, adipisci, quæ essent prima natura, quæque ipsa per sese expetenda, aut omnia, aut maxima ». G.

17. *Ea ad hæc referri necesse est.* Gœrenz transponit : *necesse est, ea ad hæc referri, ut.* Vulgatus ordo, inquit, per se quidem optimus; quum autem hunc nostrorum nullus, veterumque editorum vix unus et alter agnoscat : non potuimus non eum sequi, quem tot scriptorum editorumque consentiens auctoritas commendabat; idque maxime, quum ad contexta accommodatior esset.

18. *Principia naturæ.* Vix Ern. intellexit, quæ auctori *principia naturæ* dicantur : explicat enim per « ea, quæ principiis illis sint consentanea ». At *principia* et *prima naturæ* prorsus idem valent; superius § 16 : « principia naturalia dicta, in rebus, quæ primæ appetuntur », ponuntur v. c. probi sensus, recta valitudo, etc. Quæ quum sint, *adipisci principia naturæ*, hæc ipsa sibi conciliare notat, non, quæ his sint consentanea. G.

19. *In primis naturæ conciliationibus* (οἰκειώσεσι), nihil aliud valent, quam, « in primis naturæ, si ea tibi conciliare, ad ea si te applicare, studueris ». G.

20. *Consequens est enim.* Sic Spir. et Erl. vulgo *enim est.* Cf. Fin. II, 9, 25 : *Semovenda est enim*; 18, 59 : *Perspicuum est enim*; III, 1, 2 : *Quærendum est enim*, etc. G.

21. *Ut enim...illud autem.* Sic

sit propositum, collineare hastam aliquo, aut sagittam, sicut nos ultimum in bonis diximus, sic illi facere omnia, quæ possit, ut collineet: huic in ejus

vulgata præbet, nisi quod habet *collimare* ter pro *collineare*.—In omnibus his de philosophia libris nullus est forsitan hoc vel obscurior, vel corruptior locus. Multi igitur editores multa ad eum sanandum et illustrandum excogitarunt: nec ita mihi mea placent, ut iis, quæ de hac re dicturus sum, satis expurgari locum credam. Ita locum legendum esse arbitror: « Etenim, si cui propositum sit collimare hastam aliquo aut sagittam, huic omnia sunt facienda ut collineet: et tamen, ut omnia faciat, quo propositum assequatur, hoc quasi ultimum dicimus; illud autem, ut feriat, quasi seligendum, non expetendum ». Cato hæc dicit, ut probet non esse Stoicis *duo ultima bonorum*: et ad hanc rem probandam profert exemplum collimantis hastam. Non est huic, inquit, finis, ut feriat; sed ut omnia faciat, quo propositum suum collimandi aliquo hastam assequatur: illud, ut collineet sive feriat, est *seligendum*: hoc vero proprie *ultimum* jaculatoris dicitur. Ridicula hæc sunt, fateor, sed Stoicorum ridicula: quapropter non est Ciceroni vitio dandum, si quid solito obscurius in his insit. Interim MSS. exscriptoribus vitio dandum sit, obscura multo obscuriora facta esse; multaque in textum recepta esse, quæ inter lineas olim interpretamenti loco exstarent. PEARC. — Idem Pearcius notat *collimare* et *collineare* hoc differre: *collimare hastam* est dirigere hastam ad aliquem locum; *collineare*, locum ferire.—Gœrenzius scribit: « Ut enim si cui propositum sit, collineare hastam aliquo, aut sagittam, sic nos ultimum in bonis dicimus. Sit illi facere omnia, quæ possit, ut collineet; huic, in ejusmodi similitudine, omnia sint facienda, ut collineet; et tamen, ut omnia faciat, quo propositum assequatur: sit hoc quasi ultimum (quale nos summum in vita bonum dicimus), illud autem, ut feriat, quasi seligendum, non expetend. » Vix, inquit, credere licet, quantopere locus hic sit in vulgatis neglectus: quamquam ex scriptorum varietate, quæ hucusque exstabat, si voculam exceperis, facili opera plene restitui poterat. Omnium tamen maxime interpungendi incuriam mireris. « Ut enim si cui », male vulgo virgula dirimuntur. —*Propositum sit*, omnes nostri, plures edd. vett. ipse Davis. ex suis tacite: vulgatus ordo ad hæc contexta per se pravus est.—*Collineare*, Pal. 1, Ven. 1494, Crat. in marg. Davis. Bremi. cf. Hotting. ad Divin. II, 59, et Matth. Misc. Phil. Vol. II, P. I, p. 136. — *Sic* pro *sicut* Bas. et Gud. 1. Respondent sibi: « Ut si cui...sic nos ». — *Dicimus* 4 nostri cum aliis, pro *statuimus*. — *Sit* nostra sponte ex *sic* fecimus, pro *liceat*: res ipsa loquitur.—*In ejusmodi similitudine* præbent Pal. 1, Spir. Erl. Gud. 1, Mars. i. e. « si talem simil. persequimur ». — Virgulas requirit etiam *omnia* cum vi positum. Verba, « omnia sint facienda, ut collineet », ex crebro auctoris more, ad exempli comparationem aptata, repetuntur. In vv. « Ut omnia faciat, quo », *ut* est *licet: quo*, notat *ut inde*, et vv. « et tamen...sit hoc quasi ultimum » cohærent. — Gœr. vv. *quale... dicimus* parenthesi addixit; quippe cui, inquit, aperte debentur. — Ceterum « sit hoc quasi ultimum », ad *ut colli-*

similitudine omnia sint facienda, ut collineet; et tamen ut omnia faciat, quo propositum assequatur: sit hoc, quasi ultimum, quale nos summum in vita bonum dicimus; illud autem, ut feriat, quasi seligendum, non expetendum.

23 VII. Quum autem omnia officia a principiis naturæ proficiscantur, ab iisdem necesse est proficisci ipsam sapientiam. Sed quemadmodum sæpe fit, ut is, qui commendatus sit alicui, pluris eum faciat, cui commendatus sit, quam illum, a quo sit; sic[1] minime mirum est, primo[2] nos sapientiæ commendari ab initiis naturæ, post autem ipsam sapientiam nobis cariorem fieri, quam illa sint, a quibus ad hanc venerimus. Atque ut membra nobis ita data sunt, ut ad quamdam rationem vivendi data esse appareant[3]: sic

neet referes. Recte autem Ern. *sit* pro *sed* quæ huc nihil facit; facileque *set* et *sit* confunduntur.—Sensum si addi velis, hic est: « Nos ultimum bonum sic (appetendum) dicimus, velut si hasta aut sagitta scopum constitutum petas. Ut enim tum facere te omnia par est, ne pecces, ita (summum bonum appetenti) item, ne peccet, facienda sunt omnia: et tamen, si vel omnia facias, unde voto potiaris, hoc ultimum tibi erit (ne pecces), (in quo nos æque summum in vita bonum ponimus): illud contra, ut scopum ferias (ipso bono potiaris) », ὡσεὶ ἐκλεκτέον vel ληπτέον (cf. Excurs. III ad Acadd. I, p. 192 seqq. nostræ edit.), οὐ διωκτέον. In VV. Doctorum conjecturis nihil moramur.

VII. 1. *A quo sit; sic.* Scripti omnes aut *sit*, aut *sic*, ignorant. Ern. cum Lambino *sit* adjecit ex edd. primis, in quibus est Ven. 1494. Possit quidem abesse, sed additur elegantius, et plane ex auctoris usu. Unde alterum excidere potuerit, vides. G.

2. *Primo ... post.* Vien. *primum;* quod est auctori multo usitatius. G.

3. *Ut ... data esse appareant.* Ern. requirit ex latinitatis veræ usu, *appareat:* Brem. contra ad alia exempla provocat, quæ ad I, 10, 34, contulit, quibus multa impersonalia verba ad subjectum a Cicerone referri, doceret. Sed exemplorum istorum (ut eorum omnium, quæ nobis innotuerunt), ab hoc nostro diversa ratio est; ut sola scriptorum in vulgata conspiratio cautionem imperet. Mirum etiam hoc manebit, cur, quum toties Cicero hoc impersonali utatur, hic solus locus numeretur, ubi id ad subjectum relatum sit. Facilius denique ferremus, si *esse* non legeretur: similiter enim tum defendi, ut *compareant*, posset, Sull. 26, 73, « quæ ita a fortuna deformata sunt, ut tamen a natura inchoata compareant ». Divv. IX, ep. 10: « adeone tu mihi excussam severitatem veterem putas, ut ne in foro qui-

appetitio animi, quæ ὁρμὴ græce vocatur, non ad quodvis genus vitæ, sed ad quamdam formam vivendi videtur data; itemque et ratio, et perfecta ratio[4]. Ut 24
enim histrioni actio, saltatori motus, non quivis, sed certus quidam est datus: sic vita agenda est certo genere quodam, non quolibet; quod genus conveniens consentaneumque dicimus. Nec enim gubernationi[5], aut medicinæ similem sapientiam esse arbitramur, sed actioni illi potius, quam modo dixi, et saltationi, ut in ipsa arte insit, non foris petatur extremum, id est, artis effectio[6]: et tamen est etiam

dem reliquiæ pristinæ frontis appareant? » G.

4. *Quæ* ὁρμὴ ... *ratio*. Hæc sunt ex nimio brevitatis studio obscuriora. Laert. explicat VII, 86: τῆς ὁρμῆς τοῖς ζώοις ἐπιγενομένης, ᾗ συγχρώμενα πορεύεται πρὸς τὰ οἰκεῖα, τούτοις μὲν τῷ κατὰ φύσιν τὸ κατὰ τὴν ὁρμὴν διοικεῖσθαι· τοῦ δὲ λόγου τοῖς λογικοῖς κατὰ τελειοτέραν προστασίαν δεδομένου, τὸ κατὰ λόγον ζῆν γίνεσθαι τοῖς κατὰ φύσιν· τεχνίτης γὰρ οὗτος ἐπιγίνεται τῆς ὁρμῆς. In his conjicit Davis. primo τὸ κατὰ φύσιν τῷ κατὰ τὴν ὁρμήν; deinde τούτοις κατὰ φύσιν: sed utrumque prave. Ad prius cogita οἰκείως; ad posterius ζῶσι. G. — *Actio, saltatori motus*. Quidam volunt « actio saltatorii motus », sed non habent faventes membranas. GRUT.

5. *Nec enim gubernationi*. Artium ultimum cum sapientiæ ultimo non apte comparari posse docet, dissimilitudinem explicans. In artibus est et artificis habitus, et artis effectio. Cum habitu, sapientiæ nihil est commercii. Otiosus est enim habitus ille, nisi materiam in qua versetur, habeat. At sapientia in se tota conversa est: nihil ad se tuendam eorum quæ sunt externa, requirit. Est enim in animi cura et cogitatione posita, non in fortunæ temeritate: et non minus exercetur in rerum omnium penuria, quam in abundantia. Est quoque sapientia dissimilis artis effectioni. Quum enim suum munus ars effecit, et prodiit opus, jam ab arte ipsum alienum est: nec artis dignitatem amplectitur. At sapientiæ effectio, quæ est illa εὐλογιςία, in se omnes retinet sapientiæ numeros: immo ne nomen quidem sapientiæ amittit. Qui enim ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν didicit, is sapiens est, prudens, justus, fortis, et temperans, quæ sunt sapientiæ: et ea recte facta, sive κατορθώματα, dicuntur. MORELIUS.

6. *Ut in ipsa arte insit ... artis effectio*. Gœr. delet *arte*. Possit sane, inquit, cum vulgata scribi; at secus codd. suadent Spir. Erl. et Gud. 2, *arte* ignorant Bas. et Gud. Vien. Mors. aliæ *arte in ipsa* transponunt. Nihil mirum esse debet, quod scribæ *arte* adscripserunt, quippe qui non viderent, *ipsa* ad *sapientiam* pertinere. Hic enim loci sensus est: « Sapientiæ cum gubernatione et medicina comparatio haud sane apte nobis conve-

alia cum his ipsis[7] artibus sapientiæ dissimilitudo; propterea quod, in illis, quæ recte facta sunt, non continentur tamen[8] omnes partes, e quibus constant. Quæ autem nos aut recta, aut recte facta dicamus, si placet, illi autem appellant[9] κατορθώματα, omnes numeros virtutis continent. Sola enim sapientia in se tota conversa est : quod idem in ceteris artibus non fit.

25 Inscite autem medicinæ et gubernationis ultimum cum ultimo sapientiæ comparatur. Sapientia enim et animi magnitudinem complectitur, et justitiam, et ut omnia, quæ homini accidant[10], infra se esse judicet:

nit (harum enim artium effectio (τὸ ἀσκεῖν) non in ipsis manet, sed foras prodit) : rectius illa actioni histrionis, et saltationi comparatur, ut in ipsa (sapientia) extremus ejus finis, effectio (*die Ausübung*) inesse cernatur, prout in histrionia et saltatoria arte valet ». Hoc contractius auctor, ut solet, effert, « ut in ipsa insit... artis effectio ».

7. *Et tamen est etiam alia cum his ipsis.* Gœr. delet *etiam*. Hanc licet, inquit, part. Spir. et Erl. firmant, tamen quum reliqui nostri, et Oxonn. E. ξ. non agnoscant, quumque tum quinto loco (quo non debet) vis enuntiati poneretur, quippe quæ in *alia* insit; ut sine ulla dubitatione spuriam, abjecimus. *Alia* deinde Brem. *aliqua* mutari jubet : et sane ita multis locis *aliquis* pravatum reperitur, si pro *alius aliquis* ponitur. Sed h. l. correctione opus non est, scriptis editisque vulgatum tuentibus. *His ipsis*, i. e. gubernatione et medicina; nam has auctor cum sapientia comparari improbat.

8. *Propterea quod, in illis, quæ recte facta sunt, non continentur tamen.* Gœr. scribit *propterea quod, in illis quæ recte facta sunt, non continent tamen*. Primo, inquit, rectius distinximus; nam vulgo ante *quæ* virgula ponitur. Sed vv. *in illis* ob vim oppositionis præmissa sunt. Deinde vulgatum *continentur*, in *continent*, ex Spir. Erl. et Bas. Marso mutavimus, quum, si vel ad *omnes partes*, *quoad* cogites, locus tamen probe coeat. Innumeris deinde locis auctor verbo, si ad diversa refertur, repetito, « non continent, quærunt, student, possunt ... sed continent ... possunt ». *Tamen* his recurrit sæpius; vide ad Legg. I, 2, 7.

9. *Illi autem appellant.* Gud. 1 *autem* ignorat. Sed inservit hæc partic. *contra* notans, sæpe parenthesi, quæ nobis cum Bremio ponenda fuit. Putamus etiam Ciceronem tum, *illi καθ. appellant*, scripturum fuisse : hunc enim ordinem observatum vide § 32, 36; nam alia positus verborum vis est § 45, 57, etc. G.

10. *Et ut omnia, quæ homini accidant.* Gœr. *et* uncis includit ut spurium, notatque : Non concoquunt scribæ *ut* apodoseos; de qua sæpe egimus. *Et* autem abjecta omnia complanantur : ut enim animi magni est,

quod idem in ceteris artibus non contingit. Tenere autem virtutes eas ipsas[11], quarum modo mentionem feci[12], nemo poterit, nisi statuerit, nihil esse, quod intersit, aut differat aliud ab alio[13], præter honesta et turpia.

VIII. Videamus nunc, quam sint præclare illa iis, 26
quæ jam posui[1], consequentia. Quum enim[2] hoc sit extremum (sentis enim, credo, me jam diu, quod τέλος Græcus dicat[3], id dicere tum extremum, tum

ut omnia, quæ tibi accidant, infra te esse putes; ita justi est, a communi hominum sorte in sese exceptionem fieri nolle. Deinde 4 optimi nostri *accidunt;* sed vulgata est probatior.

11. *Virtutes eas ipsas.* E. et ξ. *eas* ignorat. Per se quidem optime: quum tamen nullus alius cod. consentiat, et præcedens syll. *es* hoc pron. æque sorbere, atque addere potuerit, nihil corrigendum: in primis si attenderis, vv. *tenere* et *ipsas* enuntiati vim continere; aures libenter *eas* admittere senties. G.

12. *Mentionem feci.* Gœr. scrib. *feci mentionem.* Omnes nostros, inquit, sequuti sumus. Cf. Legg. III, 6, 14, « de quo feci supra mentionem ». Agrar. III, 2, 4: « neque apud vos ante feci mentionem ». Neque ita Cicero solus, vid. Corn. Nep. Att. 16, 3: « in quibus de eo facit mentionem, etc. »

13. *Nihil esse, quod intersit, aut differat aliud ab alio.* Davis. suadet, *aut quo differat;* cui Ern. opponit, dici his res ipsas inter se differre, non quomodo differant. Brem. *quo* non addi vult, sed intelligi, exemplis allatis, in quibus demonstrativum aut relativum altero enuntiati membro omittatur. Quod quidem licet sit verissimum, ut sæpe superioribus Voll. vidimus; tamen hoc nihil facit, quum non idem relativi casus præcedat. Construes, « nihil aliud esse quod intersit, aut differat, ab alio »: auctor enim *aliud* altius rejecit, quum easdem voces jungere amet, ut « singuli a singulis, unus ab uno, etc. » atque ita ante *differat* recte *quod* denuo cogitabis. Quod nisi esset verissimum, sequenda Reizii ratio foret, qui in exemplari suo *quo*, pro *quod*, legit. Sic zeugma haud infrequens exsisteret. Ceterum his Stoic. illud indicatur, « modo honestum et turpe differre, cetera esse paris, ἀδιάφορα ». G.

VIII. 1. *Quæ jam posui. Jam* est *modo.* G. — Gœr. incipit cap. VIII sequenti tantum § 27.

2. *Enim* unus e nostris ignorat. Offendit nempe scriba in proxime repetita; sed cf. Acadd. I, 2, 6. G.

3. *Quod τέλος Græcus dicat.* Gœr. scrib. *quod τέλος Græci dicunt.* Eluenda, inquit, macula fuit, quam VV. DD. ne sensere quidem: vulgatam enim, *Græcus dicat,* Cicerone indignam esse, dubitari nequit. Talibus scilicet linguæ elegantiis scribæ pollent, ex vernacula ipsorum lingua adscitis. Pauci autem scripti sic corrupte: nam, præter tres Oxonn. e nostris solus Gud. 2 vulgatam agnoscit. Veram lect. servat item Crat. in margine:

ultimum, tum summum : licebit etiam finem pro extremo, aut ultimo dicere), quum ergo hoc sit extremum[4], congruenter naturæ convenienterque[5] vivere; necessario sequitur, omnes sapientes semper feliciter, absolute, fortunate[6] vivere, nulla re impediri, nulla prohiberi, nulla egere. Quod autem continet[7] non magis eam disciplinam, de qua loquor,

at Mars. *Græci dicant.* Quod ne præferas, meminisse oportet, et scribas, et VV. DD. ad accus. cum inf. ita conjunctivum inferre solere; qui adeo in vitio habendus est, si res certa et indubitata ponitur. G.

4. *Quum ergo hoc sit extremum.* Gœr. scrib. *igitur* pro *ergo*. Ita, inquit, nostri omnes (e Gud. 2 vv. hæc ipsa exciderunt). At Mars. ejus loco *inq.* i. e. *inquam.* Sed id vel glossa est, vel ortum inde, quod compendd. *i* *i*
g. et *q.* confusa sunt. Omnes denique Oxonn. cum Ven. 1464, *enim :* quam qui scribarum torpor invexerit, nescimus; nisi inde natum est, ut hæc cum initio sententiæ æquarentur. Sed sæpe *igitur* a scribis omittitur, ut supra bis II, § 70 et 77, restituenda fuerit. Omissæ autem particulæ loco, quæcumque placuerit, alia substitui solet. Vulgatum ipsa linguæ natura respuit. Nam etsi quidem *ergo* parenthesin sic excipit, ut item pro *inquam* dicatur, vid. ad Acadd. II, 41, 126; tamen accurate sunt hæ partt. dignoscendæ. *Igitur* enim in quavis consecutione; *ergo* in solo ejus fine ponitur. Quare recte *ergo* tum h. l. diceretur, si enuntiatione intermedia, « quum hoc sit extremum », omissa, auctor statim, « necessario ergo sequitur, etc. » scripsisset. Quod quidem ita certum est, ut nihil certius. Et tamen in ea re ab utraque parte ubique a VV. DD. peccatur. Erl. « quum igitur extremum hoc sit »; qui ordo nobis præplacet.

5. *Congruenter naturæ convenienterque.* Accusat h. l. Brem. in argumento hujus libri, p. 262, Ciceronem inconstantiæ, quod supra, § 21, ὁμολογίαν cum Zenone simpliciter dixerit, hoc loco ὁμολογουμένως τῇ φύσει cum Cleanthe loquatur. Sed Zeno in simplici ὁμολογίᾳ non aliam intellexit, quam quæ esset τῆς φύσεως. Cleanthes modo explicatius : neque is semper sic, quippe qui teste Laert. VII, 89, ἀρετὴν διάθεσιν εἶναι ὁμολογουμένην, æque simpliciter. Historici erat hæc dignoscere, non philosophi. G.

6. *Feliciter, absolute, fortunate.* Quomodo VV. DD. in his tribus separatis et disjunctis adverbiis se expedierint, quum sileant, videre non licet : et tamen ubique sic eduntur, et citantur. Immo *absolute* ad *fortunate* applicandum erat, ut *semper* ad *feliciter*, i. e. « haud interrupte feliciter, pleneque fort. » Delenda igitur post *absolute* virgula fuit. Sic autem scripsit auctor, ut, quod vocant, extensive intensiveque felicissimum sapientem sisteret. G.

7. *Quod autem continet non magis ... quam vitam fort.* etc. Int. hoc dogma non solum fundamentum est totius doctrinæ stoicæ, sed etiam ex eo pendent vita fortunæque nostræ, quum illud nos doceat mortem et paupertatem contemnere.

quam vitam fortunasque nostras, id est, ut[8], quod honestum sit, id solum bonum judicemus: potest[9] id quidem fuse et copiose, et omnibus electissimis verbis, gravissimisque sententiis [rhetorice] et[10] augeri, et ornari; sed consectaria me stoicorum, brevia, et acuta delectant. Concluduntur igitur eorum argu- 27
menta sic: « Quod est bonum, omne laudabile est. « Quod autem laudabile est, omne honestum[11] est. « Bonum igitur quod est, honestum est ». Satisne hoc conclusum videtur? Certe. Quod enim efficiebatur ex his duobus, quæ erant sumpta, in eo vides esse con-

8. *Id est, ut. Id*, ut ubique fere, *tale* valet, atque h. l. eum vi ponitur, hoc nexo, *Quod continet ... id* (ejusmodi) *est, ut*, etc. ne de loci integritate dubites. Bas. *idem* peccat: Gud. 1, *id est* plane omisit: nempe comp. i quo hæ voculæ indicantur, sæpe excidere eas fecit. G.

9. *Potest.* Ante *potest* vulgo punctum maximum ponitur, cujus loco Davis. et Brem. colo distinxere. Sed tertium datur, punctum minus, idque loco unice aptum est. Nam verborum positus non bene colon admittit: nec tamen contextorum vis permittit, ut hæc a præcedd. penitus segregentur. Non igitur cum iis facimus, qui hoc punctum minus respuunt: sed, ut in tot aliis, judicii veritatem in F. A. Wolfio suspicimus, qui hanc distinctionem in Ciceronis certe philosophicis abolitam voluerit. G.

10. [*Rhetorice*] *et augeri*. Gœr. delet *rhetorice*. Hoc, inquit, recte a Davisio inde uncis notatum: quippe quod bini Pariss. et Gud. 2 ignorent. Abest idem a Basiliensi; et, quod majus est, re ipsa compungitur. Opponitur enim Stoicorum contorta brevitas, non tam oratorum copiæ, quam Academicorum disserendi ubertati. Non potest igitur, quin vox hæc addita marceat: idque magis, quum locus ipse nihil contineat, quod reprehensionem prodat.

11. *Quod est bonum ... honestum est*. Gœr. transponit *est honestum*, notatque: Hæc h. l. contractius posita, plenius dicuntur Tusc. V, 15, 45, cll. Plut. Stoice. Repugn. p. 1039: Τὸ ἀγαθὸν αἱρετόν· τὸ δ' αἱρετὸν, ἀρεστόν· τὸ δ' ἀρεστὸν, ἐπαινετόν· τὸ δ' ἐπαινετὸν, καλόν. Refert hanc conclusionem non sine idonea causa ad Zenonem ipsum Tennemann, *Gesch. d. Philos.* t. V, 83. Subtilius explicatam Chrysippo tribues: quæ enim ex Plut. laudavimus, ea ab hoc expresse Chrysippi esse dicuntur. De *boni honesti*que discrimine vide quæ accurate disputat Seneca Ep. CXIX. *Est honestum* ex nostris omnibus est, quibus Mars. consentit; vulgata transposite. Eadem assumptionis structura est, quæ Divin. II, 51, 106: « Nec, si dant vias, nulla est divinatio ... Est igitur divinatio ». Valet autem hic positus: « id omne tale est, ut sit honestum ». Hoc autem silentio præteriri nequit, duplex *omne* in Erl. non reperiri, indeque ipsum suspectum reddi, quum nec

clusum[12]. Duorum autem, e quibus effecta conclusio est, contra superius dici solet, non omne bonum esse laudabile. Nam quod laudabile sit, honestum esse conceditur[13]. Illud autem perabsurdum, bonum esse aliquid, quod non expetendum sit; aut expetendum, quod non placens; aut, si id, non etiam diligendum. Ergo et probandum. Ita etiam laudabile. Id autem honestum. Ita fit, ut, quod bonum sit, id etiam ho-
28 nestum sit. Deinde quæro, quis aut de misera vita possit gloriari, aut non de beata[14]? De sola igitur beata. Ex quo efficitur, gloriatione, ut ita[15] dicam, dignam esse beatam vitam: quod non possit[16] qui-

in Græcis insit, et ex proximis, «omne bonum esse laudabile», additum videri possit.

12. *In eo vides esse conclusum.* Recte Ern. explicat, *id esse in conclusione*, i. e. haud plus minusque in conclusione esse, quam quod ex binis sumptis sequi diximus. *Concludere* autem Ciceroni, ut *includere*, sæpe cum *in* et ablativo ponitur. G.

13. *Quod laudabile sit, honestum esse conceditur.* Ita primus Lamb. comprobante deinde Palatino 1. Idem firmant Spir. Erl. et Gud. 1. Olim «honestum sit, laudabile», cum reliquis codd. et edd. vett. omnibus. Sed prave. Tales scribarum transpositiones sunt creberrimæ. G. — *Illud ... perabsurdum bonum esse aliquid, quod non expetendum*, etc. Ad hæc conferas Tusc. V, 15, 45: «etenim quidquid est, quod bonum sit, id expetendum est: quod autem expetendum, id certe approbandum: quod vero approbaris, id gratum acceptumque habendum: ergo etiam dignitas ei rei tribuenda est: quod si est: laudabile sit necesse est. Bonum igitur omne laudabile, ex quo efficitur, ut, quod honestum sit, id sit solum bonum». Audis Chrysippi soriten, hunc enim hujus inventorem esse docent intt. ad Pers. Sat. VI, vers. ult. «Inventus, Chrysippe, tui finitor acervi». Adde Legg. I, 18, 45. G. — De illo Stoicorum dogmate, «Bonum omne esse laudabile», vid. Plut. de Repugn. Stoicor. p. 1039, C, et Diogen. Laert. VII, 101. Dav.

14. *Aut non de beata?* Addunt Bas. et Gud. 1, denuo *possit*. Quod ne esse aliquid putes, quum toties auctor verbum hoc in oppositione repetite ponat, reputabis tum, «aut de beata non possit», scribendum fuisse. Et vagam quidem sedem *non* habet, quum in tribus nostris *de non beata* legatur: sed similiter iidem paullo superius, *etiam non diligendum*. G.

15. *Gloriatione, ut ita dicam.* Notabis *gloriationem*, quod fere in deteriorem partem accipitur, hoc loco in meliorem dici, atque inde excusationis formulam additam esse. G.

16. *Quod non possit quidem.* Recte Brem. part. *quidem* contra Davis. qui eam expunxit, sic vindicat, ut ipsam ex asseveratione adjectam dicat: licet

dem nisi honestæ vitæ[17] jure contingere. Ita fit, ut honesta vita, beata vita sit. Et quoniam is, cui contingit, ut jure laudetur, habet insigne quiddam ad decus et ad gloriam, ut ob ea, quæ tanta sint, beatùs dici jure possit: idem de vita talis viri rectissime dicitur[18]. Ita, si beata vita honestate cernitur; quod honestum est, id bonum solum habendum est.
Quod vero negari nullo modo possit, quem um- 29
quam[19] stabili, et firmo, et magno animo, quem

eamdem cum Pal. 1, Spir. et Erl. ignorent. Sed rem non confecit: Davis. enim maxime in positu particulæ offendebat, quum intellexisset, Ciceronem fere, « quod quidem non possit », scribere. Adde igitur, *quidem*, si *sane* valet, enuntiati clausulam amare, atque tum fere irritari solere; cf. Acadd. I, 11, 40, « et teneamus hoc verbum quidem ». Semper tamen vel sic vis propria simul ei subest, idque in partt. omnibus tenendum; vid. Att. VI, ep. 2, « sed est magnum illud quidem, verum tamen multiplex pueri ingenium ». G.

17. *Nisi honestæ vitæ*. Scripti et edd. vett. plures *inhonestæ* ex comp. *ut* peccant. Abjecit idem Brem. *vitæ*, nihil monens. Nostri et omnes omnium vocem jure retinent. In demonstrando enim reponit auctor easdem voces frequentissime. Sed paucis ante omittit Gud. 2, *vitam*, quod isto contextu abesse rectius liceat. G.

18. *Idem ... dicitur*. Gœr. scrib. *dicetur*, notatque: *Idem, id ipsum* valet; cf. Brem. de Fato, p. 15. *Dicetur* autem pro vulgata *dicitur* correximus Spir. et Erl. jubentibus. Nimis enim sæpe jam ante futurum sollicitari vidimus; idque maxime in consecutione, atque conclusione, ubi Cic. hoc tempus præ ceteris amat. Cf. Tusc. III, 7, fin. « at ægritudo perturbatio est animi: semper igitur ea sapiens vacabit ». Ibid. 8, 18, « et sunt illa sapientia: aberit igitur a sapiente ægritudo ». Ibid. § 19: « qua quoniam vacat; ægritudine etiam vacabit ». — Ceterum sensus est: « eadem ratione ejusmodi viri vita jure meritoque honesta dicetur ».

19. *Quod vero negari nullo modo possit, quem umquam*. Locum hunc intricatum, et sine dubio corruptum, sic emendandum censet Davisius: « Quid vero? negari ne ullo modo possit quemquam stabili et firmo et magno animo... effici posse, nisi constitutum sit non esse malum dolorem ». Ipsa res, inquit, opinor, loquitur. — Gœrenzius scribit: *Qui vero negari ullo modo possit, quemquam*, et vv. *quem fortem virum dicimus*, parenthesi includit. Ita, inquit, nobis locus restitutus videtur. *Quí* præbent Spir. et Erl. At Bas. *quo ... ullo*, Gud. 1, *quod ... ullo*. Hinc haud difficile est viam videre, qua vulgatum ortum est; scribæ enim *quí*, pro *quo modo* positum, non capiebant. *Quod* per se jam, bis in contextia, cum conjunct. *possit* parum coit. Nam etsi quidem hanc structuram Matthiæ Miscell. Philol. II, 11, 189, ex græcismo docte sane vindicare

fortem virum dicimus effici posse, nisi constitutum sit, non esse malum dolorem? Ut enim qui mortem in malis ponit, non potest eam non timere; sic nemo illa in re potest id, quod malum esse decernit [20], non curare, idque contemnere : quo posito, et omnium assensu approbato [21], illud assumitur, eum, qui magno sit animo, atque forti, omnia, quæ cadere in hominem possint, despicere, et pro nihilo putare [22]. Quæ quum ita sint, effectum est, nihil esse malum, quod turpe non sit. Atque iste vir altus et excellens, magno animo, vere fortis, infra se omnia humana ducens, is, inquam, quem efficere volumus, quem quærimus certe, et confidere sibi debet, et suæ vitæ [23] et actæ et consequenti, et bene de se judicare [24], statuens nihil mali posse [25] incidere sapienti. Ex quo intelligitur

studet; tamen exempla latina desiderantur. Similiter nuper Sch. Orat. 52, 146, pro *quid*, *quí* recte edidit. — *Quemquam* deinde, nostro loco, præter aliorum codd. Spir. et Gud. 2 præbent. Erl. *quequam* lineola super e neglecta. Ex simili compendio reliqua lectionis varietas nata est : nisi forte olim *quemquam umquam* scriptum ratione haud improbabili putaris. *Quemquam* refert etiam Mars. et Crat. in margine, atque ita jam ante nos Brem. recepit. Parenthesi in seqq. notata se ipsa tuetur.

20. *Decernit*. Gœr. scribit : *decreverit*. Sic, inquit, Pal. 1, Spir. Erl. et Oxon. χ. edidimus. Is enim, qui *decernit*, id, quoad decernit, curat, sed tum, quum *decrevit* non *contemnere*, non contemnendum curat. Vulgata *decernit*, ex contracta forma *decrerit* nata videtur. Frequenter scribæ ex recentiorum linguarum ingenio eum vulgata peccant.

21. *Quo posito, et omnium assensu approbato*. Aut *et* est abjicienda; ut sententia sit, « ex quo hoc positum est, quod omnium assensu approbatur : » aut *posito* intelligendum *proposito*, tum stabit *et*, *assensu* autem prisce pro *assensui* dictum erit. Posterius præferendum. Deinde Gud. 1, *omni ass. probato* : sed scribæ verbo isti exuere fere hanc præpositionem solent.

22. *Et pro nihilo putare*. Gœr. scrib. *ac p. n. p.* ex tribus suis et Erl. *at* peccante. — *Quem effic. vol. Efficere* displicet Davis. qui legit *aspicere*; nam, inquit, Stoic. sapiens rarissima res, immo nusquam reperta.

23. *Et suæ vitæ*. Probamus *ac suæ vitæ*, licet solus Gud. 1 sic referat. G.

24. *Bene de se judicare*. *Sese* Gœr. edidit loco simplicis *se*, ex 4 suis, Marso, Crat. aliis edd. vett.

25. *Nihil mali posse*. Gœr. transponit *nihil posse mali* ex Spir. et Erl. Hic, inquit, ordo satis jam auribus

idem illud, solum bonum esse, quod honestum sit; idque esse beate vivere, honeste, id est, cum virtute vivere [26].

IX. Nec vero ignoro varias philosophorum fuisse sententias, eorum dico, qui summum bonum, quod ultimum appello, in animo ponerent. Quos quamquam vitiose quidam sequuti sunt [1], tamen non modo his tribus, qui virtutem a summo bono segregaverunt, quum aut voluptatem, aut vacuitatem doloris, aut prima naturæ in summis bonis ponerent, sed etiam alteris tribus, qui mancam fore putaverunt,

probatur, si vel nescias sic fere scribere auctorem, si « nihil potest, non potest fieri, ut aliquid », valet; v. c. « nihil potest boni esse, quod reformides, etc. »

26. *Idque esse beate vivere, honeste ... vivere.* Omnis vis in *idque* quærenda est : sensus est, « neque aliud esse τὸ beate vivere, quam, etc. » Sic recte delevit P. Manut. *et* ante *honeste*, quam God. 2 et Bas. ignorant. Prave contra Spir. et Erl. *honeste* ignorant. *Et* retenta *idemque* corrigendum foret, hac vi : « ac sic idem esse b. v. atque (quod) hon. » Transposite supra II, 11, 34 : « Stoicis (finis bonorum est) consentire naturæ, quod esse volunt, e virtute, id est honeste vivere »; ubi nos vide. G.

IX. 1. *Quos ... quidam sequuti sunt,* etc. Prave scripti omnes; plerique *quas*, relate ad *sententias*, Erl. *quæ*. Sed *quos* Ven. 1494, et Crat. ut a Davisio inde ex Th. Bentleii conjectura editum est.—Inferius, *his tribus*, idem, quod « his tribus, quos nosti », valet. Orat. III, 25, 99 : « unguentis minus diu nos delectari (videre licet) summa et acerrima suavitate conditis, quam his moderatis », i. e. « quam his, quibus quotidie utimur, mod. » De multiplici demonstrativi hujus vi per ellipsin egimus sæpissime. De re ipsa cf. supra II, 11, 34 : « tres sunt fines expertes honestatis, unus Aristippi vel Epicuri; alter Hieronymi; Carneadis tertius ». — Deinde *alteris tribus* cf. ibid. § 35, *Polemone, Calliphonte, Diodoro.*—Ceterum anacoluthon in seqq. ipse vides, ex tot interpositis pæne necessario ortum. Hujus tamen ipsius causa, nonnihil dubito, anne auctor scripserit : « quas quamquam vitiose quidem sequuti sunt : » si enim sic scripserat, nihil mirum esset, si librarii *quidem* in *quidam* mutassent. G. — Totius loci sensus hic est : Non ignoro et alios esse philosophos, qui haud secus ac Stoici summum bonum in animo solo posuerunt; ut ii qui summum bonum non in virtute sola, sed etiam in scientia posuerunt. Sed quamquam eorum philosophorum sententia vitiosa sit, tamen eam iis omnibus antepono, qui virtutem a summo bono segregaverunt; et iis qui virtutem cum voluptate, cum vacuitate doloris et cum primis naturæ conjunxerunt.

sine aliqua accessione, virtutem, ob eamque rem trium earum rerum, quas supra dixi, singuli singulas[2] addiderunt: his tamen omnibus eos antepono, cuicuimodi[3] sunt, qui summum bonum in animo,
31 atque in virtute posuerunt. Sed sunt tamen perabsurdi et ii, qui, cum scientia vivere, ultimum bonorum, et qui[4] nullam rerum differentiam esse dixerunt, atque ita sapientem beatum fore, nihil aliud alii momento ullo[5] anteponentem: ut quidam Academici[6] constituisse dicuntur, extremum bonorum, et summum munus esse sapientis, obsistere visis, assensusque suos firme sustinere[7]. His singulis copiose re-

2. *Singuli singulas.* Certa est hæc P. Fabri emendatio, quam Lambinus, et a Davisio inde intt. sequuntur. Scripti nostri cum reliquis *singulis sing.* quod æque pravum est, ac *singula singulis*, ut vett. excusi fere exhibent. Est prorsus eadem constructio, quæ in *alius ex alio*, de qua nos vide Legg. I, 19, 52. Exceptio tum locum habet, si voces istæ dirimuntur; cf. Orat. I, 2, 8: « vix autem singulis ætatibus singuli ». Ita quoque *unus uni* struitur Legg. I, 10, 29; p. Red. ad Quir. 7, 16, etc. G.

3. *Cuicuimodi sunt.* Turbant scripti in *cuicuimodi*, ut semper et ubique hac in voce solent, vide ad Legg. II, 5, 13. Spir. et Erl. *cuimodi*, reliqui nostri cum reliquis, *cujusmodi.* Accurate egit de ista voce Gronov. ad Gell. N. Att. II, c. 8, unde hæc ipsa emendatio per Davis. adscita est. G.

4. *Et ii, qui ... et qui.* E Ciceronis more est, aut *et ii, qui*, aut *et qui*, repetite scribere. Quod monemus, non ut sic sine scriptis corrigatur, quod in talibus intemperantis foret; sed si forte sic in scriptis adhuc conferendis legatur. Magis tamen suspicionem hanc nostram probabis, si videris perabsurdos dici hos philosophos, qui, præter Stoicos, ultimum bonum *in animo* (solo) *ponerent* § 30, fin. Foret igitur « et ii ... et ii; non solum ii, sed etiam ii ». Herillum et Aristonem notari ipse vides. Fin. V, 8, 23. G.

5. *Momento ullo.* Bremiana *ullo momento* transponit; sed sine justa causa. G.

6. *Ut quidam Academici ... dicuntur.* Gœr. scrib. *aut*, *ut quid.* etc. Addidimus, inquit, vulgatæ *aut*, quam Spir. et Erl. pro *ut* referunt: aliter enim non videmus, quomodo hæc cum præcedentibus cohærere dicantur. Hæseramus jam olim, et *vel ut* conjeceramus, certi, ista protasi solam *ut* apodosin hanc incipere non posse. Sic sententia plene pergit, « aut ut absurdi sunt quidam Academici, qui ... dicuntur ». Verba autem dicendi contractiori dicendi rationi inservire, dudum multis exemplis docuit Wopkens. Lectt. Tull. p. 91. G.

7. *Assensusque suos firme sustinere.* Gud. 2 ignorat *suos firme.* Et sane alibi fere Cicero simpliciter, *assensus*

sponderi solet. Sed quæ perspicua sunt, longa esse non debent. Quid autem apertius, quam, si selectio nulla sit ab iis rebus, quæ contra naturam sint, earum rerum[8] quæ sint secundum naturam, tollatur omnis ea, quæ quæratur laudeturque prudentia? Circumscriptis igitur iis sententiis, quas posui, et iis, quæ similes[9] earum sunt, relinquitur, ut summum

sustinere, cf. Acadd. II, 32, 104, 108, ut vulgatæ labefactetur auctoritas, si simul videas, bis omissis paria, ut in oppositione solent, exsistere membra; variarique inter *firme* et *firmiter*: quamquam inde Davisio nullum jus enascebatur *firmiter* (quod e nostris Bas. præbet) corrigendi. Cf. supra I, 21, 71, *firme et graviter*. Verbis autem, *assensus sustinere*, simplex ἐπέχειν exprimitur. G.

8. *Quid autem apertius, quam ... earum rerum ... tollatur*. Gœr. addit *ut* ante *earum rerum*. Fecimus, inquit, nostro periculo. Conqueruntur Davis. Ern. Brem. non dispici, unde *tollatur* pendeat: et ante hos jam Lambin. post *fore*, *ut* intulerat, probante Ernestio. Davis. *quam quod* suadet. Sed in Lambini ratione non assequeris, unde *ut* exciderit, eaque ipsa inde vaga abest; in Davisii autem conjectura jure hærebis, si structuram, « Quid est apertius, quam quod ... tollatur », ipsam solœcam agnoveris. Brem. Ciceronem *oblitum* dicit, « se ab enuntiationis initio conjunctionem non posuisse, unde conjunctivus pendeat », laudatque infra 16, 53, tamquam similis oblivionis exemplum; ubi nos, sis, consules. Sed si in solo conjunctivo secundum Bremium loci luxati culpa hæret, eo sublato tamen non melior structura evadet, « Quid apertius quam ... tollitur ... prudentia? » Accedit, quod auctorem plus quam obliviosum feceris, si ita mente absentem statueris: ne dicam, inepta quæque sic defendi licere. Aperte locus laborat, recteque vidit Lamb. *ut* excidisse; modo aptiore loco reposuisset. Potuisse autem post finales *ut* hanc part. excidere, nemo sane dubitabit, qui vel umquam scriptos libros inspexit. Post *tollatur* deinde tres nostri cum pluribus aliorum editisque vett. multis *demum* addunt: quod quomodo hæc contexta invaserit, ignoramus. Abjecimus igitur cum vulgata, respuentibus idem Spir. et Erl. — Nobis vero parum placet Gœr. emendatio, quia rumpit certissimam membrorum constructionem, quæ est: « si nulla sit selectio earum rerum quæ s. s. n. ab iis rebus quæ c. n. s. » ita ut in pejus vitium cadat quam quod effugere voluerit.

9. *Et iis, quæ similes*. Gœr. scrib. *et iis si, quæ similes*. *Si*, inquit, quam vulgata ignorat, præter Gud. 2, referunt nostri omnes: ut recte Bentl. Davis. et Brem. sic edidisse putandi sint. Ern. præter jus eamdem neglexit. *Si quæ* autem *quæcumque* valet, ut item paullo inferius, ubi vulgata *si quæ etiam* refert; sed *etiam* misere παρέλκει. Ignorant eam quatuor optimi nostri, abjectaque dudum est a Davis. et Bremio. Si vero iidem VV. DD. *si* etiam tollunt, faciunt id quidem scriptorum auctoritate optimorum; at delere ausi non sumus, quum

bonum sit, vivere[10] scientiam adhibentem earum rerum, quæ natura eveniant; seligentem, quæ secundum naturam; et, si quæ etiam contra naturam sint, rejicientem; id est convenienter congruenterque naturæ vivere.
32 Sed in ceteris artibus[11] quum dicitur artificiose, posterum quodam modo, et consequens putandum est: quod illi ἐπιγεννηματικὸν[12] appellant. Quod autem in quo sapienter dicimus, id a primo rectissime dicitur[13]. Quidquid enim a sapiente proficiscitur, id

multis auctoris exemplis hæc ratio firmetur, et ubique scribarum ignorantia hæc *si* subtrahatur.

10. *Relinquitur, ut summum bonum sit ... vivere.* Hæc Chrysippi sunt ex primo hujus περὶ τελῶν libro, quæ ex parte laudat Laert. VII, 87, κατ' ἐμπειρίαν τῶν φύσει συμβαινόντων ζῆν, cll. Stob. Eclogg. Eth. II, pag. 134. Reliqua si græcis Stoicorum verbis exprimi volueris, sic fere sonabunt: αἱροῦντα τὰ κατὰ φύσιν ὄντα, καὶ, εἴ τινα παρὰ φύσιν ἐστὶ, ἐκκλίνοντα, τοῦτ' ἔστι, ὁμολογουμένως (συμφώνως) τῇ φύσει ζῆν. G.—*Et, si q. etiam c. n.* etc. Dav. « et q. cont. n. sunt rejic. », Eliens. 1 sequens. Præterea Pal. 1 et Scalig. ignorant *si*; ed. Victor. ignorat *etiam*. — Vide supra II, 11.

11. *Sed in ceteris artibus quum dicitur artificiose.* Effectorum quæ ab artibus et quæ a sapientia in convenienter naturæ vivendo posita proficiscuntur, discrimen aperit. Quod artis effectum, arte ipsa posterius sit et inferius: at quod sapiens sapienter efficit, non posterius gignatur, quam ipsa unde proficiscitur sapientia: quodque virtutis munus, id virtutis omnibus partibus sit absolutum et perfectum. Nam ut non ad perfectionem progrediatur sapientia, tamen ubi statim προαίρεσις munus suum præstitit, in convenienter naturæ seligendo, appetendo, etc. jam sapientiæ est effectio. Eam enim foras, ut perficiatur, non est necesse exire, sed apud se ipsa manens, etiam recta efficit, dum εὐλόγως propria instituit et proponit munera. At artis non exstat munus ullum, quod non extrinsecus fiat, quod non artem relinquat. Morellica.

12. Ἐπιγεννηματικόν. Stoici virtutem in ὁμολογίᾳ ponebant, id est, in ea sentiendi judicandique ratione, quæ plene cum natura consentit. Quæ autem ex hac constanti animi mentisque dispositione sensationes orirentur, ut gaudium, animi hilaritas, etc. eas ἐξ ἐπιγεννήματος, quasi accessorias virtuti, dixerunt; quippe quæ ex illa dispositione necessario exsisterent. Non igitur tam in externa actione et *effectu* virtutis vim et naturam ponebant, quam in conatu et nisu; quippe sine quo ne actio quidem esset: actionem enim quasi virtutis complementum spectabant. Explicavimus hæc verbis communibus, unde facilius, quæ ex adversa parte de *peccato* sequuntur, intelligantur, cujus ἐπιγεννήματα, δυσθυμίαν et δυσφροσύνην memorat Laert. VII, 94 seq. quem recte conferes. G.

13. *Quod autem in quo sapienter dicimus; id a primo rectissime dicitur.*

continuo debet expletum esse omnibus suis partibus. In eo enim positum est id, quod dicimus esse expetendum. Nam ut peccatum est, patriam prodere, parentes violare, fana depeculari, quæ sunt in effectu: sic timere, sic mœrere, sic in libidine esse [14], peccatum est, etiam sine effectu. Verum ut hæc non in posteris et in consequentibus, sed in primis continuo [15] peccata sunt: sic ea, quæ proficiscuntur a virtute, susceptione prima, non perfectione, recta sunt judicanda.

X. Bonum autem, quod in hoc sermone toties usurpatum est, id etiam definitione explicetur [1]. Sed eorum definiticnes paullum oppido inter se [2] differunt, 33

Quod est, »quod attinet ad id, quod:» unde nibil dieit Ern. *quum* eonjieiens. *In quo* aotem recte bic contra Davis. qui *in bono* suadet, explicat, « in aliqno genere, in aliqua re » : sæpios enim diximos, auctorem *quis*, pro *aliquis*, vel tum ponere, obi communis grammaticorum regula cesset. *A primo*, ἀπὸ πρώτου, vere Walkerus, pro prius volgata *apprime*, quæ oibil est. Illam formulam accurate illustrat Grooov. ad Sen. de vita beat. c. 7, ubi *post primum* idem est, quod h. l. *posterum* dicitur. Totum antem locum enueleate exponit Ern. in Clave Græca v. ἐπιγεννηματικόν; ut nobis otiom fecerit, idqoe magis, qonm anctor in proximis se ipse explicet. G. — Olivetus scribit *adprimo*, notatqne: Originem hujus adverbii, quod ejusdem formæ, et significationis est, ae *profecto*, Gellios ostendit, Noct. Att. VII, 7. Videri aotem potest Cicero id prætulisse, quod, ut antiqnom, Catonis erat consuetodioi atque ingenio magis consentaneom. Vietorins, Manutins, Lambinos dant *apprime*.

14. *Sie timere, sic mœrere, sic in libidine esse*. Posuit aoetor tria perturbationum geoera ἐν ἐπιγεννήμασι, quarto, « in lætitia gestiente esse », omisso, qoom ad hane oppositionem non pertineret. *Mœrere* autem dixit, qnom sobstantivum *ægritudo* verbo destitueretor, quod alias proprie ponit. De his totum vide Tosc. Dispp. librum IV. G.

15. *Continuo* ignorant Bas. et God. 1; sed sine josta ratione. G.

X. 1. *Explieetur*. Gœr. scribit *explicatur*. Ita, ioqnit, e Pal. 1, Spir. Erl. probante jam Grutero, edidimos: valet eoim, *explicari solet*, sc. *a Stoicis*. Sæpe hoc libro aoetor sie transit, ut tertia pers. indicat. utatur; 8, 27: » Cooeludontor igitur eorum argomenta sie «; ibid. infra, 15, 49: « Deinceps explieatur differentia rerum »; 19, 62: « Pertinere autem ad rem arbitrantur ». Qood reliqoi scribæ *explieetur* dederuot, nihil mirum est.

2. *Sed eorum definitiones paullum oppido inter se differunt*. Doo bis insuot, quæ VV. DD. male habent. Primo *eorum* non coneoqoit Ern. *aliorum* v. *ceterorum* commendaos.

et tamen eodem spectant. Ego assentior Diogeni, qui bonum definierit[3], id, quod esset natura absolutum. Id autem sequens[4], illud etiam[5] quod prodesset (ὠφέλημα[6] enim sic appellemus), motum, aut sta-

Aliorum foret, *non Stoicorum*. Sed recte defendit pron. Bremi : cogitatione addendum est, *quos nosti*, vel *de quibus sermo est*. Ut enim sæpe de pron. *hic* ellipticam vim notavimus, ita res se quoque eum *is* babet : modo quod ista vis in illo sit efficacior. Cf. Off. I, 34, 3, « ut eorum... vigeat industria », ubi ex prægressis vv. *Ineuntis ætatis* eogitandum, « eorum, quorum ætatis (adoleseentium) mentionem feei, etc. » Nos quidem multum ab insolentia hujus pronominis h. l. inde detraximus, quod *explicatur* correximus.—Deinde hærent in *paullum oppido* Davis. et Ern. sed has quoque voces Bremius tuetur, distinguens inter *oppido* voci, ad quam proxime speetat, præmissam, et subjectam; subjeetæque vim minui. Recte. Ita ex loco, quo ponuntur, differunt, *pæne*, *satis*, *sane*, ete. ut subinde monuimus. Similes structuræ sunt, « parum admodum, parvu admodum plures, ete. »

3. *Qui bonum definierit, id, quod esset natura absolutum. Qui* est *quum is*; ef. Aeadd. II, 11, 32 : « naturam accusa, quæ in profundu veritatem... abstruserit »; ibid. 23, 73 : « Quid loquar de Democrito? qui ita sit ausus ordiri, etc. » Quod si tenueris, nec Davisium, nee Ernestium audies, qui *definiit* de suo sine justa eausa ediderunt; neque enim Bremio vaga defendendi ratione verum ipsum suspectum reddes. G.

4. *Id autem sequens*. Cogita, « bonum sic definitione constitutum ». Nihil igitor est, quod Davis. dubitet : nec Bremium audies, qui *sequens*, ἐπιγεννηματικόν dicit. Immo Stoici *bonum* et *utile* unum idemque esse statuebant; vide inferius. Notus autem est pronominum in neutro genere usus. G.

5. *Etiam*. Hanc vocolam malim eum Marso deletam. G.

6. Ὠφέλημα. Gœr. scrib. ὠφέλειαν. Graviter, inquit, semper hæe vox nos offendit. Neque mirum, nisi naturam verborum turbatam velis. Ὠφέλημα enim « emolumentum, commodum est, ex re, quæ prodest », idque ex sua natura, quum a perfecto descenderit, ut ἐπιμέλημα, θεράπευμα, παίδευμα, etc. « id, quod via, curat, ministrat, docet » : nam lexiea audienda non sunt, quæ in talibus ubique miscent. Contra vero quum ἐπιμέλεια, θεραπεία, παιδεία, *curam*, *ministerium*, *disciplinam* ipsam notent, ὠφέλεια *utilitas* sit, l. e. « quod per se ipsum speetatum prodest », necesse est. Sed quum sint, qui ejusmodi rationibus ex linguæ natura petitis, sua culpa diffidant, propius aecedamus, quærentes, ubi demum sic Stoici ὠφέλημα ponant. Ubique ὠφέλειαν dicunt. Uno loco re defungamur. Sextus Empiricus Pyrrh. Hypot. III, ex quo § 169 et 170, pluribus expuanit, Stoicis ἀγαθὸν εἶναι ὠφέλειαν, ἢ οὐχ ἕτερον ὠφελείας, quippe qui ὠφέλειαν dicerent τὴν ἀρετὴν, καὶ τὴν σπουδαίαν πρᾶξιν (putaveris his verba, « illud, quod prodesset, statum aut motum esse », de industria explicari) : pergit § 171, ad eorumdem triplicem boni distinctionem :

tum esse dixit, e natura absoluti[7]. Quumque rerum notiones in animis fiant, si aut usu aliquid cognitum sit, aut conjunctione, aut similitudine, aut collatione rationis[8]; hoc quarto, quod extremum posui, boni notitia facta est[9]. Quum enim ab iis rebus, quæ

καθ' ἕνα μὲν γὰρ τρόπον φασὶ εἶναι ἀγαθὸν τὸ ὑφ' οὗ ἔστιν ὠφελεῖσθαι· ὃ δὴ ἀρχικώτατόν ἐστι, καὶ ἀρετή. Καθ' ἕτερον δὲ, καθ' ὃ συμβαίνει ὠφελεῖσθαι, ὡς ἡ ἀρετὴ καὶ αἱ κατ' ἀρετὴν πράξεις. Κατὰ τρίτον δὲ τρόπον, τὸ οἷόν τε ὠφελεῖν, etc. Quo ex loco dubitari nequit, proprie ὠφέλειαν hac in re Stoicos dixisse; cf. Laert. VII, 96. Jam si codd. quæris, in omnibus aut *ophelem*, aut *ophelen* reperitur, posteriusque impressi fere veteres sequuntur; Crat. ὠφείλην: Marsus autem *ophelon*. Inde forta ὠφέλιμον conjeceris: sed auctoritate Sexti standum esse judicavimus. G.

7. *Motum, aut statum esse dixit, e natura absoluti.* Ern. v. *e* delevit ex Pearcii conjectura, qui notaverat: Non invitus fateor me nihil sensus ex his verbis posse elicere. Arbitror sane Ciceronem sic scripsisse, « motum aut statum esse dixit natura absoluti », id est, ejus quod est absolutum natura. Diogenes (ut paulo ante dicitur) definivit « bonum id quod esset natura absolutum »: hujus igitur est consequens, ut idem definiendo diceret « illud, quod prodesset, motum aut statum esse natura absoluti ». —Gœr. dedit *absoluto*. Primo, inquit, vide Laert. VII, 104: ὠφελεῖν δέ ἐστι κινεῖν ἢ ἴσχειν κατ' ἀρετήν. Cll. Sext. Emp. l. l. Deinde, ut jam Bremi vidit, pro vulgato *absoluta*, *absoluto* necessario corrigendum fuit. Contextus hic est: « quum sequeretur Diogenes id bonum, quod natura absolutum esset, utile quoque id dixit, quod ad natura absolutum pertineret, idque aut motum esse, aut statum », i. e. « quod tale modo videatur, aut quale vera sit ». Non autem debet ista structura, cum Bremio, dura videri, quum paucis ante *natura absolutum* ponatur, atque inde haud facile obscuritas enasci possit.

8. *Aut usu aliquid cognitum sit, aut conjunctione, aut similitudine, aut collatione rationis.* Vides quatuor vias, quibus a notionibus simplicibus ad notiones communes perveniatur. At Laert. VII, 52, earum sex numerat, περίπτωσιν, ὁμοιότητα, ἀναλογίαν, μετάθεσιν, σύνθεσιν, ἐναντίωσιν. Contra vero Sext. Emp. adv. Math. III, § 40, alia ratione, ita tamen, ut idem Stoica referre satis clare videatur, duplicem omnino viam proponit, περίπτωσιν ἐναργῆ, et ἀπὸ τῶν ἐναργῶν μετάβασιν. Hanc autem transitionem ab evidentibus ipsam tripliciter fieri dicit, ὁμοιωτικῶς, ἐπισυνθετικῶς, ἀναλογιστικῶς. Diversas has a diversis initas distinctiones puta: posteriorem autem eam, quam Cicero sequutus sit, περίπτωσιν vaga *usum* vertens, paucis post *accessionem*. G.

9. *Hoc quarto, quod extremum posui, boni notitia facta est.* Sic Gœrenz, nisi quod *notio* scribit pro *notitia*. *Boni*, inquit, e Cod. Scalig. et Eliens. 1, qui *bonum*, quæ vulgata est lectio, et *boni* jungunt, verissime correctum est. Addunt plures scripti et editi vett. *ejus*. Non male sane; de summo enim bono sermo est, quod non ex comparationa cum ce-

sunt secundum naturam, adscendit animus[10] colla-
34 tione rationis, tum ad notionem boni pervenit. Hoc autem ipsum bonum, non accessione, neque crescendo, aut cum ceteris comparando[11], sed propria vi sua et sentimus, et appellamus bonum. Ut enim mel, etsi dulcissimum est, suo tamen proprio genere saporis, non comparatione cum aliis, dulce esse sentitur: sic bonum hoc, de quo agimus, est illud quidem[12] plurimi æstimandum; sed ea æstimatio genere

teris, quæ bona dicuntur, noscitur. Sed potiores codd. *ejus* non admittunt. Nos deinde ex Spir. et Erl. *notio* pro *notitia* dedimus: præcessit enim *notio fiat*, et sequitur, « ad notionem boni pervenit ». Peccat autem similiter supra Gud. 2, *notitia fiat* exhibens. Sic autem scribæ in his peccarunt, quod locum non intelligebant, atque *bonum* ad *extremum* applicarunt: tum *ejus* opus erat nexui jungendo. Brem. etiam v. *quarto* ad uncos damnavit: sed sæpe sic auctor abundantius, i. e. explicatius loquitur. — Sensus est: « hac quarta via, eaque ultimo loco a me posita (per analogiam), ratio ad boni notionem pervenit ».

10. *Ab iis rebus... adscendit animus.* Editi veteres fere *his.* Bene: sed scripti vulgatum premunt. Deinde in exemplari eo, cui collationem Spir. et Bas. debemus, adnotatum est *escendit;* ut codicis nota neglecta videatur. Quod si est, sic scribendum erit; ubique enim fere hoc verbum a scribis depravatum reperitur. Cf. intt. ad Corn. Nep. Themist. 8, 6, qui tamen ita parum sibi constant, ut idem verbum, ejusdem optimi codicis fide commendatum Epam. 4, 5, in eadem dicendi forma non admittant. Cll. Off. III, 20, 4, Heus. Leg. Manil. 18, 83, Beck. Orat. 36, 135 (Sch. 37.) G.

11. *Non accessione, neque crescendo, aut... comparando.* Id est, « non usu (per accidens) neque conjunctione aut similitudine »: propriam autem rerum vim, et naturam rationis contemplatione discimus. Male igitur plures codd. pro *neque*, *atque* referunt. Tractantur hæc a Stoicis omnibus; quippe in quo horum Ethices cardo versetur: sed omnium accuratissime a Senec. Epist. 66, § 7, sqq. cll. ep. 74, § 26, 27; ep. 76, § 5 seqq. Plenius eadem inf. cap. 13 et 14, exponuntur. G. — *Non accessione, neque crescendo.* Hoc ex eo sequitur, quod Stoicis omnia bona sint æqualia. Diogenes Laertius, VII, 101: Δοκεῖ δὲ πάντα τὰ ἀγαθὰ ἴσα εἶναι, καὶ πᾶν ἀγαθὸν ἐπ' ἄκρον εἶναι αἱρετὸν, καὶ μήτε ἄνεσιν, μήτε ἐπίτασιν δέχεσθαι. Dav.

12. *Sic bonum hoc... est illud quidem.* Gud. 1 et Bas. *hoc* ignorant: et facile eo per ipsum quidem carueris. Sed abjecisse videntur pronomen scribæ, quum *illud* sequatur, ignorantes amare Ciceronem post *hoc*, *id*, etc. cum quadam redundantia *illud* additum. Cf. infra IV, 16, 43: « hi autem ponunt illi quidem prima naturæ, etc. » (ubi nonnulli legunt *ille quidem*), et N. D. III, 7, 16: « quum ea fiant, non esse multos, qui illa

valet, non magnitudine[13]. Nam quum æstimatio, quæ ἀξία dicitur, neque in bonis numerata sit[14], neque rursus in malis; quantumcumque eo addideris, in suo genere manebit. Alia est igitur propria[15] æstimatio virtutis; quæ genere, non crescendo, valet. Nec vero perturbationes animorum, quæ vitam insipientium miseram acerbamque reddunt, quas Græci πάθη appellant (poteram ego verbum ipsum interpretans, morbos appellare; sed non conveniret ad omnia[16]: quis enim misericordiam, aut ipsam iracundiam[17], morbum solet dicere? At illi dicunt πάθος. Sit igitur perturbatio[18], quæ nomine ipso vitiosa declarari videtur): nec hæ perturbationes vi aliqua natu-

metuant ». In quo utroque loco codd. turbant. G.

13. *Genere valet, non magnitudine.* Id est, ad genus rei pertinet; velut in circulo, vere circulus sit, necne, non an hic altero major, minorve. G.

14. *Numerata sit.* Græci perfecti vi ponitur, et *rursus*, quod statim post, ut αὖθις, *contra* notat: quæ vox ex Bremiana excidit. G.

15. *Alia est... propria æst. virtutis, quæ,* etc. *Alia* sc. quam quæ vulgo dicitur, quæque rei magnitudinem spectat. *Propria* est, quæ de virtute proprie dicitur. — *Virtutis ; quæ.* Recte Ern. ante *quæ*, colon posuit, quippe quod pro *nam hæc* dicatur. G.

16. *Sed non conveniret ad omnia.* Davis. e suis sex *conveniet* dedit, Ern. mavult *convenerit.* Neque quisquam nostrorum cum vulgata: tres enim optimi *conveniet*, reliqui *convenit.* Sed recte defendit editum tempus Bremi, sic ut *poteram* pro *potuissem* positum affirmetur. Ita centies auctor *possum*, pro *poteram*, v. c. « possum afferre, possum persequi, etc. » Hinc non probamus nuper a Schützio, Ernestii jussu, *potuit* correctum, Attic. III, ep. 5, 4: « At potest ille aliquid prætermittere: tu, nisi quod erat, profecto non scripsisti ». Ernestii *convenerit* per se quidem probum est, sed nihil necessarium. *Conveniet* ad hæc contexta absonum est. G.

17. *Aut ipsam iracundiam.* Id est, « aut iracundiam, licet ira vere brevis furor sit ». Tale quid latet in pronomine. Ceterum parenthesin, quæ vulgo post *appellant* incipit, ante *quas* poni jussimus: idque ex vera auctoris ratione. Ante *poteram*, exemplo sane frequentissimo, *eas* cogitabis. G.

18. *Sit igitur perturbatio, quæ... vitiosa declarari videtur.* I. e. « locum igitur habeat vox perturbatio, quæ natura sua clare se ut vitiosam prodere videtur ». Sic vulgata recte stare poterit; alias *declarare* scribi, et *vitiosa* neutro genere accipi debebit. *Sit* est ἴτη. Ita hæc non suspecta reddet Marsus, qui, *sit* in *sic* mutato, *quæ* omittit. G.

rali moventur; omnesque sunt[19] genere quatuor, partibus plures, ægritudo, formido, libido[20], quamque stoici communi nomine corporis et animi ἡδονὴν appellant, ego malo lætitiam appellare, quasi gestientis animi elationem voluptariam[21]. Perturbationes autem nulla naturæ vi commoventur; omniaque ea sunt opiniones, ac judicia levitatis : itaque his sapiens semper vacabit.

36 XI. Omne autem, quod honestum sit, id esse propter se expetendum, commune nobis est cum multorum aliorum philosophorum[1] sententiis. Præter enim

19. *Omnesque sunt.* *Hæ* ante *sunt* Davis. delevit, quum in Pal. 1 esset erasum, sequutique sunt Ern. et Bremi. Omnes nostri *hæ* servant : sed pronomine servato, misere locus languet, et scribæ id addidisse videntur, ut contextis consulerent. Sed totus locus mire se habet : nam bis interrumpitur oratio, bis eadem ad idem redit. Quod quum Brem. videret, altera parenthesis signa ad *omnesque... voluptariam* addidit : quale nusquam nobis exemplum innotuit, ut *que* parenthesin incboet; excipit quidem eamdem, sed vel hoc rarius, vide ad Acadd. II, 15, 45. Inde exemplum hujus sequi noluimus : idque magis, quum *que* post negationem *sed* valeat, et *omnes*, ut toties ponitur, pro *omnino* accipi recte possit. Ita signis istis facile carebis, oratione paullatim diflectente. Diflexam deinde verbis, *perturbationes autem*, etc. denuo revocari, ex ordine est. Inferius *omniaque* eadem vi pro *sed omnino*, recurrit : nec neutrum, auctori toties ad diversa positum, offendere debet, quum illa perturbationum genera haud parum sane inter se differant. G.

20. *Ægritudo, formido, libido.* Apud Diog. Laert. λύπην, φόβον, ἐπιθυμίαν, quæ ibi vertit intp. latinus, *dolorem, metum, concupiscentiam.*

21. *Gest. an. el. vol.* Sic Tusc. IV, cap. 31, § 66 : « exsultans gestiensque lætitia... animi elati lætitia ».

XI. 1. *Multorum aliorum philosophorum.* Aures horum concursu durius affici negari nequit. Auctorem quidem ὁμοιοτέλευτα haud anxie fugere, alibi notavimus : sed h. l. forte *aliorum* ab eo additum est, qui Cic. parum distincte scripsisse putabat, parumque attendebat, per sequentia ambiguitatem omnem tolli. Accedit quod sic tota enuntiatio languet. Inde nos quidem dudum suspicati sumus, genuinam auctoris manum fuisse, « multorum sententiis philosophorum ». Ut enim hæc structura, qua recti casus regentem includunt, sæpenumero turbatur, ita idem fit maxime in genitivo *philosophorum*, si in sententiæ fine ponitur; cf. Acadd. II, 35, 113. Similes autem structuras vide pro Leg. Manil. 7, 22 : « ad multorum bona civium ». Muren. 38, 82 : « in tuorum potestate collegarum ». Orat. III, 52, 199 : « de singulorum laude verborum, etc. » G.

tres disciplinas, quæ virtutem a summo bono exclu-
dunt, ceteris omnibus philosophis hæc est tuenda sen-
tentia, maxime tamen his [stoicis[2]], qui nihil aliud
in bonorum numero, nisi honestum, esse voluerunt.
Sed hæc quidem est perfacilis et perexpedita[3] defen-
sio. Quis est enim, aut quis umquam fuit aut avaritia
tam ardenti, aut tam effrenatis cupiditatibus, ut
eamdem illam[4] rem, quam adipisci scelere quovis ve-
lit[5], non multis partibus malit ad sese, etiam omni
impunitate proposita, sine facinore, quam illo modo
pervenire? Quam vero utilitatem, aut quem fru- 37
ctum petentes, scire cupimus, illa, quæ occulta nobis

2. *Maxime tamen his [stoicis]*. Goer. delet *stoicis*. Primo, inquit, sæpius hoc in libro Stoici simpliciter *hi* vel *illi* (nempe Stoicorum principes) dicuntur. Deinde accurate jam isti verbis adjectis signantur : et tum ponitur auctori hoc pronomen proprie; cf. 5, 16 : « Placet his, quorum ratio mihi probatur ». Cf. infra, 16, 54. Denique sic demum illa vox ferri posset, si inter Stoicos fuissent, qui honestum non solum bonum statuerent. At fuit vere hæc sententia hujus disciplinæ γνώρισμα : putidam igitur glossam, a Bremio jam ad uncos damnatam, abjecimus.

3. *Perfacilis, et perexpedita*. Spir. Erl. et Gud. 1, *expedita :* sed scribarum est repetitam præpositionem in adjectivis participiisque delere; cf. Tusc. II, 13, 30 : *perexigua et perminuta*. Nat. Deor. II, 63, 158 : *confectis et contextis :* in utroque loco scripti plures posteriorem præpos. resecant. Auctorem autem sic repetitas amare, sæpius vidimus. G.

4. *Illam*. Præbent Bas. Mars. Crat. *ipsam :* sed auctor sic frequenter loquitur de re in universum sumpta, atque inde quasi remotius posita. G.

5. *Quam adipisci scelere quovis velit*. Tres optimi nostri pro vulgata *quam*, præbent *quamquam :* nec aliter plures aliorum, in hisque Pal. 1 : idem refert etiam Crat. At rejicit hanc lectionem Davis. provocans ad II, 10, 29, ubi sic vere peccatur; sed ibi ex eo sic scribæ, quod loci exclamationem non videbant. Hoc nostro loco isti vel inde, quod conjunctivus sequitur, *quam* retinuissent : quid mirum, si illam in hanc, quod toties fit, mutatam videris? Nihil inde dubitaremus *quamquam*, quæ hac in structura pæne ex perpetua auctoris regula conjunctivo jungitur, recipere, nisi rarissimum esset post hanc particulam, si postponitur, *tamen* omitti. Unus nobis locus observatus est Planc. 3, 8 : « Itaque quamquam, qua nolui, janua sim (sine jure Ern. *sum* dedit) ingressus in causam, sperare videor, etc. » Sed vel huic ipsi loco ita succurrendum esse videtur, ut verba, *quamquam... causam*, παρενθετικῶς posita accipiantur. G.—Hunc Cic. locum prope verbo ad verbum vertit Clarke in suo lib. de Lege natur.

sunt, quo moveantur, quibusque de causis ea versentur in cælo[6]? Quis autem tam agrestibus institutis vivit, aut quis contra studia naturæ tam vehementer obduruit[7], ut a rebus cognitu dignis[8] abhorreat, easque sine voluptate, aut utilitate aliqua non requirat[9], et pro nihilo putet? Aut quis est qui, majorum, aut Africanorum[10], aut ejus, quem tu in ore

6. *Illa, quæ occulta nobis sunt, quo moveantur...in cælo?* Gœr. scribit *quo modo mov.* Sic, inquit, recte Grut. et Davis. ex suis dederunt: idemque cum 4 Oxoniensibus nostri referunt, præter Gud. 2, omnes. Id ipsum ita secutus est Bremi, ut simul post *moveantur*, vocem *astra*, cancellis coercitam, adderet; quippe quam ad contexta necessariam judicaret. Nos quidem ejusmodi additamento facile caremus, quum *illa*, de remotis, ut sæpius docuimus, δεικτικῶς ponatur, et verba *in cælo* consulto cum vi clausulam occupent: *illa in cælo* igitur facili nexu pro *astris* ipsis dicantur. *Occulta* sunt h. l. quæ non clare cognoscuntur: inde Physica omnia inter res *occultas* referuntur; cf. Acadd. I, 4, 15, etc. *Ea* denique, quod sequitur, sæpe post *illa* cum quadam abundantia ad idem refertur; unde haud recte cum Ernestio hærebis; vid. Acadd. I, 1, 1. Sic postremo Davisii ratione, qui verba, *quomodo... in cælo*, cancellis tamquam spuria notat, opus plane nihil est.

7. *Obduruit.* Ita recte ex binis suis Davis. quamquam nostri omnes *obduravit*, cum olim vulgata. Scribæ ubique sic peccant: ut non tam codicum, quam judicii in hoc verbo valeat auctoritas. Idem nuper recte restituit Martyni-Laguna, Divv. II, ep. 16. Nec aliter Ciceronem usquam scripsisse certo persuasi sumus. G.

8. *A rebus cognitu dignis.* Gœr. dat *cognitione dignis.* Ita, inquit, jam Davis. ex 7 suis dedit, licet veram rationem ipse nesciret: addidisset enim. Differunt autem res *cognitu dignæ* a rebus *cognitione dignis.* Illa dicendi forma notantur ea, «quæ cognita juvant»; hac, «quæ cognosci merentur». Illa de omnibus, quæ aliquo modo, si didiceris, prosunt: hæc maxime de docta dicendi ratione, eaque philosophica ponitur. Quod magis intelliges, si memineris Cic. *cognitionem* sæpissime de Stoicorum καταλήψει ponere. Ita æque *scitu*, et *scientia digna* dignosces. Sic quæstio nulla esse potest, utrum prætuleris. Ceterum firmant nostri quoque omnes, quatuorque Oxon. receptum: itemque cum Marso et Crat. editique vett. multi.

9. *Sine voluptate, aut utilitate aliqua non requirat.* Int. qui eas contemnat, nisi in illis cognoscendis inesse videat voluptatem aliquam aut utilitatem.

10. *Qui majorum, aut Africanorum.* Viri Docti in *majorum* nomen proprium quærunt. Davis. cum Clerico *Manliorum* suadet, Bremi melius *Æmiliorum;* sic enim hæc exempla plane ad Catonis stirpem accommudantur. Sed idem addit, vulgatum fortasse, ut generale, ferri posse, ut hi deinde omnium præcipui exempli virorum loco ponantur. Recte. Nam

semper habes, proavi mei[11], ceterorumque virorum fortium ,atque omni virtute præstantium, facta, dicta, consilia cognoscens, nulla animo afficiatur[12]? voluptate? Quis autem honesta in familia institutus, et educatus ingenue, non ipsa turpitudine, etiamsi eum læsura non sit, offenditur? Quis animo æquo videt eum, quem impure ac flagitiose putet vivere? quis non odit sordidos, vanos, leves, futiles? Quid autem dici poterit, si turpitudinem non ipsam per se fugiendam esse statuemus, quo minus[13] homines tenebras et so- 38

aut repetitam exempla diversa afferentis esse, nemini non observatum esse debet. Primo autem genus ponitur, tum familiarum celebratissima, denique eximiorum virorum sommus, quem Cato in avi persona laudans, ex eo se excusat, quod illum Cicero semper exempli loco in ore gerat. Quod nisi satisfecerit (quamquam debebit), facile *aut* prior in *ut* mutabitur; quum scribæ haud facile *aut* simplicem ferant. Sed tum, ex auctoris more, ægre particula *vel*, post *aut* sequentem, carebis. G.

11. *Proavi mei.* Est Cato Censor.— Ne quis ideo mendum subesse suspicetur, quia Cato Censorius, quem Cicero significat, multo antiquior fuerit quam proavus: nam est hoc familiare Ciceroni, ut *proavos* appellet ab ejus ætate longissime remotos, ut in epistola ad Appium, Fam. lib. III, ep. 11: « Si censor es, de proavo multum cogitato tuo » : quum de Appio Cæco, qui Pyrrhi pacem dissuasit, eum loqui constet. P. Manut.

12. *Nulla animo afficiatur voluptate?* Davisio aut *animi*, aut *omnino* corrigente, Ern. docet non solum « animi voluptate affici », dici, sed etiam « animo affici voluptate »; vide supra, 1, 7, et quæ ibi Bremi exempla dedit. Sed paullo accuratius videndum, quum hæc duo notione differant. *Animi* enim *voluptate affici* ubique ex oppositione *corporeæ voluptatis* capiendum; quum contra in forma, « animo affici voluptate », ablat. *qua re?* ponatur, et, sine ejusmodi opposita, ea modo pars indicetur, qua voluptas sentitur. Inde, vulgatam b. l. unice valere, videbis. G.

13. *Quid autem dici poterit, si... statuemus, quo minus.* Walkeri jussu Davis. verba, *si... statuemus*, cancellis ut spuria coercuit: nam, omissis his, absolutam dari sententiam; admissis vanam inhærere tautologiam. Sed recte ea defendit Hotting. Divio. I, 29, p. 81. Nec ex plene abundantibus putanda sunt, quum sensus sit, « Quibus rationibus absterreri pravi homines a nobis, non certo persuasis, turpitudinem per se ipsam fugiendam esse, poterunt, ut a facinore eo se contineant, quod inulte committi possit, nisi cogitatio eos, rem ipsam per se turpem fœdamque esse, deterreat? » Fatendum quidem est, verba ista paullo luxatius posita videri; sed quasi in parenthesi addita putanda sunt, atque inde celerius pronuntianda. *Poterit* et *statuemus* tuentur etiam Spir. et Erl. sed *statuerimus*, quod eodd. veterum-

litudinem nacti, nullo dedecore se abstineant, nisi eos per se fœditate sua turpitudo ipsa[14] deterreat? Innumerabilia dici possunt in hanc sententiam: sed non necesse est. Nihil est enim, de quo minus dubitari possit, quam et honesta, expetenda[15] per se, et eodem modo turpia, per se esse fugienda.

39 Constituto autem illo, de quo ante diximus, quod honestum sit[16], id esse solum bonum: intelligi necesse est, pluris id, quod honestum sit, æstimandum esse, quam illa media, quæ ex eo comparentur. Stultitiam autem, et temeritatem[17], et injustitiam, et in-

que edd. plurium est, præferendum videtur, quum reliqui nostri *statueremus*, et *statuimus*, peccent. G.

14. *Fœditate sua turpitudo ipsa.* Gud. 1 et Bas. *a fœd.* sed prave, quum *fœditate* ad *turpitudo* pertineat, et cum vi præmittatur.—De re ipsa sæpe auctor, maxime vero Leg. I, 14, 41, seqq. G.

15. *Expetenda per se.* Editi vett. cum Marso et Crat. plurimi *per se expetenda*, atque ita tacite edidit Bremi. Sed in *per se* vis est, neque quidquam mutandum. Cf. præter alia Div. III, ep. 9: « Tua dignitas atque amplitudo mihi est ipsa cara per se ». Ubi *per se* in sententiæ adeo clausula vides. Ceterum oppositorum inversionem « expetenda per se... per se fugienda », auctori plane familiarem, ipse vides; quæ rem conficit. G.

16. *De quo ante diximus, quod honestum sit.* Gœr. scrib. *quod h. esset.* Vulgata, inquit, in nullo nostrorum legitur: quatuor enim *esset*, et quintus Gud. 2, utrumque nescit. A nobis receptum haud dubie ab auctore est: pertinet enim *esset* ad *diximus*, idque crebro auctoris exemplo; cf. supra I, 3, 10, « sæpe disserui, latinam linguam non modo inopem, ut vulgo putarent », ubi vide quæ notavimus. Eodem modo illa quoque præsentia struuntur, quæ perfectorum loco ponuntur. N. D. I, 22, 61: « Epicurus vero tuus, quid dicit, quod non modo philosophia dignum esset, sed mediocri prudentia ». Ibid. 15, 40: « idemque disputat, æthera esse eum, quem homines Jovem appellarent ».

17. *Temeritatem.* Guyetus *timiditatem*, Davisio comprobante, conjicit, quum hoc vitium *fortitudini* opponatur: quod Bremi in texta recepit. Sed vulgatum defendi potest. Duplex enim quum cuique virtuti vitium oppositum sit, quorum alterum in defectu, alterum in excessu hæreat: nihil necesse erat, ut illud in defectu *timiditatis* nomine poneretur; sufficit hoc ab excessu notatum. Quum enim omnino « fortitudo considerata periculorum susceptio sit, laborumque perpessio », Invent. II, 55, 163, *temeritas* contra in harum rerum inconsiderata agendi ratione maxime cernitur. Neque tum ejus loco *audaciam*, ut rectius opposita, desiderabis: quippe quæ ad alteram *fortitudinis* partem, ad labores perpetiendos, minus aptari possit. Adde, quod ne verisimile quidem videtur, *timiditatem* h. l. ab auctore

temperantiam quum dicimus esse fugienda[18] propter eas res, quæ ex ipsis eveniant, non ita dicimus, ut cum illo, quod positum est[19], solum id esse malum, quod turpe sit, hæc pugnare videatur oratio : propterea quod ea non ad corporis incommodum referuntur, sed ad turpes actiones, quæ oriuntur e vitiis. Quas enim Græci κακίας[20] appellant, vitia malo, quam malitias nominare.

XII. Næ tu[1], inquam, Cato, verbis illustribus, et id, quod vis, declarantibus. Itaque mihi videris latine docere philosophiam, et ei quasi civitatem dare : quæ quidem adhuc peregrinari[2] Romæ videbatur, nec

profectum esse : certe nusquam sic alias simpliciter vox hæc fortitudini, in universum spectatæ, objicitur. Immo si Cic. virtutis illius partes, « fortitudinem arctiori sensu » et « patientiam », ponit, tum plus semel his *timiditatem* et *ignaviam* opponit, v. c. supra I, 15, 59. Opponuntur item *forti* hæc duo vitia junctim Tusc. III, 7, 14. Alia res foret, si simplex *ignavia* poneretur, cf. Invent. II, 54, 163, quippe quæ utrique *fortitudinis* parti recte opponatur. Hæc igitur satis gravia nobis visa sunt, ut ab hac conjectura abstineremus : idque magis, quum h. l. facillimum sit intelligere, cui virtuti vulgatum ex adverso sit positum. G.

18. *Fugienda.* Gud. uterque et Bas. cum 4 Oxonn. et editis plerisque omnibus *fugiendam.* Quod per se quidem probum esse, ad Acadd. II, 1, 1, multis exemplis docuimus. Sed h. l. neutrum minus etiam scribarum esse videtur, quippe qui in hoc græcismo, Platoni maxime frequentato, ubique peccent. Vulgatum Spir. et Erl. firmant. G.

19. *Ut cum illo, quod positum est.* Gœrenz scribit *quo* pro *quod.* Hoc, inquit, Spirensi et Erl. debemus; idque multo melius est, si vel *quod* continuo bis repositum non enraris.

20. *Græci κακίας.* Transponunt Erl. et Gud. 1 *κακίας Græci.* Quod tum præferremus, si *appellant* glossæ speciem moveret : uterque tamen positus probus est. G.

XII. 1. *Næ tu. Næ* pro *hæc*, ex Pal. 1, profectum firmant bini illi nostri : Vien. *Nec.* Scribitur illa part. in vett. codd. *ne;* et h. l. compendii *Hc*, quo pingitur *Hæc*, similitudo variantem lectionem peperit : sæpissime enim initiales literæ *N* et *H* ab librariis confunduntur. G. — His Cicero respicit hujus libri prooemium, in quo Cato vereri se dixerat, ut latine posset Stoicam philosophiam explicare; quasi exclamaret Noster, Catoni gratulando : Hæc certe sunt illustria verba, nec merito tibi ipse diffidebas, Cato.

2. *Peregrinari.* De eo dicitur, qui urbis, in qua versatur, linguam nescit, atque ita se non offerre civium sermonibus potest : quod eleganter ad philosophiam transfertur, quæ illa ætate Romæ græcis modo literis di-

offerre sese nostris sermonibus; et ista[3] maxime, propter limatam quamdam et rerum, et verborum tenuitatem[4]. Scio enim esse quosdam[5], qui quavis lin-

scebatur. Similiter *aures peregrinari* dicuntur Mil. 12, 33. G.

3. *Et ista maxime*. Omnes omnino intt. b. l. plus minus ad vv. *et ista* conjecturis indulserunt, odoratique in his verbum sunt, ad quod inf. *offerre* referretur; quod ad *videbatur* frigidissime applicari putant. Scaliger, ut erat obsoletorum amans, *est quita*, Lamb. *audebat*, Davis. *esse ausa*, Brem. *est ausa*. Ern. in solo *ista* hærens, hoc vel abjectum vult, vel ejus loco *illa*. Sed proba sunt omnia. Inducitur philosophia per προσωποποιΐαν : atque sic ad *offerre* recte *velle* cogitabis, et hoc modo sine omni offensione idem ad *videbatur* referes. *Ista* autem, quod omnes quoque nostri præbent, neutrum est, et ad prægressa vv. « videris latine docere phil. etc. » referendum. Sic enim haud raro neutra pronominum plurium numero ponuntur. Exempla vide ad Legg. II, 8, 29. Plenius scripseris: « et ista mihi videris maxime propter limatam quamdam, quam adhibes, etc. » Nec in pronomine ipso recte offendes, si noveris res eo notatas acrius quasi indigetari. G. — Certe non felicior est Gœrenz in explicando contextu, quam fuerant ceteri quos reprehendit, in eo refingendo : quid tantis opus laboribus? Intell. *ista maxime*, scil. Stoica philosophia, peregrinari videbatur, quippe quæ longe obscurior est ceteris doctrinis et explicatu difficilior.

4. *Limatam ... tenuitatem*. Est subtilitas concinna sine verborum pompa. Iisdem fere verbis utitur Noster, Acadd. II, 21, 66 : « rationes ... latiore specie, non ad tenue limatas ».

5. *Scio enim esse quosdam ... nullis tamen part. ... utantur, ipsique dicant*. Gœr. scribit : « scio enim ... nullis enim ... utuntur; ipsisque, dicunt ». Quatuor, inquit, in his nobis mutanda fuerunt. Primum posteriorem *enim* reposuimus, pro *tamen*, quæ particula iniquo loco a scribæ manu intrusa esse videtur. Nam in quinque nostris solus Gud. 1, eam ut variantem lectionem textis superscriptam offert. At *enim* referunt etiam 4 Davisii, totidem Oxonn. editique, quos vidimus, omnes. Scribæ *enim* bis recurrentem, ut solent, fugiebant : quæ sæpissime ab auctore sic repetitur. Vide nos ad Acadd. I, 2, 6, coll. Orat. III, 40, 161, ubi nuper, æque citra jus, prior *enim* in *autem* mutata est. Deinde *utuntur* et *dicunt*, revocandum fuit. Prius ex codd. omnino omnibus, quod ex ingenio Ern. in *utantur* mutarat : posterius ex Erl. et Spir. cum quibus Pal. 1, Oxonn. E. ex ξ. faciunt, exemplo Lambini, Davis. et Bremii dedimus. Denique ex iisdem illis binis nostris, *ipsisque*, quum vulgatam *ipsique* Grut. ex Pal. 1 induxerit, cum quo E. et ξ. conspirant : cujus loco olim *ipsi*, *qui*, consentientibus scriptis reliquis, edebatur. Lectio a nobis edita selectior est, et ea, quæ non a scribis profecta, sed ab his corrupta videatur. Similis structura in his est, « hæc se probant omnibus; causa ea non modo se, sed me etiam absentem per se probat, etc. » *Ipsis* autem plane ex auctoris more præmissum puta; quum contra *ipsi* frigeat. Adde huc, quod auctor ex more verba dicendi mediæ orationi interponit. Construes enim

gua philosophari possint, nullis tamen partitionibus, nullis definitionibus utantur, ipsique dicant, ea se modo probare, quibus natura tacita assentiatur. Itaque in rebus minime obscuris[6] non multus est apud eos disserendi labor. Quare attendo te studiose, et quæcumque rebus iis, de quibus hic sermo est, nomina imponis, memoriæ mando[7]. Mihi enim erit iisdem istis fortasse jam utendum. Virtutibus igitur rectissime mihi videris, et ad consuetudinem nostræ orationis, vitia posuisse contraria. Quod enim vituperabile est per se ipsum, id eo ipso vitium nominatum puto, vel etiam a vitio dictum vituperari[8]. Sin κακίαν malitiam dixisses, ad aliud nos unum certum vitium consuetudo latina traduceret[9]. Nunc[10] omni virtuti vitium contrario nomine opponitur.

cum vulgo, « dicuntque, ea modo se ipsis probare, etc. » *Natura* autem *tacita* est, *vel, adeo tacita;* ipsis nempe sensibus se injungens, in quibus solis Epicurei veri cognitionem ponebant: qui his haud obscure petuntur. — Hoc quoque loco nobis videtur Gœr. immerito contextum turbavisse, qui bene se habet, si latentem ironiam videas. Nulla enim esse potest justa et vera philosophia, quæ definitionibus et partitionibus abstineat, quibus et ipsi Epicurei utuntur, vel quum eas vituperant. Sic sensus erit : Sunt qui gloriantur se quavis lingua philosophari posse : et possunt reipsa, sed ea conditione, ut abstineant definitionibus, etc. sine quibus nulla constare potest philosophia.

6. *In rebus minime obscuris.* Id est, « quum res ipsæ, quas tractant, perceptu faciles sint ». Epicureæ enim philosophiæ enarratores Latini innuuntur, quos vide Acadd. I, 2, 5. Recte igitur Brem. Ernestii rationem rejicit, pro *minime* conjicientis *maxime*. G.

7. *Mando.* Gud. 2, Bas. Mars. Crat. aliæ *commendo.* Sed ut dubito, an umquam compositum, ista in forma, auctori dicatur; ita seriore ætate idem usu frequentissimum est. G.

8. *Vel etiam a vitio dictum vituperari.* Sensus est : « verbum *vituperari* adeo ipsum conjugatum esse vocis vitium : » videtur enim a *vitium paro*, factum esse *vitupero*. Mars. *ductum* præbet : sed vulgata est auctoris usui accommodatior. G.

9. *Ad aliud ... traduceret.* Int. hoc verbum in errorem nos induceret, quia apud nos solet significare nihil aliud, quam unam aliquam vitii speciem, non ipsum generaliter vitium.

10. *Nunc omni.* Ita præter veterem Manutii cod. et Pal. 1, præbent Spir. et Erl. Unde autem *hoc*, quod est reliquorum scriptorum, enatum sit, clare docet Bas. e quo *Hanc* enotatur. Initiales autem *N* et *H* frequenter confundi, brevi ante vidimus. Quartus

41 XIII. Tum ille : His igitur ita positis, inquit, sequitur magna contentio; quam tractatam a peripateticis mollius (est enim eorum consuetudo dicendi non satis acuta, propter ignorationem dialecticæ) Carneades tuus[1] egregia quadam exercitatione in dialecticis, summaque eloquentia, rem in summum discrimen adduxit[2] : propterea quod pugnare non destitit, in omni hac quæstione, quæ de bonis et malis appelletur, non esse rerum stoicis cum peripateticis controversiam, sed nominum. Mihi autem nihil tam perspicuum videtur, quam has sententias eorum philosophorum re inter se magis, quam verbis dissidere : majorem multo inter stoicos et peripateticos rerum esse aio discrepantiam[3], quam verborum. Quippe

deinde casus sua sponte a scribis in sextum mutatus est, ut contexta coirent. — Ab iisdem etiam est, quod Gud. 1 et Bas. *enim* pro *omni* exhibent : quod *omnino* valet *in universum*, ut sæpe; cf. I, 19, 64. G.

XIII. 1. *Carneades tuus.* Quia Carneades princeps erat novæ Academiæ, quam Cicero sequebatur.

2. *Quam tractatam ... Carneades ...rem in summum discrimen adduxit.* Anacoluthon hoc (quod ipsi scribæ non concoxerunt; multi enim scripti, in bisque Gud. 1 et Bas. *quæ pertracta est*, cum vett. edd. omnibus) recte tuetur Brem. reliquis VV. DD. varimode locum tentantibus. Ita autem frequenter auctor post longiorem parenthesin anacolutha hæc admittit, ut non solum ipsa se invicem sustentent, sed ut etiam consulto posita appareant. At quid hoc est, quod Peripatetici dialecticam ignorare dicuntur? sectatores ejus nimirum, qui jure dialecticæ parens dici meretur! Quod presse si intellexeris, ita falsum erit, ut contra facile doceri possit, illos, ad magistri exemplum, dialectica, conjuncta cum rhetoricis, semper coluisse. Sed hæc invidiosius dicta putabis, utpote a Stoico. « Peripatetici enim spinas partiendi et definiendi prætermittebant », cf. Tusc. IV, 5, 9 : quas quum Stoici fortius subirent, hi illos ita corripiebant, quasi ista ignorarent, quibus uti nolebant. G.

3. *Majorem multo inter stoicos et peripateticos rerum esse aio discrepantiam.* Ita cum Pal. 1 exhibent Erl. et Spir. modo quod hic *aio*, i. e. *animo*, cum Scaligerano, refert. Ceteri codd. cum nostris reliquis « majorem multo habere St. et Peripat. *omnino* discr. » præter Gud. 2, qui post *omnino*, quod per comp. *oio* effert, *al' aio* addit, et cum Gud. 1, *habere* post *St.* rejicit. Ex his manifestum est, *habere* ex glossa accessisse, et ex confuso *aio* cum compendiis *oio* et *aio* varietatem reliquam esse natam. Ceterum ne puta *multo* temere comparativo subjici; longe fortius sic

quum peripatetici omnia, quæ ipsi bona [4] appellent, pertinere dicant ad beate vivendum; nostri vero, quod æstimatione omnino aliqua dignum sit, complecti beatam vitam non putent [5].

An vero certius quidquam potest esse, quam illo- 42
rum ratione [6], qui dolorem in malis ponunt, non

cadit. Cf. Orat. II, 46, 192 : « sed alia sunt majora multo ». Ibid. 42, 178 : « Plura enim multo homines judicant odio, aut amore, quam veritate ». Alia ratio est, sed eamdem vim addens Tusc. V, 36, 104 : « vir sapiens, multo arte majore præditus »; cf. N. D. III, 27, 69. G.

4. *Appellent*. Gœr. scrib. *appellant*, notatque : Sine omni jure Ern. *appellent* ex ingenio. Plane multa hujus structuræ loca excitare liceat, v. c. Brut. 49, 185 : « Efficiatur autem ab auctore, nec ne, ut ii, qui audiunt, ita afficiantur, ut orator velit » : ubi pari intemperie Ern. corrigit. Sed cf. ad Acadd. II, 15, 46.

5. *Nostri vero, quod æstimatione omnino aliqua dignum sit, complecti beatam vitam non putent*. Gœr. scrib. *compleri vitam beatam*, notatque : Eadem aliis verbis vide Tusc. V, 16, 47 : « At enim Stoici præcipua vel producta (προηγμένα) dicunt, quæ bona isti (Academici). Dicunt illi : sed his (productis, quæ æstimatione omnino aliqua, sed non maxima, digna sunt, cf. infra § 51—55) vitam beatam compleri negant ». Ex his nostro loco primum cum Eliens. 2 *non* addendum (Gud. 2 præcedentis *vero* loco *non* præbet : forte leg. « nostri vero non, quod » : Erl. *voro* ibidem peccat); deinde vulgatus ordo *beatam vitam* e scriptis nostris omnibus, editis vett. plerisque, tacitoque Davisii exemplo, transponendus fuit. Cf. item § 43. Tusc. V, 14, 40, etc. Denique ex eodem illo loco patet, rejiciendam esse Eliensis 2 varietatem, qui *complecti* pro *compleri* refert, abjecto *beata*, quod etiam Gud. 2 nescit : quam totam Brem. in contexta recepit. *Compleri autem* (συμπληροῦσθαι) a scribis in *complecti* hac in ipsa dicendi forma mutari, manifesto testatur locus Tusc. V, 14, 40, « quo vita beata completur » : ita nempe ex certissima R. Bentleii conjectura ibi editur, scriptis omnibus *amplectitur* peccantibus. Ceterum ne in *omnino* titubes, aliis codd. « ex omni æstimatione », vel « æstimatione ex omni » præbentibus, aliis *omnino æst.* transponentibus ; notandum est, *omnino* proxime ad *aliqua* referri, et, ut supra indicavimus, non *maxima* (quæ modo ad summum bonum pertinet § 35) ex opposito cogitandum. Ante *compleri* facile *eo* addi liceret; sed nihil opus est, quum toties demonstrativum post relativum auctor consulto omittat. Inde jure *eo* tollas Off. I, 7, 4, cujus loco codd. multi *ex quo* exhibent, pari scribarum ad contextam indicandam fulcro. — Davis. legi volebat « nostri non ex omni, quod æstimatione aliqua dignum sit, compleri beatam vit. putent » : idem cf. jubet infra c. 15, 16; Laert. VII, 105; Stobæum Eclog. Ethic. lib. II, pag. 172, et A. Gell. XVIII, 1.

6. *Quam illorum ratione ... non posse sapientem beatum esse*. Hæc

posse sapientem beatum esse, quum equuleo torqueatur? Eorum autem, qui dolorem in malis non habent, ratio certe cogit[7], uti in omnibus tormentis conservetur beata vita sapienti. Etenim si dolores eosdem tolerabilius patiuntur, qui excipiunt eos pro patria, quam qui leviore de causa; opinio facit, non
43 natura, vim doloris aut majorem, aut minorem. Ne illud quidem est consentaneum, ut, si, quum tria genera bonorum sint, quæ sententia est peripateticorum, eo beatior quisque sit, quo sit corporis, aut externis bonis plenior, ut hoc idem approbandum sit nobis[8], ut qui plura habeat, quæ[9] in corpore

contexta, quæ Lambinus restituit, quum scribæ parum assequerentur, vel; *illa ratio est*, mutarunt, ut cum binis Oxonn. duo item nostri; vel etiam insuper *eorum* addiderunt, ut trium Oxonn. exempla editi vett. plerique omnes, Pal. 1 et Spir. *illo ratione*, Er. *illa ratione :* unde corruptionis viam facile vides. Compendio enim *illor.* quum *r.* per alliterationem subtracta esset, reliqua sensim ad scribarum libidinem consarcinata sunt. His autem Epicureos innui, non est ut moneatur. G.

7. *Eorum ... ratio certe cogit. Ratio* est συστήματος *ratio et consequentia :* simili dicendi forma græci, τούτου λόγος αἱρεῖ. Sed utraque lingua quoque simpliciter et sine relatione, *ratio cogit*, ubi necessaria disputatorum consequentia intelligitur. Quo item spectat illud simplex *cogitur*, auctori valde frequentatum. G.

8. *Ut, si, quum tria genera bonorum sint ... ut hoc idem approbandum sit nobis, ut.* Recte Brem. in his tuendis versatur, aliis quum in repetita *ut*, tum in toto loco hærentibus : sic ut Davis. verba, *ut hoc ... beatior*, tamquam inanem glossam ad uncos damnarit. De *ut* sic reposita idem Brem. accurate egit ad Fat. 9, p. 37. Cf. Acadd. II, 15, 48, et Fin. II, 15, 50, etc. Similiter reponi *si* solet, vide nos Acadd. II, 14, 43, et *sed ;* de quo alibi. De ταυτολογίᾳ autem hac, et similibus, toties superioribus voll. egimus, ut hoc addidisse sufficiat, videri ex nostris Bas. et Gud. 1, audiendus, qui *idem* ignorant. Tum enim (ex auctoris sæpius notato more), dilatatur sententia, nec amplius ad tria illa Peripateticorum bona pressius respicitur, sed modo ea corporis simpliciter internis adduntur. Quamquam nec in vulgata, plene servata, recte hæseris. G.

9. *Qui plura habeat, quæ.* Gœr. dat *ea, quæ. Ea*, inquit, ex codd. nostris, veteribusque impressis omnibus, reduximus. Oxonienses haud dubie idem servant, quum editor, diversitate nulla notata, sic ediderit. Quod autem tres Pariss. apud Davis. *et ea* præbent, id mirum non est, quum scribæ *ea*, i. e. *talia, ejus generis*, non ceperunt. Alii scribæ cum Gud. 1 et Bas. in positu pronominis offenderunt,

magni æstimantur, sit beatior. Illi enim corporis com-
modis compleri vitam beatam putant : nostri nihil
minus. Nam quum ita placeat, ne eorum quidem bo-
norum, quæ nos bona naturæ appellemus[10], fre-
quentia beatiorem vitam fieri, aut magis expeten-
dam, aut pluris æstimandam; certe minus ad beatam
vitam pertinet multitudo corporis commodorum. Et- 44
enim si et sapere expetendum sit[11], et valere, con-

habeat plura ea exhibentes. Sæpissime autem hoc pron. ante relativum in enuntiati clausula sic addi, nihil est, ut doceamus.

10. *Quæ nos bona naturæ appellemus.* E nostris quoque optimi Spir. et Erl. non *naturæ*, sed *vere*, præbent. Sed si utriusque vocis compendia, n̄e et ūe, cogitaris, nihil erit, cur hæc permutata mireris. In aliis utraque lectio *vere naturæ* junctim reperitur, ut in Oxon. χ. et Crat. ad marg. At Lamb. pro *bona*, *prima* in scriptis nescio quibus legi ait : quod Brem. in texta recepit. At tum non *appellemus* auctor, sed *appellamus* scripsisset, quum in superioribus *prima naturæ* sæpius jam adfuerint, v. c. 6, 21, etc. subjunctivus autem vocem, quodammodo nove positam, requirat. Nos quidem et *bona*, et *prima* (si ita Lamb. in codd. reperit), ex glossa accessisse, putamus : tum enim probe cohærent omnia. Supplebis ex præcedente *bonorum*, *bona*, ita ut vere his *prima naturæ* intelligantur, et excusatius subjunctivus ponatur, quum sic non proprie Stoici. Potest tamen vel *bona*, si ita malis, stare, quum auctor subst. primarium repetere amet. Fin. I, 20, 69; ibid. II, 14, 44; 22, 70. Brem. ex Eliensi 2, et Mead. *appellamus* dedit : sed hoc est scribarum, subjunctivi rationem non assequentium; neque sic ullus nostrorum. Adde, non Stoicos solum, sed Academicos quoque et Peripateticos dictionem πρῶτα φύσεως usurpasse; cf. Acadd. I, 6, 22. *Appellemus* autem vi optativa est, *appellare placet*, ut § 41, *appellent*. G.

11. *Et sapere, expetendum sit, et valere ... expetendum sit.* Gœr. delet *sit* post primum *expetendum*. Hanc, inquit, vulgatam, quæ vera lectio est, negligentia scribarum in codd. plerisque omnibus corrupit. Magna enim horum pars exhibet, « et valere et sapere expetendum sit », reliquis omissis; ut e nostris Gud. 1 et Bas. nec aliter edd. vett. omnes. Alii codd. vel hæc duo omittunt, in quibus sunt Oxonn. omnes. Gud. 2, post *et sap. exp. sit*, hiatum habet binis verbis facile explendum : reliqua ignorat. Spir. denique et Erl. locum plena cum vulgata præbent, priore tantum *sit*, quod vulgo additur, omisso; quod eo magis delevimus, quum origo ejus facile pateat. G. — Hic locus varie legitur. Grut. et recentiores perverse : « expet. sit valere, et conjunctum utrumque ». — In nonnullis codicibus in hunc modum, « Etenim si valere et sapere magis expetendum sit, quam sapere solum; neque tamen si utrumque sit æstimatione dignum, pluris sit conjunctum, quam sapere ipsum separatim. Nam, etc. » In veteri codice sic legitur, « Etenim si sapere expetendum

junctum utrumque magis expetendum sit quam sapere solum; neque tamen, si utrumque sit æstimatione dignum, pluris sit conjunctum[12], quam sapere ipsum separatum[13]. Nam qui valitudinem æstimatione aliqua dignam judicamus[14], neque tamen eam in bonis ponimus, iidem censemus, nullam esse tantam æstimationem, ut ea virtuti anteponatur. Quod idem peripatetici non tenent : quibus dicendum est, quæ et honesta actio sit, et sine dolore, eam magis esse expetendam, quam si esset eadem actio cum dolore. Nobis aliter videtur: recte[15] secusne, postea. Sed potestne rerum major esse dissensio?

sit et valere, conjunctum utrumque magis expetendum sit, quam sapere ipsum separatim. Nam qui valitudinem æstimatione aliqua dignam judicamus, neque tamen, etc. » Alii codices plura habent, in hunc modum : « Etenim si et sapere expetendum sit, et valere; conjunctum utrumque magis expetendum sit, quam sapere solum; neque tamen, si utrumque sit æstimatione dignum, pluris sit conjunctum, quam sapere ipsum separatum. Nam qui valitudinem æstimatione aliqua dignam videamus, neque tamen eam, etc. » Morel. — Ut locum recte capiamus, reminiscamur oportet virtutes solas Stoicis αἱρετὰς, *expetendas* videri; quum res ἀδιάφοροι, *indifferentes*, et quæ nec bonæ nec malæ sunt, ἀξίαν ἔχωσι, ληπταὶ ὦσι καὶ ἐκλέγωνται, « æstimatione dignæ, sumendæ sint et eligendæ ». Vide Nostrum infra, IV, 8; Stobæum, Ecl. Ethic. pag. 170, et Plutarchum de Repugn. Stoic. pag. 1042. Davisius.

12. *Si utrumque sit æstimatione dignum, pluris sit conjunctum.* Gœr. delet primum *sit* cum Spir. et Erl. dicitque pro altero *sit*, quod firmant sui omnes et edd. vett. in vulgatis esse *si*.

13. *Separatum*. Ex Spir. nihil enotatur. Oxonn. ψ. Crat. *separatim* : quod, per se non contemnendum, hoc contextu non prætulerim, quum *separatum* et *conjunctum* opponantur, singulaque singulorum enuntiatorum instar sint, *si sit conjunctum*, *si sit separatum*. G.

14. *Judicamus.* Ita cum Pal. 1, 2, 3, Spir. et Erl. et Gud. Reliqui fere cum editis plerisque vett. *videamus*, vel *videmus*. Ex compendiis *uiamus* et *iuamus*, hæc diversitas nata est, e quibus hæc sæpenumero confunduntur.—Continuo post transverso ordine *eam tamen*, e tribus optimis nostris, positu meliore, ad sensumque efficaciore, scripsimus; cf. Fin. I, 3, 7, « nec mihi tamen, etc. » G.

15. *Recte secusne, postea. Sed.* Gœr. interpungit melius, ut nobis videtur : *postea : sed.* Sensus est « nos, secus sentientes, inferius huc recurremus » : sed ex iis quæ diximus, concludere possumus majorem rerum dissensionem esse non posse, contra eos qui contendunt nos cum Peripateticis solum verbis dissentire.

XIV. Ut enim obscuratur et offunditur luce solis lumen lucernæ; et ut interit magnitudine maris Ægei stilla muriæ[1]; et ut[2] in divitiis Crœsi, teruncii accessio; et gradus unus in ea via, quæ est hinc in Indiam: sic, quum sit is bonorum finis, quem stoici dicunt, omnis ista rerum in corpore sitarum[3] æstimatio splendore virtutis et magnitudine obscuretur, et obruatur, atque intereat necesse est. Et quemadmodum opportunitas (sic enim appellemus εὐκαιρίαν) non fit major productione temporis (habent enim suum modum quæcumque[4] opportuna dicuntur); sic recta 45

XIV. 1. *Stilla muriæ* in nullo meorum legitur. Reliqui *stilla mellis*. Gud. 2 et Vien. *st. maris*. Sed vulgata verissima est. G.

2. *Et ut ... et ut*. Repetita *et* exempla jungentis est. Cf. supra I, 16, 50. Tertio loco *ut* ideo repositum non est, ne tædium crearet. Hæc et talia variandæ orationis causa auctor frequentat. G.

3. *Rerum in corpore sitarum*. Hæc a P. Manut. primum e Maffæi cod. recepta lectio, Pet. etiam Marsi auctoritate firmatur. Reliqui codd. vel *in corpore harum;* ut e nostris Spir. et Erl. scriptis veteribus plerisque consentientibus: vel *incorporearum;* cum quibus reliqui nostri faciunt. Solus denique Eliensis 2 *corporearum* exhibet: quod, probantibus Davis. et Ern. sequutus est Brem. Sed si vel auctor ista voce interdum sic utatur, ut Brem. vult: tamen vulgata, si vere codicis scripti lectio est, quod dubitari nequit, præferenda erit; est enim selectior, quam ut a scribis profecta dici possit. *Situm* enim *in re* Ciceroni constanter de eo dicitur, « quod rationem suam in rei natura habet », atque ita « ad rem pertinet, ei consentaneum, ejus proprium est ». Ita *situm in nobis* supra I, 17, 57, « situm in animis hominum, etc. » Jam res *in corpore sitæ* sunt, quæ sua natura ad corpus referuntur. Nusquam autem Cic. v. *corporeus* sic ponit, ut *ad corpus pertinens* valeat: sed, « quod corpore præditum est ». Eo referendus etiam locus, quem forte Brem. in animo habuit, N. D. II, 15, 41, ubi *ignis corporeus* in præcedentibus is dicitur, qui « corporibus animantium continetur »: sed ne isto quidem loco opus est, ut a propria vi vocis discedas. G.

4. *Quæcumque*. Gœr. scrib. *quæque*. Nullus, inquit, meorum *quæcumque*. Spir. et Erl. *que*, Gud. uterq. Oxon. E. Mars. *quæque:* unde *quæque* dedimus, quod ubique a scribis corrumpitur. Att. XVI, ep. 8: « Veteranos quiqui Casilini et Calatiæ sunt », ubi item plerique scripti *quæque*. Mire unus codd. optimorum nostrorum ad Orat. I, 15, 67: « hoc profecto efficiet, ut quamquam rem a quoquo cognoverit ». *Quoquo* refert etiam Oxon. β. et utrumque sane vulgatæ, *quamcumque ... quoque*, præferendum videtur.

effectio (κατόρθωσιν enim ita appello, quoniam recte factum[5] κατόρθωμα), recta igitur effectio, item convenientia, denique ipsum bonum, quod in eo positum est, ut naturæ consentiat, crescendi[6] accessionem
46 nullam habet. Ut enim opportunitas illa, sic hæc, de quibus dixi, non fiunt temporis productione majora: ob eamque causam stoicis non videtur optabilior[7], nec magis expetenda beata vita, si sit longa, quam si brevis; utunturque simili. Ut si cothurni laus illa esset, ad pedem apte convenire, neque multi cothurni paucis anteponerentur, nec majores minoribus: sic quorum omne bonum convenientia atque opportunitate finitur, nec plura paucioribus, nec lon-
47 ginquiora brevioribus anteponentur. Nec vero satis acute dicunt[8]: Si bona valitudo pluris æstimanda sit longa, quam brevis, sapientiæ quoque usus longissimus quisque sit plurimi. Non intelligunt, valitudinis æstimationem spatio judicari; virtutis, opportunitate; ut videantur qui illud dicant[9], iidem hoc esse dicturi,

5. *Recte factum*. Gœr. scrib. *rectum factum*. Ita, inquit, nostri quoque scripti; quod sine justa causa Ern. ab cap. 18, in *recte f.* mutavit. Sed Brem. vulgatum jure reduxit; quum *recte factum*, ut participium, minus bene substantivo græco respondeat.

6. *Crescendi accessionem*. Hanc gerundii structuram illustratam vide ad Acadd. II, 41, 128. G.

7. *Stoicis non... optabilior*, etc. Ad hæc apte confert Davis. Plutarch. de Repugnn. Stoicc. p. 1046, c; Advers. Stoic. 1061, f; Lips. Manuduct. ad Stoic. Phil. III, 3.

8. *Nec vero satis acute dicunt*. Non Stoici, sed qui illis Stoicorum rationibus occurrunt, Academici, aut Peripatetici. Malis igitur forte post *acute*, *contra* adjectum, quod eo loco facile excidere potuit.—Quæ sequitur objectio paullo obscurius expressa, hanc vim habet: tum modo recte sapientiæ usum, quam longissimum, plurimi faciendum esse, si bona valitudo pluris æstimanda, si longa, etc. Posterius enuntiatum ideo præmissum puta, quoniam in hoc vis objectionis cernitur. Quæ ipsa causa est, cur in consectariis fere omnibus conditionalis enuntiatio præmittitur. G.

9. *Qui illud dicant*. Gud. 2 et Bas. *dicunt*. Bene per se quidem; sed vulgata proba est, quum valeat, « qui tale, quale illud est, dicere possunt ». G. — Grut. auctoritate Pal. 1, tria hæc verba resecanda vult, tamquam a glossemate lecturis.

bonam mortem et bonum partum, meliorem longum esse[10], quam brevem. Non vident, alia brevitate pluris æstimari; alia, diuturnitate. Itaque consenta- 48
neum est his, quæ dicta sunt, ratione illorum, qui illum bonorum finem, quod appellamus extremum, quod ultimum, crescere putent posse, iisdem placere[11], esse alium alio etiam sapientiorem[12], itemque alium magis alio vel peccare, vel recte facere. Quod nobis non licet dicere, qui crescere bonorum finem non putamus. Ut enim qui demersi sunt in aqua[13], nihilo magis respirare possunt, si non longe absunt a summo, ut jam jamque possint emergere, quam si etiam tum essent in profundo; nec catulus ille, qui jam appropinquat, ut videat, plus cernit, quam is, qui modo est natus: ita qui processit[14] aliquantum ad virtutis aditum[15], nihilominus in miseria est, quam ille, qui nihil processit.

10. *Longum esse*. Prave transponunt Spir. et Erl. *esse longum*. G.

11. *Itaque consentaneum est his ... ratione illorum ... iisdem placere.* Ad *consentaneum est*, *id* intelliges, ut sæpe; vide nos Acadd. II, 9, 28. Deinde quum auctor pergeret, « his, quæ dicta sunt ratione illor. » (inter quæ vulgo male virgula post *dicta sunt* additur): non potuit, quin pronomen poneret, quod ad *illorum* referretur. *Iisdem* autem dixit pro *illis ipsis*; cf. Brem. de Fato, 15. G. — Nobis melius stare videtur virgula, post *dicta sunt* posita; nam sensus est: Admissa ratione eorum qui, etc. sequitur ut iidem dicere debeant esse alium alio sapientiorem.

12. *Alium alio etiam sapientiorem*. Gœr. delet *etiam*. Quum, inquit, ejus loco Erl. *et* præbeat, Gud. 1 et Bas. vocem plane ignorent: jure particulam, quæ toties scribis debetur, et ad hæc contexta marcet, proscribendam putavimus.

13. *Ut enim qui... in aqua*. Eadem fere, ut Chrysippea, refert Plut. adv. Stoic. p. 1063: ὥσπερ ὁ πῆχυν ἀπέχων ἐν θαλάττῃ τῆς ἐπιφανείας, οὐδὲν ἧττον πνίγεται τοῦ καταδεδυκότος ὀργυιὰς πεντακοσίας· οὕτως οὐδὲ οἱ πελάζοντες ἀρετῇ τῶν μακρὰν ὄντων ἧττόν εἰσιν· καὶ καθάπερ οἱ τυφλοί, τυφλοί εἰσι, κἂν ὀλίγον ὕστερον ἀναβλέπειν μέλλωσιν, οὕτως οἱ προκόπτοντες, ἄχρις οὗ τὴν ἀρετὴν ἀναλάβωσιν, ἀνόητοι καὶ μοχθηροὶ διαμένουσιν. Vide insup. Nost. inf. IV, 23, 24, et Laert. VII, 120.

14. *Ita qui processit*. Gœr. scrib. *item*. Sic, inquit, tres nostrorum optimi, quatuor Oxonn. Mars. Crat. pleræque reliquæ. Vulgatur *ita qui process.* prout ubique in *item*, *ut* præcedente, peccatur. Vid. Legg. II, 5, 11, cll. Tusc. V, 3, 9.

15. *Ad v. aditum*, etc. Non aver-

XV. Hæc mirabilia[1] videri intelligo. Sed quum certe superiora firma ac vera sint, his autem ea consentanea et consequentia; ne de eorum quidem veritate est dubitandum[2]. Sed quamquam negent, nec virtutes, nec vitia crescere: attamen[3] utrumque eorum fundi[4] quodam modo, et quasi dilatari putant.
49 Divitias autem Diogenes censet[5] non eam modo vim

satur auris *habitum*, quod exstat in Pal. sec. Est etiam in tertio a manu prima *additum*. Henr. Stephanus divinabat, *adeptum* pro *adeptione*. Propius literas fuisset, *adytum*, ut poetice id posuisset pro *templo*. Grut. — *Nihilominus in miseria est, quam ille, qui nihil processit.* Mire omittunt Spir. et Erl. in *miseria est*, et *qui*: sed ne locum inde ipsum tentes, qui optime se habet. Quod item testantur illa Plutarchi modo laudata: ἀνόητοι καὶ μοχθηροὶ διαμένουσιν. Sed hoc simul patet, in græcis πνίγεται bis accommodatius poni, quam supra *respirare*. G.

XV. 1. *Mirabilia*. Id est, παράδοξα. Vide infra, IV, 27, 74, *hæc παράδοξα illi, nos mirabilia dicamus*, cll. Acadd. II, 44, 136. G.

2. *Ne de eorum quidem veritate est dub.* Gœr. scrib. *ne de horum quidem est veritate dub.* Ita, inquit, cum nostris omnibus et P. Marso rescripsimus. In Oxon. E. et ξ. pro *quidem* glossema ad sequentia verba intrusum legitur, *quod disputandum est*.

3. *Sed quamquam negent ... attamen*. Spir. Erl. et Mars. *negant ... et tamen*. *Et* referunt etiam reliqui nostri cum Oxonn. E. ξ. et vett. editis plerisque omnibus. χ. *sed* habet. At vulgata vera est. Ut enim alibi scribæ, si ad *quamquam* conjunctivus sequitur, hærent; ita adeo frequentata auctori hæc structura est, ut vix quidquam magis. *Attamen* autem post *quamquam* legitur etiam Orat. 32, 113: « Quamquam aliud videtur oratio esse, aliud disputatio ... attamen utrumque in disserendo est ». G.

4. *Utrumque eorum fundi*. Seneca, ep. 74, § 26: « Quod rectum est, nec magnitudine æstimatur, nec numero, nec tempore: non magis produci, quam contrahi potest. Honestam vitam ex centum annorum numero in quantum voles corripe, et in unum diem coge; æque honesta est. Modo latius virtus *funditur*; regna, urbes, provincias temperat, fert leges, colit amicitias, inter propinquos liberosque dispensat officia: modo arcto fine circumdatur paupertatis, exsilii, orbitatis: non tamen minor est, si ex altiore fastigio in privatum, ex regio in humilem subducitur, etc. » Vide Lipsium Manud. ad Philos. Stoic. III, 3. Davisius.

5. *Diogenes censet*. Miscent scripti, Erl. *diogenesceps et*, Gud. 2, *Diogeni censeant*, Gud. 1 cum quatuor Oxonn. *censeat*: atque ita edd. vett. multæ. Conjunct. forte præcedenti *neget* accommodatus est. G. — *Divitias autem Diogenes*. Diogenem intellige Babylonium, Chrysippi auditorem, et Antipatri magistrum, magnum et gravem Stoicum, qui aliquando Romam ab Atheniensibus cum Carneade legatus missus est, adolescentibus Scipione et Lælio, ut est

habere, ut quasi duces sint ad voluptatem et ad valitudinem bonam, sed etiam ut ea contineant[6]: non idem facere eas in virtute, neque in ceteris artibus, ad quas esse dux pecunia potest, continere autem non potest. Itaque si voluptas, aut si bona[7] valitudo sit in bonis, divitias quoque in bonis esse ponendas: at, si sapientia bonum sit, non sequi[8], ut etiam divitias bonum esse dicamus: nec ab ulla[9] re, quæ non sit in bonis, id, quod sit in bonis, contineri potest; ob eamque causam, quia cognitiones comprehensionesque[10] rerum, e quibus efficiuntur artes,

in Tuscul. a Cicerone scriptum. Ejus sententiam de divitiis ad voluptatem et valitudinem gignendam non modo valentibus, sed etiam ut retineantur et serventur vim habentibus, non recte accommodari posse ad virtutem et artes, dissimilitudine ostendit. Dictum est antea quæ Stoicis τὰ μέσα dicuntur, ἀρχὰς εἶναι τῶν καθηκόντων: in officiis vero et recte factis neminem ea continere posse. Addit rationem: bonum non nisi a bono contineri posse. Ea vero media neque in bonis esse, neque in malis. Monaltus. — De hoc Diogene, qui de his maxime, quæ ad rerum æstimationem referuntur, tractavisse videtur, cf. Stob. Ecl. Eth. P. II, p. 152, sqq. G.

6. *Ut quasi duces sint ... sed etiam ut ea contineant.* In eo igitur hæc Diogenis sententia, ab illa Stoicorum aliorum differebat quod, quum tria genera προηγμένων statuerentur, Laert. VII, 107, τὰ μὲν, δι' αὑτὰ, τὰ δὲ, δι' ἕτερα, τὰ δὲ, καὶ δι' αὑτὰ, καὶ δι' ἕτερα; alii autem illi divitias ad τὰ δι' ἕτερα (*quæ duces essent ad τὰ δι' αὑτὰ, voluptatem* (bono sensu) *et valitudinem bonam*), referrent: hic easdem ad τὰ δι' αὑτα καὶ δι' ἕτερα relatas vellet; sed respectu modo voluptatis, valitudinisque, non artium; multo minus etiam virtutis. G.

7. *Aut si bona v.* Spir. et Erl. repetitum *si* nesciunt: sed minus bene, quum eadem paullo ante per duplicem *ad* distinguantur. G.

8. *At, si sapientia ... sequi.* Nostri, præter Gud. 1, omnes *aut*: nec aliter tres Oxonn. Sed recte vulgata: sic enim sapientia voluptati, etc. opponitur. — *Sequi.* Referunt cum Ursini codice Gud. 1, Bas. Vien. tresque Oxonn. *sequitur*: a quo contextorum tenor abhorret. G.

9. *Nec ab ulla.* Gœr. scribit *neque ab ulla.* Sic, inquit, dedimus ex nostris omnibus, et Oxonn. E. ξ. idem ex suis tacite Davis. et cum edd. vett. nonnullis Marsus. Etiam Brem. sic dedit nihil monens. Recte: certe ocetur longe frequentius ad *a*, *ab*, hanc, quam breviorem part. jungit. *Neque ulla* est h. l. *et omnino nulla*: idque ex simili copularum *et*, *atque*, *que*, usu satis firmatur: nisi malis potius *ulla* pro *alia ulla*, ob vim, quæ in ipso est, accipi.

10. *Cognitiones comprehensionesque rer.* Et tribus nostris optimis firmatur, et re ipsa hæc lectio: notantur enim καταλήψεις; quæ *artium*, id est,

appetitiones movent[11]; quum divitiæ non sint in bonis, nulla ars divitiis contineri potest[12]. Quod si de artibus concedamus, virtutis tamen[13] non sit eadem ratio, propterea quod hæc plurimæ commentationis et exercitationis indigeat; quod idem in artibus non sit: et quod virtus stabilitatem, firmitatem, constantiam totius vitæ complectatur, nec eadem[14] hæc in artibus esse videamus.

Deinceps explicatur differentia rerum*: quam si non ullam esse diceremus, confunderetur omnis vita[15], ut

συστημάτων sunt quasi materia. G.

11. *Appetitiones movent.* Gœr. scrib. *appetitionem.* Alteram lect. inquit, dedit post Lambin. Davis. ex pluribus ejus codd. quibus duo nostri se addunt, binique Oxonn. sequutique eum sunt Ern. et Brem. At *appetitionem*, quod prius vulgabatur, contemnendum minime est, quum sæpe sic collective Cic. v. c. supra 7, 23; IV, 47, 48, etc. Tuenturque idem ex nostris Spir. Erl. et Bas.—Ceterum vides hoc quoque loco *artes* in *bonis* numeratas; quippe quas Stoici in virtutibus referrent, earumque maxime *dialecticam*, et *physicam*. Cf. infra cap. 21, § 72.

12. *Contineri potest.* Notat ad hæc Brem. orationem cum obliqua mixtam, quum ad præced. *sit*, *possit* scribendum fuisset. Cujus generis loca quum sint apud auctorem frequentissima diversia ex rationibus pendentia, id modo addimus: hoc loco, et paucis post, indicativum a narratis cum narratis consensu pendere. Post *potest* ex loci natura colon pro virgula posuimus. G.

13. *Quod si ... tamen.* Ne forte *etiam*, *vel*, aut aliam partic. desideres, hac ipsa vi *quod si*, *tamen* sequente, pollet. Orat. 43, 148: «Quod si ea, quæ dixi, non ita essent, quis tamen se tam durum agrestemque præberet». Philipp. X, 10, 20: «Quod si immmortalitas consequeretur præsentis periculi fugam; tamen, etc.» Inde nostro loco, non sine aliqua specie, inter *si* et *de*, *id* excidisse putaris: at idem etiam *si* simplex, ante *tamen* valet. Quæ Cæcil. 18, 60, «qui si summam injuriam ab illo accepisti, tamen, quoniam quæstor ejus fuisti, non potes eum sine ulla vituperatione accusare»; cf. Orat. I, 41, 185. Sens. igitur est: Sed si vel hoc de artibus concedamus, tamen, quod ad virtutem attinet, etc. G.

14. *Nec eadem hæc.* Gœr. transp. *nec hæc eadem.* Quo jure inquit, nostra lectio a VV. DD. relicta sit, ignoramus, quum codd. nostri omnes, cum vett. editis, quos vidimus, ordinem, quem expressimus, referant. Aurium nescio quod tædium codd. lectionem respuisse videtur: at auctor, si vulgatum ordinem maluisset, *esse* non addidisset.

15. *Confunderetur omnis vita ... nec.* Gœr. dat: «quam si non... concederemus, et confunderetur omnis vita, ut ab Aristone; neque ull. etc.», duo mutans, nempe *et* ante *confund.* addendo, et *neque*, pro *nec*, scri-

ab Aristone; nec ullum sapientiæ munus, aut opus inveniretur, quum inter res eas, quæ ad vitam degendam pertinerent, nihil omnino interesset, neque ullum delectum adhiberi oporteret. Itaque quum esset [16] satis constitutum, id solum esse bonum, quod esset honestum, et id malum solum, quod turpe: tum inter illa, quæ nihil valerent ad beate misereve vivendum, aliquid tamen, quo differrent [17], esse voluerunt, ut essent eorum alia æstimabilia, alia contra, alia neutrum. Quæ autem æstimanda essent [18], eorum 51

beodo. Hoc, Inquit, omnea codd. nostri, cum edd. vett. plerisque; respondetque sibi bis positum *neque ullum. Et* autem in Gud. 2 et Bas. repertam, probat aoctoris usus; soletque ea sana, *neque* vel *nec* respondente, sæpissime a scribis negligi; cf. Off. III, 3, 4, Heuss.—In præcedd. *non ullam* negativam ad verbum finitum, *ulla* autem ad infinitum referes.

16. *Itaque quum esset ... tum inter illa ... aliquid tamen.* Verba *tum inter illa*, ex Pal. 1 edita, recte firmant Spir. et Erl. nisi quod bic *cum* peccat. Suffragantur eidem lectioni Bas. *tamen inter illa*, et Gud. 2, *et tamen inter illa* referentes: *tamen* enim ubique cum *tum* confunditur; *et* ex *e* præcedente nata est. Reliqui fere codd. *hæc* addont, varia joocture; unde. boc proo. si vel oon contexta reclamarent; per se ipsum jnre apurium argueris. De usu autem conjunctionis *quum*, si conjonctivo junctam *tum* sequitur, vide nos ad Legg. II, 14, 36, cll. supra I, 6, 19. At nuperrime contra nos surrexit Gernhardus ad Off. III, 2, 5. Quum enim statuissemus, post hanc *quum*, sic sequi *tum*, ut *tamen* cogitetur, et nihilo secius, pro simplicitate nostra, notassemus, solere *tamen* his addi quoque: V. D. contra statuit, *tum* ipsam, si *quum*, pro *licet* posita, præcedat, *tamen* valere; boc quidem discrimine, ut *tamen* (si post *quum*, *licet* notantem, sequatur), « prioris sententiæ vim quodammodo temperet et minuat, opposito eo, quod sit illi certe ex parte contrarium; tum alteram sententiam augeat addendo, quod præ altero spectandum sit ». Sic igitur conceditur, *quum*, hac in structura, *licet* valere, quod, nisi penitus fallimur, primi vidimus. Si autem Gernb. *tum* pro *tamen* ipsa positam vult, boc primum quærimus: quo modo *tum* hanc vim admittat, i. e. quo jure ex particulæ natura explicari liceat, *tum*, *tamen* valere; alias enim prave judicaris. At nullam rationem in vocis hujus natura ipsa deprehendes: debet ea igitur ipsi extrinsecus accedere. G.

17. *Quo differrent.* Omnes, quos vidimus, et scripti et edd. vett. *quod differret.* Inde suspicamur, *quod differrent* scribendum esse, sic ut *quod*, ut toties, *quoad* notet. Plenam codd. scripturam minus probamus, licet vel hæc aliquo modo defendi possit. Si enim *differret* legeris, res magis ex voluntate judicantis, quam ab interno rerum nexu pendebit. G.

18. *Quæ autem æstimanda essent.*

in aliis satis esse causæ, quamobrem quibusdam anteponerentur, ut in valitudine, ut in integritate[19] sensuum, ut in doloris vacuitate, ut gloriæ, divitiarum, similium rerum[20]; alia autem non esse ejusmodi: itemque eorum, quæ nulla æstimatione digna essent, partim satis habere causæ, quamobrem rejicerentur, ut dolorem[21], morbum, sensuum amissionem, paupertatem, ignominiam, similia horum: partim non: itemque[22] hinc esse illud exortum[23], quod Zeno

Gœr. scrib. *quæque.* Sic, inquit, Veneti, Oxonn. nostrique omnes, nec aliter Mars. Ven. 1494, aliæ. *Quæque*, pro *quæcumque* positum, ex tanta codd. auctoritate jure repositum judicabis. *Æstimanda* valent idem, quod *æstimabilia.* De re ipsa vide Exc. I, ad Acadd. I.

19. *Ut in integritate.* Gœr. scribit: *et int.* Vulgatæ, inquit, lectioni nostri scripti omnes adversantur. Spir. Bas. Gud. 1, ut edidimus. Gud. 2 simpliciter *integr. s.* Excidit nempe *et* propter e præcedentem. Erl. *aut*; quod ipsum non contemnendum foret, nisi idem in proximis, pro *ut*, *aut* peccaret. Neque vulgata vera putari debet, quum *integritas sensuum* ad *ipsam valitudinem* pertineat, voces autem *ut in* repositæ diversum quid ab illa notent. Contra vero *et* h. l. *et maxime*, *et imprimis*, valet. Cf. infra 17, 56, « ut quidam habitus oris et vultus, ut status, ut motus ». Atque ita apte congruunt omnia: nam nec præpositio recte stabit in parte generi subjecta.

20. *Ut gloriæ, divitiarum, similium rerum.* Requirebat structuræ ratio, *ut in gloria*, etc. sed languidam ut auctor orationem effugeret, cum rerum diversarum a præcedd. enarratione constructionem ipsam mutat. Ex *anteponerentur* autem præmisso facile ad hos genitt. *anteponendarum ratione* cogitabis. Sic nihil est, ut aut cum aliis pro arbitrio mutes, aut cum Davis. et Ern. substant. regens excidisse putes; cujus loco ille *claritate* conjicit, quod recte Brem. contemnit. Diversitatem autem rerum Ciceronem constructionis diversitate insignire, sæpius monuimus. Neque denique, ante *similium*, *et* desideres, ut est in quibusdam editis: pertinet enim hoc adjectivum ad ea, quæ sunt colligentis, ut, « alius, multus, omnis, reliquus; » ad quæ pæne ex regula copula omittitur. G.

21. *Ut dolorem.* Gud. uterq. et Bas. *ut* nesciunt. Sed præter id, quod scribæ *ut*, si *verbi causa* valet, sæpenumero omittunt, cf. Heuss. ad Off. I, 12, 2, h. l. præcedens syllaba *ur* part. extrusit. G.

22. *Itemque ... itemque.* Eodem modo repetitc ponitur Off. I, 30, 109, etc. Nihil igitur est, quod Spir. et Erl. prioris loco *Item* præbent: neque quidquam sæpius, quam hanc *que* scribæ subtrahunt. Cf. supra II, 4, 14. G.

23. *Hinc esse illud exortum.* Gœr. delet *esse.* Hæc, inquit, verba admodum variantur in scriptis. Spir. et Erl. *est id*, Gud. 2, *illud esse huic*, E. ξ.

προηγμένον, contraque quod ἀποπροηγμένον nominavit, quum uteretur in lingua copiosa factis tamen nominibus ac novis; quod nobis in hac inopi lingua non conceditur: quamquam tu hanc copiosiorem etiam dicere soles[24]. Sed non alienum est, quo facilius vis verbi intelligatur, rationem hujus faciendi[25] verbi Zenonis exponere.

XVI. Ut enim, inquit, nemo dicit, in regia regem 52
ipsum quasi productum esse ad dignitatem (id enim est[1] προηγμένον), sed eos, qui in aliquo honore sint, quorum ordo proxime accedit, ut secundus sit ad regium principatum[2]: sic in vita non ea, quæ primario

simpliciter *est* mutant. Bas. et Mars. *esse illud* transponunt. *Id* ex compendio natum est: ex reliquis variett. tum te facile expedieris, si *esse* delendum putabis. Divin. I, 27, 57: « Alterum ita traditum, clarum admodum somnium, etc. » Abjecimus igitur *esse*, quod contextis jam per se minus favet: deberet enim ad obliquam structuram *usus esset* sequi.

24. *Copiosiorem etiam dicere soles.* Gœr. transp. *soles dicere.* Paruimus, inquit, Spir. Erl. auctorisque mori, si *dicere* pro *statuere* accipit; tum enim verbum hoc loco eo ponit, in quo cum vi sententiæ aliqua reperiatur. Acadd. I, 6, 22: « Atque hæc illa sunt tria genera, quæ putant plerique Peripateticos dicere ». Alia res est Brut. 87, 298: « Nec in hoc Ironiam dixeris esse, quod eam rationem mihi magistram esse dixerim ». Ubi prave vel ideo nuper ex Ven. *duxeris* receptum est, quod his ipsis ad 86, 296, « hæc germana ironia est, etc. » respicitur. Ceterum ex nostris soli Spir. et Erl. *etiam* servant: quod non miraberis, syll. *em* præcedente, et hoc in positu scribis insolito. — *Copiosiorem... dicere soles.* Cf. Nost. sup. I, 3, § 10, et quæ ibi notavimus (pag. 41, not. 20).

25. *Rationem hujus faciendi verbi Zenonis.* Gœr. transp. « Zenonis rationem h. v. f. » Sic, *inquit*, ex auctoris more. Cf. Tusc. IV, 17, 40, « ægre tulisse P. Rupilium fratris repulsam consulatus ». Rull. I, 1, 3: « tu populi rom. subsidia belli, tu ornamenta pacis eripias? » atque ita centenis locis. Vel certe hunc ordinem requiras, « rationem Zenonis hujus v. f. » Divv. I, ep. 1: « Quæ res auget suspicionem Pompeii voluntatis, etc. » At *Zenonis* nomen proxime ante quum positum esset, h. l. idem modo ambiguitatis cavendæ causa sine omni vi adjicitur.

XVI. 1. *Id enim est.* Multi scripti, et vv. edd. pleræque *idem enim.* G.

2. *Secundus ... ad regium principatum.* Davis. conjecerat *a regio principatu*: sed Ern. et Brem. vulgatum stare posse putant. Nos in rationem inquirentes, sine qua nihil stare nec potest, nec debet, hanc tum idoneam reperimus, si *ad* pro *quoad* dictum acceperis. Sic supra II, 20, 63: « Ita non timidus ad mortem, ut in acie

loco[3] sunt, sed ea, quæ secundum locum obtinent, προηγμένα, id est, producta nominentur. Quæ vel ita appellemus (id erit verbum e verbo), vel promota, et remota[4]; vel, ut dudum diximus, præposita, vel præcipua, et illa, rejecta. Re enim intellecta, in verborum usu faciles esse debemus.
53 Quoniam autem omne, quod est bonum, primum locum tenere dicimus, necesse est, nec bonum esse, nec malum hoc, quod præpositum, vel præcipuum nominamus. Itaque id definimus, quod sit indifferens, cum æstimatione mediocri. Quod enim illi ἀδιάφορον dicunt, id mihi ita occurrit, ut indifferens dicerem[5]. Neque enim il-

sit ob remp. interfectus ». Cf. Tursell. de Partt. p. 26. G. — Davis. similem Stobæi locum affert, Eclog. Ethic. II, pag. 194.

3. *Primario loco*. Gœr. scribit : *primore loco*, notatque : Spir. et Erl. *primori e loco*, et Gud. 1, *primiore*, cum aliis quibusdam, referentes, conjecturæ illi favent, ex qua Davis. pro « primario loco », « primore l. » scribi jubet : quam nos verissimam judicantes, exprimi jussimus. *Primor locus* est enim ut Plauto *primores digiti*, ut Cic. sæpius *primora labia*. Sic autem melius, quam vulgata, quum duo modo comparentur.

4. *Vel promota, et remota ; vel, ut dudum diximus, præposita, vel præcipua, et illa, rejecta*. Davis. hunc verborum ordinem turbatum judicans, ita transponit : « vel promota, vel, ut dudum diximus, præposita, vel præcipua, et illa rejecta aut remota ». Quem nexum Bremi ita præfert, ut tamen vulgatum ferendum putet. At vertit auctor primo proprie, *promota...remota* : deinde ea ponit, quæ suæ linguæ aptiora judicat, *præposita, præcipua*, quibus duobus simplex opponit *rejecta*. Deinde ne cum Pearcio, *ut illa*, malis, virgulam ante *rejecta* posuimus. *Et est et contra*, ut sæpe, si oppositio per se ipsa patet. *Illa* autem auctor ideo dixit, quoniam προηγμένα in proximis repetiverat : quod secus est in ἀντιπροηγμένοις : indicavit igitur hæc ut e remotius positis. G. — Lambinus legit *vel promota, ut illa remota*. Bene : nam *remota*, ἀποπροηγμένα, proprie opponuntur *promotis*, προηγμένοις. Insuper tamen (id quod illum, acutissimum licet, fugerat) legendum arbitror, « vel præcipua, ut illa rejecta » : eadem enim ratione hæc mutanda esse videntur, atque illa. En totam sententiam eo modo, quo scripsisse Ciceronem arbitror : « Quæ vel ita (producta), appellemus (id erit verbum e verbo) vel promota, ut illa remota; vel (ut dudum diximus) præposita vel præcipua, ut illa rejecta ». Pearc.

5. *Quod...dicerem*. Hæc Gœrenz parenthesi includit; quæ autem parenth. inquit, ut recte poneretur, virgula delenda fuit, quæ post, *indifferens*, quod præcedit, vulgo additur. — Ceterum notandum est, ipsa προηγμέ-

lud fieri poterat ullo modo, ut nihil relinqueretur in
mediis, quod aut secundum naturam esset, aut con-
tra; nec, quum id relinqueretur, nihil in his poni,
quod satis æstimabile esset; nec hoc posito, non ali-
qua esse præposita[6]. Recte igitur hæc facta distinctio 54
est, atque etiam ab iis, quo facilius res perspici pos-
sit, hoc simile ponitur. Ut enim, inquiunt, si hoc
fingamus esse quasi finem et ultimum, ita jacere ta-
lum, ut rectus adsistat; qui ita talus erit jactus, ut
cadat rectus, præpositum quiddam habebit ad finem;
qui aliter, contra[7]; neque tamen illa præpositio tali
ad eum, quem dixi, finem pertinebit: sic ea, quæ
sunt præposita, referuntur illa quidem ad finem; sed
ad ejus vim, naturamque nihil pertinent.

Sequitur illa divisio, ut bonorum alia sint ad illud 55
ultimum pertinentia (sic enim appello, quæ τελικὰ
dicuntur: nam hoc ipsum instituamus, ut placuit,
pluribus verbis dicere, quod uno non[8] poterimus,

να et ἀποπροηγμένα esse ἀδιάφορα, ne cum quibusdam in ridiculum sane errorem abeas. Cf. Sext. Emp. Pyrrh. III, 192.

6. *Nec hoc posito, non aliqua esse præposita*. Gœr. scribit: *essent*. Primo, inquit, miramur, si vere in Pal. *hoc posito*, Grut. legit. ut ex Msfæano recte editum est, nam Spir. et Erl. cum reliquis omnino omnibus, *hæc posita*. Deinde cum Bremio *essent* reduximus, cujus loco P. Manut. ex conjectura haud satis apta, et Davis. ex El. 1, *esse* dederat, Ern. sectatore: nostris omnibus repugnantibus.

7. *Qui aliter, contra*. Gœrenz dat: *aliter, qui contra*. Scripti, inquit, plerique, nostrique omnes, editique vett. multi, « qui aliter, qui contra »; unde Davis. jejune sane, « qui aliter quidem, contra ». P. Mars. *aliter, qui contra;* ut edidimus. Ita enim facile causa repetiti *qui* cognoscitur. Potuerat scriba *qui* ante *aliter* ponendum, et tamen idem justo quoque loco reponebat. — De discrimine in talorum lusu, si talus *rectus assistebat*, et si *rectus cadebat*, vid. Senftlebius de Alea, c. 4, n. 8, cll. Pitisci Lexic. antiqq. v. *Talus*. — Rem vero hanc ipsam de qua h. loc. tradit Stobæus Eclog. Ethic. II, p. 174.

8. *Quod uno non poterimus*. Nostri, Oxonienses que, tres item Davisii, omnes aut omittunt *uno*, ut tres potiores, aut post *poterimus* addunt. Cum his consentit Mars. cum illis Ven. 1494 et aliæ. Nos quidem *uno* in clausula positum, ob enuntiatorum in oppositione inversionem auctori frequentem, probamus: sed quum *uno* ob priores literas negativæ *non* per

ut res intelligatur), alia autem efficientia, quæ Græci ποιητικὰ, alia utrumque. De pertinentibus, nihil est bonum, præter actiones honestas; de efficientibus, nihil præter amicum. Sed et pertinentem et efficientem sapientiam volunt esse[9]: nam quia sapientia est conveniens actio[10], est illo pertinenti genere[11], quod dixi. Quod autem honestas actiones affert et efficit, ideo efficiens dici potest[12].

compendium excidisse videatur; nihil pro certo statuendum fuit. *Quod* valet *quoad*, et æque sic indicativus, atque conj. additur. G. — Hanc eamdem divisionem iisdem fere verbis tradit Laert. VII, 96. Conf. quoque Stob. II, p. 167.

9. *Sed et pertinentem, et efficientem sapientiam volunt esse.* Nostri omnes *sapientem*, ut alii plures: sed ita ex compendio pro more peccant scribæ. Deinde, ne in verborum positu hæreas, notandum est, *volunt*, ad verborum dicendi exemplum, interponi. Similem vide locum Tusc. V, 21, 62: « Denique exoravit (Damocles) tyrannum, ut abire liceret, quod jam beatus nollet esse» i. e. « dicens se nolle jam, etc.» Sic omnia ex ordine procedunt hoc sensu: « Sed aliud sapientiæ genus pertinens, aliud efficiens dicunt (statuunt) esse ». Eo quidem exemplo, quo scribitur Off. II, 15, 7: « Melius etiam, quod largitionem corruptelam dixit esse ». Invent. I, 43: « Quod signum esse adversarii dixerunt, id ejusmodi negatur esse, etc. » De re cf. Diog. Laert. VII, § 107, et Stob. Eclogg. Eth. p. 174. G.

10. *Conv. actio.* Hac v. exprimitur græcum ὁμολογουμένη πρᾶξις, id est, *ad ὁμολογίαν pertinens agendi ratio*; cf. supra 6, 21. G.

11. *Est illo pertinenti genere.* Gœr. scribit . *est cum illo. Cum*, inquit, et abest vulgo, nec id agnoscunt Pal. 1, Spir. Erl. et Gud. 2; at in reliquis Gruteri, Davisii, Oxon. nostris adest omnibus: itemque edd. vett. quas vidimus, tuentur. Vulgatam stare non posse, viderunt Lamb. et Davis. quorum ille pro *eum*, *ex*; hic *in* ex conjectura receperunt. Ern. hujus rationem, Bremi illius probat. Harum conjecturarum optione facta, Davisii *in* utique præferri meretur, quum toties Cic. formam hanc, *esse in genere*, ex græcismo usurpet, cf. Acadd. II, 30, 95. Sed nos *eum* probamus ac defendimus. Sæpe enim, ex græcismo, *cum aliquo esse* ii dicuntur, qui alicujus partes sequuntur, ad aliquem se applicant; unde « uxor cum marito esse », proprie dicitur. Videtur autem consulto auctor noluisse dicere, « sapientia est in hoc genere »; quum ea non tam huic *insit*, quam potius idem *complectatur*. Quare h. l. *conjuncta*, *conciliata*, etc. intelliges. Post compendium *c̄* autem comp. *c̄* excidere facillime potuit: nisi præpositio a scribis eam non capientibus consulto omissa est. *Pertinenti* nostri omnes. *Est* autem recte, et eum asseveratione præmittitur: nec *erit*, lectio vett. edd. nonnullarum, in quibus Ven. 1494 est, quidquam valet.

12. *Ideo efficiens dici potest.* Gœr. scribit *id* pro *ideo*. Vulgatam, inquit *ideo* ex solo Eliensi 1 dedit Davis.

XVII. Hæc, quæ præposita dicimus, partim sunt 56
per se ipsa præposita, partim quod aliquid efficiunt,
partim utrumque [1]. Per se, ut quidam habitus oris et
vultus, ut status [2], ut motus; in quibus sunt et præ-
ponenda quædam, et rejicienda : alia ob eam rem
præposita dicuntur [3], quod ex se aliquid efficiant, ut
pecunia; alia autem ob utramque rem, ut integri
sensus, ut bona valitudo. De bona autem fama (quam 57
enim appellant εὐδοξίαν [4], aptius est hoc loco bonam fa-
mam appellare, quam gloriam), Chrysippus quidem et
Diogenes, detracta utilitate, ne digitum quidem, ejus
causa [5], porrigendum esse dicebant; quibus ego ve-
hementer assentior. Qui autem post eos fuerunt,

prout ante hunc Lamb. scripserat : nostri cum reliquis, et vett. edd. omnibus, *id*. Si *ideo* verum esset, tum *etiam* v. *quoque* ægerrime desideraretur. Nos tuemur lectionem contemptam : posuit enim hæc auctor ut locum communem, sic tamen, ut cum relatione ad sapientiam intelligeretur; quem morem hic valde frequentat. Constr. *id autem*, *quod*, etc. Sunt autem ista veluti major propositio, suppressa minore, et conclusione.

XVII. 1. *Partim sunt per se ipsa... partim utrumque*. Recte laudat Davis. Laert. VII, 107 : τῶν προηγμένων τὰ μὲν δι' αὑτὰ προῆκται, τὰ δὲ δι' ἕτερα, τὰ δὲ καὶ δι' αὑτὰ καὶ δι' ἕτερα. Cf. Stob. Ecl. Eth. p. 173, 174. — Ante *utrumque* Lamb. *ob* inserit, quod, Davisio probante, recepit etiam Bremi. — *Per se* est *propter se*, ut sæpissime, et græco more, ut vides. G.

2. *Ut status*. Peccant tres optimi nostri, *et status*. Quo de scribarum, ex præcedente *et* nato, vitio supra vidimus, § 51.

3. *Alia... præposita dicuntur*. Gœr. scribit *dicentur*. Ita, inquit, omnes et Gruteriani, et nostri, 3 Oxonn. vett. item edd. omnes : at vulgata *dicuntur*. Retinenda tanta auctoritate comprobata lectio erat; idque magis, quum *dicentur* pro *dici licet*, *convenit*, accipiatur : sæpe enim auctor similiter, pro participp. fut. pass. futurum hoc tempus ponit. Off. I, 38, 3 : « sic ad hoc genus castigandi raro invitique veniemus » : ubi, ut nostro loco, partt. futuri pass. præcedunt.

4. Εὐδοξίαν. Quam græcam vocem h. l. auctor *bonam famam* vertit, eam alias binis exprimit, *gloriam et gratiam* jungendo. Off. II, 14, 18, etc. Eodem tamen loco Cic. a cap. 12 inde, simpliciter *gloriam* pro εὐδοξίᾳ ponit. G.

5. *Ejus causa*. Nescio quid librarii in hoc hæserunt; nostri enim codd. omnes *in e.* exhibent, Marsusque *causa* simpliciter : nisi auctor forte *ea causa* scripsit, atque *ea* ob proximas litteras excidit, variaque tum textis fulcra adhibita sunt. Similiter in *ea re* peccatur, si *propter eam rem* valet. G.

quum Carneadem sustinere non possent, hanc, quam dixi, bonam famam, ipsam propter se præpositam[6], et sumendam esse dixerunt, esseque[7] hominis ingenui et liberaliter educati, velle bene audire a parentibus, a propinquis, a bonis etiam viris[8], idque propter rem ipsam, non propter usum : dicuntque, ut liberis consultum velimus, etiam si postumi futuri sint, propter ipsos; sic futuræ post mortem famæ tamen esse propter rem, etiam detracto usu, consulendum[9].

6. *Bonam famam, ipsam propter se præpositam.* Antipater nempe adstrictam hanc Stoæ severitatem primus laxavit, quippe qui diceret, « aliquid se tribuere externis, sed exiguum parum », Senec. ep. 92, 5. Huic autem maxime Carneadis impetus in Stoam sustinendi fuerunt, utpote cui tum præesset. Ceterum nihil amplius de his Carneadis rationibus innotuit, quæ Stoicos moverunt, ut εὐδοξίαν ex *rejectis* in *præposita* transferrent : haud difficulter tamen ex reliqua ejus sentiendi ratione suppleri possunt. Sed hæc, et ejusmodi multa, philosophiæ historiæ scriptoribus colligenda erant, ut intelligeretur, quantopere in singulis Stoicorum ratio Carneadis ingenio cesserit. G.

7. *Esseque.* Ignorant Bas. et Gud. 1, *que*. Per se non male : sic enim sæpe auctor partt. quæ nexui inserviunt, in rationibus addendis omittit. Sed vulgata quoque bene se habet, si ante *esse* colon, pro virgula, ponitur, ut fecimus : valet enim tum *que*, *nempe*, etc. Tusc. IV, 37, 81 : « Inveteratio autem, ut in corporibus ægrius depellitur, quam perturbatio : citiusque repentinus oculorum tumor sanatur, quam diuturna lippitudo depellitur ». G.

8. *Velle bene audire a parentibus, a propinquis, a bonis etiam viris.* Huc respexit Cicero, Panætio duce, Off. II, 15, 46 : « Prima igitur commendatio (ad gloriam) proficiscitur a modestia cum pietate in parentes, in suos benivolentia »; ut nuperrime ibi recte editum est : « modestiam *enim* in moderata agendi ratione *quæres*, ex qua bene audias a bonis viris ». G.

9. *Sic futuræ post mortem famæ tamen esse propter rem, etiam detracto usu, consulendum.* Gœrenz interpungit post *etiam*, notatque : Davis. *tamen*, ut prorsus inutilem, damnat, ejusque loco *ipsam* suadet. Ern. h. part. refert ad præcedd. *futuræ post mortem*, Bremi contra ad partic. in vv. *etiam detracto usu*. Immo potius « etiamsi . . . tamen . . . etiam » sibi respondent, sic ut *tamen*, *sane* valeat, ut sæpe. Ita nobis *etiam* ad clausulam struenda fuit, virgula, quæ vulgo ante eam ponitur, subjecta; sed falso, et contra loci naturam. Tum enim, *etiam usu detracto*, necessario scribendum fuisset. Sæpe egimus de h. part. in clausula posita. Ita item interpunges, Divin. I, 30, 64 : « Divinare autem morientes etiam, illo exemplo confirmat Posidonius ». Prave ibi quoque *etiam* ad seqq. trahitur. Scribæ tum fere trepidant : sic h. l. Gud. 1 et Bas. *etiam* ante *propter* collocat.

Sed quum, quod honestum sit, id solum bonum esse dicamus: consentaneum tamen est, fungi officio, quum id officium [10] nec in bonis ponamus, nec in malis. Est enim aliquid in his rebus probabile, et quidem ita, ut ejus ratio reddi possit: ergo ut etiam probabiliter acti ratio reddi possit [11]. Est autem officium, quod ita factum est [12], ut ejus facti probabilis ratio reddi possit. Ex quo intelligitur, officium medium quoddam esse, quod neque in bonis ponatur, neque in contrariis; quoniamque in iis rebus [13], quæ neque in virtutibus sunt, neque in vitiis, est tamen quiddam, quod usui possit esse [14], tollendum id non est. Est autem ejus generis actio [15] quoque [16] quædam, et quidem talis, ut ratio postulet agere aliquid et fa- 58

10. *Quum id officium.* Nempe *medium*, non *rectum*. Hoc tenendum est, ne sic scriptum mireris. G.

11. *Ergo ut etiam probabiliter acti ratio reddi possit.* Gœr. vocem *acti* uncis includit. Hæc sententia, inquit, deest, ut in aliis, ita etiam in Gud. 1 pluribusque vett. editis. Sed incuria elabi passa est, quum eadem cum antecedd. clausula cadat. At vox *acti*, cujus loco alii codd. *facti* referunt, glossæ suspicionem movet. Si enim quid valebit, tum audiendi erunt Lamb. Davis. et Brem. qui *probabilis facti* malunt: licet scribæ potius adverbia in *ter* exeuntia in adjectiva mutent, quam vice versa. Cf. Fin. II, 3, 10. *Ratio* autem, quæ « probabiliter reddi potest », ipsa *probabilis* est. Sic enodatius progressio fit ad Officii definitionem: tertio enim loco *probabilis facti* ratio reddenda additur.

12. *Officium, quod ita factum est*, expressam auctor vocis originem voluit, a *facere officium* derivans. De re ipsa conf. Diogen. Laert. VII, 107, καθῆκον . . . ὃ πραχθὲν εὔλογόν τινα ἴσχει ἀπολογισμόν, ut recte corrigit Bremius. G.

13. *Quoniamque in iis rebus.* Quæ bini nostri cum tribus Oxonn. aliisque aliorum ignorant. Ita scilicet scribæ, si *que* transeuntis est. G.

14. *Quod usui pos. esse.* Oxon. E. et Bas. « quod usu possit esse: » in quo dat. veterem agnoscere liceat, cujus Gellius N. Att. IV, 18, plura exempla collegit. Sic Divv. ep. 24, « quibus subito impetu ... resistat ». Atque ita *usu venire* ex regula scribitur; et talia multa. G.

15. *Est autem ejus generis actio.* Gud 1, pro *autem*, *tamen*, Gud. 2, *actum*. Inservit *autem* consecutioni, ut ubique fere. *Actio* est *agendi ratio*, cf. Acadd. II, 12, 39. G.

16. *Quoque* sine jure in Bas. omissa, ad eam vere vocem posita cernitur, ad quam proxime pertinet, idque ex regula; cf. Legg. II, 27, 68. G.

cere eorum[17]. Quod autem ratione actum sit, id officium appellamus. Est igitur officium ejus generis, quod nec in bonis ponatur, nec in contrariis.

59 XVIII. Atque perspicuum etiam illud est[1], in istis rebus mediis aliquid agere sapientem. Judicat igitur, quum agit, officium illud esse; quod[2] quoniam numquam fallitur in judicando, erit in mediis rebus officium : quod efficitur etiam hac conclusione[3] rationis. Quoniam enim videmus esse quiddam, quod recte factum appellemus (id autem est perfectum officium); erit autem etiam inchoatum[4] : ut, si juste depositum reddere in recte factis sit; in officiis ponatur depositum

17. *Eorum*, in clausula positum, est, « talium, quæ ad id genus referuntur », ut viderunt Ern. et Brem. G.

XVIII. 1. *Atque perspicuum etiam illud est.* Pessime Grut. et Ern. *Atqui*, a Pal. 1, profectum. Reddit idem Erl. (ex Spir. nihil notatur); sed reliqui, quum non sit oppositio, sed transitio, in vero consentiunt. *Atque* est, *Et sane*, ut locis infinitis. ε. et ξ. ignorant *etiam*. G.

2. *Quod quoniam*, ut « quod si, quod quia, quod quum », ponitur; cf. Hotting. ad Divin. II, 62. *Quod* enim in his juncturis omnibus valet, « quod ad id attinet, quod ». G. — Lego « qui quoniam numquam, etc. » ut pronomen ad *sapientem* referatur. Et ita legendum suspicatur Guietus, nisi forte *quod quoniam* sit additamentum. Davisius.

3. *Etiam hac conclusione rationis.* Gœr. transp. *hac etiam*. Parum inna, inquit, Spir. Erl. et Bas. Deinde prave E. et ξ. *cognitione*. Denique « conclusio rationis », est ea, quam a priori petitam vulgo vocamus, Divin. II, 49, 103.

4. *Quod recte factum appellemus (id autem est perfectum officium); erit autem etiam inchoatum.* Primo variatur in *appellemus*. Bas. et Gud. 1, *appellamus*, Gud. 2, *appellaremus*. Sed vulgatum verissimum est : vertit enim Cic. κατόρθωμα, atque sic suo more conjunctivo usus est. Parenthesin deinde Brem. ante nos distinxit : cui tamen in altera *autem*, ex Lambini et Ern. auctoritate, deleta non accedimus; nec Davisio, qui *item* pro secunda *autem* malit. Sunt enim diversæ potestatis : prior explicantis est, et fere idem, quod *nempe*; posterior, ut sæpe parenthesin excipit, ita ponitur etiam in consecutione. Bis vero positam supra I, 18, 61, vidimus. — *Perfectum officium* in parenth. additum est, ut oppositionis ratio in *inchoato* clarius cerneretur. G. — Stobæus Eclog. Ethic. pag. 175 : Τὸ δὲ καθῆκον τελειωθὲν, κατόρθωμα γίνεσθαι. Et iterum pag. 177 : Κατόρθωμα δ' εἶναι λέγουσι καθῆκον πάντας ἀπέχον τοὺς ἀριθμοὺς, ἢ τέλειον καθῆκον. Vide sis et Nostrum, Offic. I, 3 (ubi hæc *de officio* melius explicantur); supra cap. 7, et inf. lib. IV, cap. 6. Dav.

reddere: illo enim addito, juste, facit recte[5] factum; per se autem hoc ipsum reddere, in officio ponitur; quoniamque[6] non dubium est, quin in his, quæ media dicimus, sit aliud sumendum, aliud rejiciendum; quidquid ita fit, aut dicitur, communi officio[7] continetur. Ex quo intelligitur, quoniam se ipsos omnes natura diligunt[8], tam insipientem, quam sapientem, sumpturum, quæ secundum naturam sint, rejecturumque contraria. Ita est quoddam commune officium sapientis, et insipientis. Ex quo efficitur, versari in his[9], quæ media dicamus. Sed quum ab his omnia

5. *Facit recte factum.* Gœr. scrib. *fit recte f.* A nobis, inquit, impetrare non potuimus, ut apertum peccatum *facit*, texta amplius inquinare pateremur. Si enim compendium cogites, nihil facilius, quam hæc, *fet* et *fit*, commutari potuisse videbis. Tum demum *facit* recte stabit, si *illud ... additum* corrigetur: quod æque displicet, atque Davisii ratio, qui *facit* in *evadit* mutat.

6. *Quoniamque.* Ante hanc vocem punctum maximum ponit Gœr. pro colo, quod vituperat, conferens § 58. — *Quin in his, quæ media dicimus.* In quibusdam edd. *iis*, male. Tres nostri *his*: nec aliter edd. vett. pleræque; cf. § 53, « nihil in his (mediis) poni »; § 58, « est enim aliquid in his rebus (mediis) probabile ». G.

7. *Communi officio.* Prave nostri quoque omnes *omni*: sed facili et crebro errore. *Commune* autem ideo hoc officium dicitur, quod eo et sapiens, et non sapiens, tenetur. Off. I, 3, 4: « Hoc autem (medium off.) commune officium vocant ». G.

8. *Quoniam se ipsos omnes nat. diligunt.* Gœr. scribit: « qu. se ipsi omnes nat. diligant ». *Ipsi*, inquit, debemus Spirensi et Erl. vulgo *ipsos*, minus bene. — *Diligant* deinde ex nostris omnibus, quatuor Oxonn. Marso reliquisque vett. edd. pro vulgato *diligunt* dedimus. Notandum est enim, auctorem duplici ratione ad *quoniam* subjunctivum ponere, partim *ut* conjunctione, partim accus. c. inf. aut præcedente, aut sequente. Cf. N. D. III, 27, 69: « haud scio an melius fuerit, humano generi ... rationem ... quoniam pestifera sit multis, admodum paucis salutaris, non dari omnino ». Orat. I, 50, 217: « licet ista ratione dicamus, pila bene et duodecim scriptis ludere proprium esse juris civilis, quoniam utrumque eorum P. Mucius optime fecerit ». *Ut* vero præmissa, pro Mil. 30, 82, « ut, quoniam nostra futura esset gloria, periculum quoque et invidiam nostram putaremus », cll. Catil. III, 2, 4, et hoc nostro libro infra § 67. Aliter ad *quoniam* conjunctivum additum non meminimus; nisi forte in parenthesi, cf. Sext. 11, 26. G.

9. *Versari in his.* Ern. notat intelligendum esse *officium*. Recte: sic tamen, ut *id* omissum putetur, quod sæpissime solet. G.

proficiscantur officia[10], non sine causa dicitur, ad ea referri omnes nostras cogitationes; in his et excessum e vita, et in vita mansionem[11]. In quo enim plura sunt, quæ secundum naturam sunt, hujus officium est in vita manere; in quo autem[12] aut sunt plura contraria, aut fore videntur, hujus officium est, e vita excedere. E quo apparet[13], et sapientis esse aliquando officium[14], excedere e vita[15], quum beatus sit; et stulti manere in vita, quum sit miser.
61 Nam bonum illud[16], et malum, quod sæpe jam di-

10. *Sed quum ab his omnia proficiscantur officia.* Noli in hoc verborum positu dubitare : *ab his* vim sententiæ continet. Accipit quidem *omnia* quoque pondus, sed ex eo, quod subst. suo, interposito verbo, præcedit. G.

11. *In his et excessum e vita, et in vita mansionem.* Gœr. scrib. *in his esse et excess.* Ausi sumus, inquit, aliquid : nam *esse* cogitari hoc l. nullo modo potest, addidimus igitur, licet in nullo scripto legeretur. Produnt tamen quædam vestigia, locum non esse integrum. Gud. 1, pro *et*, *enim* refert. et Bas. *et ex excessu* ... *mansione* peccat. Librarii structuram hanc græcam, *in aliquo esse*, pro *aliquo contineri*, non capiebant; et compendium *ee*, quo *esse* scribitur, inprimis *e* sequente, facile hos ad errorem invitabat. Si pro *et*, *esse* scribendum duxeris, dicendi rationem auctoris neglexeris.

12. *Autem aut.* Ignorant Spir. et Erl. *autem.* E. et ξ. hæc sic, « in quo autem sunt multa contr. » cf. supra II, 34, 111. G.

13. *E quo apparet.* Gud. uterque et Ven. 1494, *ex quo ;* atque ita hac in forma Cicero fere ubique : eodemque vulgata pertinet, quo illud supra II, 6, 15, *E quo efficitur.* Adde item N. D. II, 46, 140, *E quibus intelligitur.* Hoc loco id modo addimus, observasse nos nobis videri, *e quo*, et *ex quo*, etc. apud Cic. sic differre, ut *e* cum vi dicatur : secus esse, si *ex* legatur. Unum locum e multis afferre liceat. Off. I, 16, 51, « e quibus ipsis cetera sic observentur ». Inde facile intelligi licet, cur tanto discrimine *e republica*, et *ex republica ; e natura*, et *ex natura*, et talia multa, dicantur. G.

14. *Et sapientis esse aliquando officium.* Bas. *officium* ignorat, Marsus transponit idem ante *sapientis :* unde haud parum probabile videtur, vocem hanc glossis annumerandam esse. G.

15. *Excedere e vita.* Spir. et Erl. *de vita ex.* Non male. Et mutant hæc scribæ ubique. In proximis *quum* bis *licet* valet. G.

16. *Nam bonum illud ... postea consequitur.* Horum sensus est : Tum intelligit, quid summum bonum sit, etc. quum prima naturæ, seu quæ sunt secundum naturam, rite æstimare didicerit. Vide supra 6, 20 seq. *Postea consequitur* idem valet, quod, *consequens est*. G.

ctum est, postea consequitur. Prima autem illa naturæ, sive secunda, sive contraria, sub judicium sapientis et delectum cadunt; estque illa subjecta quasi materia sapientiæ[17]. Itaque et manendi in vita et migrandi ratio, omnibus iis rebus, quas supra dixi, metienda. Nam neque iis, qui virtute retinentur[18] in vita; neque iis, qui sine virtute sunt, mors est[19] oppetenda. At sæpe[20] officium est sapientis, desciscere[21] a vita, quum sit beatissimus, si id opportune facere possit; quod est convenienter naturæ vivere. Sic enim censent, opportunitatis esse beate vivere[22]. Itaque a sa-

17. *S. q. materia sapientiæ.* Spir. et Erl. *materie.* Forte litera *e* elisa est, et *materies* scribendum. Certum est enim, latere adhuc in Ciceronis scriptis hanc terminationem, obliteratam a scribis multis locis. Ita nuper eam reduxit Martyni-Laguna Divv. III, ep. 6, « sed tamen probabilem materiem nacti sermonis ». Ita repones ex bonis a nobis collatis codd. Orat. II, 65, 265 : « Dixi enim dudum, materiem esse aliam joci, aliam severitatis », et pro Mil. 13, 35 : « segetem ac materiem gloriæ ». G.

18. *Qui virtute retinentur in vita.* In his hæret Nissen. quum ipse Cato paullo ante, officium aliquando sapientis esse, dixerit, excedere ex vita, quum beatus sit. Suadet igitur, « nam neque ii, qui virtutem tenent, retinentur in vita ». At, qui virtuti studet, non continuo sapiens est; et hic, si *officium* ipsi est, a vita desciscere, ipso virtutis jussu vitam relinquit. G. —Lamb. hic deesse verba aliquot arbitratus, sic locum interpolat : « Nam n. iis, q. v. fruuntur, manendum in v. »

19. *Mors est oppetenda.* Nostri omnes *mors est appetenda* : at sic ubique fere scribæ *oppetere* vexant. Mars. vulgatum firmat. G.

20. *At sæpe. At* Davis. ex Eliensi (nescio quo, quum binos haberet), restituit, nostris cum reliquis omnibus *ut* peccantibus. Ursinus ex suo *et* laudat : quod aliquo modo, post negationem, pro *sed* ferri possit. *At* contra longe melius est, et facillime in *ut* pravari potuit. G.

21. *Desciscere.* Librarii pro more suo offendunt « deficere, desistere, discedere » exhibentes : vulgatum firmant Spir. Erl. et Gud. 1, idque similiter ponitur, ut alias *a natura desciscere.* G. — *Desciscere a vita...quod est c. naturæ vivere.* Qui non discedit e vita, quum discedendum sapientia præcipit, non vivit convenienter naturæ : ergo qui tum discedit, quando debet, vivit convenienter naturæ. Non vivit quidem naturæ convenienter, postquam discessit e vita, sed sic vivit, quum discedendi consilium capit. Anonym. — Notandum est non immerito Catonem Uticensem a Cicerone induci talia loquentem, qui sententiam suam præclara morte tam egregie confirmaverit. Cf. Tusc. I, 30.

22. *Opportunitatis esse beate vivere.* Εὐκαιρίας εἶναι τὸ εὖ ζῆν, cf. supra 14, 45. Tenor vero loci totius hic est : « Tum esse sapientem beatis-

pientia præcipitur, se ipsam[23], si usus sit[24], sapiens ut relinquat. Quamobrem quum vitiorum ista vis non sit, ut causam afferant mortis voluntariæ: perspicuum est, etiam stultorum, qui iidem miseri sint, officium esse, manere in vita, si sint in majore parte earum rerum, quas secundum naturam esse dicimus. Et quoniam excedens e vita, et manens, æque miser est; nec diuturnitas magis ei[25] vitam fugiendam facit; non sine causa dicitur, iis, qui pluribus naturalibus[26] frui possint, esse in vita manendum.

62 XIX. Pertinere autem ad rem arbitrantur, intelligi, natura fieri[1], ut liberi a parentibus amentur: a quo

simum, si opportune a vita desciscere, i. e. si convenienter se naturæ gerere possit. Sic enim Stoicos statuere, beatam vitam ab opportunitate pendere ». Enucleatius hæc sic capies. Stoici (maxime Chrysippus), vitam in ἀδιαφόροις ponebant: esse eam inde in potestate sapientis. Liberum igitur huic, vel manere in vita, vel eam relinquere. Unam vero normam in eo hunc, ut in reliquis omnibus, sequi, τὸ τῇ φύσει ὁμολογουμένως ζῆν, quippe qua sit beatissimus. Id autem pendere ab εὐκαιρίᾳ. Jam sæpe accidere, ut opportune vitam relinquere possit. Sæpe igitur officium esse sapientis vitam relinquere. Cf. ad hæc Stob. Ecl. Eth. II, pag. 226, et Plut. Stoicc. Repugn. p. 1042, C. unde simul apparet, hæc proxime ad Chrysippi decreta esse referenda. Ceterum consulto Cicero hic rem uberius tractat, Catonem *Uticensem* loqui faciens. G.

23. *Se ipsam*. *Sapientiam* nempe. Est autem gravius dictum, quam verius: nam numquam tale quid sapientis præcipiet. Sed ita solent optimi cujusvis linguæ scriptores, quum rem augent. Inde non debebat Ern. *ipsum* suadere: nam sapiens potius ad se plene redit, corpore liberatus, quam ut ita se ipsum relinquat. G.

24. *Si usus sit.* Peccant scribæ fere *jusserit*, ut bini quoque nostri; Erl. *suis sit;* Gud. 1, *vixerit*. Sed vulgata verissima est. G.

25. *Nec diuturnitas magis ei*. Gœr. transp. *ei magis*. Sic, inquit, dedimus cum quatuor nostris: vulgo est, *magis ei*, quo positu vis perit, quæ in *magis* hæret. Ne vero *ei* plane ejiciendum putes, notandum est, constructionem præcedentium hanc esse: « excedens e vita æque miser est, et (ac) manens ».

26. *Naturalibus*, notat, ut sæpe, *quæ secundum naturam sunt*. G.

XIX. 1. *Nat. fieri, ut*, etc. Quod et convienter naturæ esse, ut obsisterent Epicuro, statuerunt Stoici. Negabat enim Epicurus illam naturalem φιλοστοργίαν ad hominem pertinere. Ideo, ne liberos alerent sapientes, jubebat. Noverat, ait Epictetus, fore ut, si semel liberi susciperentur, non in nostra esset potestate eos non amare, eos non tueri, eos non educare, etc. Morelius.

initio profectam communem humani generis societatem persequimur[2]. Quod primum intelligi[3] debet, figura, membrisque corporum; quæ ipsa declarant procreandi a natura habitam esse rationem. Neque vero hæc inter se congruere possent[4], ut natura et procreari vellet, et diligi procreatos non curaret. Atque etiam in bestiis vis naturæ inspici[5] potest: quarum in fœtu et in educatione laborem quum cernimus, naturæ ipsius vocem videmur audire. Quare ut perspicuum est, natura nos a dolore abhorrere; sic apparet, a natura ipsa[6], ut eos, quos genuerimus,
amemus, impelli. Ex hoc nascitur, ut etiam[7] com- 63
munis hominum inter homines naturalis[8] sit commendatio, ut oporteat hominem ab homine ob id ipsum,

2. *A quo initio profectam ... persequimur*. I. e. « Docemus ab hoc initio ... profectam esse ». Inde nihil suadet Ern. *profecti* commendans : nec opus est ex Eliens. 2, cum Davis. *persequuntur* corrigere ; vide nos supra 5, 18, *putamus ... arbitrantur*. Adde § 54, *censent ... anteponamus*. Sententia etiam communis est, non propria Stoicorum, de quibus Cato fere tertia persona loquitur. G.

3. *Quod primum intelligi debet*. Sc. naturam voluisse liberos a parentibus diligi; nam quæ corpora fecit apta ad generationem, voluit procreari : et quæ voluit procreari, non fieri potest, ut non voluerit procreatos diligi.

4. *Possent*. Consentiunt scripti nostri omnes in *possent*. Nec aliter cum tribus Oxonn. Davisius. Olim *possint* vulgatum est. G.

5. *Inspici potest*. Gœr. scrib. *perspici*. Ita, inquit, præbent præter Eliens. 2, Spir. et Erl. item Crat. in marg. vulgatumque *inspici* recte damnant Davis. et Brem. : neque ferri id ullo modo potest. E. ξ. et Bas. *respici*. Dedimus, quod optimi codd. præbent : sed fatemur nos suspicari, Cic. *conspici* scripsisse; cujus præpositio, ex compendio scripta, persæpe turbas excitavit.

6. *A natura ipsa ... impelli*. Mars. Ven. 1494, Crat. aliæ vv. edd. *impelli* post *ipsa* collocant; probato sane positu, cui tamen nullus codicum nostrorum favet. Tertium comparationis, quod in hac consecutione omissum est, facile hoc se præbet, « quum eorum causa dolores laboresque suscipiamus ». G.

7. *Ex hoc nascitur, ut etiam*. Gœr. transp. *etiam, ut*. Secuti sumus, inquit, Spirens. et Erlang. Vulgo *ut etiam* editur. Turbant enim plerumque scribæ, si *etiam* in enuntiati clausula ponitur. *Etiam* vero ad *nascitur* pertinere, vel ex eo probabile est, quod præcesserat, « quare ut perspicuum est ... sic apparet ».

8. *Communis ... naturalis ... com-*

quod homo sit, non alienum videri. Ut enim in membris alia sunt tamquam sibi nata, ut oculi, ut aures; aliqua[9] etiam ceterorum membrorum usum adjuvant, ut crura, ut manus: sic immanes quædam bestiæ sibi solum natæ sunt; at illa, quæ in concha patula pinna dicitur[10]; isque, qui enat e concha, qui, quod eam custodiat[11], pinnoteres vocatur, in eamque quum se recipit[12], includitur, ut videatur monuisse,

mendatio. Est « ratio, quæ omnibus natura commendatur ». G.

9. *Alia ... aliqua*. Cf. Acadd. II, 10, 30. Etiam sic vice versa Cic. Tusc. IV, 28, 60: « Putat aliquis esse voluptatem bonum, alius autem pecuniam, etc. » Forte scrib. inde Off. I, 31, 6, « ut nonnumquam mortem sibi ipse consciscere aliquis debeat, alius ... non debeat: » ita enim cum edd. vv. scripti duo nostri quoque. G.

10. *Quæ in concha patula pinna dicitur*. Lamb. *in conchis patula*, Davis. *cum concha p*. Brem. *conchis p*. suadent. N. D. II, 48, 123, quidem « pinna ... duabus grandibus patula conchis », dicitur. Sed nos vulgatam tuemur, quum primo plurium numero non opus esset: nam sequitur statim *enat e concha*; et æque Plut. de solert. animall. p. 980, C. τὴν κόγχην vocat. *In concha patula* autem sic recte accipietur, ut *habitans* cogitetur. Ceterum exhibent nostri omnes *pina*, et *pinotheres*, ut N. D. II, 48, legitur. Neque cum Davis. pro certo statuerimus, duplicata consona scribi debere: nam in his indubitata norma nulla est. Scribit etiam repetite Plut. l. l. simplici; qui idem multum atramenti Chrysippum de *pinnothere* absumpsisse testatur. G.—Plin. H. N. IX, 45: « Concharum generis et pinna est. Nascitur in limosis subrecta semper, nec umquam sine comite, quem pinnoterem vocant, alii pinnophylacem: is est squilla parva, alibi cancer dapis assectator. Pandit se pinna, luminibus orbum corpus intus minutis piscibus præbens. Assultant illi protinus, et ubi licentia ac audacia crevit, implent eam. Hoc tempus speculatus index, morsu levi significat. Illa ore compresso, quidquid inclusit exanimat, partemque socio tribuit ». — Eadem fere occurrunt apud Aristotel. Hist. Animal. lib. V, cap. 15; Plutarch. de solert. anim. pag. 980; Apostolium, Centur. XI, Prov. 11. Ceterum hæc ipsa in fabulis numeranda esse, clare docent nostri naturalis historiæ scriptores; cf. Leskii *Natur-und Thiergesch*. p. 900.

11. *Quod eam custodiat*. Gœrenz scribit: *custodit*. Ita, inquit, nostri omnes, nec aliter Davis. tacite. Vulgata cum editis vett. pluribus *custodiat*. Receptum utique melius est: nam subjunctivus modus dubitationem aliquam admitteret, ad loci asseverationem parum aptam. G.

12. *In eamque quum se recipit*. Spir. et Erl. *eamdemque*; solita scribarum permutatione. *Recipit* deinde nostrorum omnium est et edd. vett. plerorumque, receptum a Grutero ex Palatt. pro olim vulgato *recepit*. Sed nos quidem non videmus, quo jure ille præsens melius judicet: quod si verum est, *quum* pro *quotiescumque*

ut caveret; itemque [13] formicæ, apes, ciconiæ, aliorum etiam causa quædam faciunt. Multo magis hæc conjunctio est hominis. Itaque natura sumus apti ad cœtus, concilia, civitates. Mundum autem censent 64
regi numine deorum, eumque esse quasi communem urbem, et civitatem hominum, et deorum; et unumquemque nostrum ejus mundi esse partem. Ex quo illud natura consequi [14], ut communem utilitatem nostræ anteponamus. Ut enim leges omnium salutem singulorum saluti anteponunt; sic vir bonus, et sapiens, et legibus parens, et civilis officii non ignarus, utilitati omnium plus, quam unius alicujus [15], aut suæ consulit. Nec magis vituperandus est [16] proditor patriæ, quam communis utilitatis, aut salutis desertor, propter suam utilitatem, aut salutem. Ex quo fit, ut laudandus sit is, qui mortem oppetat pro republica, quod deceat [17], cariorem esse patriam nobis, quam nosmet ipsos: quoniamque [18] illa vox inhumana et

positum putari debet, cujus exemplum ignoramus. Cum præterito, *quum* notabit *simul atque*, et prorsus ex ordine ponetur. G.

13. *Itemque*. Omittunt in *itemque* edd. vett. omnes, quas vidimus, *que*; sed vide supra quæ notavimus ad II, 4, 14. G.

14. *Ex quo illud natura consequi*. Ita nostri, præter God. 2, omnes: item Mars. Ven. 1494, aliæ. Ante Grut. *consequitur*, quod Vien. et Oxonienses, Crat. cum paucis tuentur. Affectati nempe scribæ anot consuetios, hærentes insuper in structura. Sed *consequi* est *consectarium esse*, et *anteponamus*, *anteponendum judicemus*: structura autem eadem, quæ modo adfuit § 62, « arbitrantur ... persequimur ». — Ceterum ante *ex quo*, pro virgula puncto distinguendum fuit. G. — De re ipsa accurate auctor disputat Legg. II, 7, 22, 23.

15. *Utilitati omnium plus, quam unius alicujus*. Bas. et Gud. 1, Oxon. E. ξ. χ. cum Mars. Ven. 1494, et pluribus *hominum*. Sed ut hæc ubique confunduntur, ita vulgatum ex oppositione certissimum est. G.

16. *Vituperandus est*. Spir. et Erl. *est vituperandus*; quod nescio an non melius sit, quum locus asseverationem contineat. G.

17. *Quod deceat*. Ita recte Ern. ex edd. prr. firmant idem Gud. 2 et Bas. Alii minus bene *doceat*. *Decere* autem pro *debere* dici, dudum vidit Wopk. Lectt. Tull. p. 31. — Continuo post Crat. male cum edd. quibusdam transponit, « cariorem nobis esse patriam ». G.

18. *Quoniamque*. Bas. et Oxon. χ.

scelerata ducitur, eorum, qui negant se recusare, quo minus, ipsis mortuis, terrarum omnium[19] deflagratio consequatur; quod vulgari quodam versu[20] græco pronuntiari solet : certe verum est, etiam iis, qui aliquando futuri sint, esse propter ipsos consulendum.

65 XX. Ex hac animorum affectione[1] testamenta, commendationesque morientium natæ sunt. Quodque nemo in solitudine[2] vitam agere velit, ne cum infinita quidem[3] voluptatum abundantia; facile intelli-

quamquam. Sed peccare scribæ facile potuerunt, quum ex vulgata interpunctione nesciaa, quid loco sit facieodom : neglecta enim in proximia parenthesi, quæ vv. *quod* ... *solet* includere debet, et ante *certe* puneto posito, locus apodosi carere putandus esset. G.

19. *Terrarum omnium deflagratio. Omnium* abjiciunt Bas. God. 1, Mars. Non male : respicitur euim ad græcoio versum, qui iu proximis indigetatur, Ἐμοῦ θανόντος, γαῖα μιχθήτω πυρί : quem plores Veterum laudant, (v. c. Sueton. Ner. cap. 38; Dio, lib. LVIII, p. 634; Xiphil. Epit. p. 128; Senec. Clement. II, 2). Atque si vel illam Stoicorum ἐκπύρωσιν alludi credideris (quod facile concesserimos), tamen de hac ipsa Cic. simpliciter *exustio terrarum*, cf. Somn. Scip. 7, 16; Diviu. I, 49, 111. G.

20. *Versu græco.* Versos ille græcus (quem lege nota super.) Caligulæ semper in ore erat. Sed Neronis longius grassata est nequitia, qui (Sueton. in Ner. cap. 38) dixit, versu paullum mutato, ἐμοῦ δὲ ζῶντος, κ. τ. λ. et Romam revera incendit. J. V. L.

XX. 1. *Animorum affectione.* Expressum puta Stoicorum διάθεσις, h. e. « cogitandi et sentiendi ratio, quæ in mores consnetudinemque abiit ». Iude « virtus, affectio animi constans » vocatur Tusc. IV, 15, 34, i. e. διάθεσις ψυχῆς σύμφωνος αὑτῇ, ut apud Stob. est Ecl. Eth. II, pag. 104. G.

2. *Quodque nemo in solitudine.* Gœr. addit *summa* ante *solit.* Hoc, inquit, receperat Davis. ex suis sex, quod item nostri quinque, atque edd. vett. pleræque urgent. Et facile sane ante *so* excidere *sā* potuit. At rejecit idem Ern. et Bremio additum plane friget. Nos quidem tot scriptis firmatum ideo retinemus, quod alias *solitudo* etiam de admodum paucis, qui cum aliquo sunt, ponitur, Corn. Nep. Thrasyb. 2, 2. Possis auctoris mentem explicare ex Off. I, 43, 5, « si solitudo tanta sit, ut hominem videre non possit ». In *quod* autem Brem. hærere non debebat, ob conjunctivum adjectum *quum* suadens : est enim eadem constructio, qua supra § 59, ad *quoniam* eumdem modum addi vidimus. Cf. § 58 : « quod autem ratione actum sit, id officium appellamus »; § 64, *quod deceat :* atque ita sæpissime. Quo conjunctivo fere aliorum sententia indicatur, quam nostram fecimus. G.

3. *Ne cum infinita quidem.* Gud.

gitur, nos ad conjunctionem congregationemque hominum, et ad naturalem communitatem esse[4] natos. Impellimur autem natura, ut prodesse velimus quam plurimis, in primisque docendo, rationibusque pru-
dentiæ tradendis. Itaque non facile est invenire, qui, 66
quod sciat ipse[5], non tradat alteri: ita non[6] solum ad discendum propensi sumus, verum etiam ad docendum. Atque ut tauris natura datum est, ut pro vitulis contra leones summa vi impetuque contendant: sic ii[7], qui valent opibus, atque id facere possunt, ut de Hercule et de Libero[8] accepimus, ad ser-

uterque *quidem* ignorat, Spir. et Erl. *nec ... quidem*. *Nec* h. l. minus quadrat: et *quidem* aurium causa abjectam nolim; gravius etiam adjectivum cadit, hac particula interposita. G.

4. *Et ad naturalem communitatem esse natos*. Davis. *naturalem* deleri cupit, quum auctor dicere vix potuerit, « ad naturalem ... natos ». Brem. locum ex negligentia auctoris tuetur. Nollem talia urgeri, qualia, si apud Platonem attenderis (ut alios taceam), multa deprehendes. Simili ratione § 68, » consentaneum est huic naturæ, ut sapiens ... e natura vivat ». Nec recte *naturalis* delebitur, nisi ejus loco aliud quid posueris; quoniam tum paris membra peribunt: etsi quidem ista vulgo in paribus membris non numerantur. Et tamen aliis de causis vocem ipsam improbamus. Non enim de *naturali* agitur, sed de *civili communitate*, cui in præcedentibus satis præparatum erat, et ad quam in sequentibus auctor alia atque alia via redit. Nihil igitur dubitamus, pro *naturalem* cum Davis. *civilem* legendum esse. Accedit, quod haud meminimus usquam *naturalem communitatem* a Cicerone scribi; *civilis comm.* locis plane multis legitur. Sic v. c. paullo post § 66: « natura ad civilem communitatem conjuncti et consociati sumus ». Scribæ ex proximis, « Impellimur autem natura », commoti esse videntur, ut sua sponte sic corrigerent. — Ceterum *et* esse *et ita*, bene tenendum: alias enim *ad* repetita abjicienda foret. G.

5. *Quod sciat ipse, non tradat alteri*. Transponunt Sp. et Erl. « quod sciat, non tradat ipse alteri, qui positus, ex pronominum junctura, suam quamdam commendationem habet. G.

6. *Ita non solum*. Prave hæc vulgo interpunctione maxima a præcedd. distinguuntur, quum *ita*, *tantopere sane* valeat, et proprie tum apodosin ingrediatur. Dejot. 7, 21: « Dii te perduint, fugitive: ita non modo nequam, etc. » cll. Orat. II, 14, 61. G.

7. *Sic ii*. Gœr. scrib. *hi*. Sic, inquit, nostri omnes cum edd. vett. plerisque exhibent: atque ita propeie Cicero in apodoseos consecutione, et *sic* præmissa, solet. Pronomen *is* tum fere ad *sic* adjungitur, quum præcedens *ut*, *hic* additum habet; cf. § 32 et 54.

8. *Ut de Hercule et de Libero ac-*

vandum genus hominum natura incitantur. Atque etiam, Jovem quum Optimum et Maximum dicimus, quumque eumdem Salutarem [9], Hospitalem, Statorem; hoc intelligi volumus, salutem hominum in ejus esse tutela. Minime autem convenit, quum ipsi inter nos abjecti neglectique simus [10], postulare, ut diis immortalibus cari simus, et ab his diligamur. Quemadmodum igitur membris utimur prius, quam didicimus, cujus ea utilitatis causa habeamus [11]: sic inter nos [12] natura ad civilem communitatem conjuncti et consociati sumus. Quod ni ita se haberet, nec justitiæ
67 ullus esset, nec bonitati [13] locus. Et quo modo hominum inter homines juris esse vincula putant, sic

cepimus. Gud. uterque pro *et de*, *atque* referunt: Bas. E. et ξ. Ven. 1494, *de* simpliciter omittunt. Ne alterutrum probes, notandum est, diversimodorum deorum mentionem injici: tum auctor repetita præpositione utitur. G.

9. *Salutarem*. Ne *Jovem Salutarem* inter Romanos deos referas, Ζεὺς Σωτὴρ expressus est. G.

10. *Quum ipsi inter nos abjecti neglectique simus*. Pal. 1, pro *abjecti*, *viles* refert; unde Grut. *viles neglectique* scribi jubet, quum Pal. 3, *viles* ante *abjecti* addat. Idem fecit Marsus. Sp. et Erl. *civiles neglectique*, et Erl. etiam *que* nescit. Sed nihil ex his extricandum: *viles* glossa est. *Civiles* autem, cujus comp. Pal. 1 exhibet, videtur ad *nos* applicatum esse, atque inde in Erl. *que* omissum. Glossæ intrusæ autem sæpe abjiciendarum vocum occasionem dederunt. G. — Vertit intp. gallicus: « mais si nous-mêmes nous nous abandonnons lâchement », quæ versio ambigua est, quum non satis intelligatur an de homine solo, an de cunctis hominibus inter se conjunctis agatur; magis perspicuum fuisset: « si nous nous abandonnons les uns les autres ». Namque patet hic agi de officiis hominum erga ceteros homines, non erga se ipsos; hoc sensu, ut Deos imitari debeamus, qui salutem hominum curant, si diis ipsi cari esse velimus.

11. *Cujus ea utilitatis causa habeamus*. Spir. et Erl. *ea causa utilitatis*, Gud. 2, *cujus causa ea ut*. Non concoxerunt scribæ *ea* interpositum, quod sola aurium causa factum est. G.

12. *Inter nos*. Ignorant Bas. et Gud. 1 *inter*. Quod ne verum putes, tenendum est, *inter nos*, pro *nos inter nos*, positum esse: sic enim Cic. ex regula, nisi alterum pronomen sententiæ vis requirit. Ad Divv. IV, ep. 22; Orat. I, 8, 32, etc. Idem valet in *inter se*, cf. Schelleri Obss. p. 247; cf. de Nat. Deor. II, 31. G.

13. *Bonitati*. Gud. 1 et Bas. cum aliis quibusdam, *bonitatis* præbent: quod ex locis aliquot defendi liceat. Sed sæpe sic peccare scribas vidimus. G.

homini nihil juris esse cum bestiis[14]. Præclare enim Chrysippus, cetera nata esse hominum causa[15] [et deorum]; eos autem, communitatis et societatis suæ; ut bestiis homines uti ad utilitatem suam possint sine injuria: quoniamque ea natura esset hominis, ut ei cum genere humano quasi civile jus intercederet[16]: qui id conservaret, eum justum; qui migraret, injustum fore. Sed, quemadmodum, theatrum quum commune sit[17], recte tamen dici potest, ejus esse eum locum, quem quisque occuparit: sic in urbe mundove communi non adversatur jus, quo minus

14. *Sic homini nihil juris esse cum bestiis.* Laert. VII, 129: Ἀρέσκει αὐτοῖς μηδὲν εἶναι ἡμῖν δίκαιον πρὸς τὰ ἄλλα ζῶα διὰ τὴν ἀνομοιότητα. Sensus est igitur: « bestiis in nos juris nihil esse ». Vide Porphyr. Abstin. I, 4.

15. *Cetera nata esse hominum causa [et deorum].* In uno Paris. verba *et deorum* absunt, eaque ut spuria cancellis cohibuit Davis. probante id Brem. Nostri in vulgata perstant; quam nos quidem, tanta auctoritate munitam, veram judicamus. Sic enim totum locum capimus. A summo deo creata esse omnia, deos, homines, cetera. Ut autem cetera nata sint in hominum usus; itemque in usus deorum (ita stellæ, quæ Stoicis dii sunt, terræ vaporibus aluntur, etc.): sic homines et deos sibi invicem communi societatis vinculo contineri. Inde sequi, ut homines jure bestias ad suos usus conferre possint. Itaque vv. *et deorum* addita putabis, ne cetera unice hominum causa creata videantur: *et* igitur *et insuper*, ut sæpe, valebit. Deos autem reliquos, i. e. stellas, terram, mare, Stoici a summo deo creatos, interiturosque statuebant. Adde, si auctor vv. *et deorum* non ipse addidisset, idem etiam in proximis *homines* omisisset: ut enim substt. sæpe repetat; aliter tamen, quam h. l. solet. Jam verborum istorum positum aptissimum judicabis. G. — Hac de re præclare Noster, Nat. Deor. II, 62 seqq. Legg. I, 8.

16. *Ut ei ... intercederet.* Gud. 2, quatuorque Oxonn. ignorant *ei* cum edd. vett. omnibus. Pal. 1, Spir. Erl. Gud. 1, Bas. *et* ejus loco exhibent. Inde scilicet turba: quum enim scribæ *ei* in *et* pravatum contextis aptare non possent, omiserunt. Quamquam enim alias pronomen hoc omitti solet: tamen eodem hoc loco nullo jure carebis. Recte igitur a Lambino additum est. G.

17. *Theatrum quum commune sit.* Gœr. dat *ut* pro *quum* ex Spir. Erl. *Quum*, inquit, in nullum nostrum legitur, sed ejus loco tres reliqui *quod* præbent. Veram vocem revocasse nobis videmur, etsi *quum* pro *licet* bene se habet; nam *ut* si *licet* valet, tamen peculiari ratione ponitur, quum *si vel maxime* æquet, quod egregie huc quadrat. Neque sane probabile est, *ut* magis, quam *quum*, scribis esse adscribendum. Cf. de Fato, 20, 48, « nam ut essent atomi ... tamen, etc. » G.

68 suum quidque[18] cujusque sit. Quum autem ad tuendos, conservandosque homines hominem natum esse videamus, consentaneum est huic naturæ[19], ut sapiens velit gerere et administrare rempublicam; atque, ut e natura vivat, uxorem adjungere, et velle ex ea liberos procreare[20]. Ne amores quidem sanctos[21] a sa-

18. *Suum quidque.* Gœr. scrib. *quodque.* Hoc, inquit, item binis illis nostris debemus: idque multo rectius est, pro *quodcumque* positum.

19. *Consentaneum est huic naturæ. Huic* nempe *hominis.* Consulto autem sic scripsit auctor, *sapientem* statim positurus: alias *hujus* dixisset. G.

20. *Ut sapiens velit ... uxorem adjungere, et velle ex ea liberos procreare.* Gœr. delet *procreare.* Hæc, inquit, corrupta sunt, neque Ciceroni imputanda. Primum enim *velit* ... *velle*, ut etiam Brem. suspicatur, putidum est, idque duplici de causa. Neque enim ullo exemplo talia repetiti verbi constructio probabitur: nec, si *procreare* verum est, otiosius quidquam, quam hoc *velle* additum. Repetit quidem auctor verba, sed græca structura, v. c. « definiunt ... ut definiant; deliberantium genus ... qui deliberant, etc. » Cf. Heus. ad Off. I, 21, 3, sed hæc structura huc nihil pertinet. Neque locus, quo Brem. nititur, Platonis ex Critone, c. 5, μὴ δόξῃ... δοκεῖν, in tam longis ibi contextis, recte hic valebit. Plane vero otiose *velle* ad *procreare* sic addi, per se ipsum loquitur. Scripsisset etiam Cic. ordine mutato *procreare liberos*, quum non in *procreare*, sed in *liberos*, vis sententiæ cernatur. At *procreare* additum scripti optimi quique non agnoscunt, ignorant idem nostri omnes, præter Gud. 2, qui « velleque ea lib. procreare » refert. Et tum verba, « velle ex ea liberos », per se recte ferri poterunt, quum ipsa liberorum procreandorum potestas a sapiente non pendeat: atque *procreare* facile subaudiatur. Sed nos cum Davisio in *velle* aliud verbum latere suspicamur; modo ne *quærere* probes, quod ille ejus loco suadet. Immo potius *tollere* obliteratum videtur, scribis hac vi parum auditum, et eo facilius corruptioni obnoxium, *t* præcedente, et syllaba *re* ex compendii linea toties obliterata. Quod si probaris, in verbis, « et tollere ex ea liberos », nihil facile desiderabis. Philipp. XIII, 10, 23, « Is autem humilitatem despicere audet cujusquam, qui ex Fadia sustulerit liberos! » *Procreare* jure pleno abjecimus.—Ceterum ad hæc conferendus est Laert. VII, 121: Πολιτεύεσθαι φασὶ τὸν σοφὸν, ἂν μή τι κωλύῃ ... καὶ γαμήσειν ... ἐν τῇ πολιτείᾳ, καὶ παιδοποιήσεσθαι.

21. *Ne amores quidem sanctos ... arbitrantur.* Ignorat Gud. 2, *quidem*, ejusque loco Spir. *quo*, Erl. *qua* præbent: sed nescio quo ex compendio scribæ sæpe hac in part. peccant. — Deinde iidem bini nostri cum Gud. 1, *arbitramur*, Gud. 2, *arbitrarentur.*—De illo puerorum casto amore sermo est, qui magis ad morem Græcorum, quam Romanorum, pertinet. Cf. Tusc. IV, 34, 72: « Stoici vero et sapientem amaturum (pueros) esse dicunt; et amorem ipsum conatum amicitiæ faciendæ ex pulchritudinis specie de-

piente alienos esse arbitrantur. Cynicorum[22] autem rationem atque vitam alii cadere in sapientem dicunt, si quis ejusmodi forte casus inciderit, ut id faciendum sit; alii nullo modo.

XXI. Ut vero conservetur omnis homini erga homi- 69
nem societas, conjunctio, caritas : et emolumenta et detrimenta, quæ ὠφελήματα et βλάμματα appellant[1], communia esse voluerunt; quorum altera prosunt, nocent altera. Nec solum[2] ea communia, verum etiam paria esse dixerunt. Incommoda autem et commoda[3] (ita εὐχρηστήματα[4] et δυσχρηστήματα appello) communia esse voluerunt, paria noluerunt. Illa enim, quæ prosunt, aut quæ nocent, aut bona sunt, aut mala : quæ sint

finiunt ». Pari modo inferius, § 72, peccatur. G. — Non eodem modo interpretatur vv. *amores sanctos* Olivetus, qui laudat hunc Senecæ locum, ep. CXVI: « Eleganter mihi videtur Panætius respondisse adolescentulo cuidam quærenti, an sapiens amaturus esset. « De sapiente, inquit, videbimus: mihi et tibi, qui adhuc a sapiente tam longe absumus, non est committendum, ut incidamus in rem commotam, impotentem, alteri emancipatam, vilem sibi ».

22. *Cynicorum.* Κυνιεῖν σοφὸν, pro Stoicorum sententia, testantur Diogenes Laertius, VII, 121, et Stobæus Eclog. Ethic. p. 184. Et sane, præter *Arrianum*, Cynicam vitam summopere laudat Maximus Tyrius Dissert. XX. A Stoicis nulla fere re differebant, nisi quod sordibus et impudentia gauderent, in propatulo res Veneris exercerent, in sermone decori rationem non haberent, et dialecticam, physicam, disciplinasque liberales spernerent. Vide Laertium, VI, 103, 104; Lactantium, Div. Inst. III, 15, ac Epitomes cap. 39, denique Ciceronem Offic. I, 35, 41. In vestitu quoque nonnulla fuit discrepantia, de qua consule Juvenalem, XIII, 121. Davisius. — Sed qui Cynicorum rationem improbabant, quos noster designat verbis sqq. *alii nullo modo*, hi sunt maxime a Panætio inde Stoici recentiores : superiores enim omnes hac in re rigorosius judicabant. G.

XXI. 1. *Quæ ... appellant.* Hæc Gœr. parenthesi includit.

2. *Nec solum.* Gœr. scrib. *neque.* Scripturam, inquit, nostrorum omnium, editorumque vett. plerorumque reposuimus.

3. *Incommoda autem, et commoda.* De horum transpositione, licet sic etiam Bas. jubeat, nihil cogitandum est. Sæpe sic auctor ad locorum μονοειδίαν vitandam. G.

4. *Ita* εὐχ. Gœr. scrib. *ita enim* εὐχ. Hanc, inquit, part. toties parenthesi inservientem, et per syll. εὐ extritam, ex Erl. Spir. Bas. veteribusque edd. quas vidimus, omnibus addidimus.

paria necesse est. Commoda autem, aut[5] incommoda in eo genere sunt, quæ præposita, et rejecta dicimus. Ea possunt paria non esse. Sed emolumenta communia esse dicuntur[6]; recte autem facta, et peccata, non habentur communia. Amicitiam autem adhibendam esse censent, quia sit ex eo genere, quæ prosunt[7]. Quamquam autem in amicitia alii dicant, æque caram esse sapienti rationem amici, ac suam; alii autem sibi cuique cariorem suam: tamen hi quoque posteriores[8] fatentur, alienum esse a justitia[9], ad

5. *Aut incommoda.* Cum tribus Davisii, totidem Oxon. Gud. uterque Bas. Mars. Crat. aliæ *et* exhibent. Quod cum Bremio sequeremur, nisi bini illi nostri ab utravis part. abstinerent: inde enim vulgata probatur, quum nihil sæpius in scriptis, quam *aut*, post *autem*, neglecta deprehendatur. *Aut* vero elapsa, scribæ sua sponte *et* dederunt. G.

6. *Sed emolumenta ... dicuntur.* Davis. hæc, ut plane superflua, cancellis circumscripsit. Sed tum etiam, quæ sequuntur, ad *communia* usque, glossemate simul comprehendenda erant. Ab emolumentorum enim, ut communium, repetita mentione aditus paratur ad recte facta, non communia; ut recte Brem. vidit. Facile quidem toto isto loco carueris: sed ex auctoria usu est, ut transiturus ad alia, unum alterumque veluti corollarii loco addat, atque tum cito et quasi ex abrupto ad alia pergat. — Quod autem Lamb. atque Davis. *et detrimenta* addi jubent, id necessarium non est, quum ex antecedd. per se intelligatur. G.

7. *Quia sit ex eo genere, quæ prosunt.* Ern. dedit *prosint*, sua solius auctoritate, Bremiumque, nihil fraudis suspicantem, in rem suam traxit. Scripti editique pariter, ut reduximus. Indicativus autem vel ideo probandus est, quod auctor circumlocutione utitur; cf. supra II, 5, 15; III, 12, 41. *Quia* cum subjunct. vide I, 10, 32. Legit Lamb. *ex eorum genere*, quod nemini non sponte sua offertur. Ern. bene comparat 17, 58, ubi *eorum* ad *ejus generis* referendum est. G.

8. *Posteriores.* Offendor, quotiescumque ad h. l. redeo, voce *posteriores*, eamque deberi interpreti cuidam, glossas ad oram exempli sui adlinenti, persuadeor. Quum enim exposuerit Noster duorum hominum generum sententiam, quæ verbis *alii ... alii* distinxit, posterioris generis homines, quamvis minus generosos prioribus, nequaquam tamen injustos esse contendit, idque enumerationi suæ addere vult. Satis vero erat scribere: « tamen hi quoque fatentur ». Interpres autem, metuens scilicet, ne quod additur, de utroque hominum genere dictum videatur, adscripsit Ciceronis verbis suam explicationem *posteriores*, veram quidem illam, neque vero Ciceroni obtrudendam, qui an umquam *hic posterior* junctim pro alterutro vocabulo, quod sufficiebat, posuerit, valde dubito. Moser.

9. *A justitia.* Gœr. *ab just. Ab*,

quam nati esse videamur, detrahere quid[10] de aliquo, quod sibi assumat. Minime vero probatur huic disciplinæ, de qua loquor, aut amicitiam, aut justitiam propter utilitates adscisci, aut probari[11]. Eædem enim utilitates[12] poterunt eas labefactare atque pervertere. Etenim nec justitia, nec amicitia[13] esse omnino po-

inquit, quam præbet Spir. pro *a* scripsimus. Peccant enim Bas. et Gud. 1, *ad justitiam*, quod ex confusa *ab* cum *ad* repetimus : et *ab* ante *j* auctori ponere frequens est. Ita recte nuper Gernhard, Off. I, 19, 62, « remota ab justitia » edidit.

10. *Detrahere quid de aliquo.* Davis. a binis Pariss. *quid* deleri jubet. Per se non male : sed sæpius *quid* tentari vidimus, si extra illam communem regulam pro *aliquid* positum reperitur. Nostri idem constanter retinent. G.

11. *Aut amicitiam, aut justitiam ... adscisci, aut probari.* Primo transponit Erl. *justitiam ... amicitiam :* ob eumdem in proximis positum puta. Hoc loco aptius est, ut id, de quo proprie sermo est, præmittatur. Deinde hæc Bas. sic mutat, « ut amicitia, aut justitia. . .adsciscatur : » sed *probari* tractum ad seqq. in quibus *enim* omittit, relinquit. At via corruptionis ex Gud. 1, ubi modo *ut* cum nominandi casibus reperitur, et ex Gud. 2, patet, in quo sola *ut* ex vitio est. G.

12. *Eædem enim utilitates.* Editi vett. habent *voluptates*. Sed *utilitates* in Pall. tribus, Paris. pr. tert. et Med. nec aliter Lambinus edidit. Nam nihil agit Gruterus, qui vocem eam veluti supervacuam jugulat. Eadem opera multas Cæsaris optimorumque scriptorum jugularet elegantias. Dav.

13. *Nec justitia, nec amicitia.* Gœr. scrib. *nec justitiæ, nec amicitiæ*. Sic, inquit, pierique omnes codd. nisi quod unus et alter alterutrum subst. singulari numero effert, ut Gud. 2, *justitia*, quod Davis. quum unus ex suis sic præberet, sequutus est. Ex quatuor quidem Oxonn. unus modo cum utroque multitudinis numero notatur : sed his, ob parum accuratam collationem, incerta fides est. Editi contra vett. communi consensu vulgatam, « nec justitia, neo amicitia », sequuntur. Ern. *justitiæ* plurium numerum respuit : sed Brem. exempla laudans, quæ supra ad I, 8, p. 45, collegit, minus bis offenditur. Auctor quidem ad illa fere omnia, quæ ad animi corporisque affectiones referuntur, Græcorum ad normam, infinitis locis hoc numero utitur. Possis quidem *potentias* pro Cœl. 9, 21, *benignitates*, et alis id genus afferre, tamen jure dubitabis *justitias* admittere. Plurium enim in istis numerus ejusdem rei varietates aut genera indicat, quod in *justitiam*, quæ ita re una est, ut, nisi cum ea æquitatem confuderis, ipsam vix cogitatione in partes dissolvere possis, in primis in Stoici hominis ore parum recte cadit. Ac ne opus quidem est, ut hæc plurium numero posita statuas : probus enim sensus oritur, si eadem dandi casu acceperis, hac loci vi, « utilitates nec in justitia, nec in amicitia ullæ esse possunt, nisi utraque per se expetitur ». Nihil igitur a codd. potiorum lectione omnium discedendum putavimus.

71 terunt, nisi ipsæ per se expetantur. Jus autem, quod ita dici appellarique possit, id esse natura [14]; alienumque esse a sapiente non modo injuriam cui facere, verum etiam nocere. Nec vero rectum est cum amicis, aut bene meritis consociare, aut conjungere injuriam [15]: gravissimeque [16] et verissime defenditur, numquam æquitatem ab utilitate posse sejungi: et, quidquid æquum justumque esset [17], id etiam honestum; vicissimque, quidquid esset honestum, id justum etiam atque æquum fore [18].

72 Ad easque [19] virtutes, de quibus disputatum est, dia-

14. *Jus autem, quod ita dici appellarique possit, id esse natura.* Gœr. scrib. *naturam*. Constrnas, inquit, « jus id, quod (recte) ita dici app. possit, esse (nihil nisi ipsam) naturam ». *Quod* autem *quoad* valet, ut sæpe; atque tum frequenter subjunctivum additum habet. Vulgatur ex Tertii libro *natura*, laudantque illud Laert. VII, 128: φύσει τὸ δίκαιον εἶναι, καὶ μὴ θέσει. At hæc distinctionis causa dicuntur. Vide libb. de Legg. I, 12, 33, « jus quod dicam, naturam esse ». Chrysippus Deum summum κανόνα δικαίων καὶ ἀδίκων appellabat; cf. Digest. I, tit. 3, l. 2. Naturam autem et deum Stoici idem statuebant.

15. *Consociare, aut conjungere injuriam.* Int. in perniciem cujusquam conjurare: nullius societatis finis esse debet, ut noceat. Longius disserit Noster, Offic. I, fin. quid amicis concedendum, quid negandum sit, in hoc honesti regula constituta sit.

16. *Nec vero rectum est ... gravissimeque.* Hæc valent, « neque sane tum hoc rectum est ... sed omnino graviss. » Deinde inter hæc pro *consociare* Spir. Erl. E. et ξ. simplex *sociare*. More scribarum nempe, qui easdem præposs. in verbis aut adjectivis recurrentes moleste ferunt. Vide 20, 66, « conjuncti consociatique sumus », ubi iidem hi Oxonn. *sociati*. Nat. Deor. II, 63, 158: « nisi ut earum (ovium) villis confectis et contextis homines vestiantur ». Ubi item plures scripti *textis*. Cf. sup. 10, 33. G.

17. *Æquum justumque esset.* Notat Brem. syntaxin *sit* postulare: quod de ea Ciceronis ad hunc locum concedere non licet; quippe qui sic in alterius verbis laudandis ex constanti pæne regula imperfectum ponat. Ita plane II, 11, 34, quem I ille laudat. Ex innumeris cf. Wopk. p. 34 et 126, cll. Acadd. I, 6, 22, et hoc in volumine ipso sæpius. At alter locus, quem idem addit, Nat. Deor. II, 56, 141, huc non pertinet: nam *profluentia* dicitur pro, *si profluerent*; ex vulgari igitur ratione *essent* pergit. G.

18. *Fore* positum est, non *esse*, post duplex *esset*. G.

19. *Ad easque.* Ignorant Erl. et Spir. *que*. Quod facile probaris, quum *easque* sequi videas. Sed solent hanc particulam obliterare scribæ, si transitionis est. G.

lecticam etiam[20] adjungunt, et physicam; easque ambas virtutum nomine appellant : alteram, quod habeat rationem, ne cui falso assentiamur, neve umquam captiosa probabilitate fallamur, eaque, quæ de bonis et malis diceremus[21], ut tenere tuerique possimus. Nam sine hac arte quemvis arbitrantur a vero abduci[22], fallique posse. Recte igitur, si omnibus in rebus temeritas ignoratioque vitiosa est, ab his ea[23], quæ tollit hæc, virtus nominata est.

20. *Etiam*. Nescit Gud. 2 τὸ *etiam*, quo carere liceat. Sed toties hic codex voces sine omni ratione probabili omittit, ut ei soli parum fidere liceat: aures quoque particulam hanc, etsi bis præcessit, tuentur et retinent. G.

21. *Eaque, quæ de bonis et malis diceremus.* Gœr. scrib. *didicerimus*, notatque : Turbant codd. primo in *eaque, quæ*, eorumque loco Erl. *eque*, Gud. 2, *eamque*, Bas. Gud. 1, *quæque*. Corruptionis viam vides, ne postremum malis. Infinitis autem locis librarii *que quæ*, vel in *quæque* mutant, vel alterutram vocem omittunt. *Eaque* est, « sed, immo potius ea ». Deinde scribitur vulgo *diceremus*, sed VV. DD. improbantibus : quumque in Scaligerano *disseremus* legeretur, citius id probat Davis. aptius mutatum in *disseramus* Ern. cupit, idque ipsum Gudiano 2 præbente, recepit Brem. Quodvis tricipitis hujus lectionis defendi liceat : sed quarta *didicerimus*, quam Spir. et Erl. offerunt, quamque quodammodo Bas. firmat, *dixerimus* præbens, unice vera est. Haud enim modo perfectum hoc frequenter, ob duplex *di*, sic corrumpitur (ita v. c. § 66, *didicimus* E. ξ. et Bas. in *dicimus* mutant; quod monere supra nihil opus erat), sed Cicero sæpe similiter, « tueri et defendere, quæ didiceris, disciplinam tenere, facile, quæ didicerunt, obtinent, etc. » In quibus « discere », « discendo cognoscere » valet, ut sæpe, cf. Acadd. I, 2, 5. *Disserere* denique sæpius ex *dicere* et *discere* corruptum est. Cf. Off. I, 1, 2, ibique Heuss.

22. *Quemvis arbitrantur a vero abduci*. Sic Gœrenz, nisi quod *ab* pro *a* scribit. *Arbitrantur*, inquit, cum Pal. 1 et Eliensi tenent Spir. et Erl. in Gud. 2, vv. *tuerique . . . posse* exciderunt. Reliqui bini nostri cum vett. edd. plerisque *arbitramur*; quod olim, sed minus apte, vulgatum est : eodem quidem peccato, quo supra § 68. Sed *ab* pro *a* posuimus, Spir. et Erl. jubentibus. Auctor enim *abesse ab*, seq. consona, scribere amat; cf. Acadd. II, 1, 3, ita Verr. III, 34, 78, « abductam ab Rhodio tibicine »; Philipp. X, 6; 13, « ab legato Syriaco abduxit ».

23. *Ab his ea*. Gœr. scrib. *ars ab his ea*. Vulgata, inquit, ignorat vocem *ars*, quam dudum ex suo cod. P. Man. ex Scalig. et Eliensi Davis. ediderunt sic, *ab his ars ea* (hic errat Gœr. Abest enim *ab his* in Davis.); eamque optimam lectionem quum Ern. neglexisset, recte sequutus est Brem. Vix dubitari potest, eamdem quoque Pal. 1 tenuisse, quum ipsam Spir. servet, et Erl. At hi codd. vv. *ab his* ignorant,

73 XXII. Physicæ quoque non sine causa tributus idem est honos : propterea quod, qui convenienter naturæ victurus sit, ei et proficiscendum est ab omni mundo, et ab[1] ejus procuratione. Nec vero potest quisquam de bonis et de malis[2] vere judicare, nisi omni cognita ratione naturæ, et vitæ etiam deorum, et utrum conveniat, necne, natura hominis cum universa; quæque sunt vetera præcepta[3] sapientium, qui jubent « tempori parere[4], et sequi Deum, et se

deleruntque eadem VV. DD. quos diximus. Nos potius Marsum sequimur, qui utrumque junctum ponit, *ars ab his ea*, quod sane præferendum videtur. Primum enim minime dispicias, quomodo vv. *ab his* a librariis addita dixeris. Hi enim *a Stoicis*, vel saltem *a nostris* scripsissent. At auctoris esse, istu pronomine, Catonis ore, simpliciter Stoicos designare, sæpius vidimus. Cf. 11, 36. Deinde, ut ab illis vox *ars* neglecta est, ita probabile est, ab his, qui vocem tenent, hæc abjecta *esse*, quum, quo referrentur, nescirent.

XXII. 1. *Ei et proficiscendum est ab omni mundo, et ab.* Gœr. delet primum *et*, et pro altero scribit *atque*. Prior, inquit, copula jure offendit, abjecta jam a Lamb. et Davisio. Neque ea in Bas. legitur, quum ejus loco in Paris. Spir. Erl. et Gud. *ei* desideretur, Ven. 1494, et Crat. *etiam* offerant. Brem. quidem duplex *et* defendit, tamquam sit partitionis : sed hæc est nulla partitio. Immo *atque*, quam bini illi nostri referunt, toties pro *et maxime* posita, huc proprie pertinet.

2. *De bonis et de malis.* Gœr. secundum *de* omittit, suos omnes libros sequutus.

3. *Vetera præcepta sapientium.* Bas. et Gud. 1, *præterea*. Forte olim *pervetera* legebatur : vix enim sic nude auctor scripsit ; certe tum *vetera illa* desideraris, quum hæc, præcepta sint illorum septem. Sed nihil nos dubitamus corrigendum esse, « veterum præcepta sapientium ». G.

4. *Tempori parere.* Sic aliorum, sic etiam nostri MSS. Verumtamen, probante Grutero, Victorius legit *tempori parcere*. Prius itaque audiamus virum doctissimum, quam sententiam dicamus. Sic igitur ille Var. lect. XI, 19 : « Vereor ne *parcere* pro *parere*, injecta in medium indefinitum verbum litera, legi debeat. . . . Nam qui præcepta hæc septem Sapientium tradiderunt, χρόνου φείδου, in illis posuere; nullum autem quod respondeat huic, si, ut nunc in omnibus libris est, *parere* legatur, attulere. Ut Sosiades qui plurimas ipsarum ὑποθήκας hujuscemodi collegit. Leguntur autem illæ apud Joannem Stobæum in III libro. Præterea Clemens Alexandrinus in primo Stromate (immo Strom. V) hujus vocis mentionem fecit, ubi docet, brevibus quibusdam acutisque dictis Sapientium virorum magnarum rerum sensum contineri, ut hac ipsa χρόνου φείδου ». Hæc et plura huc spectantia vir eruditissimus; nec reniterer, si modo scripti codices

noscere, et nihil nimis[5].» Hæc sine physicis quam vim habeant (et habent maximam), videre nemo potest. Atque etiam[6] ad justitiam colendam, ad tuendas amicitias et reliquas caritates quid natura valeat, hæc una cognitio potest tradere. Nec vero pietas adversus deos, nec quanta his gratia debeatur, sine explicatione naturæ intelligi potest.

Sed jam sentio me esse longius provectum, quam 74
proposita ratio postularet. Verum admirabilis compositio disciplinæ, incredibilisqne rerum traxit ordo. Quæ[7], per deos immortales! nonne miraris? quid enim aut in natura, qua nihil est aptius, nihil descriptius, aut in operibus manu factis tam compositum, tamque compactum et coagmentatum inveniri potest? quid posterius priori non convenit? quid sequitur, quod non respondeat superiori? quid non sic

faverent. Quum autem illi magno consensu vulgatam lectionem retineant, eam loco movendam non puto. Cicero Fam. IV, ep. 9 «: Tempori *cedere, id est, necessitati* parere, semper sapientis est habitum». Et ad Attic. VII, 18 : «Stomachari desinamus; tempori pareamus; cum Pompeio in Hispaniam eamus». DAVISIUS.

5. *Tempori parere, sequi Deum... nihil nimis*, etc. Notissima sunt hæc sapientum præcepta, quæ græce sic efferuntur : καιρῷ πειθαρχεῖν, θεῷ ὑπείκειν, seu ἕπου θεῷ, γνῶθι σεαυτόν, μηδὲν ἄγαν. — *Sequi Deum.* De hoc effato plura suppeditabunt Just. Lipsius ad Senecam de vit. Beat. cap. 15; Th. Gatakerus ad Antonini VII, 31, et Ren. Vallinus ad Boethii Cons. lib. I, 4. Pros. DAVIS. — *Se noscere, et nihil nimis.* De celeberrimis hisce præceptis sat multa collegit Menag. ad Laert. I, 41. DAV.

6. *Atque etiam.* Prave Ernestiana *atqui etiam*, et sine ulla auctoritate. G.

7. *Incredibilisque rerum traxit ordo. Quæ.* Gœr. duplex punctum ponit post *ordo*, et pro *quæ* scribit *quem*. Erl. inquit, ante *rerum*, *me* addit, facile ex prægressis subaudiendum, et sæpe consulto sic omissum. Vulgata deinde *quæ* exhibet, quod, etsi crebro auctor neutrum relativi, ad totam sententiam referendum, ponit, hoc tamen loco parum placet. Ut enim alia mittamus, aures jam suadent, hoc relat. in apodosi ponendum, quod in ejus neutro vix licebit. Est etiam simplex notio, quæ præcedit, bifariam expressa, et proxima vox *ordo* hujus notionis princeps. Sequuti igitur sumus codd. optimos quosque, Pal. 1, Eliens. Spir. Erl. et Gud. 2 in marg. idemque jam ex suo dedit P. Manut. Davisio sequente. Ita quoque Crat. in margine. G.

aliud ex alio nectitur[8], ut non, si unam literam moveris, labent omnia? Nec tamen quidquam[9] est, quod moveri possit. Quam gravis vero, quam magnifica, quam constans conficitur persona sapientis! Qui, quum ratio docuerit, quod honestum esset, id esse solum bonum, semper sit necesse est beatus, vereque omnia ista nomina possideat, quæ irrideri ab imperitis solent. Rectius enim appellabitur rex, quam Tarquinius, qui nec se, nec suos regere potuit; rectius magister populi (is enim est dictator[10]), quam Sulla, qui trium pestiferorum vitiorum, luxuriæ, avaritiæ, crudelitatis magister fuit; rectius dives, quam Crassus[11], qui, nisi egüisset, nunquam Euphratem

8. *Quid non sic aliud ex alio nectitur, ut non, si unam literam moveris, labent omnia?* Gœr. scrib. *ullam*, notatque: Gud. uterque post *aliud*, *videlicet* addit, et Gud. 2 simul *ex* ignorat. Sed sæpe scribæ hoc pariter, atque *scilicet*, addunt. Statim post corrigit sua sponte Ern. *si unam literam*, laudans IV, 19, 53: « Et ais, si una litera commota sit, fore, tota ut labet disciplina ». Nobis quidem sequi Bas. placet, ab quo *ullam* abesse notatur: nam *omnia* in fine positum, non necessario oppositionem requirit: et l. l. « Utrum igitur tibi literam videor, an totas paginas commovere? » Certe ex illo loco nulla mutandi necessitas sequitur. — Quod a quibusdam dici solet, duplicem negationem tam apud Latinos aliquando, quam apud Græcos, affirmative significare; id in hujusmodi sententiis, quæ interrogatione fiunt, vix alibi occurrere arbitror. Ne igitur hæc prorsus contraria Catonis menti sonent, legendum censeo, « quid non sic aliud ex alio nectitur, ut, si ullam literam moveris, labent omnia? » scilicet hoc vult Cato, fore ut omnia labent, si commutaris vel unam literam. Deleo posterius *non*; meæque conjecturæ fidem facit id, quod Noster dicit in IV, 19: « Et ais, si una litera commota sit, fore, tota ut labet disciplina ». Pearcius.

9. *Nec tamen quidquam est, quod.* Dubitare non nihil liceat, an vere in omnibus Palatt. Grutero teste, *quo* legatur: Spir. certe et Erl. *quod* tenent; idemque referunt Bas. Gud. 1, alii. Ita quoque, præter paucas, in quibus Marsus est, editt. veteres. — *Tamen*, ut in asseveratione solet, *sane* valet. G.

10. *Is enim est dictator.* Transponunt prave bini illi nostri cum Bas. *dict. est*: vis enim horum est, « talis enim est, quem dictatorem appellamus ». De magistro populi vid. Varro Lat. Ling. IV, c. 14, « ut est summa populi romani dictator, a quo is quoque magister populi appellatus ». Similiter *magister pecoris* dicitur. Cf. Legg. II, 3, 9. G.

11. *Crassus.* Crassi, in tantis opi-

nulla belli causa transire voluisset. Recte ejus omnia
dicentur[12], qui scit uti solus omnibus. Recte etiam
pulcher appellabitur: animi enim lineamenta sunt
pulchriora, quam corporis. Recte solus liber, nec
dominationi cujusquam parens, neque obediens cu-
piditati. Recte invictus, cujus etiamsi[13] corpus con- 76
stringatur, animo tamen vincula injici nulla possint.
Neque exspectet ultimum tempus ætatis[14], ut tum
denique judicetur, beatusne fuerit, quum extremum
vitæ diem morte confecerit[15]: quod ille unus e se-
ptem sapientibus non sapienter Crœsum monuit.
Nam si beatus umquam fuisset, beatam vitam usque
ad illum a Cyro exstructum rogum[16] pertulisset[17].

bus infamis, eas augendi aviditas suppresso nomine exagitatur Parad. VI pæne toto. G.

12. *Recte ejus omnia dicentur.* Malim, «recte, esse ejus omnia, dicetur». *Dicetur* certe ex Spirensi notatur. Verbum autem subst. h. l. concitius abest, et, ex compendio scriptum, facillime inter *e* duplicem omitti potuit; idque magis, quum librarii id cum vi præmissum aut deleant, aut transponant. G.

13. *Recte invictus, cujus etiamsi.* *Cujus* ... est *quum*, *etiamsi ejus.* Quare ante relat. colon ponendum erat, et *etiam si* junctim scribendum. Hæsere h. l. scribæ. Bas. enim et Gud. 1, non *cujus*, sed *certe* præbent: iidem in proximis, *possunt*, æque prave. G.

14. *Ultimum tempus ætatis, ut tum denique.* Nos quoque cum Davis. Ern. Bremioque ex correctione Th. Bentleii sic pro *ullum*, quod nostrorum quoque est, scripsimus. Sp. quidem et Erl. *virtutum*, et Gud. 2, *nisi tutum*, pro *ut tum* præbent, unde *ne*, vel *nisi tum* conjicere liceat, ut *nisi* cum ironia dicatur. Sed vel tum *ullum tempus* nimis vage dictum erit. Immo rectius his ad illud Solonis dictum respicitur, cf. Herodot. I, 32, quod *ultimum* flagitat: nam ejus loco *summum* ex Martial. X, 47, cum Davisio malle, causa justa nulla est. Probatur receptum plene ex II, 27, 37. G.

15. *Quum extremum vitæ diem morte confecerit.* Sic nostri quoque omnes. Davis. in v. *morte* offendit. Ern. pro *moriens* dictum vult. Quod quamquam licet, tamen nos pleonasmum nimium refugimus: satis enim repetitionis erat in vv. «extremum vitæ diem confecerit». Nobis quidem, quo sæpius hæc verba lustramus, eo probabilius ex glossa accessisse videntur. Sæpe turbant scribæ, si *tum* simplex ponitur. Adde quod brevissime idem iisdem verbis supra dicitur, II, 27, 87: «neque exspectat ultimum tempus ætatis: quod Crœso scribit Herodotus præceptum a Solone». G.

16. *A Cyro exstructum rogum.* In quo Crœsus incenderetur. Vid. Herodot. lib. I. OLIV.

17. *Pertulisset.* Hanc ex solo Pal.

Quod si ita est, ut neque quisquam, nisi bonus vir, et omnes boni beati sint : quid philosophia magis colendum, aut quid est virtute divinius ?

1 ortam lectionem bini quoque nostri illi firmant : addita item est margini Cratandriæ, visque ejus ex frequente illa dicendi ratione, *ad finem perferre*, ad quam ipsa imitata est, intelligitur. Reliqui nostri libri cum ceteris *protulisset* (quæ lectio per se non est contemnenda). G.

M. T. CICERONIS
DE FINIBUS BONORUM ET MALORUM,
AD BRUTUM,
LIBER QUARTUS

ARGUMENTUM

LIBRI QUARTI DE FINIBUS.

Hoc libro Cicero ad Catonis disputationem sic respondet, ut Stoicam rationem comparando cum Peripatetica impugnet. Primo paullulum tergiversatur, spatium ad respondendum postulans, ne contra diligentem Catonis expositionem, disciplinamque accurate fundatam exstructamque, in qua multa insint, quæ vix intelligat, temere disserat. Rem deinde ita aggreditur, ut Stoicam philosophiam omnem ex eo improbet, quod ab illa vetere Academia et Peripatetica nihil fere differat, nisi verborum novatione, disserendique rationis in deterius mutatione. Hæc reprehensio per omnem librum accurate regnat, § 1, 2. A Platone enim Aristoteleque ad Polemonem usque, tam bene fuisse disciplinam constitutam, ut causæ nihil esset, cur Zeno ab illis discederet. Illos tres in partes, in morum conformationem, disserendi rationem, cognitionemque naturæ, philosophiam descripsisse; nec aliter hunc. In prima, hunc ab illis re nihil differre. Illos civilem inprimis doctrinam graviter copioseque tractasse, et quæ res ornatum admitterent, eas polite splendideque proposuisse. Zenonem et Stoicos de republica, de legibus, ut omnino de moribus, squalidius, et jejunius; quippe qui dicendi exercitationem neglexerint, § 3-6. Quid? hos vel tum, ubi altius exsurgere conentur, ut de mundo, communi deorum hominumque urbe, ut in laude sapientis, anguste versari atque exiliter, § 7. In disserendi quoque ratione hos ab illis nec rebus, nec rerum tractatarum ordine discedere: topicam artem, quam illi egregie tradiderant, quamvis ea probi sit usus, hos ne attigisse quidem, § 8-10. Nec magis differre utrosque in constitutione naturæ; in gravissimis quibusque, ut de diis, unde illæ virtutes cardinales ducantur, deque quatuor elementis, idem sentientes: sed hos ab illorum ubertate multum abesse. Nullam ergo novæ sectæ condendæ causam fuisse, § 11, 12, 13.

Neque de summo bono, quo philosophia morum comprehen-

datur, allatum novi quidquam a Zenone esse. Quum enim priores illud, « secundum naturam vivere », dixissent, dispescuisse idem Stoicos in tria, sic tamen, ut re ab illis haud dissentirent, § 14, 15. Deductionem autem finis bonorum a natura iisdem prope cum illis verbis fieri. Omnis generis naturam conservatam se velle: ejus rei causa artes esse excogitatas, naturæ adjutrices; et in his artem vivendi maxime. Naturam hominis animo constare et corpore, cujus utriusque virtutes per se expetendæ sint. Animum multis modis corpori præstare, atque ita quoque illius virtutes, istis quæ huic insint. Sapientiam hominis procuratricem esse, et adjutricem. Corporis bona minus, illa animi maxime curasse, quippe in quibus inessent justitiæ semina. Primos illos amorem inter natos et parentes, inter conjuges, et cognatos, a natura repetivisse; indeque exorsos, omnium virtutum originem progressumque expedivisse; in hisque magnitudinis animi, qua facile ex philosophiæ præceptis fortunæ possit resisti: similiter cognitionis studium, temperantiam et justitiam inde esse derivatam; atque sic honestatem omnem, § 16-18. Hæc cum Stoicorum decretis re consentire, nec Zenoni causam fuisse, qui ab illorum philosophia discederet, § 19.

Neque inde peccata quædam antiquorum emendari, si, quæ illi bona corporis dixerant, hæc Zenoni non bona, sed *præposita*, et indifferentia; si, quæ illis *expetenda*, huic *sumenda* dicantur; et hujus generis alia. Hæc justam causam nullam præbuisse, unde nova disciplina conderetur. Eo referri ista quoque, omnia vitia similia esse; omnia peccata paria; omnes non sapientes summe miseros. Istis philosophiam veterem corrigi emendarique minime; quippe quibus ad vitam communem translatis, misceantur omnia. Et miram sane hanc philosophiam esse, quæ communi more publice loquatur, privatim suo; idque magis, quum verba modo alia sint, res maneant eædem, § 20-23.

Propius jam ad Catonis disputata sic accedit Cicero, ut quasi pro concessis utatur, in quibus Stoici cum Academicis Peripateticisque faciant; et contra ea modo dicat, quæ vere controversa sint: ad quæ optat Cato, ut hic, populari ratione relicta, propriis philosophorum verbis disserat. Repetitis igitur brevi, quæ utrique communia habeant, de naturæ initiis, de animo et cor-

pore, eorumque conservandi studio: deque summo iude fine, § 24, 25: id carpit, quod in hoc ipso constituendo, Stoici referentes omnia ad animum, corpus deseruerint, atque ita non hominis summum bonum, sed animantis corpore destituti, posuerint. Quid? ne animantis quidem, quum hic, quæ sunt prima naturæ, desideraret. Ita enim Chrysippum summum hominis bonum constituisse, quasi hic nihil nisi animum haberet, § 26-28. Tum modo in sola virtute summum bonum recte quæri, si id ad animal, sola mente constans, pertineret, neque ista mens quidquam haberet, quod secundum naturam esset: sed id pugnare secum ipsum. Esse quidem corporis bona exigui momenti ad virtutem, ab eaque obscurari, ut a sole lucernam: ad beatam tamen vitam conferre. Nec quærendum esse, quid ob exiguitatem suam obscuretur, sed quid ejusmodi sit, ut ad complendam beatæ vitæ snmmam conferat, atque ita beatæ vitæ pars sit, § 29-32. Deinde omnium naturarum simile esse hoc, ad quod omnia referantur, idque esse rernm expetendarum ultimnm. Quum autem omnis natura nullam sui nec partem, nec quæ ad partem referantur, deserat; incredibile esse hominis naturam oblitam esse corporis, et summum bonum, quod in toto homine ponendum erat, in animo modo hominis posuisse, § 32, 33. Mutatis igitur naturæ principiis, dicendum Stoicis sic potius esse: omne animal applicatum ad id esse, quod in ipso sit optimum, in eoque conservando occupatum; quam ut dicant, omne animal, simul sit ortum, applicatum esse ad se diligendum, et in conservando sese occupatum. Nec optimum dici posse, si bonum aliud nullum sit. Deinde debere sapientiam hominem ita accipere, prout natus sit. Qui si totus nihil nisi mens et ratio esset, ultimum huic esset, ex virtute vitam fingere: contra vero, si nihil nisi corpus, ultima forent valitudo, et cetera corporis prima naturæ. Nunc autem, quum de summo bono quæratur hominis, hoc in tota hominis natura quærendum esse, § 34, 35. Omne porro officium in hominis cultu occupari: eos igitur, qui summum bonum in solo aut corpore, aut animo ponant, sic agere, ut qui in pugna, læva parte neglecta, dextram modo tuerentur. Eos contra plene agere et perfecte, qui in summo hominis bono nec animum, nec corpus negligerent. Stoicis, ejus quod iu homine excellens est, virtutis splen-

dore, aciem animorum præstringi, ut id, quod in homine summum et optimum sit, unice curent, § 36, 37. Neque attendere eos ad rationem, qua natura progrediatur. Semper enim eam in homine ita assumere aliquid, ut ea non deserat, quæ prima dederit. (In frugibus secus esse, quarum herbam natura deserat, si eas ad spicam perduxerit.) Hinc fieri, ut, cum sensibus rationem adjunxerit, ea ad maturitatem perducta, sensus tamen non relinquat; nec ea curare desinat, quibus vita regi omnis debeat. Admodum mirum igitur hoc esse in Stoicis, quod ea, quæ secundum naturam sunt, ad naturalem illorum ὁρμὴν, ad officium, ad virtutem adeo, pertinere velint: in exponendo autem summo bono hæc omnia transiliant, et alia sumenda, alia appetenda esse statuant, quum, si omnia hæc appetenda dicerent, uno fine recte omnia comprehenderent, quæ nunc disjuncta ponantur, § 37, 38, 39.

Quod autem dicant, virtutem non posse constitui, si, quæ extra virtutem sint, ad beate vivendum referantur: id totum contra esse. Constitui enim virtutem non posse, nisi omnia, quæ eligenda sint, aut rejicienda, unam in summam congerantur. Quo neglecto, aut ad summum bonum non relato, pronum esse lapsum in Aristonis, aut Herilli vitia. Quare tum modo virtutem recte posse constitui, si ad eam prima naturæ referantur; quippe ad quam pertineant. Virtutem Stoicorum alteram modo partem naturæ hominis amplecti, alteram negligere. Ita autem institutum esse a natura hominem, ut primum ea appetere inciperet, quibus se conservaret in eo statu, in quo ortus sit. Idque maxime velle naturam, ne qua pars sui negligatur. Si igitur in ea nihil esset, nisi ratio; recte in sola virtute finem bonorum poni: sin ad eam corpus quoque pertineat, hoc relinqui non debere, § 40, 41. Ergo discedere Stoicos a natura, quum convenienter naturæ vivere jubeant, et virtuti fundamenta subducere. Atque omnino omnes errasse videri, qui finem bonorum in vitæ honestate posuerint: Pyrrhonem, quum præter virtutem nihil plane relinqueret; Aristonem, quum omnia relinqueret, sed ista præter virtutem temporibus obnoxia faceret: Stoicos denique, quum fine bonorum in sola virtute posito, tamen prima naturæ admittant, ab isto fine sejuncta, § 42, 43.

Expedita hac quæstione, quare Zenoni causa ista nulla fuis-

set, unde ab Academicorum Peripateticorumque ratione se sejungeret: pergit jam Cicero ad reliqua. Et primum quidem: gravissimam Zenonis sententiam, honestum solum bonum esse; itemque virtutem constitui non posse, si aliud præter honestum in bonis ponatur, communem illis esse cum Pyrrhone et Aristone eorumque similibus. Non autem decere, stare cum iis, qui ne sua quidem summa bona a natura repetita dicerent. Id quod effugi facile potuisset, si in disceptatione cum Polemone accuratius attendisset, unde causæ controversia nasceretur, § 44, 45. Improbandum deinde hoc esse, quod, quum Stoici solum honestum in summi boni sede posuissent, initia tamen rursus, accommodata naturæ, proponenda esse dicerent, quibus seligendis virtus exsistere enascique possit: nam seligenda in summa bonorum inesse quoque debere. Hinc vel iis, quibus voluptas summum bonum sit, aditum ad officium, et ad ea, quæ facienda fugiendave sint, facile patere: Stoicis, quum honestum posuissent, aditum hunc esse occlusum. Recurrere igitur hos ad naturam, quæ tamen improbet aliunde finem beate vivendi, aliunde agendi initia, repeti, quum una horum sit ratio. Nec esse consentaneum, cognito summo bono reverti ad naturam: excitari enim et appetitionem et actionem ab iis, quæ secundum naturam sint, non vice versa, § 46-48.

Pergit jam ad Stoicorum consectaria. Quorum primum, « Bonum omne laudabile: laudabile omne honestum: omne bonum honestum », ex eo vituperat, quod primum sumptum nemo concesserit, nisi Pyrrho, Aristo, horumque similes, quos ipsi improbent: et eo concesso, opus tamen sit secundo, § 48, 49. Deinde in sorite illo, « Quod bonum sit, id esse optabile; quod optabile, id expetendum; quod expetendum, id laudabile, etc. » item non concedi, quod bonum sit, id esse laudabile. Hebes autem esse illud, gloriatione dignam esse beatam vitam, quod cum honestate modo gloriari quis possit. Concedi hoc facile, et tamen negari, quod inde effici velint, præter virtutem nihil in bonis ducendum esse, § 48-51. His et talibus sumi aut non concessa, aut ea, quibus concessis, nihil juvetur. Neque his consectariis quidquam profici. Nam quum exspectes doceri, cur dolor malum non sit: asperum quidem, odiosum, contra naturam hunc dici, sed, quum in eo vitium non sit, malum

ipsum non esse. At in his remedium contra dolorem dari nullum. Fortem, statui, posse esse neminem, qui dolorem malum putet: sed timiditatem ex rebus, non ex meris verbis nasci! Dici, si una disciplinæ litera commota sit, eam totam labefactum iri. At his reprehendendis non literam, sed totas paginas commoveri, § 52, 53. Apte quidem disciplinam inter se esse connexam: sed ea sequenda non esse, quæ a falsis principiis profecta, si ipsa sibi vel maxime congruant. Proficisci Zenonem a falsis et cum natura non convenientibus, quum virtutem solam summum bonum ponat. Ex hoc principio plane consequentia esse omnia. Sed falsa esse, secundum verissimum dialecticorum præceptum, quæ ex falsis sequantur. Falsa igitur hæc esse, omnes non sapientes, miseros; sapientes, summe beatos; recte facta omnia æqualia, omnia peccata paria: nam contra naturam et ipsam varietatem esse, ut inter ea, quæ Zeno æquet, nihil intersit, § 54, 55. Hanc ipsam causam fuisse, quod hic, quamquam acutus, nihil tamen nisi verba verset, et quas res illi bonas, ipse mutato nomine aptas, habiles, ad naturam accommodatas vocet, et sapienti his, quæ bona appellare non audeat, aucto, instructo, commodius tamen esse. Platonem, si sapiens non sit, eadem cum Dionysio tyranno cunditione esse: huic tamen, propter desperationem sapientiæ, mori optimum esse; illi, ob ejusdem spem, vivere. Peccata, licet sint æqualia, tamen alia tolerabilia esse, alia non esse. Sic illum loqui aliter, quam omnes; sentire idem tamen, § 56, 57.

Neque in re ipsa rectius quidquam doceri, quam quod Veteres præceperint; nec verba adhiberi commodiura. Quod ad prius referatur, dicere Veteres, appetitionem animi his moveri, quæ secundum naturam sint: hæc autem æstimatione aliqua digna esse, ex cujusque pondere æstimanda. Quæ porro secundum naturam sint, eorum alia appetitionem illam non movere, quum in honestis laudabilibusque non ponantur: aliis voluptatem adjungi in animantibus omnibus, in homine rationem etiam; et hæc honesta esse et laudabilia. Illa appellari naturalia, et, honestis adjuncta, vitam beatam complere. Eorum autem commodorum, quibus Zeno tantumdem tribuat, quamvis ea bona esse neget, honestum atque laudabile, præstantissimum esse omnium. Nec esse dubium, quum duo honesta in optionem ve-

niant, v. c. alterum cum valitudine, alterum cum morbo, utrum natura duce sequaris. Honestatem autem tantum rebus omnibus prævalere, ut nullo nec terrore, nec spe ab eo, quod rectum esse decreverit, dimoveatur: dura autem adversaque omnia virtutibus his, quibus a natura instructi simus, elevari. Has quidem esse nec adeptu faciles, nec non magni faciendas (alias enim non tantum in virtute pretium foret): sed hoc esse judicandum, non in his ad beate vivendum inesse pleraque omnia. Omnino, quæ Zeno in æstimandis, sumendis, naturæ aptis, numerarit, hæc illis bona appellari: vitam autem beatam constare in horum bonorum plurimis et maximis. Zenonem contra id solum bonum dicere, quod ex sese ipso appetendum sit; vitamque beatam in sola virtute consistere, § 57-60.

De re inter utrosque nullam in his esse dissensionem: idem sentire, commutatis modo verbis. Neque id Zenonem non vidisse; sed magnificis verbis esse delectatum. Si enim ita plane, ut dicat, sentiret, nullum inter ipsum, Pyrrhonem et Aristonem foret discrimen, § 60, 61. Admonet deinde Catonem Cicero, ut se ad veteres Academicos accingat, prout ille hunc ad amplectendam Stoicam rationem cohortatus erat (III, 3, 10), § 60-63. Carpit deinde similitudines istorum, ut ad rem minime aptas; ut de ex alto emergentibus, et de catulis jamjam dispecturis, ad progressionem in virtute prave accommodatis: simul etiam eorum sententiam exagitat, qua progressionem ad virtutem fieri dicant, levationem vitiorum negent, § 64-68.

Causam istarum, quibus se Stoici impedierint, angustiarum, in eo quærendam esse, quod summum bonum ex gloriosa ostentatione aliter constituissent. Inde ista enata esse, quæ, quoad verba, illis Aristonis vel deteriora judicanda sint: quæ tractantur uberius, § 68-72. Sed Zenonem cum Aristone verbis, non re, consentire; ut contra cum Aristotele et Academicis re, non verbis, conspiret. Aut igitur usitate loquendum huic fuisse, aut docendum, paratiores homines fieri v. c. ad divitias contemnendas, si hæ in præpositis, quam si in bonis putentur, § 72, 73.

Ad finem de παραδόξοις, quæ dici vult *admirabilia*, addit, *admirandi* controversique quod habeant, continuo cadere, quum ad ea propius accesseris, et quæ cuique rei notio subjiciatur,

intellexeris. Ita peccata paria dici, quia honesto nihil honestius, turpi nihil turpius: sed de hoc ipso magnam esse dissensionem. Præterea eos per simile illud fidium plurium, quarum nulla concinat, ex ambiguo ludere: idemque fieri in illo gubernatoris, in evertenda palearum navi æque peccantis atque in auro onusta: neque quidquam inde profici, quod peccata ex eo paria veliut, quod imbecillitatis et inconstantiæ vitia, quæ peccatis omnibus adsint, in omnibus stultis æque magna dicant. Non enim concedi, in stultis omnibus vitia æque magna esse. Interesse inter res quoque ipsas, in quibus peccetur, § 74-77.

Jam sic concluditur oratio, ut Stoicos hoc uno vitio maxime impediri dicat, quod duas contrarias sententias simul obtinere nitantur. Nihil enim magis pugnare, quam honestum summum bonum ponere, et tamen appetitionem rerum ad vitam aptarum a natura ortam dicere. Ita incidere eos, quum prius tueantur, in vitia Aristonea; et hæc quum vitent, eosdem esse cum Peripateticis: quumque disciplinæ verba mordicus defendant, oratione pariter ac moribus evadere horridiores. Solum ex iis Panætium hanc tristitiam lectione diligenti principum Academicorum, Peripateticorumque effugisse: idemque ut Cato faciat, Cicero vehementer hortatur. Sic quum vesperascente cælo reversurus ad villam suam Cicero concluderet, Cato hanc ab eo operam exigit, ut alio tempore hæc eum refellentem audiat. Interim vero hoc meminerit, illum Stoicorum omnia probare, se Academicorum nihil. Isto huic in viam scrupulo injecto, discedunt.

M. T. CICERONIS
DE FINIBUS BONORUM ET MALORUM,
AD BRUTUM,
LIBER QUARTUS.

I. Quæ quum dixisset, finem ille. Ego autem, Næ 1
tu, inquam, Cato, ista exposuisti[1] tam multa memoriter, tam obscura dilucide. Itaque aut omittamus contra omnino[2] velle aliquid, aut spatium sumamus ad cogitandum: tam enim diligenter, etsi[3] minus vere (nam nondum id quidem audeo dicere), sed[4] tamen accurate non modo fundatam, verum etiam exstructam

I. 1. *Exposuisti.* Vidimus qui hoc verbum in glossemate ponerent. Sed hi non attenderunt h. l. proxima valere, « licet tam multa . . . licet tam obscura essent » : sic hac in verborum serie nihil jure offendes. G.

2. *Contra omnino.* Hæc forte male transposita putabis, quum *omnino* ad *omittamus*, *contra* ad *velle* referendum videatur : certe ne statuas cavebis, vulgato positu idem notari, nisi verborum collocationis ignarus haberi velis. Atque facillime hæc sic trajicere liceat, si scripti vel paullulum vacillarent. Relinquitur tamen hoc, ut *omnino* ad *velle* relatum putetur, hac vi : « Omittamus consilium, contra (tot, tamque obscura) aliquid in universum statuere, singula quæque rimantes ». G.

3. *Etsi.* Male Erl. *etiamsi.* G. — Olivetus scribit *et*, *si minus vere* (*nam*, etc.)

4. *Sed tamen.* Davis. *tam* suadet, ut ipsi quoque nostra sponte olim conjeceramus. Sed parenthesis præcedens ad *minus* (quo sententia mitigatur), pertinet : post hanc vero auctor, *sed tam diligenter*, pergere debebat ; applicans autem ad *etsi* orationem, parvo anacolutho, quo post parentheses assolet, *tamen* cum asseveratione, pro *sane*, subjicit, mutataque voce, *accurate* addit. Referendum nempe *sed tamen* ad *minus vere* est, hac vi : « Etsi minus vere hæc exposuisti, tamen difficile est, disciplinam tam bene fundatam exstructamque, tam accurate cognoscere, ut de ea judicium ferre possim ». Nihil igitur contra scriptorum editorumque omnium consensum tentare licet. G.

disciplinam non est facile perdiscere[5]. Tum ille, Ain' tandem[6], inquit, quum ego te hac nova lege[7] videam eodem die accusatori respondere, et tribus horis perorare, in hac me causa tempus dilaturum[8] putas? quæ tamen a te agetur non melior[9], quam illæ sunt, quas interdum obtines. Quare istam quoque aggredere, tractatam præsertim et ab aliis, et a te ipso[10] sæpe,
2 ut tibi deesse non possit oratio. Tum ego, Non me-

5. *Non est facile perdiscere.* Sic omnes quidem habent libri, et Mss. et typis impressi. Sed quid sibi vult *perdiscere?* aut quomodo hic locum habere potest? Videtur enim potius scribi debere, *dissolvere*, aut *subvertere*, aut *evertere*, aut aliquid aliud tale; nisi forte dicamus, hoc esse referendum ad oratorum et patronorum consuetudinem, quos non solum ejus, pro quo dictum erat, sed etiam adversarii jura et argumenta *perdiscere* oportebat, ut eis respondere possent. Quod ea quæ sequuntur, comprobant. LAMB. — Recte Ernestius Lamb. et Davisium cohibuit, pro *perdiscere*, « dissolvere, evertere, dejicere » suadentes. Nam is modo, qui rem *perdidicit*, apte de ipsa judicare potest. G.

6. *Tum ille, Ain' tandem.* Turbant librarii, ut in voce *ain'* ubique solent. Proxime a vero Spir. et Erl. absunt, modo *an* peccantes. Gud. 2, Mon. *tunc illam tandem :* quod idem Gud. 1 et Bas. præbent, nisi quod *illa* scribunt. χ. ψ. *te ne :* reliqui reliquorum similiter. Ven. 1494, Crat. cum plerisque edd. vett. *Tene ullam tand.* Mars. *Tune ille tandem.* Vulgata, quam Victorius, et qui eum sequuti sunt, Herv. et Fabr. exhibent, verissima est. G.—Olivet. punctum interrog. post *inquit* ponit, quod fursan melius est, quum sint duo verba, *ain'* et *putas*, quorum unumquodque suam interrog. notam requirit.

7. *Hac nova lege.* Vide Ascon. Pedian. p. 86, ed. Mannt. « Leges Pompeius duas ex S. C. promulgavit; alteram de vi, qua nominatim cædem (Clodii) in Appia via factam, et incendium curiæ, et domum M. Lepidi interregis oppugnatam comprehendit; alteram de ambitu : pœnam graviorem, et formam judiciorum breviorem : utraque enim lex prius testes dari, deinde uno die atque eodem et ab accusatore, et ab reo perorari jubebat, ita ut duæ horæ accusatori, tres reo darentur ». Cf. Brut. 94, 324. G.

8. *Tempus dilaturum.* Recte Ern. *dilationem daturum* explicat, ut paratius contra ipsum disputare possit G.

9. *Agetur non melior, quam.* Eleganter Cato ad eas causas respicit, quas Cicero magis ex oratorio artificio, quam ex rei veritate obtinebat. Dicere autem ille hæc fingitur, ut causæ suæ confidens, et ad illa Ciceronis, *etsi minus vere*, reponens. Lambini conjectura, *non paullo melior*, a tenore sententiaque loci aliena est. G.

10. *A te ipso sæpe.* Respicit Cato præsertim orationem pro Murena, in qua Cicero Stoicos ridiculo lacessivit, quum Catoni accusanti Murenam responderet, ipsiusque Catonis nimiam morum severitatem reprehendit.

hercule soleo[11] temere contra stoicos; non quo illis admodum assentiar, sed pudore impedior: ita multa dicunt, quæ vix intelligam. Obscura, inquit, quædam esse confiteor; nec tamen ab illis ita dicuntur de industria; sed inest in rebus ipsis obscuritas. Cur igitur easdem res, inquam, peripateticis dicentibus, verbum nullum est, quod non intelligatur? Easdemne res, inquit? an parum disserui, non verbis stoicos a peripateticis, sed universa re et tota sententia dissidere[12]? Atqui, inquam, Cato, si istud obtinueris, traducas me ad te totum licebit. Putabam equidem satis, inquit, me dixisse. Quare ad ea primum[13], si videtur: sin aliud quid voles, postea. Immo isto quidem[14], in-

11. *Non mehercule soleo.* Gœrenz addit *inquam* post *mehercule.* Hoc, inquit, dedimus ex nostris, præter Gud. 2, omnibus; idemque dudum ex Pal. 1, 3, Eliensique Davisius receperat. Ern. qui verbum hoc denuo abjecit, animadverterat quidem, Ciceronem interdum post *Tum ille* id omittere; sed eidem etiam tenendum erat, ita numquam ab initio sermonis fieri, sed tum maxime, si ex quodam affectu oratio sit concitatior. Hoc loco vel aures omissum revocant. Deinde Grut. narrat, Pal. 1, *sole te temere* præbere. Erat nempe *o*, quæ superscribi solet, obliterata: tum scribæ proximam syllabam duplicarunt. Atque inde est etiam, quod Gud. 1, Bas. quinque Oxonn. et Mars. cum edd. vett. multis *solere temere,* ac Gud. 2, *solere timere* referunt. Erl. unde *sole tem.* Ex Spir. nihil notatur. Vulgata, quæ Victorio debetur, vera est; sæpe sic auctor *dicere* omittit. Cf. Off. III, 24.

12. *Dissidere.* Hoc auctori frequens verbum pro olim vulgato *dissentire*, a Davisio et Ern. ex Pal. 1, 3, Eliensi, Paris. 1, 3, et Victoriana receptum, tres optimi nostri confirmant. Cf. infra 26, 72. G.

13. *Quare ad ea primum.* Intellige: Quum neges hoc me compertum fecisse, nempe Stoicos a Peripateticis re dissentire, non verbis tantum; nunc primum tu incipe ostendere eos inter se verbis tantum dissidere: postea ad reliqua venies.

14. *Immo isto quidem, inquam, loco.* Gœrenz scribit *istud* pro *isto.* Sic, inquit, omnes omnino scripti referunt. Addunt quidem et nostri et Oxonn. omnes cum Gruterianis ante *loco*, *quo*, et plures, inter quos Gud. 1, et E. V. ξ. post *loco*, etiam *quidque*, vel *quicque*, Mon. *quodque*: sed hæc a scribis addita videntur, qui nudum abl. *loco* non capiebant: nisi scribi inde, addito *quodque*, malis, « immo istud... quodque loco ». *Loco* autem pro « loco suo, apto, conveniente », auctori frequens est. Divv. IX, ep. 16, « etsi posuisti versus Attianos loco ». Cll. Orat. III, 38,

quam, loco, nisi iniquum postulo, respondere[15] arbitratu meo. Ut placet, inquit; etsi enim illud erat aptius, æquum cuique concedere[16].

3 II. Existimo igitur, inquam, Cato, veteres illos Platonis auditores, Speusippum, Aristotelem, Xenocratem; deinde eorum[1], Polemonem, Theophrastum, satis et copiose, et eleganter habuisse constitutam disciplinam, ut non esset causa Zenoni, quum Polemonem audisset, cur et ab eo ipso, et a superioribus dissideret: quorum fuit hæc institutio[2]. In qua animadvertas ve-

153; Tusc. II, 11, 26. Pari ratione etiam « in locum », « in locis » dicitur, Off. III, 9, 2; N. D. II, 51, 128. — Vulgatum *isto* mire defendit Ern. « ubi tu de ea re dixisti; nam eo ordine volo dicere, quo tu ». Immo potius negarat Cicero, Stoicos a Peripateticis plus, quam verbis, dissidere. Ad hoc vult Cato, ut ante omnia disputetur. At Cicero mavult in universum contra Stoicam de finibus rationem disserere, sic ut tum, quum ad istam rem suo loco devenerit, de ea disceptetur.

15. *Respondere.* Vulgatur *responde*, quod nobis longe videtur difficilius explicari: nam in hoc libro Ciceronis oratio non constabit ex interrogationibus (ut res se habere deberet, si *responde* vera lectio esset), sed erit continua: *respondere* hic nihil aliud notat, nisi confutationem Stoicæ disciplinæ, qua Cicero Catoni respondebit. — Ceterum Lamb. *respondebo.*

16. *Etsi enim...concedere.* Hunc locum, quem P. Manut. Lamb. Grut. Davis. alii tentant, Ern. sic defendit, ut ad *æquum*, *tamen* cogitari jubeat. Quod etsi quidem recte licet, tamen non videmus, quomodo sic omnis difficultas, ut ille ait, tollatur. Nam tum vel *concedendum* scribi, vel, si *concedere* pro *cedere* acceperis, post *æquum*, *est* addi debebit, quum sic in substantivo vis sit. Sed ut prius est audacius, ita posterioris sententia minus ad contexta convenit, nec recte *tamen* sic omittetur. Nobis quidem cum Marso *enim* omitti placet, et scribi: « etsi illud erat aptius, æquum unicuique concedere ». Hoc sensu, « Etsi ratio a me proposita erat aptior, ad concedendum unicuique nostrum, quod æquum esset ». *Unusquisque* enim sæpius de duobus dicitur, cf. infra 7, 16: *quisque* nusquam sic poni meminimus. Quam facile autem *uni* hac in vicinitate excidere potuerit, nemo non videt. Infinitum tempus græco more positum putabis. G. — Bene vertit gallicus intp. *Soit; il aurait mieux valu commencer par ce point; mais il est juste que vous soyez le maître.*

II. 1. *Deinde eorum.* Sic auctor, omissa *discipuli* voce, solet, cf. Fin. V, 5, 13: « Theophrasti Lyco...hujus Lyco.....hujus Aristo ». Æque *imitatores* intelliges Brut. 17, 67. — Si autem Ern. *horum* mavult, minus recte facit, quum *illos* de iisdem præcesserit. G.

2. *Quorum fuit hæc institutio.* Int. qui doctrinas illas in lucem ediderant.

lim, quid putes mutandum, nec exspectes, dum ad
omnia [3] dicam, quæ a te dicta sunt [4]. Universa enim
illorum ratione [5] cum tota vestra confligendum puto.
Qui quum viderent, ita nos esse natos, ut et commu- 4
niter ad eas virtutes apti essemus, quæ notæ illustres-
que sunt, justitiam dico, temperantiam, ceterasque
generis ejusdem [6]; quæ omnes [7] similes artium reli-

3. *Ad omnia*. De *singulis quibusque* intelligea, ut opponatur *universæ rationi:* sic non opus est, ut cum Nisseno pro « nec exspectes », « sed exsp. » malis. G.

4. *Quæ a te dicta sunt.* Nostri omnes, Vien. tresque Oxonn. *ante*. Sed vulgata præferenda est; nisi utrumque, *ante a te*, malis. Att. VII, ep. 14: « de quibus ante ad te scripseram ». G.—Ante *universa* Gœr. ponit punctum duplex, quod nobis melius videtur absoluto puncto.

5. *Universa enim illorum ratione.* Recte occurrit Ern. Davisii conjecturæ *universæ...rationi:* senana est enim, « opponenda in universum Stoica disciplina illi Academicorum et Peripateticorum est, atque ita de illa judicium ferendum ». Ceterum sæpius auctor *confligere*, et *conflictio* ponit, ut simpliciter *comparare*, etc. valeat. Inv. II, 43, 126: « Sæpe cum scripto adversarii factum confligendo ». Hoc tamen loco cum Ern. similitudinem a duobus exercitibus, inter se confligentibus, petitam recte putabis. G.

6. *Ceterasque generis ejusdem*. Gœr. delet *que* ex Spir. Erl. et frequenti auctoris usu. Cf. Off. III, 10, 9; Tusc. IV, 31, 66; et infra Fin. V, 7, 18, ubi æque *que* delenda fuit. — Intelliguntur autem binæ reliquæ virtutes cardinales, « scientiæ studium et animi magnitudo ».

7. *Quæ omnes...differunt.* Hæc Gœrenz parenth. includit, notatque: *Similes* inde dicit maxime Cic. *virtutes artibus*, quod utræque sunt « commentationis et exercitationis », cf. III, 15, 50, atque utræque proxime ad animum referuntur: unde etiam artes Stoici in virtutibus ipsis numerabant. At *materia* præstant virtutes, quippe quibus *constantia vitæ* elaboranda sit (vid. l. l.), artibus res externas fere earumque causas spectantibus. Inde illæ quoque ratione et via, qua tractantur, ab his distinguuntur. « In meliorem partem », pari ratione, qua « in bonam, in optimam partem », dicitur, hoc sensu: « virtutes, ab ipsarum parte, meliore materia utuntur ». Nihil igitur nec Lambino hæc tria vv. nec Davisio totus locus de glossemate suspectus esse debebat. —*Materia tantum.* Materiam virtutum fecerunt Peripatetici τὰ πάθη, animi commotiones: quæ, quia variæ sunt, varias genuerunt virtutum species. Nam virtus omnia ratio est, quæ actionibus et illis animi vehementibus motionibus modum adhibet: quam multi unam tantum fecerunt virtutem, quam prudentiam nominarunt, et pro varietate rerum in qua versaretur, aliis atque aliis nominibus appellarunt. Si enim in eo occupetur, ut suum cuique distribuat, appellari justitiam: si in moderandis doloribus et periculis honestatis causa, fortitudinem. Itaque qui unam earum habeat, reliquas item

quarum, materia tantum ad meliorem partem et tractatione differunt; easque ipsas virtutes viderent[8] nos magnificentius appetere et ardentius; habere etiam insitam quamdam, vel potius innatam[9] cupiditatem scientiæ, natosque esse ad congregationem hominum, et ad societatem communitatemque generis humani, eaque in maximis ingeniis maxime elucere: totam philosophiam tres in partes diviserunt. Quam partitionem a Zenone retentam esse[10] videmus. Quarum quum una sit, qua mores conformari[11] putantur; differo eam partem, quæ quasi stirps est hujus quæstionis: qui sit enim finis bonorum, mox; hoc loco tantum dico, a veteribus peripateticis, academicisque, qui re

habere: et qui unam amiserit, nullam eum habere censuerunt. Morel.

8. *Easque ipsas virtutes viderent.* Davis. *que* in *quum* mutari jubet: Bremi in notis manuscriptis laudat de Fato, 7, p. 29, ubi repetitum verbum *viderent* in exemplis negligentiæ minus gratæ refertur. Sed distingui accuratius in ejusmodi locis jubet. Nempe si constructio per *se* nihil habeat, quod vel Latinitas vel scriptoris χαρακτὴρ respuat, tum negligentem ejusmodi vocabuli repetitionem viris summis interdum obrepere: sed si Cic. verbum quomodocumque repetisset, facturum id sine conjunctione non fuisse. Duplicem igitur corrigendi viam aperit, ut aut *quum* ante *viderent*, aut, quod mavult, *viderent* deleatur. Alterutram nos rationem sequuti essemus, nisi probatiorem hanc putaremus, qua verba, *quæ...differunt*, in parenthesi posuimus. Ita enim hæc egregie cum auctoris more conveniunt, quo hic præcipua verba post parenth. repetere solet. G.

9. *Insitam quamdam, vel potius innatam.* Recte h. l. Ern. ad verborum *insitam* et *innatam* discrimen attendere jubet. *Insitam* est a natura acceptam: sed quum h. v. interdum de iis dicatur, quæ ita firmiter hærent, ut in naturam rei transisse videantur; explicandi causa cetera addita sunt. G.

10. *A Zenone retentam esse.* Hanc tamen philosophiæ partitionem primus instituit Zeno, si Laertio fides, VII, 39. At Plato simili modo philosophiam diviserat, ut testatur idem, III, 56. Noster, Acadd. I, 5: « Fuit ergo jam accepta a Platone philosophandi ratio triplex: una de vita et moribus; altera de natura et rebus occultis; tertia de disserendo ». Sic & August. C. D. VIII, 4; Alcinous Doct. Plat. cap. 3; Origen. Philos. cap. 19, aliique plures. Nimirum Zeno philosophiam disertis verbis ita partitus est; non item Plato: licet de rebus Logicis, Ethicis et Physicis Socratem inducat disputantem, et hanc adeo divisionem tacitus agnuscat. Dav.

11. *Conformari.* Nostri quoque omnes *confirmari*. Sed ita in hoc verbo, ejusque conjugatis, scribæ more peccant. Cf. Heus. ad Off. I, 3, 1. G.

consentientes, vocabulis differebant, eum[12] locum, quem civilem recte appellaturi videmur, Græci πολιτικὸν[13], graviter et copiose esse tractatum.

III. Quam multa illi de republica scripserunt? quam multa de legibus? quam multa non solum præcepta in artibus, sed etiam exempla in orationibus bene dicendi[1] reliquerunt? Primum enim ipsa illa, quæ subtiliter disserenda erant, polite apteque dixerunt, quum definientes, tum[2] partientes : ut vestri[3] etiam : sed vos
squalidius; illorum, vides, quam niteat oratio. Deinde 6
ea, quæ requirebant orationem ornatam et gravem, quam magnifice sunt dicta ab illis? quam splendide? de justitia, de fortitudine, de amicitia, de ætate de-

12. *Eum locum.* Spir. et Erl. *illum;* quod, ut de re remotiore, et modo in transitu monenda, rectius est. In proximis tres optimi nostri *Græci* firmant, quum ante Davisium *græce* ederetur. G.

13. *Græci* πολιτικόν. Hæc Gœrenz parenthesi includit, nulla allata ratione.

III. 1. *Quam multa non solum præcepta in artibus, sed etiam exempla in orationibus bene dicendi.* Gœrenz scribit *rationibus,* non *orat.* Quænam, inquit, quæso, *orationes* sunt, quas Academici et Peripatetici philosophi reliquisse dicantur? Nusquam enim tam vage *orationes* de quibusque scriptis : minus etiam de philosophicis dicuntur. Turbato etiam ordine auctor sic scripsisset, quum *orationes bene dicendi* jungi nequeat. Inde nos quidem certissimi sumus, scribendum esse *rationibus.* Quod sane magis arridebit, ubi quæsiveris, quænam h. l. *artes* dicantur. Si enim intellexeris, *artes* vel simpliciter Ciceroni *scripta rhetorica* dici, cf. Orat. II, 15, 64 et 65, hoc loco minus etiam miraberis, si *artes bene dicendi* idem dicuntur. Ita vero facilius etiam intelliges, *rationes bene dicendi* scribendi genus spectare in variis philosophorum scriptis, varium quidem, sed adeo comptum et elegans, ut exempli loco sit. Aliter enim scribebant Plato, Crantor, Polemo; aliter Aristoteles, Theophrastus, Cratippus : sed horum omnium scribendi genus laude, imitationeque dignum erat. Sententia jam hæc erit, « in varia eorum scribend. ratione, eaque accurata et eleganti, exemplo poni merentur ». Hæc nostra vulgatæ correctio ita nobis necessaria visa est, ut in texta recipi juberemus; idque magis, quum hæ voces a scribis ubique permisceantur.

2. *Quum ... tum.* Gœr. commendat *tum...tum.* Tres optimi nostri, inquit, bis *tum :* quumque in definitionibus partitiones insint, et auctor has voces ubique per *et*, *ac* jungat nusquam, nisi fallimur, discernendi particula interposita, *tum...tum* corrigendum fuit.

3. *Ut vestri.* Hæ voces male in Gud. 2 omittuntur. G.

genda, de philosophia, de capessenda republica, de temperantia, de fortitudine, hominum [de] spinas vellentium[4], ut stoici, nec ossa nudantium, sed eorum, qui grandia ornate vellent, enucleate minora dicere. Itaque quæ sunt eorum consolationes? quæ cohortationes? quæ etiam monita et consilia, scripta ad

4. *Quam splendide? de justitia, de fortitudine...de temperantia, de fortitudine, hominum [de] spinas vellentium.* Gœr. scribit : *Quam splendide de justitia, de fortitudine. . . de temperantia? nec more hominum vellentium spinas.* Plene, inquit, in his constituendis sequuti sumus Pet. Marsum : nisi quod interrogandi signum, quod vulgo post *splendide* additur, post *temperantia* rejecimus; intt. enim non viderunt, ad hæc ex præcedd. « sunt dicta ab illis », frequenti auctoris more, *dixerunt* cogitandum esse. Vulgo editur, « de temperantia, de fortitudine, hominum de spinas vellentium ». Neque aliter fere scripti, nisi quod, exceptis Pal. 1, Spir. Erl. et Crat. in marg. reliqui *de spinis*, et Bas. *vellentium de spinis* referunt. Nolumus VV. DD. conjecturas enumerare, quibus elegantem suam, « hominum non sane vell. » in notis scriptis Bremi addit : Marsi enim ratio loco convenientissima est, et haud dubie ex codice scripto orta : nam homo apertus alias, si quæ tentavit, monet; hoc autem loco unde verba recepta explicat. Turbatum in his esse scripti varie indicant. Spir. enim et Erl. verba, *de amicitia*; Bas. *de fortitudine...temperantia*; Vien. *de fort... hominum*, ignorant. Voces *nec more* extrusæ per miseram repetitionem vv. *de fortitudine*, quæ ferri nequeunt. Verborum autem positus *vellentium spinas*, utique illo vulgatæ melior est, quum in *spinas* sententiæ vis sit. Nos olim « more, haud hominum caute sp. vell. » conjeceramus, quum verba « nec ossa nudantium » valeant « vulnerari spinis nolentium », et *caute* ex comp. *cte*, binis literis in unam coalitis, facile in *de* mutari possit. Sed hanc vocem addi necesse nihil est : immo locum, hucusque hiulcum, sic plene restitutum putamus. Possis quidem adhuc in v. *philosophia* cum Ern. et Nisseno hærere, ut ad contexta inutili : sed si intellexeris, verba *de ætate degenda*, officiorum doctrinam spectare, *philosophiam* autem Ciceroni sæpe eximie ethicam, i. e. doctr. de finibus bonorum dici; facile hunc verborum ordinem probabis. Nam et *temperantia* bene horum agmen claudit. Ut enim *justitia* et *fortitudo*, quæ in actione cernuntur, recte his a fronte ponuntur; ita *temperantia*, i. e. σωφροσύνη, quæ hæc omnia ad decus dirigit, æque recte iisdem subjecta dicetur. — *De spinas vellentium.* Sine remigio librorum bibliothecis insepultorum locum velle constituere, mera Grutero videtur insania. Sit sane : tamen insaniamus, dum nec nobismet ipsis, nec aliis noceat hæc insania. Forsan itaque Cicero scripsit, « *de* virtute omni, non *hominum* more *spinas vellentium* »; nam *fortitudinem* jam memorarat, ut huic verbo non sit locus. Eliens. habet « de animis hominum spinas vellentium »; sed in ea lectione nihil opis video. Davis.

summos viros? Erat enim apud eos, ut est rerum ipsarum natura, sic dicendi exercitatio, duplex. Nam quidquid quæritur, id habet aut generis ipsius sine personis temporibusque, aut iis adjunctis, facti, aut juris, aut nominis controversiam [5]. Ergo in utroque exercebantur [6]; eaque disciplina effecit tantam illorum utroque in genere dicendi copiam. Totum genus 7
hoc et Zeno, et ab eo qui sunt [7], aut non potuerunt, aut noluerunt, certe reliquerunt. Quamquam scripsit artem rhetoricam Cleanthes [8], Chrysippus etiam, sed sic, ut, si quis obmutescere concupierit, nihil aliud legere debeat. Itaque vides, quo modo loquantur. Nova verba fingunt; deserunt usitata. At quanta [9] co-

5. *Id habet . . . controversiam.* Hæc accurate tractantur Or. II, 15, § 65 seqq. Ceterum Gud. 2, *id* prave ignorat. G.

6. *Exercebantur.* Referunt E. et ξ. *exercitabantur.* Sed quamvis auctor frequentativa amet, tamen hoc vix uno alteroque loco legitur; et vel tum sane simplex verbum scripti meliores referunt. V. c. Cat. Maj. 11, 36: « Animi autem exercitando levantur: » ubi cum codd. aliis multis 4 nostri et Eyb. *se exercendo*; quod ad contexta melius est. Nihil igitur est, cur *exercitabantur* malis. G.

7. *Et Zeno, et ab eo qui sunt, aut non potuerunt.* Brem. erudite in notis MSS. cavet, ne audiatur Ern. qui *profecti* addendum desiderat; laudans Orat. II, 38, 160, « Erat (Critolaus) ab isto Aristotele ». Tusc. II, 3, 7, « qui sunt ab ea disciplina ». Coll. Fr. Heusingero ad Off. III, 33, 3 et Burmanno ad Quintil. Instit. IV, 2, 1. Sic enim Græcos quoque præp. ἀπὸ uti, vid. Schæferi Meletem. Crit. p. 27. Nec offendere debet *potuerunt* (ad quod idem Ern. *consequi* excidisse suspicatur), *cf.* Bentl. ad Horat. Od. I, 26, 10, *et* Heins. ad Ovid. Metamorph. VIII, 883. Ceterum *etiam* scribæ offenderunt: tres enim optimi nostri, *et* omissa, *qui ab eo sunt*, referunt, in quibus Spir. *et* Erl. vel priorem *et* nesciunt. De Chrysippi rhetorica vide Orat. I, 11, 50. G.

8. *Cleanthes.* Hic fuit Stoicorum princeps, exstincto Zenone, habuitque successorem Chrysippum, discipulum suum.

9. *At quanta conantur?* Davis. et Ern. *conatur* malunt, ut Zeno intelligatur, ad quem *incendit*, quod sequitur, pertinet. Tum verba præcedd. *quamquam . . . usitata*, tamquam ex parenthesi addita erunt. Sed potest vulgata, scriptis editisque omnibus firmata defendi, si « Zenonem, et ab eo qui sunt », intellexeris. Nihil tum miraberis, si inferius *Incendit* simplici numero pergit (i. e. incendere studet), quum addatur, *qui audiunt*, s. *discipuli.* G. — Hæc, *quanta conantur,* cum ironia dici patet.

nantur? Mundum hunc omnem, oppidum[10] esse nostrum. Incendit igitur eos, qui audiunt[11]. Vides, quantam rem agas: ut Circeiis qui habitet[12], totum hunc mundum, suum municipium esse existimet. Quid? ille incendat? restinguet citius, si ardentem acceperit. Ista ipsa, quæ tu breviter, regem, dictatorem, divitem, solum esse sapientem, a te quidem apte[13] ac rotunde : quippe; habes enim a rhetoribus[14]. Illo-

10. *Oppidum esse*. Infinitum tempus, ex admirantis ironia ponitur. Cf. Brut. 61, 219; Verr. V, 6, 22: vel *dicunt* ex præc. *conantur* intelligendum est; quod sine boc mirantis affecto auctor additurus fuisset. G.

11. *Incendit igitur eos, qui audiunt*. Hæc Gœrenz transponit post *esse existimet*. Verissime, inquit, primus vidit Davis. verba bæc, quæ vulgo ante, « Vides, quantam rem agas », ponuntur, huc esse transferenda. Miramor Ern. qui, boc duce, nibil in bis offenderit, quum hac ipsa ex parte de Cicerone bene mereatur, cf. v. c. Verr. II, 19, 50, etc. Accuratius attendit Matthiæ Miscell. Phil. Vol. II, part. 2, p. 142, qui idem bæc verba ex objectione intelligi jussit. Recte sane; et sic quidem, ut sensus sit : » tu igitur dices incendere Zenonem auditores voluisse? » Ita nibil necesse erit, ut pro *igitur*, *inquit* scribatur : idque magis, quum hæc part. haud raro ex alterius sententia judicet, atque tum pro *inquit* dicatur.

12. *Vides, quantam rem agas : ut, Circeiis qui habitet*. Ernest. *vide*, de suo, et *agat*, cum Davisio, conjicit. *Vides* plene defendit Matthiæ laudans supra II, 10, 30; 23, 75 (ubi nos vide): et IV, 3, 5. *Agas* ex eo tueri licet, si cogitatione addideris, » si eum iis senseris : » sed auctor hac repentina inversione simul ad ea respondere voluit quæ Cato supra III, 19, 64, in hanc sententiam disseruerat. — *Circeiis* denique pro vulgato *Circeis* necessario scripsimus, partim ex eo, quod hoc oppidum quum aliis, tum Ciceroni duplici *i* scribitur; cf. Att. XV, ep. 10. *Circeienses* etiam ejus incolæ, non *Circeenses* appellantur, vid. N. D. III, 19, 48; partim quod scripti nostri omnes vel *Circelis*, vel *Circetis* eadem ipsa de causa, peccant. G. — Oliv. *Circeis*.

13. *Quæ tu breviter ... a te quidem apte*. Bremio verba, *quæ tu breviter*, vehementer displicent. Nos quidem in hac contracta oratione nibil hæremus. Verba enim ista velut in parenthesi addita putabis, plene sic efferenda : « Ista ipsa (quæ tu breviter tetigisti) ... a te quidem apte ... dicta sunt ». G. — *Regem, dictat... rotunde*. Hæc laudat Non. in v. *Rotunde*.

14. *Quippe ; habes enim a rhetoribus*. Gud. 2 ignorat vv. *habes enim* : scriba scilicet in hac dicendi ratione offendebat, auctori satis familiari. Ad quam Brem. in notis scriptis Passeratium ad Cæcin. 19, et Orat. II, 54, e correctione Schützii laudat. Eodem modo restituendum est pro Milone 18, 48 : « Primum certe liberatur Milo, non eo consilio profectus esse, ut insidiaretur in via Clodio : quippe ; si

rum vero ista ipsa quam exilia de virtutis vi[15]? quam tantam volunt esse, ut beatum per se efficere possit. Pungunt, quasi aculeis[16], interrogatiunculis[17] angustis. Quibus etiam[18] qui assentiuntur, nihil commutantur animo, et iidem abeunt, qui venerant: res enim fortasse veræ, certe graves, non ita tractantur, ut debent, sed aliquanto minutius.

IV. Sequitur disserendi ratio, cognitioque naturæ. 8
Nam de summo bono mox, ut dixi, videbimus, et ad id explicandum disputationem omnem conferemus. In iis igitur partibus duabus[1] nihil erat, quod Zeno commutare gestiret. Res enim præclare se habent[2], et quidem in utraque parte. Quid enim ab antiquis ex eo genere, quod ad disserendum valet, prætermissum est? qui et definierunt plurima; et definiendi artes reliquerunt: quodque est definitioni adjunctum, ut

obvius futurus omnino non erat ». Vnlgo ibi ex edd. vett. quibusdam *quippe qui* editur; qund eo certius in vitio ponendum est, qunm Cic. ubique *q. qui* cum conjunct. jnngat. G.

15. *Ista ipsa quam exilia de virtutis vi?* Offendit Davis. partim in vv. *ista ipsa* repetits, qnæ Mannt. deleri vellet, partim in *de virtutis vi*, qnæ bic infelici conatu, dnce P. Manut. cum *pungunt* construit, distinctinne maxima ante *de virt. vi* posita. Priora Brem. iu nn. mscrr. jnre Ciceroni tribuit; altera æque recte Matthiæ l. l. ex auctoris usn defendit, sententiam latius expositam, « regem... solnm esse sapientem », contractius repetentis. Nos hoc unum addimus, hæc ipsa verba quasi epimetrum in seutentiæ clausula addita esse. G.—Tntum hunc locum sic interpnngit Dav. « Illorum vero ista ipsa qnam exilia? De virtutis vi, quam tantam volunt esse nt beatnm per se efficere possit, pnngunt, quasi aculeis, interrogatiuneulis acutis ».

16. *Pungunt, quasi aculeis.* Gnd. 2 et Bas. *enim* addunt: sed prave, qunm in *pungunt* sententiæ vis sit, quæ, particula quaeunqne adjecta, frangitur. G.

17. *Interrogatiuneulis.* Stoicorum argumentandi rationem intelligi, alibi vidimns, Acadd. I, 2, 5. G.

18. *Q. etiam qui.* Gœr. ante *etiam* virgula distinxit. *Etiam*, *adeo* notat.

IV. 1. *In iis igitur partibus duabus.* Primn refert Gnd. 1 et Mars. *his*; qnod ad hæc contexta melins multo est. Deinde ignorant Spir. et Erl. *duabus*: in qno nihil est, cur abjectum valde desideres, qnum *in utraque parte* addatur. G.

2. *Habent.* Ern. *habebant* snadet: sed conjectura infelicissima; nt facile, vel qui parum judicio valeat, assequetur. G.

res in partes dividatur, id et fit ab illis, et, quemadmodum fieri oporteat, traditur. Item de contrariis: a quibus[3] ad genera, formasque generum devenerunt. Jam argumenti, ratione conclusi, caput esse faciunt ea, quæ perspicua dicunt[4]: deinde ordinem sequuntur[5]: tum, quid verum sit in singulis, extrema con-
9 clusio est. Quanta autem ab illis varietas argumentorum, ratione concludentium, eorumque cum captiosis interrogationibus dissimilitudo[6]? Quid, quod

3. *A quibus ... devenerunt.* Gœr. scribit *venerunt*, notatque: Davis. ex quatuor suis, et Victoriana sic pro vulgata *devenerunt.* At Ern. hoc retraxit, quum a contrariis ad genera, ab hisque ad horum formas vere descendatur. Sed nos nusquam « ab aliquo ad aliquid devenire » structum legimus, semper verbo simplici; et nostri codd. omnes, cum quinque Oxon. Vien. Mars. Crat. aliisque impressis vett. hoc amplectuntur. Nihil igitur dubitavimus probatius sequi, compositumque, ut a scribarum sapientia profectum, rejicere.

4. *Argumenti ... caput esse faciunt ea, quæ perspicua dicunt.* Brem. infinit. *esse* salva latinitate an stare possit in un. ss. dubitat. Sed cf. N. D. II, 30, 88. « Age et his vocabulis deos esse faciamus, quibus a nobis nominantur ». Notandum enim est, *facere*, infinito tempore addito, sic poni, ut *fingere, putare, statuere,* etc. pro contextorum tenore valeat. N. D. I, 8, 19: « Quibus enim oculis animi potuit intueri vester Plato fabricam illam tanti operis, qua construi a Deo, atque ædificari mundum facit ». Acadd. II, 22, 70, « quid? erant, qui illum gloriæ causa facerent sperare ». Eadem ratione Græci. G.

5. *Deinde ord. sequuntur*, etc. Ern. qui hoc loco quærit, quisnam *ordo* intelligendus sit, et simul de ambiguitate conqueritur, parum hæc contexta percepisse videtur. « Argumentum ratione conclusum » est συλλογισμὸς, cujus major propositio *caput* auctori vocatur; alias *primum* appellat Acadd. II, 21, 67, seq. Hæc *perspicua*, πρόδηλα, continere debet, i. e. τὰ αὐτόθεν ὑποπίπτοντα ταῖς τε αἰσθήσεσι καὶ τῇ διανοίᾳ, cf. Sext. Emp. VIII, adv. Logic. II, p. 141. In propositione deinde minore *ordinem* sequebantur: id est accurate eam cum majore cohærentem, et ex ea consequentem volebant; unde græce συνημμένον, ἑπόμενον, συνακτικὸν (λῆμμα) appellatur. Conclusio denique, quod in utraque propositione (auctor dicit *in singulis*, ἑκατέροις), sumptum erat, verum esse colligit. G.

6. *Quanta autem ... dissimilitudo?* Vertit intp. gallicus: *Et de combien de sortes d'argumens dont on peut tirer de justes conclusions, ne sont-ils pas auteurs? ne nous ont-ils pas appris à les distinguer des interrogations captieuses?* Sed dubitamus an sit hic verus sensus; quia constructio jubet vocem *quanta* ante *dissimilitudo* cogitatione repeti, ut nobis videatur auctor ea argumenta opponere Stoicorum interrogatiunculis.

pluribus locis quasi denuntiant, ut neque sensuum fidem sine ratione, nec rationis sine sensibus exquiramus, atque ut eorum[7] alterum ab altero separemus? Quid? ea, quæ dialectici nunc tradunt et docent, nonne ab illis instituta sunt et inventa[8]? De quibus etsi a Chrysippo maxime est elaboratum, tamen a Zenone minus multo, quam ab antiquis. Ab hoc autem quædam non melius, quam veteres[9]; quædam omnino

7. *Nec rationis sine sensibus exquiramus, atque ut eorum.* Gœr. delet *ut.* Hoc, inquit, quum minus ad præcedd. aptari posset, Lamb. ante *separemus*, *ne* adjecit; Brutus *ne* pro *ut* dedit: sed ambo de suo, nihil codicibus moniti. Davisius pro « atque ut eorum », *neque* conjicit. Ern. alia via rem tentans, cum veteribus editis pluribus (in quibus Ven. 1494, et Crat.), *rationes* correxit, hac mira de causa, quod *ratio* inepte ad *fidem* applicetur. Quasi rationis, si sola sibi relicta est, nec sensuum, i. e. experientiæ, fundamento nititur, fides et auctoritas injuria et olim addubitata sit, et nunc addubitetur! Vitium in eo est, quod scribæ, ignorantes *æque*, *et sic* valere, denuo *ut* accommodarunt. Quam spuriam part. cum a Pal. 3, Bas. et Gud. 1, a Marsi et Crat. edd. abesset, pleno jure delevimus. — Oliv. *atque ut ne eorum.* — Ex his VV. DD. conj. patet eumdem sensum esse, ac si simpliciter *neque eorum alt.* scriberetur.

8. *Tradunt et docent ... instituta sunt et inventa?* Noli vv. *et docent*, ut nuper factum vidimus, ex glossa damnare: ut enim *tradere* historici more rem enarrantis est; sic *docet*, qui rationum argumentorumque pondera addit. Alia res agitur in vv. *et inventa*, de quibus nihil dubitatur. Nam omnes Palatt. quatuor Davisii, omnes Oxon. itemque nostri, copula subtracta, « instituta sunt inventa sunt ». Quam lectionem glossam pæne apertam redolentem, Ciceroni non sine injuria obtrusit Davisius: cujus enim palatum ista non refugerit! Delebimusne igitur! Neutiquam. Nam verbis *et inventa* detractis, non solum paria membra pereunt, sed continuo etiam aures non hebetes ipsi auctoris orationi detractum quid sentiunt; ut eædem contra blande vulgatæ verba admittunt. Marsus, *instituta et inventa sunt.* Sed certi sumus vulgatam scriptis deberi, quum Cratandriæ auctoritate firmetur. Sensus est, « nonne hæc ab illis sic instituta sunt, ut ipsorum inventores putandi sint! » Quod si est, auctoris eam esse nihil dubitamus. G.

9. *Non melius, q. v.* Davis. et Ern. vv. *quam v.* cancellis addixerunt: sed justam causam nullam videmus. Neque verum est, si Ern. constructionem non constare dicit: quum plene sic construendum sit, « ab hoc autem quædam non melius elaborata sunt, quam veteres eadem instituerunt et invenerunt ». Adde, quod scribæ non *veteres*, sed *antiquos* dedissent. Nissen. pro præced. *ab hoc*, *adhuc* suadet; sed parum apte. Sed non vidit hic cum ceteris, *ab hoc* non ad Zenonem,

relicta. Quumque duæ sint artes, quibus perfecte ratio et oratio compleatur, una inveniendi, altera disserendi, hanc posteriorem et stoici, et peripatetici, priorem autem illi egregie tradiderunt; hi[10] omnino ne attigerunt quidem. Nam e quibus locis[11], quasi thesauris, argumenta depromerentur, vestri ne suspicati quidem sunt; superiores autem artificio[12] et via tradiderunt. Quæ quidem res efficit, ne necesse[13] sit, iisdem de rebus semper quasi dictata decantare, neque a commentariolis suis discedere. Nam qui sciet, ubi quidque positum sit, quaque eo veniat, is, etiam si quid obrutum erit, poterit eruere, semperque esse in disputando suus. Quod etsi[14] ingeniis magnis præditi quidam dicendi copiam sine ratione consequuntur,

sed certe ad Chrysippum pertinere. G.

10. *Et Stoici, et Peripatetici ... illi ... hi.* Recte viderunt Davis. et Ern. *illi* ad proximos, Peripateticos, *hi* ad Stoicos, pertinere. Sed hoc si ex abusu, vel negligentia VV. DD. explicant, egregie falluntur: *illi* enim ad tempore remotiores accommodatum est: ut *hi* ad tempore propiores. Vide locum, qui hac in re classicus dici meretur, pro Cæcin. I, 1: « non minus nunc in causa cederet A. Cæcina S. Albutii impudentiæ, quam tum in vi facienda cessit audaciæ. Verum et illud considerati hominis esse putavit, qua de re jure decertari oporteret, armis contendere: et hoc, constantis, quicum vi et armis certare noluisset, eum jure judicioque superare ». Adde infra IV, 16, 43, ubique æque *Stoicis Aristo* comparatur. Ceterum causam artis Topicæ, a Stoicis relictæ, hanc putabis, quod eam Aristoteles ad oratoriam, non ad disserendi artem accommodasset. G.

11. *Nam e quibus locis ... depromerentur.* De hac re librum conscripsit Cicero *Topica* inscriptum, ubi Aristotelis doctrinam de locis exposuit, quem vide.

12. *Artificio et via.* Idem valet, quod auctor alias, *ratione et via.*

13. *Quæ quidem res efficit, ne necesse sit.* Gœr. scrib. *effecit.* Hoc, inquit, e nostris omnibus, binis Oxonn. Mars. Crat. aliis dedimus: idem enim hæc valent, ac si scriptum esset, « qua quidem re effectum est, ut jam necesse non sit ».

14. *Quod etsi.* Bas. *quod si*, idque per se probum est: sæpe enim *quod si*, *tamen* sequente, *quod etsi* valet; Philipp. X, 10, 20; Orat. 43, 148. vulgata sollicitanda non est, ut viderunt Davis. et Ern. nam *quod* notat « quod attinet ad id, quod ». Non sunt igitur in proximis verba, *dicendi copiam*, cum P. Manut. in suspectis judicanda. Possis tamen cum Monac. simplici *dicendi* carere: sæpe enim auctor *copiam* de orationis ubertate unde dicit. G.

ars tamen est dux certior[15], quam natura. Aliud est poetarum more verba fundere; aliud ea, quæ dicas, ratione et arte distinguere.

V. Similia dici possunt de explicatione naturæ, qua 11 hi utuntur, et vestri: neque vero ob duas modo causas, quod Epicuro videtur, ut pellatur mortis et religionis metus; sed etiam[1] modestiam[2] quamdam cognitio rerum cælestium[3] affert iis, qui[4] videant, quanta sit etiam apud deos moderatio, quantus ordo; et magnitudinem animi, deorum opera et facta cernentibus; justitiam etiam[5], quum cognitum habeas, quod sit summi rectoris et domini[6] numen, quod consilium, quæ voluntas: cujus ad naturam apta[7] ratio, vera illa et summa lex a philosophis dicitur. Inest 12 in eadem explicatione naturæ insatiabilis quædam e cognoscendis rebus voluptas[8]; in qua una, confectis

15. *Ars tamen est dux certior.* Ignorant Spir. et Erl. *est*: quod in ejusmodi breve dictis, inprimis si comparantia sunt, contemnendum non est. G.

V. 1. *Sed etiam.* Addunt Lamb. *quod*, Davis. *quia*; et sane sic, vel simpliciter, per causalem particulam constructio pergere debebat: at eadem post *sed* inprimis, ita frequenter auctori mutatur, ut talia offendere minime debeant. G.

2. *Modestiam quamdam.* Est, *quodammodo* σωφροσύνην. G.

3. *Cælestium.* Hanc vocem ignorat Gud. 1, 2, et Bas. Sed quum Physica veterum, qua de agitur, « cognitio sit rerum divinarum », et *cælestia* auctori cuncta dicantur, quæ ad eas referuntur, atque ita *humanis* crebro opponantur, conf. Orat. 34, 119; prave hæc vox omissa putabitur. G.

4. *Qui videant.* Conjunctivus *videant*, valet, « quibus ex docta contemplatione videre licet ». G.

5. *Justitiam etiam.* Mire omittit Gud. 2 *justitiam etiam*, horum loco solum *Et* ponens: ut, quæ subjiciuntur, item ad *magnitudinem animi* referantur. Sed prave. Sequitur etiam quarta virtus cardinalis, veri cognoscendi studium. G.

6. *Rectoris et domini.* Gœr. scribit *ac* pro *et*. Sic, inquit, ex quatuor optimis nostris, partim aurium causa dedimus, partim quod crebro scribæ *ac* in *et* mutant.

7. *Apta*, participium putandum est, i. e. « accommodata, relata ». Quo quidem loco notandum est, auctorem verba sic diligenter eligere, ut Peripatetica ratio cum ea Stoicorum pæne eadem videatur. G.

8. *E cognoscendis rebus voluptas.* Spir. et Erl. *e* ignorant: quod aliquo modo defendi possit, quum crebro

rebus necessariis, vacui negotiis, honeste ac liberaliter possumus vivere[9]. Ergo in hac ratione tota de maximis fere rebus stoici illos sequuti sunt, ut et deos[10] esse, et quatuor ex rebus omnia constare dicerent. Quum autem quæreretur res admodum difficilis[11], num quinta quædam natura videretur esse, ex qua ratio et intelligentia oriretur, in quo etiam de animis, cujus generis essent, quæreretur: Zeno id dixit esse ignem[12]: nonnulla deinde aliter[13], sed ea pauca; de maxima autem re, eodem modo, divina mente atque natura mundum universum atque ejus maximas partes[14] administrari. Materiam vero rerum et copiam, apud hos, exilem;
13 apud illos[15] uberrimam reperiemus. Quam multa ab

sextus casus præp. *per* omissa ponatur. Sed vera vulgata est, participiumque fut. in *dus* h. l. ut sæpe, præsentis vim obtinet, hac sententiæ vi, « haud satianda voluptas, quæ e rebus, quas cognoscimus, nobis enascitur ». G.

9. *In qua...possumus vivere*. Editi veteres fere omnes *possimus*. Tum *in qua* foret, *ut in hac:* sed reliqua apodoseos parum sunt rationem sdentis. G.

10. *Ut et deos esse*. Oxonn. E. ξ. « ut quum deos esse » referunt: quod primo aspectu, si, *ut*, « verbi causa », valere dixeris, placebit. Sed si reputaris, « maximas res » in physicis vere deos, et elementa dici, vulgatam jure retinebis. G.

11. *Admodum difficilis*. Gud. 1 et Bas. « difficilis admodum » transponunt. Ita « maxime admodum, paucis, nihil admodum, etc. » vi particulæ ex postpositione paullum mitigata, dicitur. Sed h. l. vel aures hunc positum abnegant.—Ceterum *quinta* hac *natura* illam Aristotelis ἐντελέχειαν innui, ultro intelligitur: de qua accuratius videbimus ad Tusc. I, 10, 22. G.

12. *Zeno id d. esse ignem*. Acadd. I, 12: « De naturis autem sic sentiebat (Zeno): primum, ut quatuor initiis rerum illis quintam hanc naturam, ex qua sinceriores sensus et mentem effici rebantur (Peripatetici), non adderet; statuebat enim ignem esse ipsam naturam, quæ quidque gigneret, et mentem atque sensus ». Cf. quoque de Nat. Deor. II, 9, III, 14; Laert. VII, 156.

13. *Nonnulla deinde aliter*. Nempe Peripatetici mundum animosque æternos, deumque primum motorem statuebant, etc. inque his dissentiebant Stoici. Verba « de maxima re », quæ sequuntur, æque dicuntur, ut alias « de summa re » v. *rei*. G.

14. *Maximas partes*. His providentia generalis indigitatur, speciali, quam schola vocat, exclusa. G.

15. *Materiam vero rerum et copiam, apud hos, exilem; apud illos*. Ita cum vulgato Spir. et Erl. Reliqui nostri, tres Oxonn. et Vien. cum sex Davisii, editisque vett. bene multis, « et apud eos copiam exil. » præbent. Refert insuper Gud. 2 *naturam* pro

his[16] conquisita et collecta sunt de omnium animantium genere, ortu, membris, ætatibus? quam multa de rebus iis, quæ gignuntur e terra? quam multæ, quamque de rebus variis et causæ cur quidque fiat, et demonstrationes quemadmodum quæque[17] fiant? qua ex omni copia, plurima et certissima argumenta sumuntur ad cujusque rei naturam explicandam. Ergo adhuc, quantum equidem intelligo[18], causa non vide-

materiam : ut audiendus esse Davis. videatur, qui hæc sic mutat: « naturalium vero rerum esse apud hos copiam exil. » Nos quoque vulgatam non concoquimus. Si enim vel *materiam* de iis rebus intellexeris, quas tractandas sibi Stoici sumpserant, jejune tamen sic facies, et, quo *copiam* referas, nescies, quum hæc h. l. non *orationis* sit, sed *rerum*. Malim igitur : «materiæ vero rerum copiam apud hos exilem, etc. » Peccant enim frequenter scribæ in genitt. a se pendentibus; atque ex quo *materiam* scribi cœptum est, hi sua sponte *et* interposuerunt. Ita sensus erit, « de rerum ad materiam pertinentium, tum animantium, tum inanimantium copia, hi exiliter, illi uberrime disputant ». Gudiani 2 lectio vel ideo displicet, quod nimis late patet, quum de rebus corporeis modo sermo sit, earumque accidentibus, et causis. G.

16. *Ab his.* I. e. « quos modo dixi », nempe Peripateticis. Mire sic ponitur, quum iidem continuo ante *illi* dicerentur: sed *illi*, temporis ratione; ut Stoicis priores, *hi*, loci respectu, dicuntur; quippe de quibus sermo sit. G.

17. *Cur quidque fiat.....quemadmodum quæque fiant ?* Spir. et Erl. « cur quidquid fiat (Erl. *fiet*) quemadmodum quidquid fiat? » Atque sæpe sane auctori *quidquid*, pro *quidque*, *quodcumque*, ponitur; conf. P. Man. ad Divv. VI, epist. 1, pag. 372. Sed cautius hæc in re versandum est: scribæ enim sua sponte sic mutant. Ita certe Divv. VI, epist. 1 : « Quocumque in loco quisquis est », nuper verissime *quisque* correctum putamus. Itemque recte Heusingeros Offic. I, 25, 1, « quæcumque agunt » edidisse dicas; licet plures codd. editique vett. omnes *quidquid* præbeant. *Quidquid* magis vetustioris linguæ fuisse videtur, toties apud Catonem, Varronem (qui prisca verba amat), Lucretium, Comicos, obvium : hinc etiam in vetere jure, maxime in formulis, frequentatur. Apud Ciceronem occurrit quidem, sed rarius. Posteriore tempore, ut multa prisca, denuo usus ejus increbruit. Inde factum est, ut *quodcumque*, et inprimis *quidque*, obsolescerent, atque illud ex glossa his adscriberetur, eum iisque permutaretur. G.

18. *Quantum equidem intelligo.* Oxonn. E. ξ. *ego ;* Gud. 2 *equidem* plane ignorat. Redit idem brevi post, et h. l. facile careris : sæpe enim ad *quantum* personalia pronn. omittuntur. Legg. III, 16, 37 : « quantum e vultu ejus intelligo ». Sed offendunt quoque librarii in *equidem* postposita, et Gud. 2 haud raro temere voces omittit. G.

tur fuisse mutandi nominis. Non enim, si omnia non sequebatur, idcirco non erat ortus illinc. Equidem etiam Epicurum, in physicis quidem, Democritum puto[19]: pauca mutat, vel plura sane. At quum e plurimis[20] eadem dicit, tum certe de maximis. Quod idem quum vestri faciant[21], non satis[22] magnam tribuunt inventoribus gratiam[23].

14 VI. Sed hæc hactenus. Nunc videamus, quæso, de summo bono, quod continet philosophiam, ecquid tandem attulerit[1], quamobrem ab inventoribus, tanquam a

19. *Equidem etiam Epicurum... Democritum puto.* Ut particulæ *etiam* vis appareat, ita hæc plene capienda sunt: « Equidem, ut vos, Stoicos, Peripateticos (supple *esse*), ita Epicurum,...Democritum (i. e. eadem sentire ac Dem.) puto ». Conf. supra, I, 6, 17, coll. Acadd. I, 2, 6: « si Epicurum, id est, si Democritum probarem ». Haud igitur cum Nisseno *Democriteum* males. G.

20. *Pauca mutat, vel plura sane. At quum e plurimis.* Hæc certe affecta sunt: nam sic suppleri non licet, ut conjunctivum *mutet*, e prægresso *mutat*, intelligere liceat. Quod quum Davisius vidisset, *mutet* correxit, probante Ern. Sed melior utique ratio fuerit, si scripseris, « pauca mutat; mutet vel plura sane (scil. *quam mutat*): at quum, etc. » Ita est *at* apodoseos, et *attamen* valet, ut sæpe. Ceterum prave Lamb. *plura* et *plurima* transponit. Si enim quidam codd. ut E. et ξ. etiam *plura* in *plurima* mutant, ex male intellecto loco id deducendum est, neque quidquam inde extricandum. *E*, quam Lamb. et Davis. in *de* mutarunt, omnes nostri tuentur. *E plurimis* notat *quoad plurima*, ut *e quibus* Offic. I, 16, 51: « e quibus ipsis (legibus civilibus) cetera sic observentur, etc. » Neque necesse est, ut eædem præposs. sibi respondeant. Offic. I, 30, 13: « nihil ex occulto, nihil de insidiis ». Vide alia apud Wopk. Lectt. Tull. p. 27. G. — Intell. sed non solum in plurimis rebus easdem profitetur opiniones, sed etiam in maximis, scil. in iis quæ sunt maximi momenti.

21. *Quod idem quum vestri faciant.* Olim *item* scribebatur, atque ita scripti permulti. Sed nos sequendos Davis. et Ern. putavimus, quum vix recte post relativum sic dici posse, auctoremque tum, « quod quum item », scripturum fuisse, judicaremus. *Idem* servant e nostris Gud. 2, Bas. Monac. E. editique vett. præterea multi. G.

22. *Non satis* valet *haud adeo*, et sæpe sic reprehendentis est; conf. Drak. ad Liv. XXVI, 31, 10. G.

23. *Tribuunt inventoribus gratiam.* Male transponunt Gud. 1 et Bas. « inventoribus gratiam tribuunt »: vim enim enuntiati quum in *gratiam* auctor relatam vellet, consulto hoc posuit in clausula. G.

VI. 1. *Ecquid tandem attulerit.* Nescio unde *ecquid* sit; nostri certe omnes simpliciter *quid*: nec aliter edd. vett. Alias facile hæc vox se

parentibus, dissentiret. Hoc igitur loco, quamquam a te, Cato, diligenter est explicatus[2], finis hic bonorum [qui continet philosophiam], et quis a stoicis, et quemadmodum diceretur: tamen ego quoque exponam, ut perspiciamus, si poterimus[3], quidnam a Zenone novi sit allatum. Quum enim superiores, e quibus planissime[4] Polemo, secundum naturam vivere, summum bonum esse dixissent, his verbis tria significari[5] stoici dicunt. Unum ejusmodi[6], vivere adhibentem

prodit, scribis fere *et quid* exhibentibus: quare fidem ejus h. l. parum firmam judicamus. *Quid tandem* fuerit pro, « quid tandem sit, quod ». G.

2. *Diligenter est explicatus, finis hic bonorum [qui continet philosophiam], et quis a stoicis.* Gœr. scrib. *explicatum*, et delet verba uncis inclusa. Recte, inquit, Davis. *explicatum* e tribus suis, quibus totidem Oxonn. et nostri, præter Gud. 2, omnes adstipulantur. Vulgatur *explicatus*, quod Ernest. et Olivet. haud reposuissent, si meminissent, auctorem ante duplicem *et* notionem primariam præmittere solere. — Tuetur Matthiæ Program. 1805, p. 5, lect. *explicatus*, tamquam per attractionem dictum, ita distinguens: « diligenter explicatus finis hic bonorum, et quis a Stoicis, etc. » Docte sane! sic quidem, ut si modo unus alterque ignobilis codex obniteretur, vulgata retinenda foret: nam hujusmodi exempla, ad verba dicendi, haud raro occurrunt. Sed potiorum quorumcumque auctoritas inde quoque augetur, quod *explicatus* ad scribas referri facilius possit, quippe qui adjectiva substantivis vicina ad horum casus et genus ubique aptent. Adde, quod tum Cic. haud dubie mutata verborum serie scripsisset, « quamquam hic a te est, Cato, dilig. explicatus h. f. etc. » G. in Additam. — *Qui continet philosophiam*. Hæc verba, quæ in vulgatis contextui admixta occurrunt, prorsus abjecit Gœr. Jam recte fuerant ab Ern. ad uncos damnata. Sunt enim haud dubie ex proxime præcedd. repetita. Nam finis bonorum non potest, quin philosophiam (moralem) contineat: et summum bonum κατά τι poni potest, recte igitur ista supra adduntur; sed tædiose hoc loco repetuntur.

3. *Poterimus*. Gœr. scrib. *potuerimus*, notatque: Sine omni justa causa Ern. *poterimus*, cum quo duo modo Oxonn. E. et ξ. faciunt. Nos hujus futuri vim optativam sæpius tetigimus (conf. supra Fin. lib. I, cap. 20, § 70).

4. *Planissime* nostri omnes recte firmant: e scriptis solus Oxon. χ. *plenissime*, quod editorum vett. plene omnium est. G.

5. *Significari*: Gud. 2, *signari*: sed ne hoc esse aliquid putes, notandum est, sic sæpe hunc codicem ex compendio peccare. G.

6. *Unum ejusmodi*. Ernest. mavult *hujusmodi*; cujus rationem non videmus, quum *ejusmodi* h. l. bene pro *talis modi* dicatur, id est, « eo modo, quo dicam ». G.

scientiam earum rerum, quæ natura evenirent[7]: hunc ipsum Zenonis aiunt finem esse, declarantem illud, quod a te dictum est, convenienter naturæ vivere. Alterum significare idem, ut si[8] diceretur, officia omnia media, aut pleraque servantem, vivere. Hoc sic expositum dissimile est superiori. Illud enim rectum est, quod κατόρθωμα dicebas[9], contingitque sapienti soli: hoc autem inchoati cujusdam officii est, non perfecti; quod cadere in nonnullos insipientes potest. Tertium autem, omnibus, aut maximis[10] re-

7. *Quæ natura evenirent.* Huic quoque loco Ern. corrigentem manum admovet, *eveniant;* et inferius *dicatur*, pro *diceretur* suadens. Sed nimis sæpe hæc imperfecta in laudandis aliorum verbis defendimus. At si rem ipsam spectes, miraberis, quæ h. l. Zenoni ipsi tribuuntur, ea ap. Laert. VII, 87, adjungi Chrysippo, κατ' ἐμπειρίαν τῶν φύσει συμβαινόντων ζῆν, ὥς φησι Χρύσιππος ἐν τῷ πρώτῳ περὶ τελῶν. Sed forte Chrysippus pro ἐπιστήμης voce aptiorem ἐμπειρίαν posuit. G.

8. *Alterum significare idem, ut si diceretur.* Gœr. dat *significari.* Sic, inquit, Spir. et Erl. *Significare* scribarum esse videtur, veram auctoris manum haud assequentium. Constructio pergit: « tria significari Stoici dicunt: unum ejusmodi...alterum significari, etc. » Denuo autem idem verbum ex auctoris more additur, ut sic lectoris animus ad prægressorum tenorem clarius revocetur.—*Si* deinde primus adjecit Lamb. non *ut*, quomodo ex miro errore Gruterus dicit, et qui verba hujus repetiverunt: nam *ut* est scriptorum editorumque omnium. At *si* Palatini primi est, itemque Spir. et Erl. *Ut si* nempe, quum *ac si* valet, et scribas, et VV. DD. errare fecit. — Maunt. tollit hæc omnia: « significare idem, ut si diceretur », tamquam loci intelligentiæ obstantia.

9. *Illud enim rectum est, quod κατ. dicebas, contingitque sapienti soli.* Gœr. delet *est*, et *que* post *contingit.* Ita, inquit, constanter ante Grut. vulgatum est: sed hic dedit ex Pal. 1, ut ait, « illud enim rectum est, quod.....dicebas, contingitque sap. soli »: idque fecit ideo, quod etiam reliqui Pall. *que* tenerent. Copula, præter Bas. nostrorum quoque omnium est. At videtur Grut. non plena fide egisse: nam in Spir. et Erl. *quod* ignoratur, cum quibus plene Crat. consentit; nisi quod cum reliquis edd. vett. *que* ignorat. Satius igitur fuit prius vulgatam cum Davis. revocare, quam codd. sequi, in quibus ipsis turbatum est. Huc accedit, quod *est*, per se jam incommode interpositum, in uno Davisii ante *rectum* legitur, et *que* ab eodem, ut ab Eliensi, nostroque Bas. et Vien. abest.

10. *Tertium autem, omnibus, aut maximis rebus.* Spir. et Erl. *aut* ignorant: quod, ut *omnia minima* Nat. Deor. I, 24, 67, bene dictum videatur. At Gud. 2 pro *autem* exhibet *aut...aut:* quod ipsum valde arridet,

bus iis, quæ secundum naturam sint[11], fruentem, vivere, hoc non est positum in nostra actione. Completur enim et ex eo genere vitæ, quod virtute finitur, et ex iis[12] rebus, quæ secundum naturam sunt, neque sunt in nostra potestate. Sed hoc summum bonum, quod tertia significatione[13] intelligitur, eaque vita, quæ ex summo bono degitur, quia conjuncta ei virtus est, in sapientem solum cadit; isque finis bonorum, ut ab ipsis stoicis scriptum videmus, a Xenocrate atque ab Aristotele[14], constitutus est. Itaque ab his constitutio illa prima naturæ[15], a qua tu quoque ordiebare, his prope verbis exponitur.

si contuleris Tusc. V, 30, 84: « nihil bonum (esse), nisi naturæ primis bonis (rectius *bonis* ut glossema delebis), aut omnibus, aut maximis, frui ». Qua igitur, hoc in trivio, ad verum evademus? Nobis quidem vulgata amplectenda videtur, quum auctor satis probabiliter hæc ad præcedd. « officia omnia media aut pleraque » accommodasse dici possit; quumque in simplici *aut* scribæ fere offendant, facileque vel hæc omitti, vel altera addi potuit. Hæc vero *aut* pro *vel certe* dicitur, ut sæpe. G.

11. *Sint.* Gœr. *sunt.* Sic, inquit, e Spir. et Erl. correximus. Sæpe enim vidimus auctorem in circumlocutione indicativum ponere, eumque a scribis corrumpi: qui vel per se ipse h. l. præferendus est.

12. *Completur enim et ex eo... finitur, et ex iis.* Turbatur in his varie, sed ita, ut appareat scribas in consueta auctori dicendi ratione offendisse. Nam alii, *et* deleta, *ex eo*, alii *et eo*, *ex* rejecta, præbent. Gud. 1 et editi vett. plures *ex his*. Prave. Ut enim auctor constanter « et is... et is »; sic Legg. I, 17, 47, « vel ab iis ..... vel ab ea ». Tuscul. IV, 7, 16: « non in eo... sed etiam in eo, etc. » — Pro *finitur* multi codd. tresque e nostris *fruitur*, quod Davis. recepit. Sed scribæ elegantem verbi *finiri* vim non assequuti sunt, qua *contineri*, *comprehendi*, notat; conf. supra III, 14, 46: « quorum omne bonum convenientia atque opportunitate finitur ». Davis. recte græcum τελειοῦται comparat. Paullo post aliis verbis, « quia conjuncta ei virtus est », i. e. « quia tota virtutis est ».

13. *Tertia significatione.* Ita tres optimi nostri: reliqui inepte cum vulgata ante Gruterum ex compendii vitio *certa* referunt. G.

14. *A Xenocrate atque ab Arist.* Præponit Cicero Xenocratem ut Academiæ secundæ, quam ipse sequitur, parentem. *Crantor* autem, *Polemo* et *Xenocrates* in ethicis proxime se ad Peripateticos accommodarunt. G. — *Ab Arist. const. est.* Hic explicit in plerisque edd. cap. VII.

15. *Constitutio illa prima naturæ.* Vulgatur *natura*, et sic omnes nostri quoque. Sed quum hoc aperte corruptum sit, Scaliger haud inepte *pri-*

16 VII. Omnis natura vult esse conservatrix sui, ut et salva sit, et in genere conservetur suo. Ad hanc rem aiunt artes quoque requisitas [1], quæ naturam adjuvarent; in quibus ea numeretur in primis, quæ est vivendi ars, ut tueatur quod a natura datum sit, quod desit, acquirat [2]: iidemque diviserunt naturam hominis in animum, et corpus. Quumque eorum unumquodque [3] per se expetendum esse dixissent, virtutes quoque utriusque eorum per se expetendas esse dicebant: quum autem animum quadam infinita [4] laude

morum naturæ, Lambin. simpl. *naturæ;* quod idem ex Pal. 2 edidit Davis. Ernestius, ut solet, vitio reposito, tacet. Dicit auctor quidem *prima naturâ*, vide nos ad Acadd. I, 6, 22: sed hæc forma huc nihil pertinet. At si *naturæ* legeris, quo demum modo auctor «constitutionem naturæ» recte dicere potuit? Hoc olim nos ita movit, ut *vestra* scribi vellemus, quum Ven. 1494 *nostra* exhibeat, et hæc ubique ex comp. *n̄a* confundantur; *natura* autem eodem plane compendio scribatur, unde hæc ipsa miscentur. Cf. Heusingeros ad Offic. I, 31, 2: «Constitutio autem prima vestra foret, constituendorum Ethices principiorum apud Stoicos ratio». Sed, ut nunc quidem videmus, *naturæ*, quod etiam Marsus refert, verissime scribitur. *Constitutio* enim *prima naturæ* accommodate ad oratorum *constitutionem primam causæ* dicitur, id est, «primam quæstionem eorum, quæ ad causam referuntur»; de qua vide ad Herenn. I, 11, 81, et de Invent. I, 8 seqq. Nihil igitur sic rescribere dubitavimus. G.

VII. 1. *Aiunt a. quoque requisitas.* Vien. *addunt* in marg. sed probum vulgatum est; quod modo virgolis distinguendum erat.—*Requisitas* denique Spir. et Erl. cum tribus Oxonn. firmant, reliquis nostris, cum olim vulgatis, *exquisitas* peccantibus. G.

2. *Quod desit, acquirat.* Ern. hæc ad Offic. I, 4, init. comparans, *anquirat* mavult. Haud male quidem: sed quum, quæ *desunt*, proprie *acquirimus*, nihil correctione opus est. Adde, quod numquam *ars anquirere* dicitur: quamquam nec Gernhardo ad Offic. I, 3, 10, plenam fidem habemus, qui nos *nobis* modo *anquirere* jubet, *aliis* vetat. G.

3. *Eorum unumquodque.* Spir. Erl. *utrumque*, quamquam id quidem Grut. de Pal. 1 negare velle videtur: atque ita ediderunt P. Manut. et Dav. Sed ex certa glossa, ut vel Pal. 2 docet, qui *utrumque unumquodque* jungit. Similiter haud ita raro *unus* de binis dicitur, si *alter* opponitur. Si recte h. l. auctor *singulum quodque* dicere potuisset, hoc forte maluisset. Conf. Herenn. IV, 27, 37: «Disjunctio est, quum eorum, de quibus dicimus, aut utrumque, aut unumquodque certo concluditur verbo». G.

4. *Quum autem animum quadam infinita laude.* In quibusdam edd. deest *autem*. Recte viderunt iott. particulam nexui inservientem deesse,

antepouerent corpori, virtutes quoque animi bonis
corporis anteponebant. Sed quum sapientiam totius 17
hominis custodem et procuratricem esse vellent, quæ
esset naturæ comes et adjutrix[5]: hoc sapientiæ munus
esse dicebant, ut eum tueretur, qui constaret[6] ex animo
et corpore; in utroque juvaret eum atque[7] contineret.
Atque ita re primo simpliciter collocata[8], reliqua sub-
tilius persequentes, corporis bona facilem quamdam

suaseruntque *et*, *sed*, *autem*. Quod postremum Davisii, ab Ern. neglectum, merito præferes, quum compend. *am* ob sequentem vocem excidere facile potuerit. — Deinde transponunt Erl. Bas. Mou. Crat. « infinita quad. laude ». Quod tum, si *quidam* pro *quodammodo* dicitur, sine omni necessitate fit. Conf. Fin. II, 19, 60: « quodam animi ardore ». Offic. I, 14, 44: « non tam natura liberales, quam quadam gloria ductos ». G.

5. *Quæ esset naturæ comes, et adjutrix*. Ernest. hæc, quum nihil differant a præcedentibus, abesse facile patitur: nos non item. Moris enim Ciceroniani est, notionem obscurius expressam, enuntiato per relativum juncto, variatis verbis explicatiorem proponere. Exempla satis multa passim notavimus. Quum vero priori enuntiato hoc, velut interpretamentum, additum esset, idem quoque in seq. « hoc...corpore », factum putabis, quippe cui verba « in utroque » (i. e. « quoad utrumque...contineret ») itidem explicandi causa adduntur. *Quæ* est *ut ea*; et *naturæ* intelliges, ut toties usu venit, *humanæ*. G.—Offendere nos « sapientia... naturæ comes » non debet. *Natura* enim Stoicis est « dispositio ad virtutem quacum nascimur: ἡ φυσικὴ πρὸς ἀρετὴν ἕξις, constitutio prima naturæ » § 15. At *vitæ* non tam *comes*, et *adjutrix* esse *sapientia* debet, quam *rectrix* potius et *gubernatrix*. G. in Additam.

6. *Ut eum tueretur, qui constaret*. Suadet Nisseo. « ut eum tueretur, et quia const. » Sed *eum* notat *talem*, et de reliquis nota præced. diximus. G.

7. *Atque contineret*. Gœr. dat *ac contineret*. Sic, inquit, Davisius ex hujus 5, et sic bini nostri quoque, vulgatæ *atque* loco dedit. Non male; quum continuo *atque* recurrat. Notandum tamen est, ex more pæne constanti auctorem *et* verbo huic præmittere. Quare prætereundum non est, Spir. « eum juvaret contineret », et Erl. « enim juv. cont. » utrumque copula omissa, exhibere. Inde haud improbabile videatur legendum esse, « eum juvaret et contineret »; *ac* autem et *atque* a scribis esse repetendum. Si tamen nostro ex arbitrio locus refingendus foret, scriberemus, « et in utroque juvaret, et contineret ». Pronomen in his displicere repetitum debet. *Et* vero, præcedente *e*, facillime exteri potuit.

8. *Re...simpliciter collocata*. E. et ξ. *collecta*. Per se non male; sed ut glossema probum. Nam idem vulgata valet, idque exquisitius, sic ut simul ad justum rei collectæ ordinem respiciat. Gud. a *simpliciter* ignorat; sed prave, quum *subtiliter* opponatur. G.

rationem habere censebant : de animi bonis accuratius exquirebant. In primisque reperiebant, in his inesse justitiæ semina[9], primique ex omnibus philosophis a natura tributum esse[10] docuerunt, ut ii, qui procreati essent, a procreatoribus amarentur, et id, quod temporum ordine antiquius est, ut conjugia virorum et uxorum natura conjuncta esse dicerent; qua ex stirpe orirentur amicitiæ cognationum. Atque ab his initiis profecti, omnium virtutum et originem, et progressionem persequuti sunt. Ex quo magnitudo quoque animi exsistebat, qua facile posset repugnari obsistique fortunæ, quod maximæ res[11] essent in potestate sapientis. Varietates autem injuriasque fortunæ facile veterum philosophorum præceptis insti-
18 tuta vita superabat[12]. Principiis autem a natura datis, amplitudines quædam bonorum excitabantur, partim profectæ a contemplatione rerum occultiorum[13], quod

9. *In his inesse...semina*. Gœrenz scribit : « inesse in his...semina », Turbatur, inquit, in prioribus verbis. Spir. « esse in his ». Erl. « esse in hiis ». Gud. 2 et Bas. « inesse in his ». Mars. Crat. aliæ, « in his esse ». Sæpius autem vidimus, miscere librarios in forma *inesse in*, si ad rei alicujus naturam refertur; atque tum sic, nec aliter, scribi debere. Offenderunt iidem h. l. in positu; quo male vulgata « in his inesse » præbet, quum in verbi asseveratione enuntiati pondus ponatur. Receptus a nobis ordo certus et indubitatus est; conf. præterea supra § 12 : « Inest in eadem explicatione naturæ, etc. » Ceterum simpliciter « semina malorum, virtutum », de « primis rei incrementis » dicuntur. Inferius per *initia* explicantur.

10. *A natura tributum esse...ut*. Davis. e quatuor suis, et Victorians *a* delevit. Ignorant item præpositionem tres nostrum optimi, Vien. et Crat. Tamen *a* deletam nolumus, quum hac in forma, toties recurrente, nusquam nobis exemplum omissæ præpos. obviam fuit. — Deinde auctor v. *natura* Deum dicit, et *tribuere* de beneficio collato accipit; ut « a natura tributum » id ipsi valeat, quod, « deo acceptum referatur » : quæ ipsa præpositionis absentiam vetant. Sæpe autem scribæ hac in forma præpositionem intempestive omittunt. G.

11. *Maximæ res*. Intell. quæ ad animum spectant, ut virtutes, cognitiones, quas fortuna tollere non potest.

12. *Facile veterum.....superabat*. Hoc vult, nullis ad hanc rem novis Zenonis et Stoicorum præceptis opus fuisse. G.

13. *Rerum occultiorum*. Oxon. E. ξ. Gud. uterque Bas. Crat. *occultarum*.

erat insitus menti cognitionis amor, ex quo etiam rationis explicandæ disserendique cupiditas[14] consequebatur. Quodque hoc solum animal natum est pudoris ac verecundiæ particeps, appetensque conjunctionem hominum ac societatem[15], animadvertensque in omnibus rebus, quas ageret, aut diceret, ne quid[16] ab eo fieret, nisi honeste et decore; his initiis, ut ante dixi[17], tamquam seminibus, a natura datis, temperantia, modestia, justitia, et omnis honestas perfecte absoluta est.

VIII. Habes, inquam, Cato, formam eorum, de 19
quibus loquor, philosophorum[1]. Qua exposita, scire

Atque auctor sane ubique fere positivo maxime, si de physicis loquitur: vocat enim eas « occultas et a natura involutas » Acadd. I, 4, 15; « occultas et penitus abditas » Nat. Deor. I, 18, 49, et sæpe similiter. At hoc loco nullam justam causam videmus, cur vulgatam, melioribus nostris probatam, deseramus, quum *occultiora* simpliciter sint « difficiliora perspectu ». Neque audiendus est Monac. qui post *contemplatione* addit *naturæ:* sæpe enim sic auctor simpliciter. Orta vox est ex repetita syllaba *ne*. G.

14. *Rationis explicandæ disserendique cupiditas*. Ita nostri, exceptis Gud. 2 et Monac. In vett. edd. erat « rationis, explicandi disserendique cupiditas », quod, per se non ferendum, bene primus Lambinus sustulit, praveque Gruterus reduxit. G.

15. *Conjunct. hominum ac societatem*. Æque prava ante Davis. « appetens conjunctionum ... societatum » vulgabatur, quatuor quoque nostris rectius, cum totidem Davisii, binis Oxonn. editisque vett. cunctis comprobantibus. G.

16. *Ne quid*. Gœr. scribit *ut ne quid*. Non bene, inquit, Ern. *ut*, a Davisio ex ejus quinque codd. receptam, confirmatamque inf. 15, 41, *ut ne qua*, et auctori omnino hac in forma familiarem, denuo expulit; quum toties *ut* ante *ne* a librariis consulto negligatur. Quatuor Oxonn. Vien. omnesque nostri (nam vel Gud. 2, qui *aut* peccat, *ut* defendit) eamdem nos reponere jusserunt.

17. *His initiis, ut ante dixi, tamquam seminibus*. Mire ignorant tres illi potiores nostri *tamquam*; ut jure quodam nostro *tamquam* transpositum dicere liceat, hoc modo suo loco reddendum, « tamquam, ut ante dixi, seminibus ». Quamquam enim supra mitigandi particula non adest; hoc tamen loco ea ægre carueris, nisi, « vel, ut ante dixi, seminibus », scripseris. Vulgatum ordinem tum modo probarim, si *et* ante *ut* inseratur. G.

VIII. 1. *Formam eorum ... phil.* Gœr. scrib. *f. illorum omnium ... ph.* notatque: Inserunt ante *eorum* Oxon. χ. Gud. 1, 2, Bas. Monac. Mars. Ven. 1494, aliæ, *illorum*. Oxon. E. *illorum*, omisso *eorum*; cujus loco Vien.

cupio, quæ causa sit, cur Zeno ab hac antiqua institutione[2] desciverit; quidnam horum ab eo non sit probatum. Quodne omnem naturam conservatricem sui dixerint[3]? an quod omne animal ipsum sibi commendatum, ut se et salvum in suo genere, incolumeque vellet? an, quum omnium artium finis is esset, quid natura maxime quæreret[4], idem statui debere de totius arte vitæ? an quod, quum animo constaremus et corpore[5], et hæc ipsa[6], et eorum virtutes per

illorum omnium præbet. Nos quidem Viennensis lectionem amplectimur. *Eorum* enim non solum vage ponitur, sed etiam facile ex *ōm* in *em̄*, quo compendio *eorum* sæpius scriptum vidimus, mutari potuit. Quod quum semel invectum esset, vel *illorum*, vel *eorum* omitti cœpit, quippe quæ non coirent. Huc accedit, quod ubique hoc in libro Peripatetici, de quibus agitur, pronomine *illi* designantur : quodque ad *philosophorum*, si hujus vocis genitivus, ut amat Cicero, in clausula ponitur, plerumque *omnium* additur; cf. supra II, 21, 67. Nec inepte consensus *omnium* Peripateticorum adjungitur, quum in his rebus ne Stoici quidem plene inter se consentirent. — *Forma* hic est disciplina, doctrina.

2. *Ab hac... institutione*. Gud. 2, *constitutione*. Non male : quum sup. § 14, « constitutio prima naturæ » diceretur, ut alias sæpe. Sed ipsa vulgata bona probaque est; conf. 13, 32; 15, 41. Ignorant deinde Oxonn. E. ξ. et Bas. *ab hac*; sed ignorabant scribæ, cogitandum esse, « quam exposui ». G.

3. *Dixerint*. Omnes Oxonn. et quatuor nostri *dixerint*, ut monitu Davisii Ernest. edidit. Prius vulgatum *dixerit* aperte falsum est, quum Peripatetici intelligantur, opposita Stoicorum sententia, verbis, non re diversa. Conf. supra III, 5, 16. G.

4. *An, quum omnium artium finis is esset, quid natura maxime quæreret*. Brem. in adnott. scr. *id...quod*, scribi jubet, quum Cicero non hoc velit, artium finem esse investigare, quid natura maxime quærat, sed obtinere, quod naturæ maxime sit consentaneum. Ern. jam *quod* suaserat, *is* parum curiose relinquens. Nos cum Bremio facimus : sed ferri aliquo modo vulgatum potest, si *quid* pro « quid in quovis genere sit, id quod » acceperis, quod licet. *Quæreret* est *requireret*. Scripti editique vett. plane in vulgata perstant. G.

5. *An quod, quum animo constaremus et corpore*. Gœr. interpungit *an, quod quum*. Prave, inquit, vulgo post *quod* virgula rejicitur : unde Ern. *quod*, et Hotting. ad Divin. II, 28, pag. 235, *quum* deleri jubent. Sed ejus generis structura est, quæ *quod*, ad *si*, *etsi*, *nisi*, *quoniam* additum, abundare solet; cf. M. Heusing. ad Offic. III, 31, 7. Confertur denuo hæc Stoicorum sententia cum præcedente Peripatetica : verbis magis, quam re ab ea differens.

6. *Et hæc ipsa. Hæc ipsa* designant corpus et animum, et signifi-

se esse sumendas? An vero displicuit ea, quæ tributa est animi virtutibus, tanta præstantia? an quæ de prudentia, de cognitione rerum, de conjunctione generis humani, quæque ab eisdem de temperantia, de modestia, de magnitudine animi, de omni honestate dicuntur? Fatebuntur stoici, hæc omnia dicta esse præclare; neque eam causam [7] Zenoni desciscendi fuisse. Alia quædam dicent [8].

Credo, magna antiquorum esse peccata, quæ ille, veri investigandi cupidus, nullo modo ferre potuerit. Quid enim perversius, quid intolerabilius, quid stultius, quam bonam valitudinem, quam dolorum omnium vacuitatem, quam integritatem oculorum reliquorumque sensuum, ponere in bonis potius, quam dicere, nihil omnino inter eas res, iisque [9] contrarias interesse? Ea enim omnia, quæ illi bona dicerent, præposita esse, non bona; itemque illa, quæ in corpore excellerent, stulte antiquos dixisse per se esse expetenda; et sumenda potius [10], quam expetenda. Eadem-

cant: Utrumque expetendum esse per se, quod supra dixit Noster, cap. VII, § 16, « Quumque eorum unumquodque per se expetendum, etc. » ubi addit, ut præsenti etiam loco, « et eorum virtutes per se expetendas esse ». G. — Gœr. *hæc ipsa* perperam explicat: « quæ animo cum corpore communia sunt ».

7. *Neque eam causam.* Additur in vulgatis ante Davis. *enim*, quam hic, Grutero jam suadente, ex Pall. suisque pluribus sustulit. Nostri omnes ut *neque* referunt (uno in Gud. *nam*, in aliis *namque* peccatur), ita quoque *enim* ignorant. G.

8. *Alia q. dicent. Credo*, *m.* Gœr. hæc jungit hoc modo: « Alia q. dicent, credo: magna », alteramque interpunct. dicit et Ciceronis mori et sententiæ adversari, quæ est: « Alia eos allaturos esse puto v. c. magna, etc. »

9. *Iisque contrarias.* Miramur certe quanto odio pronomen *iis* Gœr. persequatur, ut vetet ne ullo loco appareat, quasi ferro flammaque illud delere decrevisset. Cui quidem hoc saltem loco parcere debuisset: nam quum præcedat *eas res*, elegantia suadebat ut de iisdem rebus loquens Noster, idem pronomen repeteret.

10. *Et sumenda potius.* Gœr. delet *et*. Recte, inquit, Bremius hac in copula offendit. Possis quidem *et* pro *sed* positam accipere; sed elegantius abest: quumque eam Spir. et Erl. ignorent, delevimus. Ceterum toto hoc loco valde in scriptis turbatur:

que de omni vita, quæ in una virtute consisteret: illam vitam[11], quæ etiam ceteris rebus, quæ essent secundum naturam, abundaret, magis expetendam non esse, sed magis sumendam; quumque ipsa virtus efficiat ita beatam vitam, ut beatior esse non possit, tamen quædam deesse sapientibus, tum, quum sint beatissimi[12]; itaque eos id agere, ut a se dolores, morbos, debilitates repellant[13].

ita tamen, ut apertum sit, librarios ironiam non cepisse. — Ego vero, inquit Moser, dudum antiquam Gœrenzii editionem mihi videre contigit, eam requiri sententiam existimabam: « quum sumenda potius sint, quam expetenda », eamque sententiam probabiliter restitui, si scribas: « at sumenda potius, quam expetenda », vel « sumenda potius esse, quam expetenda ». Non improbo Gœrenzii conj. si meam vero sequeris rationem, sensum babebis magia perspicuum. — *Præposita*, *sumenda*, *expetenda*. De his vid. III, cap. 15, 16, § 52, ibique notas; et Excurs. III ad Acadd. I.

11. *Eademque de omni vita*, etc. Gœr. delet *de* ante *omni*, et addit *et* ante *illam vitam*, notatque: Davis. jam ex quinque suis, et Victoriana, præpositionem *de* deletam voluit. Abest eadem a quatnor Oxonn. a nostris omnibus impressisque vett. nonnullis. Librarii quum nudos ablatt. non assequerentur, Spir. et Erl. *omnia*, God. 2 *omnium* dederunt. Sed sunt hi sexti casus ex intellecto *quoad* frequenti exemplo capiendi. Deinde novavimus de nostro Marte hoc, ut post *consisteret* adderemus *et*, puncto minori distinguentes; hac vi, ut *et* transitioni serviret, atque, ut toties solet, *porro* notaret. Ita demum contexta coeunt. Nam *eademque* valet, « itemque sumenda potius, quam expetenda » (lusit igitur ingenio Davis. quum *ea: denique* conjiceret), cogitabis nempe *valere*; pluriumque numerus ad distinctionem accommodatus est, ut sæpe. Jam pergendum proprie erat: « idem valere quoad illam vitam; quæ etiam... abundaret ». Sed auctor, pro more suo, plena verba adjecit, « magis expetenda.....non esse »; in quibus de προηγμένοις et ἀποπροηγμένοις sermonem fieri, ipse vides. Hinc *et* adjecta a nobis se ipsa defendit.

12. *Tum, quum sint beatissimi*. Ern. pro *sunt* dedit *sint*, comprobantibus quinque optimis nostris: idem cum Marso et Crat. edd. vett. referunt aliæ. G. — In his pergit baec ironia, qua inducit Cicero Stoicos loquentes, hoc sensu: Si alia bona admittas quam virtutem, inde sequuturum, ut sapiens non foret omnino beatus, si careret naturalibus bonis: quam ut vitarent consecutionem, Stoici sapientem doloribus, morbis, etc. ne moveri quidem statuerunt.

13. *Debilitates repellant*. Monac. « debilit. depellant ». E. ξ. « debilitatesque depellant »: sed vulgata præferri meretur. At vide, ne Bas. audiendus sit, qui *pellant* exhibet, quum sæpe illa composita ex hoc simplici nata sint. Conf. Offic. 1, 38, 6, ubi Fr. Heus. pro *repellere* recte *pellere* dedit. G.

IX. O magnam vim ingenii, causamque justam, cur 21
nova exsisteret disciplina! Perge porro. Sequentur enim, quæ tu scientissime complexus es, omuem insipientiam, et injustitiam[1], alia vitia similia[2] esse, omniaque peccata esse paria, eosque, qui natura, doctrinaque longe ad virtutem processissent, nisi eam plene consequuti essent, summe esse miseros, neque inter eorum vitam, et improbissimorum, quidquam omnino[3] interesse: ut Plato, tantus ille vir, si sapiens non fuerit, nihilo melius, quam quivis improbissimus, nec beatius vixerit[4]. Hæc videlicet est correctio philosophiæ veteris et emendatio. Quæ omnino aditum habere nullum potest in urbem, in forum, in curiam. Quis enim ferre posset ita loquentem eum, qui se auctorem vitæ graviter et sapienter agendæ profiteretur, nomina rerum commutantem[5]; quumque idem sen-

IX. 1. *Omnem insipientiam, et injustitiam*. Gœr. delet *et*. Hanc, inquit, part. præter Paris. 1, Eliens. 2, ignorant Oxon. ψ. Gud. 2, Monac. et Bas. delerique copula vel sine scriptorum auctoritate hoc in contextu merebatur.

2. *Similia* (ὅμοια) idem fere est, quod *paria* inferius additum; nihil enim vult ea magnitudine inter se differre.

3. *Omnino*. Ignorat Gud. 1 *omnino*. Et solet sane hæc part. post negativas a scribis addi: sed h. l. vim negationis jure auget. G.

4. *Nec beatius vixerit*. Tres Oxonn. totidemque nostri *beatus*. Philosophati scilicet scribæ videntur, quum scirent, *improbum* non posse esse *beatum*. Sed *nec beatius* est, « æque non beate, atque, etc. » G.

5. *Nomina rerum commutantem*. Hæc Gœr. uncis includit, notans: Jure suspecta hæc sunt P. Manutio, Davis. Ernestio: quis enim ista, his in contextis, Ciceronis putabit? Sæpe hic quidem notiones primarias repetit: at, ut hoc loco, tam hiulca, et distorta constructione, nusquam. Scripsisset certe, «ut nihil, nisi nomina rerum commutaret», vel similiter. Sed facile videre est, unde hoc glossema natum sit. Non enim viderunt scribæ *quum*, quæ sequitur, *licet* notare: apodosin igitur ab hac part. incipere opinati, non potuere, quin protasi aliquid de suo allinerent. Id autem tam læva manu fecerunt quum omnino apodosin, tum ejus participia spectantes. At his sublatis cuncta ex ordine procedunt. Nam verba, *quumque ... imponentem*, hoc valent: «at licet ejus sentiendi ratio a communi omnium nihil plane differret, tamen rebus iis, in quibus plane idem sentiret, alia nomina imponeret» (imponere

tiret, quod omnes[6], quibus rebus eamdem vim tribueret, alia nomina imponentem, verba modo mutantem, de
22 opinionibus nihil detrahentem? Patronusne causæ, in epilogo pro reo dicens, negaret esse malum exsilium, publicationem bonorum? hæc rejicienda esse, non fugienda[7]? nec misericordem judicem esse oportere? In concione autem si loqueretur, si Annibal ad portas venisset, murumque jaculo trajecisset, negaret esse in malis capi, venire, interfici, patriam amittere? An senatus, quum triumphum Africano decerneret; QUOD EJUS VIRTUTE, AUT FELICITATE[8], posset dicere, si neque virtus in ullo, nisi in sapiente[9], nec felicitas vere[10] dici

vellet). Repetitur continuo eadem sententia variatis verbis, idque plane ex auctoris more.

6. *Quumque idem sentiret, quod omnes.* Mire Gud. 2 non *idem*, sed *ratione* præbet. Quid? si inde scribendum sit, « quumque re sentiret, quod omnes? » nam *idem* sic haud valde desideraris: *re* autem et *ratione* ex comp. *r̄e* sæpe confunduntur. Inferius *modo* Gud. 2 in *vera* mutant, commistis compp. *m̄o*, *n̄o* et *ūa*. G.

7. *Rejicienda esse, non refugienda.* Rejiciuntur Stoici ἀδιάφορα τῶν ἀλήπτων, fugiuntur *mala*. *Rejicienda* autem sunt τῶν ἀποπροηγμένων, quæ auctor *rejecta* vertit; vide supra III, 16, 52, cll. Excursu III ad Acadd. I, § 36 (nostræ edit. pag. 192, 193). Spir. Erl. et Monac. peccant cum aliis, ex comp. male intellecto, *facienda*.

8. *Quod ejus virtute, aut fel.* Sunt verba in ipso decreto adhibita. — Ita primus Grut. e Pal. 4 consentientibus Pariss. apud Davis. Vulgabatur prius, « quid de ejus »; ut e nostris Bas. et Gud. 1 præbent: nam reliqui emendatæ lectioni favent. Recte autem idem Grut. vidit, hæc solemnia triumphi decernendi verba esse. Proprie quidem « quod ejus virtute, aut, quod ejus felicitate » scribendum erat: sed contractius dixit, verbis *quod ejus* non repetitis. Ita nihil necesse est, ut cum Ernestio *aut* renuas, *ac* suadens; modo *aut* vulgatis literis scribatur: vidimus enim sæpius *aut* pro *ac* dici, si diversæ notiones junguntur. G.

9. *In ullo, nisi in sapiente.* Scripti primo omnes *nullo*: quod male cum Nisseno ex illa constructione defenderis, qua *nescio*, *nego*, *nec*, auctori frequenter dicitur; quum ejus ratio in contracta horum verborum indole lateat, vide ad Acadd. II, 25, 79, cll. ibid. 47, 145. Nec quidquam huc faciunt loca, quæ Davis. excitat: quippe quæ vel corrigenda sunt, vel ad suam regulam revocanda. — Deinde *in* post *nisi* repetitam ex 4 Oxonn. Spir. Erl. Bas. et Monac. sustulit Gœr. quasi ortam ex compend. præcedentis vocis. Voces enim, inquit, « nisi sapiente » valent « nisi qui sapiens sit ». G.

10. *Vere.* Ignorat Monac. *vere*:

potest? Quæ est igitur ista philosophia, quæ communi more in foro loquitur, in libello, suo? præsertim quum, quod illi verbis suis[11] significent, in eo nihil novetur, de ipsis rebus nihil mutetur[12], eædem res maneant alio modo. Quid enim interest, divitias, opes, 23
valitudinem, bona dicas, anne præposita[13], quum ille, qui ista bona dicit, nihilo plus his tribuat, quam tu, qui eadem illa præposita nominas? Itaque homo in primis ingenuus et gravis, dignus illa familiaritate Scipionis et Lælii, Panætius, quum ad Q. Tuberonem de dolore patiendo[14] scriberet; quod esse caput debebat, si probari posset, nusquam[15] posuit, non esse

neque necessario hæc vox huc pertinet. G.

11. *Verbis suis.* Gœr. scribit *suis verbis*. Ita, inquit, recte nostri omnes transponunt, itemque Oxonn. E. ξ. Vulgata, *verbis suis*, vere languet. Sic Cic. in Epp. *meis verbis* sæpissime.

12. *De ipsis rebus nihil mutetur.* Hæc Gœr. ad uncos damnavit, quippe quæ absint a Gud. 2. Davisio, inquit, totus locus suspectus erat, sic ut pro *novetur* (cujus loco scripti omnes *movetur*), *mutetur* scribi, reliqua usque *Quid interest*, abjici velit. Ernest. sola verba, *nihil mutetur*, cancellis addixit. Bremio placet in nott. mscr. « in eo nihil movetur de rebus ipsis », reliquis cum Davisio deletis. Davisii ratio violentior est, quam ut eam sequaris; Ernestiana, binis modo verbis sublatis, non satisfacit: Bremiana denique elegans sane est, sed qua non videas, quare *ipsis* a scribis transpositum dicatur. At Gudiani 2 verborum abjectio satisfacere nemini non debet. Nam quæ in eamdem sententiam variatis verbis adduntur, prorsus ex more auctoris adduntur. In prægresso autem *novetur*, quod Lambini, et ante hunc Pet. Fabri ingenio debetur, certi sumus, veram auctoris manum restitutam esse: nam sæpe *n* et *m* in scriptis miscentur; unde v. c. supra § 21, *modo* in *non* mutatum vidimus. Ceterum, si collatori codd. ad editionem Oxon. fides est, E. *novetur* exhibet, quum modo ex 4 reliquis *movetur* enotetur. Crat. *moveatur*. Per se quidem optime: sed vix verosimile est, inter hos conjunctivos a scribis per indicat. esse peccatum; immo hoc natum ex correctione putamus.

13. *Quid enim interest...bona dicas, anne præposita.* Ern. *an* vult, *ne* deleta. Sed eadem ratio h. l. in omisso *utrum*, quæ alias in addito, si ipsi *ne* adhæret, valet. Cf. Acadd. II, 22, 71: « illudne quod multo... an, quod postea, etc. »—Monac. refert *dicatis*. G.

14. *De dolore patiendo.* Ad hunc Panætii librum haud dubie referuntur, quæ Gellius Noct. Att. XII, cap. 5, *de improbata* ab eodem *abjectaque* ἀναλγησίᾳ atque ἀπαθείᾳ narrat. G.

15. *Nusquam*, quod Ern. ex Eliensi, probante Davisio, pro vulgato *numquam* dedit, confirmant Sp. Erl.

malum dolorem; sed quid esset, et quale, quantumque in eo inesset alieni[16], deinde quæ ratio esset perferendi: cujus quidem, quoniam stoicus fuit, sententia, condemnata mihi videtur esse immanitas ista verborum[17].

24 X. Sed, ut propius ad ea, Cato, accedam, quæ a te dicta sunt[1], pressius agamus, eaque, quæ modo dixisti, cum iis conferamus, quæ tuis antepono. Quæ sunt igitur communia vobis cum antiquis, his sic utamur, quasi concessis[2]: quæ in controversiam veniunt, de iis, si placet, disseramus. Mihi vero, inquit, placet agi subtilius, et, ut ipse dixisti, pressius[3]. Quæ enim adhuc protulisti, popularia[4] sunt: ego autem a te[5] elegantiora desidero. A mene tu, inquam? Sed tamen enitar, et[6], si minus mihi multa occurrent, non fugiam

et Gud. 2. Refert item Cratandr. in margine. G.

16. *Quantumque in eo inesset alieni.* Tres nostri *esset;* quatnor Oxonn. *alicui.* Sed *inesset* natnram doloris speetat, a rationis hnmanæ natura alienam, et cnm ea pngnantem. Conf. Tusc. II. 21, 47. G.

17. *Immanitas* i. v. Sp. et Erl. cum nno Ursini *inanitas.* Non male sane, qnnm anctor hac voce, de errore quovis loquens, utatnr: sed vulgata, nt difficilior est, ita bene anetoris sententiæ convenit, qua Stoicorum sententiam, dolorem non esse malum, *immanem* vocat; quippe qnæ dòloris senans, hnmanæ naturæ consentaneos, exnere omnes jubeat. G.

X. 1. *Quæ a te dicta sunt.* Gœrenz scribit *quæ antea d. s.* Ita, inqnit, ex Spir. et Erl. dedimns, qnnm vulgatum *a te* per se parum fidei habeat. Addi enim, vel hoc admisso, *ante*, vel *antea* deberet, ut proximia, *quæ modo dixisti*, opponerentur. Sed etiam Gnd. nterque, *ad ea* præbentes, receptam qnodammodo confirmant. Peccatur in his vv. ab ntraqne parte. Cf. snpra 2, 3. *Antea* nempe Cic. in universnm disputarat, jam ad singula responsurus.

2. *Quasi concessis.* Int. quasi concessa essent. G.

3. *Pressius.* Explicant VV. DD. *accuratius, subtilius;* cf. Ern. Clav. v. *presse:* sed parum distincte. Notat eum, qni ab argumento non latius divagatur, sed idem arctius premit, et propriis verbis agit. G.

4. *Popularia.* I. e. « ad populi captum accommodata », opponnnturque *elegantiora* i. e. subtilins dispntata. Vide ad Acadd. II, 10, 32.

5. *A te.* Spir. Erl. et Gnd. 2, *a te* non admittunt: quibus nos quidem parum consentimus. G.

6. *Et, si m. m. multa occ. Et* jubet Matthiæ in *ut* mutari, pro *ita tamen ut non f.* at minus apta *ut* videtur, qnum *populare* disputandi genus respuat.

ista popularia. Sed primum positum sit[7], nosmet ipsos commendatos esse nobis, primamque ex natura hanc[8] habere appetitionem, ut conservemus nosmet ipsos. Hoc convenit: sequitur illud, ut animadvertamus, qui simus ipsi[9], ut nos, quales oportet esse, servemus. Sumus igitur homines; ex animo constamus et corpore; quæ sunt cujusdammodi[10]: nosque oportet, ut prima appetitio naturalis postulat, hæc diligere, constituereque ex his finem illum summi boni atque ultimi, quem, si prima vera sint[11], ita constitui ne-

Cato, subtilius philosophari requirens. Sed nec opus erit correctione, si adversativam vim in *et* agnoveris. Sensus est: « a me nimium exspectas, si elegantiora desideras. Sed tamen enitar, ut exspectationi tuæ satisfaciam: si vero talia minus se offerent ». G. — *Si minus mihi multa occurrent.* Hæc recte VV. DD. damnant. Davis. *multa* in *culta* mutat: Ern. *elegantiora* intelligit; mavult tamen vocem deletam. Sed nobis, ut Davisii *culta* parum placet, ita in neutra Ernestii ratione acquiescere licet. Placet potius, ut *nimis mihi involuta* scribatur. *Nimis* et *minus* ita in scriptis confunduntur, ut solius judicii sit, utrum horum quocumque loco ponendum sit. *Involuta* autem sæpe auctor « obscura intellectuque difficilia ». Sic Tusc. IV, 24, *notionem...involutam*, et inde recte Schütz Orat. 33, 116, *involuta rei notitia.* Sic volet auctor, in obscurius per philosophicam dicendi rationem expressis, popularem dicendi modum sequi.

7. *Sed primum positum sit.* Gœrenz scribit: *sed positum sit primum.* Ita, inquit, quatuor optimi nostri: vulgatus ordo « Sed primum pos. sit », scribarum videtur, *primum* non adverbialiter, sed adjective, accipientium. « Positum » est, « ad judicandum propositum »; atque ita absolute dicitur. Cf. supra II, 26, 83, « posuisti enim, dicere alios, etc. » — Si vulgato ordine auctor scripsisset, pro suo more *hoc* adderet. G. in Addend.

8. *Hanc.* Gud. *hanc* nescit, quod ante compendd. *he*, vel *hæ*, quibus *habere* scribitur, facile excidere potuit. G.

9. *Qui simus ipsi.* Nempe quoad hominis naturam, non quoad externa, et quæ accidunt.—Male inde Gud. 1 et Monac. qui *ipsi* abjiciunt. G.

10. *Quæ sunt cujusdammodi.* Recte hæc Ern. ex Græcis, ποῖά τινα, explicat; vid. infra V, 12, 36: « Jam vero animus non esse solum, sed etiam cujusdammodi esse debet ». Divin. II, 15, 34. Conf. in rei ipsius explicationem Acadd. I, 7, 25 seqq. G.

11. *Quem, si prima vera sint.* Spir. Erl. Monac. *sunt*; ut ante Grut. editum est: idque præferendum videtur, quum auctor h. l. non dubitantis, sed concludentis personam agat. Sed in proximo *sint*, quod Davis. primus reposuit, scripti omnes nostri consentiunt: editis vett. fere *sunt* exhibentibus. Iidem hi quoque magno numero ante *earum*, *scilicet* addunt; quod, ortum haud dubie ex proximo

cesse est, earum rerum, quæ sint[12] secundum naturam,
26 quam plurima et quam maxima adipisci. Hunc igitur finem illi tenuerunt : quodque ego pluribus verbis, illi brevius, secundum naturam vivere. Hoc his bonorum videtur extremum[13].

XI. Age nunc isti doceant, vel tu potius (quis enim ista melius?), quonam modo ab iisdem[1] principiis profecti, efficiatis, ut honeste vivere (id est enim vel ex virtute[2], vel naturæ congruenter vivere), summum bonum sit, et quonam modo, aut quo loco corpus subito deserueritis, omniaque ea, quæ quum secundum naturam sint[3], absint a nostra[4] potestate;

st, quum *sc* scribatur, codd. nostri merito ignorant. G.

12. *Quæ sint.* Vulgo *sunt* contra Mss tos. Davisius reposuit *sint.*

13. *Hoc his bonorum videtur extremum.* Omnes nostri cum duobus Oxonn. impressisque vett. Ven. 1494, Marso, Crat. aliis, *videatur :* unde magna nobis suspicio oritur, scriptum olim fuisse *judatur*, id est, *judicatur ;* ubique enim hæc verba scribis permutantur. Ceterum hæc verba velut clausulam additam putabis. Sæpe enim sic auctor ante transitionem, notione principali mutatis verbis repetita. — Neque cum Brem. in nott. mscrr. hærebis in *hoc his* (Peripateticis), *iis* suadens : sic enim auctoris dicendi morem obliteraris ; cf. N. D. II, 46, 119, *hunc horum ;* III, 22, 82, *ex his hanc ;* ibid. 45, 177, *ex hac hæc;* pro Sulla, 2, 6, *his horum.* G.

XI. 1. *Ab iisdem.* Gœrenz scrib. *eisdem.* Ita, inquit, cum Bas. Gud. 1, Victorio, pro *ab iisdem*, dedimus.

2. *Vel ex virt.* Gœr. scribit *e virt.* Pessime, inquit, vulgatur *ex*, nulloque codicum nostrorum addicente : semper enim auctor *e virtute vivere*, vide supra II, 11, 35. Conferas huc, quæ de discrimine inter *e* et *ex* ad III, 18, 60 egimus. Stoici autem ἐξ ἀρετῆς et κατ' ἀρετὴν ζῆν prorsus synonyma ponunt. — Offenderamus olim etiam in *enim* addita, quum auctor ad *id est* particulam addere non soleat. Sed primo nusquam per se *id est* parenthesin constituit, atque vel hac de causa parenth. illa ad Theophrasti *rotam* Tusc. V, 9, 24, a VV. DD. jure abjecta est. Deinde auctor hoc dicit, « his nempe verbis nihil aliud vultis, quam e virtute vivere, etc. » Quamobrem facile h. l. *enim* admittimus.

3. *Quæ quum secundum naturam sint.* Gœr. scribit : *quæ secundum naturam quum sint.* Hoc, inquit, meliore ordine Erl. Spir. Gud. 2. vulgo « quæ, q. s. n. s. » — De re ipsa notandum est, externa omnia Stoicos, et quæ corporis essent, et quæ fortunæ, ad τὰ οὐκ ἐφ' ἡμῖν, vel, quod idem est, ad τὰ κατὰ προαίρεσιν referre, id est, arbitrariis rebus, et ἀδιαφόροις adnumerare.

4. *Absint a nostra.* Bene Monac. *absint ab nostra ;* vide quæ ad Acadd.

ipsum denique officium. Quæro igitur, quo modo hæ tantæ commendationes a natura profectæ, subito a sapientia relictæ sint. Quod si non hominis summum 27
bonum quæreremus, sed cujusdam animantis; is autem esset nihil[5], nisi animus (liceat[6] enim fingere aliquid ejusmodi, quo verum facilius reperiamus): tamen illi animo non esset hic vester finis. Desideraret enim valitudinem, vacuitatem doloris; appeteret etiam conservationem sui, earumque rerum[7] custodiam, finemque sibi constitueret, secundum naturam vivere: quod est, ut dixi, habere ea, quæ secundum naturam sint[8], vel omnia, vel plurima et maxima[9]. Cujuscum- 28
que enim modi animal constitueris, necesse est, etiamsi id sine corpore sit, ut fingimus, tamen esse in animo quædam similia eorum, quæ sint in corpore[10]: ut nullo modo, nisi ut exposui, constitui possit finis bonorum. Chrysippus autem exponens differentias animantium,

II, 1, 3 diximus. Ita certe ex duobus optimis apud Corn. Nep. Epam. 1, 2, reponendum videtur, « abesse ab principis persona ». Similiter Cicero *abducere ab*; conf. supra lib. III, cap. 21, § 72.

5. *Is autem esset nihil*. Peccant scribæ in *is*, quum non intelligerent, *animantes ratione præditos* auctorem semper masculo genere efferre. G.

6. *Liceat*. Vulgo *licet*. Davisius primus reposuit *liceat* ex 7 suis. Oxonn. 4 nostri omnes, impressique vett. plerique damnant *licet*. G.

7. *Earumque rerum custodiam*. P. Manut. conjicit *suarum*, quod Davis. et Ern. tamquam deliberandum amplius ponunt. Sed ut conjecturæ hujus ambiguitatem mittamus, non viderunt hi VV DD. « ea », pro « talia, ejus generis alia », auctori dici. Off. I, 45, 2. « Ea Posidonius collegit permulta, etc. » G.

8. *Sint* nostri omnes firmant. Olim *sunt* editum est; per se ipsum minime contemnendum. G.

9. *Vel omnia, vel plurima, et maxima*. Bas. Gud. 1, 2, Monac. Oxonn. E. ξ. *vel maxima*. Perperam: *et* enim valet *et in his*, ut sæpe. Supra erat 6, 15, *omnibus*, *aut maximis*. G.

10. *Quæ sint in corpore*. Gœrenz scribit *sunt*. Ita, inquit, e quatuor optimis nostris, pro vulgato *sint*, reposuimus. Scribæ enim non minus, quam VV. DD. ex sensu quodam recti, sed exceptionis regula non stabilito, ad accuss. cum inf. conjunctivum addere amant. Hoc autem loci tenore dubitari nequit, ab auctore indicativum esse profectum. De ipsa horum indicatt. ratione sæpissime egimus.

ait alias earum [11] corpore excellere, alias autem animo, nonnullas valere utraque re: deinde disputat, quod cujusque generis animantis statui deceat [12] extremum. Quum autem hominem in eo genere posuisset [13], ut ei tribueret animi excellentiam; summum bonum id constituit, non ut excellere animo, sed uti [14] nihil esse, præter animum, videretur.

11. *Ait alias earum.* Ignorat Gud. 1 *earum*, idque facile abesse pateremur, nisi toties hunc cod. in omittendis vocibus peccare vidissemus: quamquam tum in proximis vix *autem* ferri poterit. — Ceterum hæc haud dubie Chrysippus in libris περὶ τελῶν, quos scripsit: certe hæc Chrysippea supra Cato III, 5, 18, sua fecerat. Ut vel inde intelligatur, Ciceronem libro III hunc ducem sequutum esse. G.

12. *Quod cujusque generis animantis statui deceat extremum. Animantis* Ern. in *animanti* mutari jubet. Bene quidem; sed sine omni necessitate. Amat potius auctor hos ex se pendentes genitt. et prorsus ex regula est, rectum casum regenti præmitti; quæ numquam læditur, nisi quædam his interponuntur. Peccant fere codd. *animantium:* sed vox ista h. l. collective sumpta, ut in proximis *hominem* positum vides. — Notandus deinde error est Davisii, qui, quum in Eliensi suo et Victoriana *debeat* reperisset, statim sic edidit, probante Ernestio. At, ut Græci χρὴ pro δεῖ ponunt, ita quoque Cicero sæpissime: ut recte vidit A. Wolf. qui bis nuper *decet* restituit, Tusc. I, 14, 32, et ibid. II, 3, 8. Idem repones, ut multa mittamus, Parad. 2, fin. *expetendum videri debet.* Præter enim tres nostros, qui *decet* exhibent, Gud. 2 ibi *decet vel debet* refert, glossa aperte glossato adjuncta. G.

13. *In eo genere posuisset.* Ignorant tres nostri principes *genere:* sed auctor hac prorsus ratione substantiva repetere amat, et in hac ipsa voce repetenda frequens est, v. c. Acadd. II, 16, 50: « de suo genere in aliud genus transferri, etc. » Scribit etiam Orat. 14, 42: « Dulce igitur orationis genus... est in illo epidictico genere: » (in quo intemperantiorem Schützium judicamus, qui de suo dedit, *est illud* ἐπιδεικτικόν. Cf. eumd. ad Orat. 27, 94; Orat. III, 28, 110, si addideris ibid. II, 15, 65). Quare jure nobis religioni duximus, ipsum auctoris morem obliterare, idque magis, quum voce abjecta ambiguitas quædam oriretur. G.

14. *Non ut excellere... sed uti.* Pro quo Gœrenz *ut* proponit.—Vulgabatur ante Davis. *non excellere*, qui ex uno Eliensi *non ut exc.* restituit; tribus illis nostris et Crat. in marg. consentientibus. Gud. 1 et Bas. *non dico excellere:* unde glossatoris manus facile agnoscitur. G. — Deinde pro vulg. *uti*, Gœr. scrib. *ut.* Præterquam, inquit, quod nullius exempli meminimus, ubi sic, *ut* præcedente, *uti* ponatur; omnes nostri, quatuorque Oxonn. *ut* præbent. Frequentata etiam seriori maxime tempore est *uti* pro *ut;* videturque in eo, ut in tot aliis, postera ætas priscos Latinos imitata esse, qui æque crebro usu *uti* frequentabant. Apud Cicer. certe, quamquam rarius legitur, sæpe tamen scribis debetur.

XII. Uno autem modo[1] in virtute sola summum bonum recte poneretur, si quod esset animal, quod totum ex mente[2] constaret: id ipsum tamen sic, ut ea mens nihil haberet in se, quod esset secundum naturam; ut valitudo est. Sed id ne cogitari quidem 29
potest, quale sit, ut non repugnet ipsum sibi. Sin dicit obscurari quædam[3], nec apparere, quia valde parva sint, nos quoque concedimus. Quod dicit Epicurus de voluptate[4], quæ minimæ sint voluptates[5], eas obscurari sæpe et obrui. Sed non sunt in eo[6] genere tantæ commoditates corporis, tamque productæ temporibus, tamque multæ. Itaque, in quibus, propter

XII. 1. *Uno autem modo*. Gud. 1 et Bas. *tamen*, pro *autem*, ex aperta glossa. Non viderunt enim scribæ vim in *Uno* præmisso, ut *uno tantum*, vel *unico* valeat. Tum quoque vidissent, *autem* transitioni, ut ubique solet, hoc suo loco servire.

2. *Totum ex mente*. Est, *reiner Geist, ohne Herz (tout esprit, sans cœur)*: nam in prægresso *animus* utrumque jungitur. Hinc supra, similia quædam in hoc *cum corpore esse*, dixerat: affectibus utrumque commoventibus, *etc.* qui ad *mentem* nihil pertinent. G.

3. *Sin dicit obscurari quædam*. Gœr. transp. *sin d. quædam obsc.* non admonito lectore, notatque: His respondetur ad ea, quæ III, 14, 45 seq. ponebantur; *et dicit* ad Chrysippum referendum est. Quæ nisi tenueris, vix te ex his expedies. Vult enim auctor, « vim rerum corporearum ad virtutis splendorem evanescere sic, ut nullum momentum faciant ».

4. *Quod dicit Epicurus de voluptate*. Nihil h. l. monent VV. DD. cur hæc sic abrupte dicantur. Sensere adeo scribæ: Gud. 2 enim post *Epicurus*, *etiam* addit; atque ita quoque Crat. Debet quidem *quod* pro *sed hoc* accipi: at in hoc, qui ad auctoris dicendi rationem rite attenderit, nondum plene acquiescet. Accipienda igitur *etiam* erit, vel alia via loco succurrendum. Nos quidem post *dicit*, *item* excidisse judicamus, quod, pro *etiam* positum, haud semel a scribis abjicitur, *cf.* Beck. ad Arch. Poet. 9, 32, ubi multi et boni codd. hanc part. intempestive ignorant. Hujus glossam puta a Gud. 2 additam: nam *etiam* eo loco, quo ponitur, minus probamus. G.

5. *Quæ minimæ sint voluptates*. Davis. *utilitates* scribi suadet: sed causam idoneam nullam dispicimus. Nam quod modo *voluptas* præcessit, hoc nullo modo ad hanc conjecturam invitare debebat. Epicurus enim corporis voluptates, voluptatibus animi comparatas, *minimas* dicebat, illasque ab his *obscurari* et *obrui*, i. e. vim earum frangi et hebetari. G.

6. *In eo genere*. I. e. *hac ex parte*. Hæc verba referuntur ad ea, quæ *obscurantur, nec apparent*. G. — *In eo genere* per se satis intelligitur, nec eget interp. *hac ex parte*.

earum exiguitatem, obscuratio consequitur; sæpe accidit, ut nihil interesse nostra fateamur, sint illa, necne sint: ut in sole[7], quod a te dicebatur, lucernam adhibere nihil interest, aut teruncium addere[8] Crœsi pecuniæ. Quibus autem in rebus obscuratio tanta non sit[9], fieri tamen potest, ut id ipsum, quod interest, non sit magnum. Ut ei, qui jucunde vixerit annos decem, si æque vita jucunda menstrua addatur; quia momentum aliquod habeat ad jucundum[10] accessio, bonum sit; sin autem id non concedatur, non continuo vita beata tollitur. Bona autem corporis huic

7. *Ut in sole.* Cf. supra III, 14, 45, « ut enim obscuratur et offunditur luce solis lumen lucernæ ». Ceterum *in sole* est, die aprico medio, quum solis radiis undique sis circumfusus: ita *in sole ambulare* dicitur Orat. II, 14, 60. Male igitur vulgo *sole lucente* Lexica interpretantur, quum sit de ea parte diei intelligendum, ubi solis ictus gravius sentiuntur. Hinc « In sole et pulvere » dicitur, etc. G.

8. *Aut teruncium addere.* Gœrenz scribit *adjicere*. Ita, inquit, Davis. ex suis pro vulgato *addere*; nec aliter Oxonn. nostrique: ut tanto consensui resistendum non esset. Supra erat l. l. « ut in divitiis Crœsi teruncii accessio ». Putabis vulgatum ortum ex compendio *adre*, ex quo toties *adigere* cum *adicere* (sic ubique librariis plene scribitur) commutatur.

9. *Obscuratio tanta non sit.* Gœr. transponit ex tribus suis optimis, *tanta obscuratio non sit*, quasi ordine meliore.

10. *Quia momentum aliquod habeat ad jucundum accessio.* Prave primum Bas. et Gud. 1, *habet*: nam directum tempus ad hæc contexta non coit; *quia* autem in obliqua structura frequenti exemplo subjunctivo jungitur. Deinde non probandum erat Ernestio Davisii *ea*, quod hic post *habeat* addi jubet. Qui enim aures adhibere potest, is statim intelliget, hoc pronomine odiosam moram injici, enuntiato celerius pronuntiando. Sæpe vero pronu. demonstrativa sic omittuntur. Si nihilo secius pronomen addendum putaris, eodem loco *illa* scribes, cujus comp. *ia* est. In reliqua lectione scripti impressique vett. fluctuant. Erl. Sp. Gud. 1 (ut Camerar. legi vult), *accessione*, Gud. 2 cum 4 Oxonn. aliisque *accessionem*; Bas. ψ. et reliqui cum edd. vett. plerisque, *jucundam accessionem*. Ex his forte vera lectio putanda foret, « ad jucundum, accessione bonum sit »: sic enim omnes has diversitates facili negotio explicaris. Vulgata niti dicitur Scaligerano, Lambinianis (in quibus alii « jucundam accessio » referre perhibentur), et Pal. 6. G. — Nobis melius ante *ut ei* cum Gœrenzio interpungi videtur puncto minore: nam hæc verba pendent e præcedenti sententia. Ceterum alterius membri *quia . . . accessio* sensus est: Quia enim hæc accessio aliquid affert jucundi, bonum vocari debet: sin autem hæc accessio nobis denegatur, etc.

sunt, quod posterius posui, similiora. Habent enim
accessionem dignam, in qua elaboretur[11]; ut mihi in
hoc stoici jocari videantur interdum, quum ita dicant,
si ad illam vitam, quæ cum virtute degatur, ampulla
aut strigilis accedat[12], sumpturum sapientem eam vi-
tam potius, quo hæc adjecta sint[13], nec beatiorem
tamen ob eam causam fore. Hoc simile tandem est 31
non risu potius, quam oratione ejiciendum[14]? Ampulla

11. *Dignam, in qua elaboretur.* I. e. « quam tibi conciliare studeas ». Gud. 1 et Bas. *in* ignorant; sed prave. In *elaborant* scripti consentiunt omnes. Inferius *laboret*, in eodem contextu, ponitur. G.

12. *Ampulla aut strigilis accedat.* Mira sane est hæc rerum *minimi momenti* designatio; nisi cum vilitate usus quoque eorum necessitas judicanda fuit. Hæc enim utensilia sunt balneorum, quibus Græci Romanique veteres ita adsueti erant, ut carere iis non possent. Jungitur sic etiam alias *ampulla strigili* Apulei. Floridd. p. 122, Bip. « Strigilem et ampullam, ceteraque balnei utensilia »; apud quem etiam accuratam utriusque utensilis descriptionem vide p. 121, ad quem locum Pet. Colvium conferas, aliosque Apuleii intt. G. —*Ampulla* vasculum vinarium e corio. Gestabatur a Cynicis, mendicisque. Plaut. in Persa, act. I, sc. 3, vs. 44 : « Cynicum esse egentem oportet parasitum probe: Ampullam, strigilem, scaphium, soccos, pallium, Marsupium habeat, etc. » Moaer..

13. *Quo hæc adjecta sint.* Conjectabat Gruterus, scripsisse Ciceronem *quoi*. Et videri potest non improbabile; quum testetur Velius Longus, lib. de Orthograph. scripsisse Veteres *quoi*, quod nunc scribimus *cui*. Illud *quoi* placuisse Lucretio, Catullo, Ciceroni, Virgilio, probant grammatici. Creditu facile est, cecidisse inter librariorum manus extremam literam, et ubi erat *quoi* remansisse *quo*. Etenim observat Jac. Perizonius, in Sanct. Minerv. III, 14, *quo* veterem esse dativum pronominis *qui* omnium generum, a plerisque habitum loco adverbii, atque gravi apice notatum. Anonym. cui Gœrenz assentitur.

14. *Hoc simile tandem est non risu potius, quam oratione ejiciendum?* Recte cavet Bremi, ne *rejiciendum* malis, laudans in nott. mscrr. Orat. I, 32; Fin. V, 8; Oudendorp. ad Suet. Neron. c. 37. Similitudo enim ab histrionibus petita est, si peccantes scenam relinquere sibilo plausuque sinistro coguntur. Vulgo hæc per interrogationem efferuntur : sed quo modo hanc VV. DD. ad hunc verborum positum aptare potuerint, nos certe ignoramus : nisi forte in *potius* postposito ejus rationem quæsiverunt. At sæpe sic auctor, v. c. Planc. 37, 90 : « numquam mehercule eos mortem potius, quam immortalitatem assequutos putavi ». *Tandem* valet, « tandem aliquando », ex frequenti usu auctoris. Itaque interrogandi signum, ut loco incongruum, sustulit Gœr.—Nos non videmus, quomodo interrog. nota deleta probabilis sensus elici possit.

enim sit[15], necne sit, quis non jure optimo irrideatur, si laboret[16]? At vero gravitate membrorum et cruciatu dolorum si quis quem levet, magnam ineat gratiam; nec, si ille sapiens[17] ad tortoris equuleum a tyranno ire cogatur, similem habeat vultum, ac si ampullam perdidisset[18]: sed, ut magnum et difficile certamen iniens, quum sibi cum capitali adversario, dolore, depugnandum videret, excitaret[19] omnes rationes fortitudinis ac patientiæ, quarum præsidio iniret illud difficile, ut dixi[20], magnumque prælium. Deinde non quæremus, quid obscuretur, aut intereat, quia sit admodum parvum; sed quid tale sit, ut expleat sum-

15. *Ampulla enim sit, necne sit.* Sc. quæ ad vitam cum virtute degendam accedat. G.

16. *Si laboret.* Nempe in re tam parvi momenti. His notatis facile cavebis, ne in his cum aliis hæreas. G. — *Grav. membr.* Lucret. III, 447: « Consequitur gravitas membrorum, præpediuntur Crura vacillanti, etc. » De phrasi, *gravit. m.* vid. Tusc. III, 1.

17. *Nec, si ille sapiens.* Bini nostri *ille* ignorant: quod nos quidem minime probamus. Innuit enim auctor *illum* Epicuri sapientem, « qui vel in equuleo exclamet, quam bene est! » Vere autem ad hunc respici, similis locus docet, supra III, 13, 42: « An vero certius quidquam potest esse, quam illorum ratione, qui dolorem in malis ponunt, non posse sapientem beatum esse, quum equuleo torqueatur? » quibus item tecte Epicuri sapiens petitur. G. — Nos autem non videmus quomodo Cic. hoc loco sapientem Stoicum non designet: nam ei nulla res est cum Epicuro: sed probandum est Stoicum ipsum non posse quin differentiam ponat inter ampullæ jacturam et equulei dolores; unde colligas, dolores corporis eam vim habere, ut inter indifferentia poni non possint; itaque ipsa virtute in beata vita æstimanda non prorsus obrui.

18. *Similem habeat vultum, ac si ampullam perdidisset.* Gœrenz scribit *et* pro *ac*. Sic, inquit, omnes nostri, cum binis Oxonn. et Vien. ut recte ante nos Davis. ex 5, Pal¹. 3, suis, et Victoriana dedit, Ernestio non parente. Cf. supra II, 7, 21; cll. V, 3, 9: « similem sibi videri vitam et mercatum eum, etc. »

19. *Videret, excitaret.* Dixeris auctorem ex consecutione excidisse, quum præsentia *cogatur*, *habeant*, præcesserint. Sed applicavit imperff. ad proxime antecedens plusquamperf. *perdidisset*, utpote quod auribus lectoris inhæreret. Talia exempla frequentia sunt; neque vituperanda, quum sic structuræ varietas adjuvetur. G.

20. *Illud difficile, ut dixi.* Spir. et Erl. transponunt *difficile illud*. Recte, si *quod dixi* scriberetur: sed ante *ut dixi* vox proxime præcedere debet, quam hæc spectant. G.

mam. Una voluptas e multis obscuratur[21] in illa vita voluptaria : sed tamen ea, quamvis parva sit, pars est ejus vitæ, quæ posita est in voluptate. Nummus in Crœsi divitiis obscuratur : pars est tamen[22] divitiarum. Quare obscurentur etiam hæc, quæ secundum naturam esse dicimus, in vita beata : sint modo partes beatæ vitæ[23].

XIII. Atqui, si, ut[1] convenire debet inter nos, est 32
quædam appetitio naturalis ea, quæ secundum naturam sunt, appetens[2]; eorum omnium est aliqua summa facienda. Quo constituto, tum licebit[3] otiose ista quæ-

21. *Una voluptas...obscuratur.* I. e. « si vel una voluptas obs. » et sic inferius, « si vel unus nummus, etc. » Tecta sunt diverbia pro, « si dixeris, unam modo voluptatem obscurari, tamen concedes...eam partem esse ejus vitæ, etc. » G.

22. *Pars est tamen div.* Forte legendum, « pars est tamen divitiarum illarum »; nempe *Crœsi*, non divitiarum quarumcumque. Compend. pronominis facile ex ultimis præcedentis vocabuli syllabis obliterari potuit. G.

23. *Sint modo partes beatæ vitæ.* Gœr. transp. *vitæ beatæ*. Hoc, inquit, ordine ex 4 nostris, et Crat. Cameraria, quæ *vitæ meæ* peccat, peccat tamen ex rectiore positu. Nam *beatæ* clausulam, ob sententiæ pondus, occupare debet.

XIII. 1. *Atqui, si, ut.* Ignorant Bas. et Gud. 1 *qui* : ex eo scilicet, quod, quum distracta voce *at qui* scriberetur, librarii *qui*, ut ad contexta ineptum, abjicerent. G.

2. *Appetens.* Lamb. utraque edit. *appetentis* de suo edidit : sed recte a Davisio coercitus est : est enim vulgatæ *appetens* verissimum. Forte Lamb. *ea* ad *appetitionem* applicavit, quum ad *appetens* referatur. G. — Hoc Lambinum offendebat, quod ipsa *appetitio* aliquid *appetere* dicatur; frustra tamen. Licet enim, inquit Davis. *appetitio* proprie non *appetat*, sed ille qui rei cujusdam desiderio tenetur ; tamen hujusmodi locutiones auctoribus sunt usitatæ. Sic non ambitio gratiæ vel odio subscribit, at id faciunt homines ambitione ducti. Nihilominus Phædrus lib. III, fab. 10, 56, dixit : « Ambitio namque dissidens mortalium Aut gratiæ subscribit, aut odio suo ». Sic neque *vox censet* nec *oratio indicat* : at homines qui vel voce utuntur, vel oratione. Hanc tamen loquendi formulam non refugit Cicero Tusc. V, 29, nec illam Plutarch. Consol. ad Apollonium, p. 106, B. Infinita sunt hujusmodi.

3. *Quo constituto, tum licebit.* Bremi in nott. mscrr. facile fert, si vv. *quo constituto* deleantur : idque non tam propter pleonasmum, quum talia apud Cic. toleranda sint (equidem nescio apud quos Latinos Græcosque non sint); sed referre ista verba ad *tum* inepti glossematis speciem; paremque rationem esse de Amicit. 15. Nobis secus videtur. Glossator enim primo, *qua constituta*, relate ad *summam*, scripsisset, quum contra Cice-

rere, de magnitudine rerum, de excellentia, quanta in quoque sit ad beate vivendum, de istis ipsis obscurationibus, quæ propter exiguitatem vix, aut ne vix quidem appareant.

Quid, de quo nulla dissensio est[4]? Nemo enim est, qui aliter dixerit, quin omnium naturarum[5] simile esset id, ad quod omnia referuntur : quod est ultimum rerum appetendarum. Omnis enim est natura diligens sui. Quæ est enim, quæ se umquam deserat, aut partem aliquam sui, aut ejus partis habitum, aut vim, aut ullius earum rerum, quæ secundum naturam sint[6], aut motum, aut statum[7]? Quæ autem natura suæ

ronis sit, neutra ad sententiæ præcedentis complexum accommodare. Deinde ita crebro usu idem part. *constitutus* usurpat, ut vix aliud verbum. Denique nos quidem nihil hoc in loco offendimus. Nam « quo constituto » valet, » hoc simulatque constitutum erit (summa eorum omnium facta) ». Talium autem abundantiarum ipse Bremius copiam collègit ad Cornelium Nep. Alcib. 6, 5, et Thras. 2, 4. Apud omnes vero et Latinos, et Græcos, *tum* et τότε multipliciter redundare, vix est, ut moneamus. Ceterum jam Suart. ad Tursell. p. 879, vidit, *tum* post duos abll. servire consequentiæ. De participio autem *constitutus* sic judicamus, multis id locis VV DD. apud Cic. sine jure vel expulisse, vel tentasse. Ita v. c. Verr. I, 16, 49 : « post hæc constituta judicia », valet, « ex quo judicia, ut nunc sunt, constituta sunt ». G.

4. *Quid, de quo nulla dissensio est?* Ita Spir. et Erl. reliquis nostris cum tot aliis *multa* peccantibus. Rectius dedere primo loco P. Manut. deinde Lambinus ex suis, firmante idem Eliensi Davisii. G. — Sensus est : Quid dicam de illo ab omnibus concesso principio, nempe, id ad quod omnia referuntur, i. e. summum bonum, simile esse, idem esse in omnibus naturis, seu generibus. Nemo enim est qui hoc non admiserit.

5. *Omnium naturarum.* Sic omnes scripti. Gœrenz tamen dat *naturalium.* Edendum erat, inquit, h. l. quod edd. vett. cum Marso, Ven. 1494, Crat. pluresque præbent. *Naturalia* enim sunt, quæ alias « secundum naturam esse » dicuntur, quæque in proximis, « aut partem... aut statum », accuratius iudicantur. Ita supra *prima naturalia* dicuntur. Ita demum recte cum his concinunt quæ sequuntur, § 33 : « ut simile sit omnium naturale illud ultimum », ad quem locum nos vide sis. G. — Cui J. V. L. assentitur. Sed nobis Gœr. conj. labefactare videntur quæ infra sequuntur : « Tum enim esset simile, si, etc. » et postea, « Quin potius ita dicis, omne animal applicatum esse ad id. etc. »

6. *Sint.* Gœr. scrib. *sunt.* Hoc, inquit, rectius nos e quinque nostris reposuimus.

7. *Aut motum, aut statum.* Horum

primæ institutionis oblita est[8]? Nulla profecto, quin[9] suam vim retineat a primo ad extremum. Quomodo 33
igitur[10] evenit, ut hominis natura sola esset, quæ hominem relinqueret, quæ oblivisceretur corporis, quæ summum bonum non in toto homine, sed in parte hominis poneret[11]? Quomodo autem, quod ipsi etiam fatentur, constatque inter omnes, conservabitur, ut simile sit omnium naturale illud ultimum[12], de quo quæritur? Tum enim esset simile, si in ceteris quoque naturis id cuique esset ultimum, quod in quaque excelleret. Tale enim visum esset ultimum[13] stoicorum.

loco Gud. 2, *motus...status.* Quod ne putes esse aliqua attentione dignum, notandum est, hac in re auctorem plurium numerum non amare: neque aliter Græci, nisi simplici, κίνησιν καὶ στάσιν.

8. *Quæ autem natura suæ primæ institutionis oblita est?* Prave in Davisiana et Ern. *sua* editur. « Prima institutio » est, quam nos dicimus *ursprüngliche Einrichtung (constitution originelle).* Cf. N. D. II, 13, 35. G. — Gœr. post *oblita est* virgula tantum interpungit, sed ipse in notis interrog. notam suadet.

9. *Quin*, valet *quæ*, *non.* Conf. Tursell. de Partt. p. 735. Sed videtur verbo substantivo repetito *nulla est* scribendum, interrogandi signo. Sic bene sibi, « quæ est enim...? » et, « quæ autem...est? » respondebunt. *Est* enim post *nulla* omissum exemplo idoneo nullo defenderis. G.

10. *Quomodo igitur.* Hanc vulgatæ lectionem tuentur Spir. et Erl. Reliqui nostri *quo igitur*, ut et alii aliorum plerique, quod prave reposuit Grut. Compendium vocis *quomodo* est *quo*, hinc infinitis locis a scribis *quo* peccatur: ut faciunt v. c. in proximis Gud. 2 et Bas. eadem partic. redeunte. G.

11. *Poneret.* Tres optimi nostri *poneretur.* Quod ex similitudine compendii syllabæ *ur* cum signo rogationis, quale scribæ pingunt, factum puta. Plura loca inde vitium traxerunt: sed de hoc alias. G.

12. *Ut simile sit omnium naturale illud ultimum.* Ita nostri omnes itemque impressi vett. At P. Manut. Lamb. et Davis. ex uno Sigonii codice *naturarum* dederunt; conuisi nempe loco illo, ubi superius *naturalium* correximus. Sed « omnium naturale illud ult. » est, « omnium naturalium naturale illud ult. » ut sæpe sic contracte auctor. Ita hæc et cum re ipsa (summum enim bonum debet simile esse omnium, quæ homo in bonis numerat, vel potius hæc continere debet), et cum superiori loco arcte cohærent. Dixit autem auctor *naturalia*, non *bona*, quoniam Stoici ea, quæ *secundum naturam* essent, non in bonis, sed in ἀδιαφόροις ponebant, eaque non expetenda, sed sumenda esse statuebant. G.

13. *Tale enim visum esset ultimum Stoicorum.* In his quomodo interpretes

34 Quid dubitas igitur mutare principia naturæ? quid enim dicis[14], omne animal, simul atque sit ortum, applicatum esse ad se diligendum, esseque in se conservando occupatum? Quin potius ita dicis, omne animal applicatum esse ad id, quod in eo sit optimum, et in ejus unius occupatum esse custodia, reliquasque naturas nihil aliud agere, nisi ut id[15] conservent, quod in quaque optimum sit? Quomodo autem optimum, si bonum præterea nullum est? Sin autem reliqua appetenda sunt[16], cur, quod est ultimum rerum appetendarum[17], id non aut ex omnium earum, aut ex plurimarum et maximarum[18] appetitione concluditur? ut Phidias potest a primo instituere signum,

acquieverint, nos plane ignoramus: quippe qui ista concoquere nullo tempore potuerimus. Sensit Brem. corruptelam loci in nott. mscrr. et *esse* legi jubet, hac constructione: « tale enim esse ultimum Stoicorum (supra) visum ». Sed nobis ne sic quidem contexta coeunt, si vel in miro verborum positu, eorumque nimia inde ambiguitate, nihil hæseris. In *visum* loci vitium quærendum esse non dubitamus; cujus loco Gud. 2, *unum* refert. Inde forte *verum*, i. e. « naturæ vere consentaneum », legendum. *Verum* autem pro *naturæ consentaneum* sæpe auctor. Cf. supra III, 19, 64, etc. Compendiorum similitudo hæc facile confuderit. G.

14. *Quid enim dicis. Dicis*, ut a Pal. 4, sic etiam a Gud. 2 abest. Abesse h. l. recte posse Grut. ait; nos negamus. Tum certe post *quid enim?* auctor sequentium positum sic mutasset, « occupatumque in se conservando ». Prioris enim enuntiati ordo tenendus fuisset, non invertendus: quod modo licebat interrogationis quasi impetu, ex interposito *dicis*, fracto. G.

15. *Id conservent, quod.* Gud. 1 et Bas. « id conservetur, quod: » nos h. l. vulgatum probamus: peccant enim scribæ in utramque partem. G.

16. *Sin autem reliqua appetenda sunt. Sin* ex Spir. et Erl. vulgati *si* loco correximus: valet enim, *at si contra*, atque tum recte ubique restituetur. Sæpe hoc modo *sin* reposuit Martyni Laguna, v. c. Divv. III, ep. 7 et 8. Iidem nostri quoque *sint* mutant: quod h. l. modeste instantia foret; atque ita haud alienum a reliqui loci tenore. G.

17. *Quod est ultimum rerum appetendarum.* Tres principes nostri *appetendum:* quod et aures magis probant, et bene congruit cum præcc. « reliqua appetenda ». At librarii nimis sæpe sic notis compendiorum neglectis. G.

18. *Et maximarum.* Hoc ignorat Gud. 2, atque Erl. *aut* pro *et* scribit: sed vide quæ supra 6, 15, cll. 11, 27, de hac formula monuimus. G.

idque perficere; potest ab alio inchoatum accipere, et absolvere. Huic est sapientia similis[19]. Non enim ipsa genuit hominem, sed accepit a natura inchoatum. Hanc intuens[20], debet institutum illud, quasi signum absolvere. Qualem igitur[21] natura hominem inchoavit? et quod est munus, quod opus sapientiæ? quid est, quod ab ea absolvi et perfici debeat? Si nihil in eo perficiendum est[22], præter motum ingenii quemdam, id

19. *Ut Phidias potest a primo... Huic est s. similis.* Gœr. ante *huic* duplex punctum ponit, deletque *est* post *huic* positum. Ipsum vero audiamus: *A primo* nostri reliqui firmant; aliis cum Monac. *a principio* per glossam exhibentibus; conf. infra V, 15, 41: « nunc vero a primo quidem mirabiliter occulta natura est... progredientibus autem ætatibus, etc. » Ita Græci quoque ἀπὸ πρώτου. Deinde pergere oratio *sic huic* debebat: sed particula hæc cum vi omissa locum dedit levi anacolutho. Denique refert vulgata « huic est sapientia similis »: sed pravo positu, quum in præcedd. *sapientiæ* facta mentio non esset. Spir. et Erl. « huic similis est sapientia ». Quod utique melius: sed Bas. optime, qui *est* ignorat. Inculcant enim scribæ ubique ad *simile* vel *dissimile* verbum subst. quod auctor ad hæc adjectiva omissum amat. Ita v. c. bis Acadd. II, 18, 57, primo *fuisse*, deinde *esse* infertur. Item bis nuper recte delevit Schütz, Orat. 71, 237: « etsi humilius dictum, tamen consimile ». Hoc loco *est* ejecto, vim suam, ut debent, et *sapientia*, et *similis*, recipiunt. Adde vulgatæ ambiguitatem, quippe ex cujus positu certus sensus prodeat, « hic Phidias habet sapientiam similem ». Ceterum si Cicero hoc loco Apellis Venerem imperfectam recordatus esset, hunc pictorem forte præ Phidia statuario ponere maluisset. Cf. Divv. I, epist. 9, 46, et Offic. III, 2, 14.

20. *Hanc intuens.* Gœr. addit *ergo* ante *intuens.* Hanc, inquit, vocem Davis. ex uno suo receperat: inde non paruit Ern. Sed testantur recte factum Spir. Erl. Victor. Crat. aliæ. Ven. 1494 *igitur:* hæc enim duo ex simili comp. ubique confunduntur. Hoc loco *ergo* vim opportunam consecutioni addit.

21. *Qualem igitur.* Spir. et Erl. *quare.* Sed ne de vulgata dubites: scribæ in *qualis*, pro *quali ratione* posito, hæserunt. Si *quare* scribendum esset, sequendus etiam Gud. 2 foret, *hominum natura* transponens. Jam vero vulgatus ordo probatior, quippe quo statim intelligatur, *qualem* ea vi esse, quam diximus. G.

22. *Si nihil in eo perficiendum est.* Gœr. scrib. « si nihil in eo, quod perficiendum est ». Ita, inquit, cum plerisque aliorum 4 optimi nostri. Gud. 2 *quod* ignorans, ante *in eo*, *quidem* addit. Monac. denique « sed nihil in eo, quod ». Vulgata ante Davisium, « in eo quidem perf. »; sed hic, quum ipsius quoque codd. *quod* referrent, neutrum admisit, cum Ursini codice et Pal. 5. At scribæ non sic peccant, ut in facillimis quibusque turbent. Immo *quod* hoc in positu, eos offendisse, haud mirum esse de-

est, rationem : necesse est, huic ultimum esse, ex virtute vitam fingere[23]. Rationis enim perfectio, est virtus. Si nihil, nisi corpus, summa erunt illa, valitudo, vacuitas doloris, pulchritudo, et cetera[24]. Nunc de hominis summo bono quæritur.

36 XIV. Quid ergo dubitamus in tota ejus natura quærere, quid sit effectum[1]? Quum enim constet inter omnes, omne officium, munusque sapientiæ, in hominis cultu esse occupatum : alii[2] (ne me existimes contra stoicos solum dicere) eas sententias afferunt, ut summum bonum in eo genere[3] ponant, quod sit extra nostram potestatem[4], tamquam de animali aliquo loquantur[5] : alii contra, quasi nullum corpus sit

bet, quum non viderent, *est* alterum ideo omissum esse, ut *nihil* majori vi poneretur. Inde hoc vel omiserunt, vel *quidem* correxerunt. Adde huc, post *nihil* libenter *est* omitti. Offic. I, 14, 7 : « Nihil enim liberale, quod non idem justum », cll. ibid. III, 7, 6. Neque ob *si* præcedens *est* desiderari debet, quum idem statim sequatur. Neque denique hujus ipsius loco *sit* malis : indicativus enim, ut sæpe, asseveranter ponitur.

23. *Ex virtute vitam fingere.* Bas. et Gud. 1 *augere.* Olim editum est *agere* : quod etiam Crat. præbet. Scribæ nempe verbi *fingere* elegantiam non assequebantur : quod auctor ex consociatione notionum posuit, Phidiæ supra injecta mentione ; nam *fingere* proprie de statuaria, pictoria, reliquisque plasticis artibus dicitur. *Ex virtute* est, « secundum virtutem, ad virtutis exemplar ». Torpuisse scribas, vel ex eo cernitur, quod in Spir. et Erl. vv. « vitam fingere » desiderantur. G.

24. *Et cetera.* Gœr. delet *et.* Copulam, inquit, recte quatuor nostri ignorant, Gud. 2 et Monac. eam retinentibus. Sæpe autem monuimus, *et* ante adjectiva collectiva a scribis addi. Græci eodem modo copulam omittunt, maxime Plato, apud quem compluribus locis καὶ sic eluenda est.

XIV. 1. *In tota ejus natura quærere, quid sit effectum?* *In* est *quoad*, ut sæpissime.—Nissen. jejunius, *quod sit perfectum*, suadet. G.

2. *Alii.* Int. Epicurei.

3. *In eo genere* (ἐν τούτῳ γένει) valet, *in ea parte*, vide ad Acadd. II, 30, 95. G.

4. *Extra nostram potestatem*, τὸ οὐκ ἐφ' ἡμῖν, corpus dicitur, quippe quod a rebus accidentibus pendeat.

5. *Tamquam de animali aliquo loquantur.* Gœr. scrib. *tamq. de non animali aliquo.* Quomodo, inquit, in vulgata lectione VV. DD. acquiescere potuerint, plane dispicere non est, nisi statuas, eos locum prorsus non intellexisse. Quod nos dedimus, ex conjectura quidem est, sed ea, quæ probari mereatur. Bas. *nominali quo*, Erl. *annali quo*, Gud. 2 *animali quo.* *Quo* ex alliteratione natum esse du-

homini[6], ita, præter animum, nihil curant : quum præsertim ipse quoque animus non inane nescio[7] quid sit (neque enim id possum intelligere), sed in quodam genere corporis; ut ne is quidem virtute una contentus sit, sed appetat vacuitatem doloris. Quamobrem utrique idem faciunt, ut si lævam partem[8] negligerent, dexteram tuerentur, aut ipsius animi, ut fecit Herillus[9], cognitionem amplexarentur, actionem relinquerent. Eorum enim omnium, multa prætermitten-

bium non est. Monac. et Crat. *de inanimali aliquo :* sed voce Ciceronis tempore prorsus inusitata. Inde *non animali* scripsimus, quippe quod in Bas. *nominali* latere videatur. Scribit autem auctor *non corpus* (*Nicht-Körper*) Acadd. I, 11, 39 : « Aut quod efficeretur, posse esse non corpus ». Ita quidem *non* cum substantivo suo tamquam una vox jungenda est. Cf. quæ plura collegit Spalding ad Quintil. Instt. oratt. IV, 1, 73. Qua ratione hoc loco adhibita, egregie cuncta conspirant. Intelligendus est enim Epicurus cum ejus sectatoribus, qui summum bonum voluptatem statuens, toties auctori ita loqui dicitur, « quasi animum non haberet ». — J. V. L. Gœr. conjecturæ minus assentitur; quam si non recipias, *animalis* intelligendum est tamquam *bestia*.

6. *Alii contra, quasi nullum corpus sit homini*. Gœr. scrib. *quasi corpus nullum sit hominis*. Primo, inquit, Gud. 1 *autem* exhibet; sic tamen ut supra alia manu *contra* ex diversa lectione notetur. Non videbat librarius, quomodo hæ sententiæ sibi essent oppositæ, quum in præcedd. *non* excidisset.—Deinde relinquendus erat vulgatus ordo *nullum corpus*, jubentibus scriptis omnibus : idque jure, quum ex oppositionis ratione sententiæ vis non tam in adjectivo, quam subst. quærenda sit. — Oliv. cum Gœr. habet *hominis*.

7. *Animus non inane n. quid*, etc. Mire auctor *inane* de animo corpore omni experte. Aptius Legg. II, 18, 45, *inane corpus*, tamquam de vase animi, dicit. Sed h. l. *inane* id intelligit, ad quod notio nulla adjungi possit : veteres enim animum ita penitus simplicem, et omnis σχήματος, ut cum Platone loquamur, expertem, ne cogitari quidem posse, judicabant. G. — Alibi rectius Cicero. Vide Tuscul. I, 27. Nihil tamen, quod omnino sit ἀσώματον, intelligere potuerunt e philosophis quam plurimi. Vid. Psellus de Oper. Dæmon. pag. 46. Hinc factum, ut dæmonas etiam heroas, aliasque gradus inferioris naturas rationales corporibus pro ratione conditionis aut crassioribus, aut tenuioribus instructas esse censuerint. Eadem fuit Origenis aliorumque Patrum sententia. Dav.

8. *Ut si lævam partem negligerent*. Id est, ita agunt, ac si miles ita dextrum modo latus tegere, et a telorum incursu tutum præstare vellet, ut sinistrum nudum et hostium telis expositum relinqueret. G.

9. *Herillus*. Carthaginiensis erat, summumque bonum in scientia pone-

tium, dum eligant aliquid[10], quod sequantur, quasi curta sententia[11]. At vero illa perfecta atque plena eorum, qui quum de hominis summo bono quære-
37 rent, nullam in eo neque animi, neque corporis partem[12] vacuam tutela reliquerunt. Vos autem, Cato, quia virtus, ut omnes fatemur, altissimum locum in homine et maxime excellentem tenet, et quod eos, qui sapientes sunt, absolutos et perfectos putamus, aciem animorum nostrorum virtutis splendore præstringitis. In omni enim animante est summum aliquid atque optimum, ut in equis, in canibus; quibus tamen et dolore vacare opus est, et valere. Sic[13] igitur in homine perfectio ista, in eo potissimum, quod est optimum, id est, in virtute laudatur[14]. Itaque mihi non satis videmini considerare, quod iter sit[15] naturæ,

bat, quam statuebat esse ultimum, ad quod omnia referri deberent. Contra Zenonem scripsit. Cf. infra V, 8, 23.

10. *Dum eligant aliquid, quod.* Bas. et Gud. *aliquod, quod;* Spir. et Erl. *aliquod*, omisso *quod*. Sed *aliquid* h. l. verum est. G.

11. *Quasi curta sententia. Curta* est *mutila, decurtata*; cf. Orat. 51, 173: « Nihil inconditum, nihil curtum, nihil claudicans, nihil redundans ». Unde patet *vitiosam brevitatem* hac voce notari. Opponuntur *perfecta et plena*. G.

12. *Neque animi, neque corporis partem.* Gud. 2 post *animi* vocem *vim* addit, et Bas. *a nimium*, quod ex eadem lectione corruptum est. Scribæ non ferebant auctorem de *parte animi* loquentem: sed cf. supra Fin. II, 34, 113. G.

13. *In omni enim animante ... Sic igitur.* Desiderat Ern. particulam, quæ ad *sic* referatur, addique post *animante*, *ut* jubet. At *sic*, vel nude posita, frequenti exemplo in consecutione dicitur; vide Legg. I, 11, 31. — *Enim* pro *autem* dicitur, quum hæc sint refellentia. — In iisdem his Monac. *aliquod* præbet; sed *aliquid* h. l. ferri recte potest. G.

14. *In virtute laudatur.* Davis. conjicit *locatur*, quod, ut elegans, prædicat Ernesti. At ista elegantia ut paullo coactior foret, ita certe auctoris non est: nam quæ Davis. exempla profert, ea nihil huc faciunt, nisi potuisse sic h. l. scribere auctorem. Vulgata est etiam selectior. *Laudatur* enim valet, « laudari, æstimari meretur: » et *in* notat *quoad*, *quod attinet ad*, ut innumeris locis. G. — Vertit interpres gallicus: *Il en est de même de l'homme, dans lequel ce qu'il y a de principal et de plus parfait, c'est la vertu.*

15. *Quod iter sit naturæ.* Sic Gud. 1, Bas. et Monac. cum Pal 4, Scaligerano, et quatuor Davisianis: reliqui cum edd. ante Grut. *intersit* peccant. *Iter* ex græcæ vocis ὁδὸς vi dici-

quæque progressio. Non enim [16], quod facit in frugibus, ut, quum ad spicam perduxerit [17] ab herba, relinquat, et pro nihilo habeat herbam, idem facit in homine, quum eum ad rationis habitum perduxerit. Semper enim ita assumit aliquid, ut ea, quæ prima
dederit, ne deserat. Itaque sensibus rationem ad- 38
junxit; et, ratione effecta, sensus non relinquit [18]. Ut si cultura vitium, cujus hoc munus est, ut efficiat, ut

tur, et illa, ὁδῷ βαδίζειν, et ὁδῷ προϊέναι, notissima sunt. Posteriorem dicendi rationem auctor ob ea, quæ adduntur, in mente habuisse videtur. Cf. Budæi Commentt. L. Gr. p. 462. G.

16. *Non enim.* Vehementer codd. bis in vv. turbant : sic tamen, ut scribas structuræ rationem latuisse pateat. Quæ hæc est : « non enim idem facit (natura) in homine, quod facit in frugibus, etc. » Solet autem ex more auctor comparatum comparando præmittere. Recte igitur Davis. *hoc* sustulit, quod in vulgatis post *enim* addebatur, quodque e nostris Monac. Gud. 1 et Gud. 2 (qui *enim* nescit) referunt. Erl. et Spir. quoque *non enim* ignorant. G.

17. *Ad spicam perduxerit.* Nempe *natura :* et quidem « ad spicam, messi maturam ». Male igitur Bas. et Gud. 1 *produxerit :* quod idem vitium etiam inferius cum iisdem Spir. et Erl. communicant. G.

18. *Sensibus rationem adjunxit ; et, ratione effecta, sensus non relinquit.* Vulgatur *adjunxit ... reliquit*, quorum perfectorum loco Ern. præsentia dedit, *adjungit*, *relinquit :* quippe qui in edd. vett. *relinquit* reperisset. Recte hoc reposuit; sed necesse non erat, ut item illud sollicitaretur; in quo et codd. et impressi vett. perstant. *Relinquit* referunt tres Oxonn. binique nostri : nec mirum viderit debet, si hoc, ad præcedentis perfecti exemplum, in reliquis codd. mutatum reperitur. *Adjunxit* autem recte se habere videbis, si reputaris, naturam hominem una cum sensuum facultate ea quoque rationis, simul cum vita, exornasse, sed hanc sensim sensimque ab illa explicari et perfici, velut ab artifice ex trunco statuam. Hinc consulto adhibitum *effecta* putabis, scilicet *a natura :* eodem quidem modo, quo « artes, virtutem efficere » mens humana dicitur Acadd. II, 10, 31, licet hæ proprie *perfici* dicantur. Haud igitur facile Bremii conjecturam ex adnott. MSS admittimus, *perfecta* suadentis, quamvis hæc vox in locis, quos attulit, multisque aliis, de *ratione* proprie dicatur. Huc adde, *perficere* esse simpliciter ad finem perducere; at *efficere* in arte de eo poni, qui quid adhibita diligentia ad finem perducit. Hinc « conflare et efficere, elaborare et efficere » junguntur, tropo ab artificibus in ære et marmore ducto, etc. G. — Totum hunc locum sic Lambinus refinxit : « Sensus non reliquit : quod sic intelligemus. Licet enim, ut vos quoque soletis, fingere aliquid docendi causa. Ut si cultura vitium, cujus hoc munus est, ut vitis cum partibus suis omnibus quam optime se habeat : si igitur illa cultura vitium in vite insit, ipsa, etc. »

vitis cum partibus suis omnibus[19] quam optime se habeat (sed sic intelligamus : licet enim[20], ut vos quoque soletis fingere aliquid docendi causa); si igitur illa cultura vitium in vite insit ipsa, cetera[21], credo, velit, quæ ad colendam vitem attinebunt, sicut antea; se autem omnibus vitis partibus præferat, statuatque nihil esse melius in vite, quam se : similiter sensus, quum accessit ad naturam, tuetur illam quidem, sed etiam tuetur se; quum autem assumpta ratio est, tanto in dominatu locatur, ut omnia illa prima naturæ hujus
39 tutelæ subjiciantur. Itaque non discedit ab eorum curatione, quibus præposita vitam omnem debet gubernare : ut mirari satis eorum inconstantiam[22] non

19. *Cum partibus suis omnibus.* Spir. Erl. Crat. transponunt « cum omnibus partibus suis ». Quod melius est, quum vis sit in *omnibus.* Sed probatius videtur, si hæc vox cum Bas. et Oxon. χ. abjiciatur ; quam facile scribæ ex seqq. addere potuerunt, quæque his in contextis per se jam intelligitur. G.

20. *Sed sic intelligamus : licet enim.* Gœr. parenthesi non includit vv. *sed sic intelligamus.* Male, inquit, vulgo parenthesis collocatur. Inde Brem. in nott. serr. non sine jure statuit, horum absentis locum fore multo elegantiorem. Lamb. jam verba ista mire transposuerat, et Davis. argutans magis, quam argute *des* (i. e. concede) *sic int.* suadet. Sed parenthesis signo post ista, ut fecimus, retracto, totus locus probus est, et nitet. Post parenth. autem oratio ἀνακολούθως pergit, pro « sic igitur intelligamus, si ... insit, etc. »

21. *In v. insit ipsa, cetera.* Pessime vulgata ante *ipsa* distinguit : *ipsa* enim ad *vite* pertinet, et cum vi postponitur. In proximis ad *velit* et ad *se autem*, *cultura* (quasi vitis mens et ratio) cogitanda est. Inferius quatuor nostri transponendo, *se tuetur*, peccant; quum in reciproco, ut paullo ante, pondus sit. Oxon. E. ξ. *sed etiam se*, abjecto *tuetur*, quod statim adfuit : ut, eo neglecto, *sese* legendum videatur. Sed non sine vi verbum hoc repositum est. G.

22. *Eorum inconst.* Gœr. scribit *Stoicorum inc.* Ausi sumus, inquit, aliquid, qui ex v. *eorum*, lectionem *Stoicorum* fecerimus. Vidit enim jam Ern. licet in hoc pronomine alias facilior sit, quam par est, ad *eorum* requiri aliquid amplius, nempe *qui*, etc. Fateturque se nil melius scire, quam ut sic oratio continuetur, *qui naturalem app.* Sed hoc optantis est, non judicantis. Facili medela *horum* scribere licuerit, ut sæpius sic nude Stoici designantur : sed quum in nullo codice scripto vel vestigium sit, olim sic esse scriptum, et alias ubique in his scripti varient; quumque Stoicorum ex longiore intervallo mentio injiciatur : maluimus ita corrigere, quum s

possimus. Naturalem enim appetitionem, quam vocant ὁρμὴν, itemque officium, ipsam etiam virtutem, tuentem esse volunt earum rerum[23], quæ secundum naturam sunt; quum autem ad summum bonum volunt pervenire, transiliunt omnia, et duo nobis opera pro uno relinquunt, ut alia sumamus, alia appetamus, potius quam uno fine utrumque concludant[24].

præcedentis vocis ultima litera facile absorberi potuerit. Compendium *scorum*, ut ubique pingitur, deinde in *eorum* mutari necessario debuit. De structura *mirari satis non* vid. Brem, supra 1, 3.

23. *Virtutem, tuentem esse volunt earum rerum.* Gœr. scrib. *virtutem esse volunt earum rerum.* Valde, inquit, discedunt in his inter se codices. Vulgatur, « virtutem tuentem esse volunt earum rer. » sed sic nullus e nostris. Nam Gud. 1 et Bas. « tuentem voluntate ear. rer. » Gud. 2 cum Pal. 4, « tuentem voluntatem ear. rer. » Erl. Spir. et Monac. « virtutem volunt esse earum rerum : » in quo veram auctoris manum agnoscimus. Nam facile primo evincitur, *tuentem* ex glossemate accessisse. Pertinent nempe verba, « volunt esse earum rerum », ad tria ista, *naturalem appetitionem*, *officium* et *virtutem* simul; male per participium istud ad solam *virtutem* affixa : tam enim diversa nusquam singulari numero junguntur. Invehitur hoc ipso quoque mens auctori aliena, quum neque Cicero umquam, neque Stoici dicant, *tueri* virtutem ea, quæ sint secundum naturam : sed versari et ὁρμὴν illam, III, 7, 23, et *officium*, ibid. 18, 59, seq. ipsamque adeo virtutem; neque eam communis vitæ solum, sed sapientis etiam, (cf. ib.) in primis naturæ, seu iis, quæ secundum naturam sunt : modo ne ea appetantur, i. e. in bonis habeantur; sed sumantur, i. e. in ἀδιαφόροις ponantur. Græci, καὶ τὴν ὁρμὴν, καὶ τὸ καθῆκον, καὶ αὐτὴν τὴν ἀρετὴν τῶν κατὰ φύσιν εἶναι. Cf. invicem Laert. VII, 105, 107 et 125, seqq. etc. Quæ quum ita sint, facile cernitur quoque, *voluntate* ortum esse ex *volunte*, obliterato altero *e* compendii v. *esse*, quod ee̅ pingitur; *voluntatem* autem exstitisse ex priore e̅ cum lineola servato. Adjecto autem glossemate *tuentem* librarii, suarum aurium judicium secuti, *esse* transposuerunt. Quæ si rite ad contexta æstimaris, veram auctoris manum repositam esse, nihil dubitabis.

24. *Appetamus, potius quam uno fine utrumque concludant.* Gœr. virgulam ponit post *potius*, notatque : Recte primo Ern. monet, *potius* ad præcedens *relinquunt* referri : distractum sic est, ut contextorum juncturam magis adjuvaret. Æque bene idem *utrumque*, pro vulgato *omnia*, dedit enm P. Manutio, ex hujus vetere libro et Eliensi. Consentiunt Spir. et Erl. neque dubium est, quin *omnia* scioli librarii sit, ad *omnia* superius posita respicientis. Davisius recte receptum probat : sed si *concludunt* suadet, inde errat, quod non meminit, post *potius*, *quam*, omitti *ut* solere. Att. VII, ep. 7, « depugna potius, quam servias ». Tusc. II, 22, 52. Vide Brem. ad Corn. Nep. Att. 1, 3. Ejusdem item igno-

40 XV. At enim jam [1] dicitis, virtutem non posse constitui, si ea, quæ extra virtutem sint, ad beate vivendum pertineant. Quod totum contra est. Introduci enim virtus nullo modo potest, nisi omnia, quæ leget, quæque rejiciet, unam referantur ad [2] summam. Nam si omnino nos negligimus [3], in Aristonea vitia et peccata incidemus [4], obliviscemurque, quæ virtuti ipsi

rantiæ est, qnod Erl. *concludere* refert.

XV. 1. *At enim jom dicitis.* Gœr. scrib: *at enim natura dicitis.* Recte, inquit, offenderunt VV. DD. in *jam;* nam nnsquam sic post *At enim* ponitur : nec aliam h. l. nisi continuandæ orationis vim haberet; quam tum modo admittit, si ipsa sententism ingreditnr. Sed ita quoque scripti variant, nt ab hac voce tantus dissensus vix enasci potuerit. Bini nostri cum omnibus Gruteri, quinqne Davisii, tribns Oxonn. *nam* referunt, e qnibns tres hnjns causa in promptu posita, *enim* ignorant. Reliqui nostri, cnm aliis aliornm, *vera* vel *veram :* dnu denique, alter Memmianus, alter Davisianus, *natura* exhibent. Quod recepit Lamb. probat Davis. idqne, referentibns idem Marso et Crat. nnice sane amplectendnm est. Ita enim non solum omnis hæc diversitas per se patet, qnum *natura* ex comp. *na* scribatur, atque inde prona vitii via in *nam* (cf. Legg. I, 18, 49) et *vera* esset; *nam* etiam infinitis locis in *jam* mntetur : sed contexta etiam sic scribere jnbent. Si enim, qnæ § proxima dicnntur, compares, ita contexta cohærent : « Quod vos dicitis natura virtntem non posse constitni, si, quæ extra virtntem sunt (i. e. prima naturæ), ad beatam vitam pertinere statuantur : id totum contrarium est. Nam vos, ex parte certe, naturam in virtutis constitutione relinquitis, prima naturæ a virtute separantes ». Ponebant autem Stoici *prima naturæ* in ἀδιαφόροις, quæ non proxime ad virtutem pertinerent, sed extra hanc essent, i. e. remotam tantum vim quamdam, et per accidens, in *eam* exsererent, nnde *officia media* exorirentnr. Vox autem *natura* ante *dicitis* posita est, nt majns ei pondus adderetur.

2. *Nisi omnia . . . ad summam.* Cf. ea quæ infra ponnntur : « nisi ea, quæ sint prima naturæ, nt ad summam pertinentia, tenebit ». G.

3. *Nam si omnino nos negligimus.* Gœr. scribit *ea* pro *nos. Nos*, inquit, in *hæc* mutari jubet Davisius. Ern. *nos*, jejune sane, ad corpus refert, et quæ ad hoc pertineant. Brem. in nott. MSS *nos* ex ultima præcedentis vocis syllaba accessisse, addique *ea* vult. Hoc amplectimur, quocumqne demum casu *nos* exstiterit : idem enim recepit editio Oxon. ex codd. E. et V. nt videtur; et est sane hujus pronominis iterandi ratio Ciceroni multis modis freqnentata. Cf. Brem. de Fato, cap. 16, pag. 64. Vulgata multis de causis ferri nequit. Si in ea perstiteris, *homines nos* legendum foret, ex oppositione, « tamquam solo animo constemus ».

4. *Aristonea vitia et peccata incidemus.* Erl. transponit *incidemus et peccent :* unde vv. *et peccata* ex glossa

principia dederimus. Sin ea non negligemus[5], neque tamen ad finem summi boni referemus, non multum ab Herilli levitate aberrabimus. Duarum enim vitarum nobis erunt instituta capienda. Facit enim ille duo sejuncta ultima bonorum : quæ, ut essent vera, conjungi debuerunt. Nunc ista separantur, ut disjuncta sint[6]. Quo nihil potest esse perversius. Itaque contra 41
est, ac dicitis; nam constitui virtus nullo modo potest, nisi ea, quæ sint prima naturæ[7], ut ad summam pertinentia, tenebit. Quæsita enim virtus est, non quæ relinqueret naturam, sed quæ tueretur. At illa, ut vobis placet, partem quamdam tuetur, reliquam[8] deserit.

Atque ipsa institutio hominis si loqueretur, hæc diceret : Primos suos quasi cœptus[9] appetendi fuisse,

accessisse putare possis. Sed diversa relatione, *vitia* ad *rem*, *peccata* ad *hominem*, dicuntur; et pari jure junguntur, quæ alias *vitia et errores*. De Aristone vide supra II, 13, 43, et infra § 43, seqq. coll. Legg. I, 13, 38. G.

5. *Sin ea non negligemus . . . referemus*. Ita recte Ern. ex edd. vett. *referemus* ante hunc jam Davis. ex suis dederat. Utrumque fut. servant illi bini nostri cum Crat. reliqui omnes in posteriore consentiunt. G.

6. *Nunc ista separantur, ut disjuncta sint*. Vix dubitamus *ita* scribendum esse, ut *adeo* valeat : de harum autem vv. permutatione in vulgus notum est. Cf. Heuss. ad Off. II, 6, 1. Jam vis loci erit, « nunc tantopere differre inter se dicuntur, ut in disjunctis (invicem oppositis) ponantur : « vult enim auctor ea *disjuncta* intelligi, qualia in Logicis dicuntur. Cf. Acadd. II, 30, 97. G.

7. *Quæ sint prima naturæ*. Sic nostri quoque, nisi quod Erl. *se* peccat. Inde nihil mutavimus : non quod Ern. *sint* in veriore h. l. latinitate ponit; in hoc enim egregie errat. Contextis *sunt*, hac in asservatione, accommodatius erat. G.

8. *Reliquam*. Ne *partem* denuo intelligas, *naturam* cogitabis : alias *reliqua* scribendum foret. G.

9. *Cœptus*. Gœr. scribit *conceptus*. Ita, inquit, pro vulgato *cœptus*, quod receptæ vocis compendium peperisse videtur, ex quatuor nostris et Marso, Ven. 1494, Crat. dedimus. Est enim hoc selectius. Auctor vero « intelligentias, cupiditates, flagitia, fraudes concipere : » quidni etiam *conceptus appetendi?* i. e. ubi appetendi vis primum moveri cœpit. Ex *quasi* autem, mitigandi particula, certum argumentum deduci nullum potest, quum ea ob utriusque substantivi insolentiam posita dici possit. — Quæ

ut se conservaret in ea natura, in qua ortus esset. Nondum autem explanatum satis erat, quid[10] maxime natura vellet. Explanetur igitur. Quid ergo[11] aliud intelligetur, nisi ut ne qua pars[12] naturæ negligatur? In qua si nihil est præter rationem, sit in una virtute finis bonorum. Sin est etiam corpus, ista explanatio naturæ nempe hoc effecerit, ut ea, quæ ante explanationem tenebamus, relinquamus? ergo id est conve-
42 nienter naturæ vivere, a natura discedere[13]? Ut quidam philosophi, quum a sensibus profecti, majora quædam ac diviniora vidissent, sensus reliquerunt: sic isti, quum ex appetitione rerum virtutis pulchritudinem adspexissent, omnia, quæ propter virtutem ipsam viderant[14], abjecerunt, obliti, naturam omnem

bie affert Gœr. apud nos non satis valent ut phrasis hæc, *conceptus habendi*, bene latina videatur.

10. *Quid maxime.* Ante Davis. *quod* edebatur, ut Gud. 1 et Monac. referunt: sed h. l. parum apte. G.

11. *Quid ergo.* Edd. vett. plerique, *Quid enim.* Perperam. G.

12. *Ne qua pars.* Gœr. scrib. *ne quæ pars.* Vulgatum, inquit, scripti nos relinquere coegerunt. Spir. et Erlang. *ineque:* Gud. uterque, Monac. Vien. *æque;* sic tamen, ut Gud. 1 diversa manu in margine *neque* referat, quod idem ex Bas. enotatur. Qua ex varietate clare intelligitur, scribas ex eo errasse, quod pronomen pro negandi particula acciperent: nam *æ* in vetustioribus scriptis semper *e* pingitur.

13. *Explanatio ... relinquamus? ergo ... discedere?* Gœr. pro interrogationis signo, signum ponit exclamationis, notatque: Ironiam interpretibus facile *nempe*, si attendissent, prodebat. *Explanationem* recepit Davis. ex binis suis pro vulgato *explicationem:* idque recte factum confirmant bini nostrorum optimi, et Crat. in margine.

14. *Quæ propter v. ipsam viderant.* Gœr. scrib. cum Ern. *præter* pro *propter.* Ita, inquit, Davis. et nostri quatuor: nam Gud. 2 et Monac. *propter* referunt, quod etiam in Gud. 1 superscriptum est. In impressis vett. plerisque omnibus legitur, *propter quæ:* idque nos quidem prætulerimus, si isto ordine librorum scriptorum esse reperiatur, hoc sensu loci optimo: « ita Stoici quum ex eo, quod rectam appetendarum rerum rationem quærebant, virtutis pulchritudinem intellexissent, omnia, quæ ad appetitus referuntur, propter quos virtuti cognoscendæ studuerant, rejecerunt ». Ita loquetur auctor de virtute, tamquam persona; hinc *adspexissent ... viderant:* illud Platonis dictum recordatus, de quo supra, II, 15, 52, egimus, ubi *virtutis* loco *sapientia* ponitur. — J. V. L. Gœr. correctio-

appetendarum rerum ita late patere, ut a principiis permaneret ad fines[15]: neque intelligunt[16], se rerum illarum pulchrarum atque admirabilium fundamenta subducere[17].

XVI. Itaque mihi videntur omnes quidem illi errasse, qui finem bonorum esse dixerunt, Honeste 43
vivere. Sed alius alio magis: Pyrrho scilicet maxime, qui, virtute constituta, nihil omnino, quod appetendum sit, relinquat: deinde Aristo, qui nihil relinquere non est ausus[1]; introduxit autem, quibus commotus sapiens appeteret aliquid, quodcumque in mentem incideret[2], et quodcumque tamquam occurreret.

nem, *præter*, improbat. — Si *propter* servaveris, interpretandum est quasi esset *propter quæ*, id est, quorum ope.

15. *Permaneret ad fines*. Gœr. scribit *permanaret*. Hujus, inquit, Gud. 2 glossam *perveniret*, refert. Ante Lamb. *permaneret* peccatum est: rectius tamen vel editi veteres præbent. — Intell. principia, sc. prima naturæ, si ea sequeremur, nos adducere deberent ad fines, sc. ad ea in quibus summum bonorum positum sit: hoc est, quod Cic. jamdiu probat, sc. finem bonorum latere in prima constitutione hominis interroganda.

16. *Neque intelligunt*, valet, « atque ita non intelligunt: » prave igitur Davis. *intelligentes* mavult. G.

17. *Fundamenta subducere*. Ern. suspicatur *subruere*, quum ad vulgatum *rebus illis* requiratur. Ratio ista ipsa per se parum valet, quum frequenter sic secundi casus pro tertiis dicuntur; cf. supra II, 9, 27. Sed quærere omnino liceat, an recte hoc verbum pro *subtrahere* hoc in contextu ponatur. Attamen quum auctor Invent. II, 48, 43: « si id, quo nititur adversariorum causa, subduxerit: » nihil dubium est, etiam h. l. recte dici. G.

XVI. 1. *Relinquat... non est ausus*. Hæc tempora Ernestio non coeunt; malit igitur *reliquit*; vel certe *relinquit*. Sed *relinquat* est optativi loco; scilicet, *si possit*: atque ita nihil plane offensionis relinquitur. De Pyrrhone et ejus ἀπαθείᾳ cf. Acadd. II, 42, 131. G.

2. *Appeteret aliquid, quodcumque in mentem incideret, et ... occurreret*. Ad hæc nondum plena explicationis lux accessit, quamquam Tennemann, *Gesch. d. Philos.* tom. IV, p. 220, seq. plura, quæ huc referuntur, accuratius monuit. Stoici quidem reliqui quum in rerum ἀδιαφορίᾳ, quam statuebant, tamen discrimen quoddam reliquissent, atque ita προηγμένα distinxissent, ut ad officium sibi præcipiendi viam aperirent; cf. Excurs. III ad Acadd. I, p. 192 seqq. Aristo Chius hanc quoque distinctionem sustulit. In hoc autem a Pyrrhone diversus fuit, quod, quum hic, præter virtutem, nihil plane appetendum statueret, atque inde ἀπαθής audiret, ille appetitionem rerum minime tolleret (auctor

Is hoc melior, quam Pyrrho, quod vel aliquod genus appetendi dedit; deterior, quam ceteri, quod penitus a natura recessit. Stoici autem, quod[3] finem bonorum in una virtute ponunt, similes sunt illorum; quod autem principium officii quærunt, melius quam Pyrrho; quod ea non occurrentia fingunt[4], vincunt Aristonem; quod autem ea, quæ ad naturam[5] accommodata,

dicit, « nihil relinquere non est ausus »), et justæ appetendi rationis præcepta dari posse negaret, quippe quæ a temporum quorumcumque conditione unice penderent. Cf. Sext. Emp. XI, 65 : τὰ μεταξὺ ἀρετῆς καὶ κακίας ἀδιάφορα ... παρὰ τὰς διαφόρους τῶν καιρῶν εἶναι περιστάσεις. Neque esse præferentiam, qua res a rebus natura distinguerentur : sed utcumque se *offerrent* et *occurrerent*, atque in animum vim suam inferrent, ita esse eas aut sumendas, aut rejiciendas. Sext. Emp. ibid. § 67 : οὐ φυσική τις γίνεται ἑτέρων παρ' ἕτερα πρόκρισις, κατὰ περίστασιν δὲ μᾶλλον. Neque sane illis de appetitione rerum præceptis opus esse, sed « qui constitutionem summi boni bene intellexerit, et didicerit, quid in quaque re faciendum sit, sibi facile ipsum præcipere », Senec. Ep. 94, 2. Hæc exemplis illustrantur ad rem aptis, quæ ipsa in locis laudatis conferenda sunt. His præmissis, facile verba, « quodcumque in mentem incideret, et quodcumque tamquam occurreret », et inferius, *occurrentia*, intelliguntur. Nihil auctor, nisi istas διαφόρους καιρῶν περιστάσεις expressas voluit. Quum autem rebus accidentibus tum modo moveamur, si eas cum relatione ad nos nostrarumque rerum conditionem consideremus, explicatius auctor sic scripsit; licet eadem his, quibus de universa ista Aristonis sententia parum constat, obscuriora esse debeant.—*Tamquam occurreret. Tamquam* additum est, ne *occurreret* vulgari sensu acciperetur. G.

3. *Quod* qualer *quoad* valet. Hanc particulæ vim quum scribæ ignorarent, primo loco Gud. 2 *quo* præbet, et tertio Erl. plane ignorat. G.

4. *Quod ea non occurrentia fingunt*, etc. Magis, opinor, ad mentem loquentis legas mutato verborum ordine, « quod ea occurrentia non fingunt, vincunt Aristonem ». Stoici erant, qui non fingebant ea occurrentia; Aristo, qui fingebat. Sic Noster paullo ante, « Aristo introduxit, quibus commotus sapiens appeteret aliquid, quod cuique in mentem incideret, et quodcumque tamquam occurreret ». Sic et paullo infra, « ille (Aristo) occurrentia nescio quæ comminiscebatur ». Hæc igitur, de quibus agimus, quum de Stoicis dicantur, particula negativa non cum voce *occurrentia*, sed cum *fingunt*, debet conjungi. Pearc. — Vulgatæ sensus est : Quod ea non pendere ab accidentibus, sed ex certis regulis putant.

5. *Quæ ad naturam accommodata*, *et*. Gœr. scrib. *quæ et ad nat.* Priorem, inquit, copulam ex Spir. et Erl. addidimus : valet enim « et ... et, non solum ... sed etiam », sic ut posterior cum intentione ponatur, ut sæpe.

et per se assumenda esse dicunt, non adjungunt ad finem bonorum, desciscunt a natura, et quodam modo sunt non dissimiles Aristonis. Ille enim occurrentia nescio quæ comminiscebatur; hi autem ponunt illi quidem[6] prima naturæ, sed ea sejungunt a finibus, et a summa bonorum : quæ quum proponunt[7], ut sit aliqua rerum selectio, naturam videntur sequi; quum autem negant, ea quidquam ad beatam vitam pertinere, rursus naturam relinquunt.

Atque adhuc ea dixi, cur causa Zenoni non[8] fuisset, 44
quamobrem a superiorum auctoritate discederet. Nunc reliqua videamus : nisi aut ad hæc, Cato, dicere aliquid vis, aut nos[9] jam longiores sumus. Neutrum vero, in-

6. *Hi autem ponunt illi quidem.* Davis. suadet *illa ;* atque ita quidem Gud. 1 in textis sic, ut *illi* superscriptum sit ; nec aliter, ni fallimur, Bas. nam variæ lectioni codicis signum non additum est : sed Erl. *illi* refert. At vulgata vera est, Davisiumque a corrigendo positus jam verborum deterrere debebat. Cf. ad Acadd. II, 15, 47. Ceterum *hi*, Stoici, et *ille*, Aristo, opponuntur, licet hujus nomen presse præmissum sit : quod inde offendere non debet, quum de Stoicis proprie agatur, Aristonis autem non, nisi loco dato, mentio injiciatur. G.

7. *Proponunt.* Gœr. scrib. *præponunt.* Hujus, inquit, loco Davis. *ponunt* suadet, probante Ern. At uterque errat; nam sæpissime auctor *proponere* simplicis *ponere* vi, ut vice versa, dicit. Et tamen vitium loco inest, ipsum sponte sua huic se offerens, qui vel primis labris Stoicorum disciplinam attigerit : *præponunt* corrigendum est, ut fecimus. Valent enim hæc, « nam quum hæc (prima naturæ) in præpositis, i. e. προηγμένοις, ut seligenda et sumenda, numerant, naturæ quidem convenienter facere videntur : sed idem contra male cum natura convenit, quod hæc ipsa prima naturæ ad beatam vitam nihil conferre statuuntur ». Cf. supra § 40. Sic dudum emendaramus, quum Gud. 2 et Bas. auctoritatem suam adjicerent.

8. *Atque adhuc ea dixi, cur causa Z. non fuisset.* Gœr. transponit *causa cur Z.* notatque : Primo Ern. *ea* deleri jubet : sed non vidit, *adhuc, hactenus* valere, ut III, 4, 12, et, *ea dixi cur*, pro, « ea argumenta proposui, unde intelligeretur, Zenoni causam nullam fuisse ». Eadem forma frequens est in, « quid dicis, cur; nihil dicis, cur; accusas me, cur, etc. » Deinde vulgatæ verba *cur causa* transposuimus : ita enim non solum Gruteriani, Gud. 1 et Bas. sed reliqui tres nostri corrupte, *causa cum* referunt. Recepto a nobis ordini favent quoque impressi vett. cum Ven. 1494 et Marso plures. *Causa* autem, ut notio primaria, cum vi præmissa est.

9. *Nisi aut ad hæc, Cato, dicere aliquid vis, aut nos.* Prioris *aut* loco referunt Oxonn. E. et ξ *tu*, χ. *ut.*

quit ille: nam et a te perfici istam disputationem volo, nec tua mihi oratio longa videri potest[10]. Optime, inquam. Quid enim mihi potest esse optatius, quam cum Catone, omnium virtutum auctore[11], de virtutibus disputare? Sed primum illud vide[12], gravissimam illam vestram sententiam, quæ familiam ducit[13], honestum quod sit, id esse solum bonum, honesteque vivere, bonorum finem, communem fore vobis cum omnibus, qui in una virtute constituunt finem bonorum; quodque dicitis, informari non posse virtutem, si quidpiam, nisi quod honestum sit[14], numeretur, idem dicetur ab illis, quos modo nominavi. Mihi autem æquius videbatur, Zenonem cum Polemone

Non male : ut *tu* ... *nos* opposita sint. Offendunt etiam scribæ semper fere in *ont* simplici. Sed nostri in vulgata perstant. Si optare licet, sic locum legerimus : « nisi aut tu ad hæc, Cato, aliquid vis, aut nos, etc. » Nam *dicere*, toties intrusum, ex auctoris more bene abfuerit : atque sic demum locus auribus placebit. Mars. transponit *aliquid dicere*. G.

10. *Nec tuo mihi oratio longa videri potest.* Spir. et Erl, Gud. 2, *mihi* post *longo* rejiciunt. Ven. 1494, *mihi tua*. Forte *mihi* delendum, h. s. ut nemini oratio ejus longa videri possit; ergo etiam nec mihi : quod gravius laudantis foret. Sed tamen rectius servabitur. G.

11. *Auctore* pro *exemplo* dictum est; cf. Acadd. II, 2, 5. G.

12. *Sed primum illud vide ... fore.* Ne insolentius hæc structa putes, primum *Sed* est redeuntis ad propositum : pergit enim Cicero ad illa *reliqua*, quæ superius *videnda*, i. e. *consideranda*, *examinanda* dixerat. Huc etiam *vide* referendum est, quod Platonico σκόπει respondet. Ad *fore* cogitandum est, « si in ea perstiteritis ». G.

13. *Familiam ducit.* I. e. « sectæ princeps, primaria est. » Mire tamen sic dici negari nequit : neque similem auctoris dicendi rationem meminimus. Sed certum est ex re gladiatoria hanc dicendi rationem petitam esse, vid. Philipp. VII, 30, cll. ad Div. VII, ep. 5, 9 : neque ea tam ad lanistam proprie spectare, quam ad eum, qui in familia tali plurimarum palmarum decore conspicuus erat : quod ad Lipsii Saturnalia, I, c. 16, monemus. Spir. *ducit familiam*, quod magis placere debet. G.

14. *Si quidpiam, nisi quod honestum sit, numeretur.* Davisiani nostrique cum quatuor Oxonn. *quidquam*, quod ille recepit. Sed obliterant ubique scribæ hanc vocem, ad contexta meliorem, defensamque per impressos veteres, Ven. 1494, Crat. alios. Deinde addit bis Lamb. ante *numeretur, in bonis*. Possit simpliciter *bonum* adjici; cf. Tusc. V, 15, 44, « quæ isti bona numerant : » sed ad hæc contexta opus nihil est. G.

disceptantem[15], a quo, quæ essent principia naturæ, acceperat, a communibus initiis progredientem, videre ubi primum insisteret, et unde causa controversiæ nasceretur; non stantem cum iis, qui ne dicerent quidem sua summa bona esse a natura profecta[16], uti[17] iisdem argumentis, quibus illi uterentur, iisdemque sententiis.

XVII. Minime vero illud probo[1], quod, quum do- 46
cuistis, ut vobis videmini, solum bonum esse, quod honestum sit, tum rursum[2] dicitis, initia proponi necesse esse apta et accommodata naturæ, quorum ex selectione virtus possit exsistere. Non enim in selectione virtus ponenda erat, ut id ipsum[3], quod erat

15. *Zenonem cum Polemone disceptantem ... videre.* Id est, « horum sententias in conflictu ponere, comparare inter se ». Oppugnarat enim hucusque auctor Stoicam sententiam rationibus Polemonis. G. — Locum intellexisse non videtur Gœr. Namque *videre* non ad Ciceronem, sed ad Zenonem, haud secus ac *uti* quod infra, referri patet. Sensus totius loci, non parum impediti, videtur esse: « Æquius esset si Zeno, disceptans cum Polemone, a quo ea quæ essent prima naturæ mutuatus erat, et discedens ab initiis quæ cum illo communiter admiserat, vidisset, i. e. perpendisset et declaravisset ubi primum hæreret et dissideret; et, quum non staret cum iis, qui ne dicerent quidem ea quæ summa bona habebat, a natura esse profecta, non usus fuisset iisdem argumentis, etc. » In τῷ *non* (*non stantem*) vim duplicem esse, ut sæpe, admittendum est.

16. *A natura profectâ.* Præpositionem ignorant tres optimi nostri; quæ h. l. minus bene abfuerit. G.

17. *Uti.* Gœr. et nonnulli vett. edd. *ut*, sine ullo sensu; namque verbo *uti*, non conjunct. prorsus indiget locus.

XVII. 1. *Minime vero illud probo.* Gud. 2 haud inepte *illud* ignorat: addere enim sic librarii pronomina amant; cf. inferius § 48. Quamquam h. l. *illud* nihil habet, in quo offendas; nisi quod hoc addito vis, quæ in *Minime* inest, minuitur. G.

2. *Rursum.* Sic cum vulgata bini illi nostri, reliquis tribus cum Marso *rursus* scribentibus. In quo omnino notandum est (nam dissentientes cognovimus, quum nuper *quorsus* ad II de Legg. correxissemus), « rursus, quorsus, prorsus, etc. » quum ab adverbio *versus* fiant, quod idem *versum* scribitur, utraque finali syllaba Latinis recte efferri; neque normam præter codd. dari, ex qua hæc vel illa forma præferenda sit, nisi hanc, ut horum ultima cum proxima sequentis vocis recte coeat, nec tristem hiatum efficiat. In κρίσει fere rarior cujusque horum forma, scriptis melioribus suppeditata, præferenda: quæ illic *quorsus*, hic *rursum* est. G.

3. *Ut id ipsum.* Gud. 2, *ut ad*

bonorum ultimum, aliud aliquid acquireret. Nam omnia, quæ sumenda, quæque legenda aut optanda sunt, inesse debent in summa bonorum, ut is, qui[4] eam adeptus sit, nihil præterea desideret. Videsne, ut, quibus summa est in voluptate, perspicuum sit, quid iis faciendum sit, aut non faciendum? ut nemo dubitet, eorum omnia officia quo spectare, quid sequi, quid fugere debeant. Sit hoc ultimum bonorum, quod nunc a me defenditur; apparet statim, quæ sint officia, quæ actiones. Vobis autem, quibus nihil est aliud propositum, nisi rectum atque honestum, unde officii, unde agendi principium nascatur, non[5] reperietis.
47 Hoc igitur quæritis omnes: et ii[6], qui, quodcumque in mentem veniat, aut quodcumque occurrat, se se-

ipsum. Non male, quum sic *ipsum*, ut centies auctori, *id ipsum* valeat: sed sine necessitate. G. — Int. ut virtus, quæ ipsa est ultimum bonorum, aliquid haberet præter se appetendum.

4. *Ut is, qui eam*. Abest a Bas. et Gud. 2 *is*, quod sæpe sic auctor omittit. Quod autem Gud. 1 *ea* refert, id pravum est, quum pron. ad *summam* pertineat. G.

5. *Vobis autem ... non reperietis*. Correxit suo Marte Ern. *vos*, quod neque nostrorum ullus agnoscit. Nec opus est correctione, modo construas, « unde vobis... officii... principium nascatur, non rep. » Ex vi oppositionis *vobis* præmissum esse vides. G.

6. *Hoc igitur quæritis omnes: et ii, qui ... se sequi dicent, et vos ad naturam revertimini*. Gœr. scrib. « Hoc igitur quærentes omnes, et hi, qui, quodcumque... occurrat, se sequi dicent, et vos, ad n. r. » Adeo, inquit, perversa erat vulgata lectio, ut nil mirum sit si Lamb. Davis. et Ern. perversas corrigendi vias inierunt; quibus tamen nihil efficiunt. Spir. *queretes*. Bas et Gud. 1, *quæres*. Gud. 2, *quæsitas*. Ex his plus quam probabile est, per comp. esse participium *quærentes* obliteratum. *Hi* deinde iisdem binis posterioribus et Marso debetur, et vulgata multo melius est, quum ad Aristonem et hujus sectatores pertineat, cujus sententia haud multo ante, § 43, iisdem verbis notata est. Verba denique, « ad naturam revertimini », ut etiam proximum *quibus* (i. e. sed vobis omnibus), ad Aristonem pariter, atque Stoicos referenda sunt: nam Aristo etiam ad naturam redibat, quum illa *occurrentia* (cf. supra l. l.) statueret. Virgula igitur post *vos* ponenda erat. Æque ergo vitiose VV. DD. quos dixi, post *et vos, qui* addi, atque *revertemini* scribi jubent, quod Gud. 2 refert. G.—Locus optime intelligi potest, si sic interpunxeris: « Hoc ... quæritis omnes: et ii qui... (nempe Aristonei), et vos (Stoici) ad nat. revertimini (ut hoc reperiatis) ».

qui dicent, et vos ad naturam revertimini. Quibus[7]
natura jure responderit, non esse verum, aliunde
finem beate vivendi, a se principia rei gerendæ peti[8];
esse enim unam rationem, qua et principia rerum
agendarum, et ultima bonorum continerentur; atque,
ut Aristonis esset explosa sententia, dicentis, nihil dif-
ferre aliud ab alio, nec esse res ullas, præter virtutes
et vitia, inter quas quidquam omnino interesset, sic
errare Zenonem, qui nulla in re, nisi in virtute [aut
vitio[9]] propensionem, ne minimi quidem momenti,
ad summum bonum adipiscendum esse diceret; et
quum ad beatam vitam nullum momentum ea res ha-
beret, ad appetitionem autem rerum, esse in his mo-
menta diceret[10]; quasi vero hæc appetitio non ad
summi boni adeptionem pertineret. Quid autem mi- 48

7. *Quibus*. I. e. vobis omnibus et Stoicis et Aristoneis.

8. *Non... peti*. Hæc sic capienda sunt: « Non esse veritati consentaneum, tamquam ex alia natura, quam quæ est hominis (ex solo animo) finem beate vivendi summumque bonum desumere; ab hominis autem natura, i. e. ab iis, quæ sunt secundum naturam, principia rerum gerendarum primaque officii fundamenta repetere velle ». G.

9. *In virtute* [*aut vitio*]. Damnaverunt Davis. et Ern. vv. *aut vitio* ad uncos, quum sensus ex iis absurdus exsistat. Et amant sane scribæ oppositiones textis inferre; cf. ad Acadd. II, 12, 38. Neque, si tale quid additurus auctor fuisset, *aut*, sed *et* scripsisset, ut si interdum « bono malum, honestum turpi », eo loco addit, ubi parum ad contexta pertinere videatur. Denique facile videre est, hæc accommodata a scribis esse proxime præcedentibus, « præter virtutes et vitia », ut comparatio eo pressior esset. Hinc ista vere spuria unciisque digna judicavimus. G.

10. *Et quum ad beatam vitam nullum momentum ea res haberet... esse in his momenta diceret*. Quum VV. DD. quos diximus, in prægressis hærerent, vix potuerunt, quin etiam in his offenderent. Davis. enim suadet, « ceteræ res haberent », probante Ernest. Brem. in nott. mscr. « cetera haberent ». Sed *ea res* est *propensio*, et ad « in his, in virtute aut vitio », cogitandum: hoc loci sensu: « Et licet quidem ad beatam vitam (ad summum bonum adipiscendum) propensio nihil momenti faceret, contra tamen ad appetitionem (propensionem, ad res appetendas) in virtute et vitio momenta esse ». Vult auctor, « vim quidem in res appetendas virtutem et vitium exserere, non vice versa ». Si vero Ernest. pro *autem*, *tamen* corrigi jubet, parum intellexit, sæpe hanc particulam auctori *contra*, *a contraria parte*, valere. G.

nus consentaneum est, quam, quod aiunt, cognito summo bono, reverti se ad naturam, ut ab ea [11] petant agendi principium, id est, officii? Non enim actionis aut officii ratio impellit ad ea, quæ secundum naturam sunt, appetenda; sed ab his et appetitio, et actio commovetur.

XVIII. Nunc venio ad illa tua brevia, quæ consectaria esse dicebas; et primum illud, quo nihil potest esse brevius[1]: « Bonum omne, laudabile; laudabile autem omne, honestum; igitur omne bonum[2] honestum ». O plumbeum pugionem! Quis enim tibi illud primum concesserit [3]? Quo quidem concesso, nihil opus est secundo: si enim omne bonum laudabile est, omne
49 honestum est. Quis tibi ergo istud dabit, præter [4] Pyrrhonem, Aristonem, eorumve similes? quos tu non probas. Aristoteles, Xenocrates, tota illa familia, non

11. *Ut ab ea petant.* Erl. et Spir. *ex ea.* Bene quidem per se, id est, « naturæ convenienter » : ut « e virtute, e natura vivere, etc. » dicitur : sed h. l. vult auctor « ab ea desumant », atque tum vulgata melior. G.

XVIII. 1. *Et primum illud, quo nihil potest esse brevius.* Gœr. delet *esse*, suos omnes codd. sequutus. Cogitandum est, inquit, « et primum illud dicebas, quo nihil dici potest brevius ».

2. *Omne bonum.* Erl. et Spir. ordine probatiore, « bonum igitur omne ». Supra III, 8, 27, quo his respicitur, « bonum igitur quod est, honestum est ». G.

3. *Quis enim tibi illud primum concesserit?* Gœr. ipso in contextu, et in eo quem in notæ capite repetit, delere videtur v. *illud*, sed ex ipsa nota vox ea ab eo solummodo transposita fuisse videtur : nam sic Gœr. notat : Ita hæc nostri transponunt, et vis loci ea est, ut de hujus pron. νοθείᾳ dubitari nequeat. Spir. et Erl. Gud. 1, Monac. Crat. « primum illud ». Gud. 2, « primum tibi illud ». Mars. *primum* ignorat. At hoc abesse nequit, quum *secundo* respondeat, neque ad *consectarium* pertineat, sed « primam rationis conclusæ enuntiationem » notet; conf. Acadd. II, 21, 67. Admisso nempe ex prægressis *illud*, *primum* superfluum judicatum est.

4. *Quis tibi ergo istud dabit, præter.* Spir. et Erl. *quis igitur tibi.* Gud. 2, *dabit istud.* Scripsit forte auctor, *Quis tibi istud præter*, etc. idque magis, quum *dabit* ex proximis suppleri facile potuit. Dicitur quidem *ergo* cum duplici ejusdem verbi futuro, Offic. 1, 31, 12, ell. supra II, 33, 110. Sed tum, nisi plane fallimur, semper ab enuntiati fronte ponitur. G.

dabit; quippe qui valitudinem, vires, divitias, gloriam, multa alia, bona esse dicant[5], laudabilia non dicant. Et hi quidem ita[6] non sola virtute finem bonorum contineri putant, ut rebus tamen omnibus virtutem anteponant. Quid censes eos esse facturos[7], qui omnino virtutem a bonorum fine segregaverunt, Epicurum, Hieronymum, illos etiam, si qui Carneadeum finem tueri volunt? Jam aut Callipho, aut Diodorus, quomodo poterunt[8] tibi istud concedere, qui ad honestatem aliud adjungant[9], quod ex eodem genere non sit? Placet igitur tibi, Cato, quum res sumpseris non concessas, ex illis efficere, quod velis[10]? Jam ille sorites, quo nihil putatis esse vitiosius[11] : « Quod

5. *Bona esse dicant.* Gud. 2 et Bas. « bona esse dicunt », omissis verbis, « laudabilia non dicant ». Sed Gud. 1 et Monac. qui idem *dicunt* referunt, omissa integre servant : neque auctor, ut alibi monuimus, ad *quippe, qui* indicativum jungit. Ven. 1494 utroque quidem loco *dicunt*, sed unde, vides. Davis. adeo consulto ex binis suis, et Victoriana *dicunt.....dicant* correxit ! Neque prius *dicant* abjiciendum putabis : sic enim verbum hoc auctori ex more iteratur. G.

6. *Ita.* Hanc vocem Monac. ignorat, prave. G.

7. *Quid censes eos esse facturos.* Gœr. delet *esse.* Gudiano 1 et Cratandriæ, inquit, parendum fuit. In hac enim structura auctor verbum subst. non admittit. Orat. I, 17, 79 : « quid censes... qualem illum oratorem et quantum futurum? » Off. II, 7, 12 : « Quid enim censemus superiorem illum Dionysium, quo cruciatu timoris angi solitum? » Philipp. XII, 9, 22 : « Quid censetis? quum iter ingressus ero longum præsertim, nullasne insidias pertimescendas? » Similiter verbum subst. post *an censes* subauditur.

8. *Quomodo poterunt.* Ita ex binis suis Davis. pro vulgato *quo.* Verum testantur nostri omnes : nam etsi quidem Gud. 1 *quo* in textu, tamen *quomodo* superscriptum refert. De hoc frequenti vitio supra egimus. Nec auctor sic scribit : posuisset *qui*, si aliter voluisset. G.

9. *Adjungant.* Tres nostri *adjungunt.* Perperam; optative enim ponitur. G.

10. *Velis?* Interrogandi signum, quod vulgo ponitur, quasi nihil huc pertineret, sustulit Gœr.

11. *Quo nihil putatis esse vitiosius.* Inter editores satis constat hunc locum esse corruptum : Cicero enim hæc de Stoicis dicit, quibus iste *sorites* vehementer placuit, quique eo perpetuo fere usi sunt. Ergo illud ad Stoicos vere dici non potuit, *quo* (sorite) *nihil putatis esse vitiosius.* His de causis Davisius ex uno MS legit, *quo nihil putatis esse melius.* Aliam

bonum sit, id esse optabile; quod optabile, id esse expetendum; quod expetendum, laudabile[12]; deinde[13] reliqui gradus». Sed ego in hoc resisto[14]. Eodem enim modo tibi nemo dabit, quod expetendum sit, id esse laudabile. Illud vero minime consectarium[15], sed in primis hebes illorum, «gloriatione

viam alius vir doctus tentat, legendo, *quo nihil putamus* (scil. nos Academici) *esse vitiosius*. Si mihi etiam conjicienti detur locus, malim legere, *in quo nihil putatis esse vitiosius*. Satis notum est comparativum vice positivi sæpius usurpari: hinc per vocem *vitiosius* intelligat lector *solito vitiosius*. Omnis sorites a Cicerone credebatur *vitiosus* (vide Acad. II, 16), hic vero ceteris *vitiosior*. Solet Noster ita comparativo uti, ut in lib. V, 15, «animadverterunt ea, quæ domi fiunt curiosius». Alibi idem notandum est. Pearc. — Gœr. *quo... vitiosius* parenthesi includit, relatisque superioribus conj. addit: Ernest. nescio qua jejuna ratione vulgatum tuetur. Brem. egregie sane in notis mscrr. *speciosius* suadet, cum apta loco, ut ipse monet, ironia. Sed an sic vere auctor, vehementer dubitamus. Nam Stoici soriten, licet ipsi ejus architecti essent, tamen ex vitioso concludendi genere statuebant. Conf. Acadd. II, 29, 93: «soritas... quod tu modo (e Stoicorum mente) dicebas esse vitiosum genus». Hinc ista parenthesi includenda putavimus, ut addita ab auctore, quo statim, ex ipso Stoicorum judicio, hujus soritæ vim labefactaret. Fatemur tamen magis placere, si in eadem parenthesi *quibus* legatur: quod in *quo* mutatum nemo mirabitur. Nisi post *quo*, *genere* excidisse malis. Sed vulgatum sic quoque ferri posse putamus. Aliam tamen dubitationem addimus. Forte rectius *Nam* pro *Jam* scribetur: ut proxime præcedentia bis arctius jungantur. Confundi autem has particulas solere tralatitium est. Ita certe corrigendum Off. II, 17, 12, quod VV. DD. ibi præterit, quum bis *enim* sequatur: sed ita auctor sæpissime. Ceterum offendere leve anacoluthon (in quo Ern. hæret) neminem debet. Quum enim post vv. *Jam ille sorites* tot interponantur, plane ex auctoris more est, vel mutata structura pergere, vel scribere abruptius.

12. *Quod expetendum, laudabile.* Addunt 4 nostri *id*, sed parum probe. Magis audiendi videntur Spir. et Erl. qui in præcedd. *esse* bis omittunt: sic curret oratio, ut solet in soritis, coarctatius. G.

13. *Deinde*. Bini illi nostri *dein*; quod idem verum putamus, licet sæpe sic ex compendio scribæ. G.

14. *Resisto*. Ludit Cic. cum Chrysippi soritas refellendi et more, et verbo. Hic enim ἵστασθαι adhibebat (vide nos ad Acadd. II, 29, 93), ubi *insistere* ponitur. G.

15. *Consectarium*. Notandum cum Ern. est, *consectaria* esse, *breve et acute conclusa*; conf. supra III, 8, 27: atque inde his *hebes* opponi. Addunt denique post *illorum*, quod sequitur, Gud. 1 et Bas. *scilicet*, Gud. 2 cum plerisque aliorum, *scilicet nominum*, Erl. et Spir. *scilicet non tamen*, vel *tam*. Sed ista omnia, ut et

dignam esse beatam vitam, » quod non possit sine honestate contingere, ut jure quisquam glorietur[16]. Dabit hoc Zenoni Polemon[17]; etiam magister[18] ejus, et tota illa gens, et reliqui, qui virtutem omnibus rebus multo anteponentes, adjungunt ei tamen aliquid summo in bono finiendo. Si enim virtus digna est gloriatione, ut est, tantumque præstat ceteris rebus[19], ut dici vix possit: et beatus esse poterit[20] virtute una præditus, cârens ceteris, nec tamen illud tibi concedet, præter virtutem, nihil in bonis esse ducendum. Illi autem, quibus summum bonum sine virtute est, non dabunt fortasse, vitam beatam habere, in quo jure possit gloriari: etsi illi quidem[21] etiam voluptates 51

alii viderunt, ex eo, quod communi fere vitio codd. pro *hebes*, . *habes* peccant: compares enim III, 8, 28, quo hæc referuntur. Paucia interjectis Davis. inani plane ratione, *quum non possit*, etc. suadet. G.

16. *Ut jure quisq. glorietur.* Addita hæc videntur ad interpretationem antecedentium verborum. Quod eo magis existimo, quia responderi constat ad id quod lib. III, c. 8, dictum est his verbis: « Ex quo efficitur, gloriatione, ut ita dicam, dignam esse beatam vitam; quod non possit quidem, nisi honestæ vitæ, jure contingere. Ita fit, ut honesta vita beata sit ». In autem locus correctionem doctissimi viri confirmat M. Antonii Moreti, qui legendum putat ex Nonio: « Illud vero minime consectarium, sed in primis hebes illorum, gloriatione dignam esse beatam vitam: quod non possit, etc. » Id quod Sigonii quoque liber comprobat. P. MANUT. — *Ut jure quisquam glorietur.* Sic omnes omnino codices, et auspicionibus suis plus quam par erat indulsit P. Manutius, qui hæc in spuriis et supposititiis numeravit. DAV.

17. *Polemon.* Gœr. scribit *Polemo.*

18. *Magister...tota...gens.* Polemonis magister Xenocrates intelligitur; et *tota gens* cum Academicis Peripateticos comprehendit. Sic enim capi auctor voluit, quum *gentem*, non *familiam*, scriberet. G. — Dubium tamen est an hæc tam stricte distingui debeant, quum paullo supra *familia* eodem sensu ac *gens* hic accipiatur: « Aristoteles, Xenocrates, tota illa familia, non dabit ».

19. *Præstat ceteris rebus.* Tres nostri cum Crat. in marg. *reliquis.* Atque sane mirum est, si satis sæpe hanc varietatem recurrere videas; quam vix recte glossæ tribues, nisi scribas fororis cujusdam vel notissima quæque explicandi, accusare volueris. G.

20. *Et beatus esse poterit. Et* est consecutionis, ut alibi assumptionis. Sensus est: « Ita sequetur, ut beatus etiam is judicandus sit, qui vel una virtute sit præditus: quod tamen vos negatis ». In proximis tanguntur Epicurei. G.

21. *Etsi illi quidem.....gloriosas.*

faciunt interdum gloriosas. Vides igitur, te aut ea sumere, quæ non concedantur, aut ea, quæ etiam concessa te nihil juvent.

52 XIX. Equidem in omnibus istis conclusionibus hoc putarem philosophia, nobisque dignum, et maxime, quum summum bonum quæreremus[1], vitam nostram, consilia, voluntates, non verba corrigi. Quis enim potest istis, quæ te, ut ais, delectant[2], brevibus et acutis, auditis, de sententia decedere? Nam, quum ea spectant, et avent audire[3], cur dolor malum non sit: dicunt illi, asperum esse dolere[4], molestum, odiosum, contra naturam, difficile toleratu; sed, quia[5] nulla sit in dolore nec fraus, nec improbitas, nec malitia, nec culpa, nec turpitudo, non esse illud malum. Hæc qui audierit, ut ridere non curet[6], discedet tamen

Bene vertit intp. gallicus: « Quoiqu'ils ne laissent pas de se glorifier quelquefois de leurs voluptés ».

XIX. 1. *Putarem...quæreremus.* Ex consueto consecutionis ordine *putarim* scribendum erat; neque non erunt, qui hoc malint. Sed verba « in omnibus istis conclusionibus », valent, « si mihi ejusmodi consectaria facienda essent »: qua quidem ratione vulgata exquisitior urbaniorque judicanda est. Gud. 2 et Bas. « nobis philosophiaque ». G.

2. *Quæ te, ut ais, delectant.* Varie peccant in his scribæ, sic tamen ut pateat, non eos vidisse, ipsa his Catonis verba excitari. Cf. III, 7, 26: « sed consectaria me Stoicorum, brevia, et acuta, delectant ». G.

3. *Nam, quum ea spectant, et avent audire.* Gœr. scribit: « Nam, quum exspectant », notatque: Davis. vulgatum corrigit in « quum eos spect. » Propius accedit Ern. *ea exspectat* commendans. Sed nimis sæpe in scriptis, *ea* in *ex*, et vice versa, mutatur (sic v. c. Invent. II, 28, 85, codex a nobis collatus, « sed ne utile quidem...ea spectare »). Cf. Philipp. II, 26, 64: « Exspectantibus omnibus, quisnam esset tam impius »: ut, quum h. l. *ea* superfluum intellexeris, incertus esse non possis, hanc nostram rationem veritati esse consentaneam. — Ceterum ad *exspectant... avent* cogitandum est *secus sentientes*: nam ad superiora *de sententia decedere*, *sua* cogitabis, ut scilicet ad eam Stoicorum transeat. Vulgo sic activa pro passivis posita dicunt. G.

4. *Asperum esse dolere.* Codd. aliorum plures impressique, quos vidimus, omnes, *dolorem*, accommodatis substantivo reliquis. Sed scripti nostri omnes infinitum tempus dant, græco more, auctorique frequentato. G.

5. *Sed, quia.* Bas. et Gud. 1 *quum*: offendit scilicet scribas *sit* ad *quia* positum; sed vide sup. I, 10, 32. G.

6. *Hæc qui audierit, ut ridere non*

nihilo firmior ad dolorem ferendum, quam venerat.
Tu autem negas fortem esse quemquam posse, qui
dolorem malum putet. Cur fortior sit, si illud, quod 53
tute concedis, asperum, et vix ferendum putabit? Ex
rebus enim timiditas, non ex vocabulis nascitur. Et
ais, si una litera commota sit, fore, tota ut labet di-
sciplina. Utrum igitur tibi literam videor, an totas pa-
ginas[7] commovere? Ut enim sit apud illos, id quod
est a te laudatum, ordo rerum conservatus, et omnia
inter se apta et connexa (sic enim aiebas), tamen
persequi non debemus[8], si a falsis principiis profecta
congruunt ipsa sibi, et a proposito non aberrant[9]. In 54
prima igitur constitutione Zeno tuus a natura recessit;
quumque summum bonum posuisset in ingenii præ-
stantia[10], quam virtutem vocamus, necquidquam aliud

curet. Sensus est: « Hæc et talia qui audierit, si vel ea deridere nolit ». Hinc nihil est, quod Gud. uterque *hoc*, ac Bas. *et videre*, referunt. In proximis item bini illi pro *nihilo*, *vero* peccant, compendia *no* et *uo* confundentes. G.

7. *An totas paginas.* Cogitandum Stoicorum disciplinæ (συστήματος). Respondetur autem bis et proximis, ad ea quæ a Catone allata fuerant, III, 22, 74. G.

8. *Tamen persequi non debemus.* Pronomen *ea* ex crebro auctoris more subaudiendum est. *Persequi* est *plene*, *ab omni parte probare*. Verr. V, 70, 181: « horum nos sectam et instituta persequimur ». Non bene igitur Ern. « ultra progredi concludendo ex iis » explicat. G.

9. *Congruunt ipsa sibi...aberrant.* Scriptus liber nullus, *congruunt*; omnes *congruent*, ut etiam impressi vetere plerique: nam quod Erl. *congrueni* refert, *i* ex proxima voce adhæsisse videtur. Hoc tanto in futurum tempus consensu, quod ad *si* auctor tantopere amat, scribæque ubique fere sollicitant (cf. Heusingg. ad Off. III, 4, 14; ibid. 6, 1, etc.), parum auctoritatis attulit Davisius, quum ex Ascensiana, Lambini exemplo, *congruunt* daret. Olim malebamus *congruenter*, deleta *et* proxima, quod *er* syllaba in his adverbiis, quæ auctor frequentat, ex eo quod superscribi solebat, sæpe neglecta reperitur: sed minus probo positu.—Jam quidem *aberrabunt* suademus, quum æque sæpe hæc quoque futura oblitterentur: frequenter enim hoc compendio, *aberra'nt*, *numera't*, *puta'nt*, expressa vidimus; quodque quum item futuri exacti sit, alius etiam hinc error oritur. Sic recte nuper Schütz. Orat. 27, 95, « explicabuntur, etc. » Mars. et Crat. « congruant ...aberrent ». G.

10. *Posuisset in ingenii præstantia.* Monac. « posuisset, ingenii præstan-

bonum esse[11] dixisset, nisi quod esset[12] honestum, nec virtutem posse constare, si in ceteris rebus esset quidquam, quod aliud alio[13] melius esset, aut pejus: his propositis[14] tenuit prorsus consequentia. Recte dicis; negare enim non possum. Sed ita falsa sunt ea, quæ consequuntur, ut illa, e quibus hæc nata sunt, vera esse non possint[15]. Docent enim nos, ut scis[16], dialectici, si ea, quæ rem aliquam sequantur[17], falsa sint, falsam illam ipsam esse, quam sequantur. Ita fit illa conclusio non solum vera, sed ita perspicua, ut dialectici ne rationem quidem reddi putent oportere:

tiam ». Non male: foret enim selectius dictum, sed vix verius! *In* ex prima vocis proximæ syllaba facile obliterari potuit: tum scriba sua sponte quartum casum posuit. G.

11. *Aliud bonum esse*. Spir. et Erl. transponunt, « aliud esse bonum »: qui ordo tum valeret, si *quidquam* abesset. G.

12. *Nisi quod esset honestum*. Ignorat Gud. 2 *esset*: alias, hac in frequenti dicendi ratione, recte; h. l. pro *vere esset* cum vi additur.

13. *Si in ceteris rebus esset quidquam, quod aliud alio*. Gud. uterq. et Bas. *quid*, pro *quidquam*: sed hæsere scribæ in ejus positu; qui probus est. Auctor enim, quum primariam enuntiati vim in *ceteris* vellet, non potuit, quin *quidquam*, item non sine vi, in clausula poneret. *Quod* autem noli cum Nisseno *propter quod* explicare. G.

14. *Propositis*, pro *positis* dictum. Cf. ad Acadd. II, 13, 42. G.

15. *Sed ita falsa sunt ea, quæ consequuntur, ut illa, e quibus hæc nata sunt, vera esse non possint. Ita* est *tantopere, tam certe*, ad exemplum græci οὕτως...ὥστε. Deinde ignorat Gud. 2 *ea*; quod primo adspectu probandum videatur: sed est hoc pron. non sine vi quadam additum. In verbis denique e *quibus*, plures et scripti et veteres impressi *e* ignorant. Perperam. Neque *ex* corrigendum, ut alias, putes, quum vis in præpositione sit, non in pronomine: tum enim modo *ex quibus* recte scribitur. G.

16. *Ut scis*. Parentheseos signis ista, ut fere fit, sic h. l. vulgata distinguit: sed prave. Pari enim tum jure, « ut ita dicam, ut soles, ut videris », et talia multa, parenthesin requirent, ad quæ tamen recte VV. DD. hanc respuunt. Parva ista sunt, sed tamen monenda: inconstantia enim dedecet in omnibus. G.

17. *Quæ rem aliquam sequantur*. Gud. 2 et h. l. et inferius *consequantur*, i. e. proprio verbo: et nescio an ad hæc contexta meliore, quum et inferius *consequentibus* scribatur. Sed Erl. *persequantur* (ex Spir. nihil notatum): unde simplex præferendum videtur, quod etiam inferius recurrit. G. — In schola vel nunc dicitur: Sublatu antecedente, tollitur consequens; sublato consequente, tollitur antecedens. Vide *Kant's Logik* mo-

« Si illud, hoc; non autem hoc; igitur ne illud quidem ». Sic, consequentibus vestris sublatis, prima tolluntur[18]. Quæ sequuntur igitur[19]: « Omnes, qui non sint sapientes, æque miseros esse; sapientes omnes summe beatos esse; recte facta omnia æqualia; omnia peccata paria ». Quæ quum magnifice primo dici viderentur[20], considerata minus probantur. Sensus enim[21] cujusque, et natura rerum, atque ipsa veritas clamabat[22] quodam modo, non posse ad-

dus tollens, modus ponens, p. 165.

18. *Sic.* Male Davis. *sic*, quæ apodoseos, et simul consecutionis est, in *si* mutat. — *Prima tolluntur.* Sic primus Lamb. eumque secutus est Ernest. Davisio in omnia alia abeunte. Recte Lamb. probantibusque Spir. et Erl. Marso, Crat. aliis: nam *tollantur* ad hæc contexta nihil est. G.

19. *Quæ sequuntur igitur: Omn.* Vulgo *quæ sequuntur igitur? Omn.* cum interrogat. nota, quod minime intelligitur. Bentl. legit: « Sic, consequentibus vestris sublatis, prima tolluntur. Quæ sequuntur igitur (nempe illa, *Omnes*, etc.), quum magn. primo dici, etc. » Gœr. eamdem sequitur interpungendi rationem: sed non delet *quæ* ante *quum magn.* Sublata interrog. nota, sensus perspicuus est: Igitur tolluntur quoque illa quæ ex primis illis sequuntur, nempe Omnes, etc.

20. *Quæ quum magnifice primo dici viderentur.* Ernest. suo periculo *videntur* scripsit. Si *videantur* dedisset, quod Bremius in notis mscr. ut unice verum commendat, magis probaremus: nam Indicat. vulgato etiam incommodior est. At vulgata retinenda est, alias enim pari licentia cum Ern. paucis post *clamat* legendum foret; et restarent tamen *exæquaret* et *interesset*, quæ, si ille con-atare sibi voluisset, æque corrigenda erant. Vide loca similia apud Wopk. Lectt. Tull. pag. 126. Neque h. l. auctor negligentiæ accusandus est. Dicit enim, quasi ita *primo* ipsi quoque acciderit, ut, quum ista Cato exponeret, *magnifice dicta* putaret. *Quum* autem *licet*, et *probantur*, *probari merentur*, vel, *probanda esse intelliguntur*, notat. Possis deinde in *quæ* repetite posito hærere: sed dudum recte Brem. (de Fato, cap. 1, ell. Fin. III, 3, 1) docuit, bis, terve relativum iterari solere. Hoc loco de industria id factum esse inde recte conjicies, quod plura interposita prioris relationem obscurare facile poterant. Contexta enim sic pergunt: « quæ seq. quum magn. dicta viderentur, considerata (tamen) minus probantur ». G.—Quæ ut apertiora essent, ante *quæ* lineolam poni jussit Gœr.

21. *Sensus enim.* Horat. Sat. I, 3, 95: « Queis paria esse fere placuit peccata, laborant, Quum ventum ad verum est: sensus, moresque repugnant, Atque ipsa utilitas, etc. »

22. *Clamabat.* Hoc sine jure, Lambini exemplo, Ernestius corrigit, reponens *clamat*, scriptis vulgatam constanter tuentibus. Ignoramus quarum editionum veterum auctoritate ille sic dedisse dicat; nam

duci[23], ut inter eas res, quas Zeno exæquaret, nihil interesset.

56 XX. Postea tuus ille Pœnulus[1] (scis enim Cittieos, clientes tuos, e Phœnicia profectos[2]), homo igitur acutus, causam non obtinens, repugnante natura, verba versare cœpit[3]: et primum rebus iis, quas nos bonas ducimus[4], concessit, ut haberentur aptæ, ha-

nostræ omnes vulgatam firmant. Referendum est autem imperfectum ad *considerata*, quod præcedit, scilic. *quum accuratius considerarem*. Ab hoc deinde imperf. pendent altera duo, quæ sequuntur. Sed hæc mutare videtur Monac. qui nostris nuperrime accessit, quippe qui *clamabit* referat. Jam *probabuntur*... *clamabit* scribi malumus. G.

23. *Non posse adduci, ut*. De hac locutione vide ad Legg. II, 3, 6. G.

XX. 1. *Pœnulus*. Laert. in Zenone auctor est (VII, 1, quem loc. vid. not. seq.) Citiæos a Phœnicibus originem duxisse; quem ego sequutus emendavi *e Phœnicia*, sive *a Phœnicia*, quum antea legeretur *a poetica*, fœdo errore et manifesto. Appellat autem *Pœnulum* Zenonem, quasi callidum et astutum, ut sunt Pœni fere omnes, qui a Phœnicibus nomen acceperunt. P. Man. — Non Pœnulum vocat Noster Zenonem, quod callidus esset; sed appellatione diminutiva propter contemptum utitur. Alioqui cognomine *Pœnus*, sive Φοίνιξ appellabatur, ut tradit Suidas. Vide sis et Laert. VII, 3. Daviesius.

2. *Cittieos ... e Phœnicia profectos*. Goer. scrib. *Citieos*...*e Phœnica*. *Citieos*, inquit, scripsimus cum Marso, quum vulgo *Citiæos*, et ab Ern. *Cittiæos*, edatur : nam omnes scripti et nostri, et aliorum, *citius* peccant, atque latini scriptores ubique *Citium* scribunt. Cf. Corn. Nep. Cim. 3, 4; Plin. H. N. V, 31, etc. Quid? quod plures etiam Græcorum, ut Diod. Sic. Plut. Κίτιον scribunt? Adjectivum quidem Κιττιεὺς, unde latinum ortum suum traxit, simplici τ scriptum non meminimus : nam vel apud Stob. Serm. Eth. XVI, quum olim Κιτιεὺς legeretur, Schow nuper duplicatam literam edidit. Sed ut duplex τ græca in voce pronuntiationem adjuvare, ita simplex latinæ magis convenire videtur. — Ceterum huc pertinet ex Diog. Laert. VII, 1, Ζήνων Μνασέου, ἢ Δημέου, Κιττιεὺς ἀπὸ Κύπρου (aliud enim Citium Macedoniæ memoratur Liv. XLII, 51), πολίσματος Ἑλληνικοῦ Φοίνικας ἐποίκους ἐσχηκότος. — *Cl. tuos*. Namque Cato urbem Cittium, antiquam in Cypro Phœnicum coloniam, primus rom. imperio subjecerat : et moris erat ut populi subacti clientes vocarentur eorum, a quibus in romanum imperium adducti fuerant.

3. *Verba versare cœpit*. *Versare* est h. l. *mutare*; ut pro Cœl. 6, 13, « versare suam naturam ». Videtur dicendi ratio a nummulariis petita, qui *versare pecunias* dicuntur, quum eas permutando quæstum faciunt. Conf. Suet. Galb. 9. Totius autem contexti sententia hæc est : « homo acutus, ut erat, quum videret, præceptorum suorum veritatem se probare non posse, quippe quæ cum natura ipsa pugnarent, verba (verborum potestates) mutare cœpit, etc. » G.

4. *Et primum rebus iis, quas nos*

biles[5], et ad naturam accommodatæ; faterique cœpit, sapienti, hoc est, summe beato commodius tamen esse, si ea quoque habeat, quæ bona non audet appellare, natura ipsa accommodata esse concedit[6]; negatque, Platonem, si sapiens non sit, eadem esse in causa, qua tyrannum Dionysium; huic mori optimum esse, propter desperationem sapientiæ; illi, propter spem, vivere. Peccata autem partim esse tolerabilia, partim nullo modo, propterea quod alia peccata plures, alia pauciores quasi numeros officii præterirent.

bonas ducimus. Gœr. præbet *dicimus.* Ita, inquit, nostri, præter Gud. 2, omnes, itemque cum Eliens. 2, pluribusque editis vett. nullo excepto. *Ducimus* a Grutero est, qui sic in Pall. suis. Sed deficiente Pal. 1, reliqui, si forte Pal. 4 exceperis, nihil momenti faciunt; quod idem de ceteris Davisii valet. Potior tamen causa reducti a nobis *dicimus* in eo est, quod de verbis mutatis sermo est, ubi hoc melius putandum, pro *docendo statuimus* positum: qua vi haud raro *dicere* in *ducere*, corrumpitur; vide nos ad Legg. I, 13, 37, coll. ibid. 17, 47. Sic restitues Off. I, 20, 5, « parva ducere ... dicendum est: » ubi vel propter præcedens *ducere* scriptis melioribus parendum erat; cum quibus 5 nostri faciunt. — *Res* autem *bonæ* auctori sæpe dicuntur, v. c. de Legg. lib. I, cap. 11, § 28. — Ceterum invidiosius dicitur *concessit*, quod sequitur.

5. *Ut haberentur aptæ, habiles.* Gud. 2, cum binis Ursini et Davisii, pro *aptæ, habiles, optabiles:* quod, per se placere possit, si idem acceperis, atque *eligendæ*, quum προηγμένα (nam hæc intelliguntur), eligenda sint, non expetenda. Sed ambiguitas hujus sectionis ipsam respuere jubet. Auctor enim *optabilia*, ut recte vidit Davis. *in expetendis*, i. e. *in bonis* numerat; cf. infra 26, 72: « Itaque illa (προηγμένα) non dico me expetere, sed legere: nec optare, sed sumere ». Referendum tamen *aptæ* et *habiles* item *ad naturam* est. Similiter « calcei habiles et apti ad pedem » dicuntur Orat. I, 54, 231. G.

6. *Natura ipsa accommodata esse concedit.* Gœr. scrib. *commodata.* Edidimus, inquit, quod scripti nostri omnes jubebant. Vulgatur, « natura ipsa accommodata: » in quo non mirum est, si Davis. et Ern. glossema suspicati sunt. Nam aut *naturæ*, aut *ad naturam*, scribi debebat, si vel putidam ex superioribus repetitionem non curares. Sed dubitamus, an ullo in scripto *accommodata* legatur. In Palatt. enim vel *commodo*, vel, cum nostris quinque, Pal. 4, *commodata.* Davisiani et Monac. *commoda*, cum Marso, præbent. *Commodata* est, « in usum commodumque nostrum data »: *natura* autem intelliges *præbente*; ut ablativis non plenis adnumeretur, de quibus toties egimus: *ipsa* denique pro *hæc ipsa*, sc. *bona.* Variatis autem verbis auctor dixit, quod toties propriis monet, προηγμένα *secundum naturam esse.*

Jam insipientes alios ita esse, ut nullo modo ad sa-
pientiam possent pervenire; alios, qui possent, si id
57 egissent[7], sapientiam consequi. Hic loquebatur aliter,
atque omnes; sentiebat idem, quod ceteri. Nec vero
minoris æstimanda ducebat ea, quæ ipse bona negaret
esse, quam illi, qui ea bona esse dicebant[8]. Quid igi-
tur voluit sibi, qui illa mutaverit? Saltem aliquid de
pondere detraxisset[9], et paullo minoris æstimavisset
ea, quam peripatetici, ut sentire quoque aliud, non
solum dicere videretur.

Quid? de ipsa beata vita[10], ad quam omnia referuntur, quæ dicitis? Negatis eam esse, quæ expleta sit omnibus iis rebus, quas natura desideret, totamque[11] eam in una virtute ponitis: quumque omnis controversia aut de re soleat, aut de nomine esse; utraque earum nascitur, si aut res ignoratur, aut erratur in nomine. Quorum si neutrum est, opera danda[12] est,

7. *Si id egissent.* Hæc optima lectio est Tertii apud P. Manut. recepta a Davisio, et a Spir. Erl. E. et ξ. comprobata. Reliqui nostri cum olim vulgata *id gessissent :* nisi quod Gud. 1 *digessissent* peccat. Accommodata autem hæc fictio ad illud, *hoc age*, est, quod proverbiali more Latinis de re præ ceteris curanda ponitur. Sententia est, « si in eo omnem operam posuissent ». G.—Lamb. autem edidit, *si processissent*, quod a nonnullis editoribus receptum ejecerunt Gruterus et Davisius.

8. *Qui ea bona esse dicebant.* Ern. *esse* delendum putat. Neutiquam. Nam *dicere*, *statuere* valet, atque tum semper *esse* in comitatu habet, idque non sine vi additum. G.

9. *Saltem ... detraxisset.* Int. hoc fecit, ut saltem his commodis pondus aliquod detraheret, et sic videretur non solum verbis, sed etiam re dissentire.

10. *Quid? de ipsa beata vita.* Verbum postremum non est in Pal. quarto; et forte subintelligi voluit auctor: nam nec reliqui nostri concordant: habet enim sec. Pal. *vitam*; sextus *via*. Grut.

11. *Totamque. Que, sed* notat; et, quod brevi post in Gud. utroque *una* omissum est, id inde putabis, quod scribæ in hac voce offendunt, si *sola*, *unica* valet: in primis quum propter *totam* abundare videatur, ponderis causa addita. Vocem enim ipsam Stoica ratio, et mens auctoris tuetur. G.

12. *Quorum si neutrum est, opera danda est, ut.* Gœr. transp. *Quorum neutrum si est*, alterumque *est* delet cum Spir. Erl. et Bas. De *est*, inquit, quod ad partt. fut. in *dus* ex more scribæ addunt, sæpe egimus.

ut verbis utamur quam usitatissimis, et quam maxime aptis, id est, rem declarantibus. Num igitur dubium 58
est, quin, si in re ipsa nihil peccatur a superioribus, verbis illi commodius utantur[13]? Videamus igitur sententias eorum[14]: tum ad verba redeamus.

XXI. Dicunt appetitionem animi[1] moveri, quum aliquid ei secundum naturam esse videatur; omniaque, quæ secundum naturam sint, æstimatione aliqua digna; eaque pro eo, quantum in quoque sit ponderis[2], esse[3] æstimanda; quæque secundum naturam sint, partim nihil habere in sese ejus appetitionis, de qua sæpe jam diximus, quæ nec honesta, nec laudabilia dicantur; partim, quæ voluptatem habeant[4] in

13. *Verbis illi commodius utantur?* Confirmant tres nostri *utantur*, quod cum Aldo, avo, recte Davis. pro vulgato *utuntur* reposuit. Lambinus *commodioribus* suadet: sel vulgatum melius est, et *aptiore ratione* valet. G.

14. *Sententias eorum.* Peripateticorum puta, eum quibus tum Academici quoque faciebant, Polemone principe. Quod ob sequentia accurate tenendum est. G.

XXI. 1. *Appetitionem animi.* ὁρμὴν puta, cui πάθος, *animi perturbatio*, opponitur. Ut autem hæc Stoicis « aversa a recta ratione, et contra naturam », dicitur Tusc. IV, 6, 11, ita iidem *appetitionem* ἐν τοῖς λογικοῖς ζώοις λογικὴν εἶναι, καὶ συγκατάθεσιν, perhibent, i. e. « rationis edictis consentaneam ». Vid. Stob. Ecl. Ethic. II, p. 160, cll. ibid. pag. 164. Adde supra III, 7, 23. Hinc *appetitio* ad ea modo pertinet, quæ secundum naturam sunt: atque quum ipsa ad « judicium rationis de rebus in sensus cadentibus », quæ *animum* (*das Gemüth*) movent, referatur, toties ei auctor genit. *animi* distinctionis causa addit. G.

2. *In quoque sit pond. Quoque* est, « quocumque eorum quæ secundum naturam sint: » quod quum scribæ non viderent, codd. nostri editique vett. plerique omnes *in quaque*, prava ad *appetitionem* relatione præbent. G.

3. *Esse.* Male ignorant Gud. 1 et Bas. *esse*, quum adseverationem adjuvet. Ceterum paullo laxior est hujus § oratio; quod apud Cic. maxime in sententia aliorum contractius referenda observare licet. G.

4. *Partim nihil habere ... partim quæ ... habeant.* Davis. ad posterius *partim* lacunæ signa posuit. Ern. item excidisse quid statuit: sed posse etiam e contrario intelligi *habere*: quod ipsum verbum Lambinus sua sponte contextis addidit, eumque Oxoniensis editor sequutus est. Accuratius videamus. Primo quidem verba, « quæ voluptatem ... etiam », circumlocutionem *appetitionis*, ὁρμῆς continent, quæ διττῶς θεωρεῖται, ἐν τοῖς λογικοῖς λογικὴ οὖσα, ἐν δὲ τοῖς ἀλόγοις ἄλογος.

omni animante, sed in homine rationem etiam; ex iis quæ sint apta, ea honesta, ea pulchra, ea laudabilia; illa autem superiora, naturalia nominantur: quæ, conjuncta cum honestis, vitam beatam perfi-
59 ciunt et absolvunt[5]. Omnium autem eorum commodorum, quibus non illi plus[6] tribuunt, qui illa bona esse dicunt, quam Zeno, qui negat, longe præstantissimum esse, quod honestum esset atque laudabile: sed, si duo honesta proposita sint, alterum cum valitudine, alterum cum morbo; non esse dubium, ad utrum eorum natura nos ipsa deductura sit. Sed tamen tantam vim honestatis esse[7], tantumque eam rebus omnibus præstare et excellere, ut nullis nec suppliciis, nec præmiis demoveri possit ex eo, quod rectum esse decreverit; omniaque, quæ dura, difficilia, adversa videantur, ea virtutibus iis, quibus a natura essemus ornati, obteri posse[8], non faciles illas qui-

Vid. Stob. loco supra laud. Hæc autem in ἀλόγοις, in *voluptate* cernitur. Jam auctor proprie pergere debebat, *partim habere voluptatem*: sed hac circumlocutione usurus, levê anacoluthon admisit, atque accommodans orationem ad, « quæ nec honesta ... dicantur », scripsit, « quæ voluptatem habeant, etc. » G.

5. *Quæ, conjuncta ... perficiunt et absolvunt.* Crat. *perficiant et absolvant.* Quod ne putes esse aliquid, notandum est, hæc ex auctoris mente dici, quum priora e Stoicorum sententia referantur. G.

6. *Omnium ... quibus*, etc. Ordo est: Omnium commodorum (quibus, etc.) præstantissimum esse dicunt; etc. Quod ne satis intelligatur, nonnulli editt. verba « quibus ... negat » parenthesi includunt.—*Non illi plus.* Bas. *illi non plus.* Perperam. Vis est enim in *non* a *plus* sejuncta. Verr. III, 3, « is non tibi plus etiam, quam inimicus esse debeat? » G.

7. *Honestatis esse.* Gœr. transp. *esse honest.* Hoc, inquit, ordine nostri omnes, quum Crat. vulg. *honestatis esse.* Sed si auctor vim in verbo subst. vellet, scripturus haud dubie fuisset, *sed tantam tamen.* Accommodatior igitur series a nobis recepta est, quum vel proxima doceant, vim loci esse in v. *honestatis.*

8. *Obteri posse.* Omnes nostri quoque *optari.* Sed recte vidit Camerarius, vitium inde ortum esse, quod *opteri* scriberetur. Vulgatam tuetur etiam Crat. in marg. Vis verbi est, *detrahendo minui*; non, ut Ern. in Clave, *contemni*: rectius dixisset, *in contemptum adduci.* Ita « laudes majorum, majestas populi, jura obteruntur ». G.

dem, nec contemnendas [9] (quid enim esset in virtute tantum[10]?), sed ut hoc judicaremus, non esse in his partem maximam positam aut beate, aut secus vivendi [11]. Ad summam, ea, quæ Zeno æstimanda, et

9. *Non faciles illas quidem, nec contemnendas.* Hoc fortasse vident alii quo referatur : mihi, homini non acuto, tenebras esse confiteor. Quod si legatur cum Sigonii libro « non facilia illa quidem, nec contemnenda; » nemo erit tam hebes, qui hæc non cernat ab iis pendere « quæ dura, difficilia, adversa videantur ». P. MANUT. — Nisi forsan hic quædam desint, quod equidem vehementer suspicor, ductu libri Sigoniani, qui dabat « non facilia illa quædam, nec contemnenda », rescripserim, « non ut futilia illa quidem et contemnenda ..... sed ut hoc judicaremus, etc. » DAVIS. — *Non faciles illas quidem, nec c.* Gœrenz ante *non faciles* punctum minus ponit, notatque : Hæc vehementer Viros Doctos exercuere. Lambinus nimis liberalis, ex cod. nescio quo antiquissimo, ut dicit, post *posse* hæc intrusit, « valitudinem autem, pulchritudinem, celeritatem, vires corporis, divitias et ceteras res hujus generis : » sed ut ista pluribus ex partibus spuriam naturam produnt, ita nullo modo contextis recte respondent. Davis. item lacunam odoratus, tamen ex codicis Sigoniani (cum quo Oxonn. E. et V. facere videntur) lectione, *quidem* in *quædam* ex ingenio mutans, « non futilia illa quædam, nec contemnenda » suadet. Ern. post *faciles*, *res* addi jubet. Brem. in nott. mscr. « non ut faciles illas quidem res, nec cont. » At nos certi summa nihil loco desse. Decepit VV. DD. prava interpunctio : vulgo enim ante hæc virgula distinguitur. Sic videre non licebat *esse* cogitari debere. Quod si videris, puncto minori posito, reliqua recte cohibunt. Proprio quidem ordine sic scribendum erat, « illas quidem non fac. » sed vis in *non* posita effecit, ut hæc præmitteretur. Occurrunt similes accusativi Tusc. I, 48, 102, « rem non difficilem, etc. » Vide notas proximas. G.

10. *Quid enim esset in virtute tantum?* Ern. *esse* mavult, quod veremur ut satis sit latinum. Potest vulgatum ferri, sed magis placet, *qui*, h. s. « quomodo enim virtus, in universum spectata, tantum valeret! » sc. « si hæ virtutes faciles effectu essent, et parum æstimatione dignæ ». Sæpe certe *quî* in *quid* corrumpitur. Sic recte restituit Schütz. Orat. 42, 126. Idem ex uno nostro repones Tusc. IV, 26, 57 : « quid potest accidere tale ei, etc. » *Quî* enim si correxeris, locus iste Wolfii beneficio persanatus erit. G.

11. *Aut beate, aut secus vivendi.* Gœr. delet priorem *aut*. Jam, inquit, eam Davis. e quatuor suis, Ascensiana Victorianaque rejecerat. Nostri Oxoniensesque omnes, cum Marso, Crat. multisque vett. edd. eamdem ignorant, additam a scribis, simplex *aut* ubique fere vel mutantibus, vel duplicantibus. Jam totius loci sententia sic construenda est : « Tanta vi esse, tanta præstantia, honestatem, ut nullo terrore, nulla spe ab eo declinari possit (i. e. ejus cultores declinare patiatur), quod rectum esse judicarit : quid? vel dura quævis virtutum a natura insitarum ope emolliri posse. Neque sane virtutes has facili

sumenda, et apta naturæ esse dixit, eadem illi bona appellant; vitam autem beatam [12] illi eam, quæ constaret ex iis rebus, quas dixi, aut plurimis, aut gravissimis. Zeno autem, quod suam, quod propriam speciem habeat, cur appetendum sit, id solum bonum appellat; beatam autem vitam eam solam [13], quæ cum virtute degatur.

XXII. Si de re disceptari oportet, nulla mihi tecum, Cato, potest esse dissensio. Nihil est enim, de quo aliter tu sentias, atque ego [1], modo commutatis verbis ipsas res conferamus. Nec hoc ille non [2] vidit; sed verborum magnificentia est et gloria delectatus: qui si ea, quæ dicit, ita sentiret, ut verba significant; quid inter eum, et vel Pyrrhonem, vel Aristonem [3] in-

opera constare, nec parvi æstimandas (quo enim modo in virtute universa tantum pretium foret, si singulæ nullo negotio pararentur, parvique pendendæ essent?): sed potius sic judicandum esse (quamquam hæ recte magni æstimentur, tamen), cardinem in ipsis beatæ miseræve vitæ minime verti: sed requiri ad hanc etiam illa, quæ secundum naturam sint ».

12. *Vitam autem beatam illi eam.* Notandum est, hanc definitionem vitæ beatæ, ut reliqua, esse Polemonis; cf. Clem. Alexandr. Strom. II: Πολέμων τὴν εὐδαιμονίαν αὐτάρκειαν εἶναι βουλόμενος ἀγαθῶν, ἢ τῶν πλείστων καὶ μεγίστων. G.

13. *Beatam autem vitam eam solam, quæ cum virtute degatur.* An igitur Academici vel Peripatetici vitam beatam sine virtute posse fieri concedebant? Nullo modo. Pro Zenonis itaque sententia legas oportet, « beatam autem vitam eam quæ sola cum virtute degatur ». Davis. cui Ern. assentitur. — Gœr. autem observat: Sed nos non videmus, quid tantopere vulgata differat. Immo quum præter virtutem Academici Peripateticique alia multa ad beatam vitam complendam requirerent, vulgo adeo cum codd. et edd. vett. omnibus melius legitur, quam si conjecturam Davisianam adoptaris. Vis autem in *solam*, quum clausulam occupet, loco aptissima est.

XXII. 1. *De quo aliter tu sentias, atque ego.* Bas. ξ. χ. ψ. *tu* ignorant; Mars. Crat. aliæ *tu aliter.* Hærebant nempe librarii in *aliter* præmisso; quo voci vim additam putabis. G.

2. *Nec hoc ille non vidit.* Int. atque certe hoc vidit Zeno; ita ut auctorem non intellexerit intp. gallicus, qui vertit: *et c'est ce que Zénon ou n'a pas vu, ou n'a pas voulu voir.*

3. *Et vel Pyrrhonem, vel Aristonem. Et* additam a Davisio, Oxonn. nostrique omnes agnoscunt. Ern. priorem *vel* deletam cupit: atque hanc sane Gud. 2 nescit. At *vel* ... *vel*, ut *sive* ... *sive*, eleganter duplicatur. G.

teresset? Sin autem eos non probabat, quid attinuit cum iis, quibuscum re concinebat[4], verbis discrepare?

Quid? si reviviscant Platonici illi[5], et deinceps qui 61
eorum auditores fuerunt, et tecum ita loquantur: « Nos quum te, M. Cato, studiosissimum philosophiæ, justissimum virum, optimum judicem, religiosissimum testem audiremus, admirati sumus, quid esset, cur nobis stoicos anteferres, qui de rebus bonis et malis sentirent ea, quæ ab hoc Polemone[6] Zeno cognoverat; nominibus uterentur iis, quæ prima specie, admirationem[7], re explicata, risum moverent. Tu au-

4. *Re concinebat.* Ita Lamb. ex Nonio, ut ait. At in hoc *concinnabatur* (*concinebatur* in Jos. Mercero) legitur. Sed verum verbum auctori restitutum puta: nam præterquam, quod in Pal. 4 sic scribi dicitur, Spir. Erl. et Gud. *continebat.* Cf. Nat. Deor. I, 6, 16: « Antiocho enim Stoici cum Peripateticis re concinere videntur, verbis discrepare ». Olim vulgabatur *conveniebat*, quod scripti reliqui tenent; sed recte Davis. hoc esse glossam judicat. G. — Int. si eos non probabat, cur doctrinam profitebatur eorum doctrinæ re consentientem, verbis tantum dissentientem? Eadem fere dicta sunt, cap. 16, fin.

5. *Platonici illi.* Gœr. *Platonis illi*, qui notat: Davis. statuit *Platonicos* omnino omnes dici, qui ullo tempore Platonis philosophiam sectati sint: mavult igitur cum Gronovii cod. qui *Platonis illi* exhibet, *Platonis alumni* legi. Acuta sane conjectura! Nam si vel illud discrimen inter *Pythagoræos* et *Pythagoricos* huc non traxeris, unde maxime Davisius rationem illam petiisse videtur: tamen hoc certum est, nusquam omnino auctorem Pythagoricos, Aristotelicos, etc. scribere, et hunc ipsum solum locum esse, ubi *Platonici* apud ipsum legantur. Sola exceptio est in *Socraticis*, quales vere Cic. Socratis discipulos appellat Orat. III, 16, 61, etc. *Platonis alumni* autem recurrunt inferius, 26, 72, et « alumni disciplinæ alicujus » sæpius dicuntur. Acute igitur sic Davisius: sed sine necessitate. Immo Gronovii codex plene sequendus erat, cum quo etiam Spir. et Erl. conspirant. Nam sæpe auctor ita scribit, ut vox *discipuli* (vel *imitatoris*) subaudiatur. Cf. quæ supra ad 2, 3 notavimus. Accedit quod continuo post *auditores* ponuntur, quæ ipsa vox facillime huc referri potest. Edi igitur trium optimorum codd. lectionem curavimus.

6. *Ab hoc Polemone*, sc. præsente: Platonici enim omnis ætatis celeberrimi tamquam in vitam reduces, et cum Catone loquentes inducuntur. Nihil igitur miraberis, si id pron. δεικτικῶς positum Bas. ignorat. G.

7. *Admirationem.* Plures nostri *animi rationem* peccant; quod ortum ex *ammirationem* puta; sic enim ubique hanc vocem mira conspiratione scripti exhibent. G.

tem, si tibi illa probabantur, cur non propriis verbis illa tenebas [8]? Sin te auctoritas commovebat, nobisne omnibus, et Platoni ipsi, nescio quem illum [9] anteponebas? præsertim quum in republica princeps esse velles, ad eamque tuendam cum summa tua dignitate maxime a nobis ornari atque instrui posses. Nobis enim ista quæsita, a nobis descripta, notata, præcepta sunt; omniumque rerumpublicarum rectiones, genera, status, mutationes, leges etiam, et instituta, ac mores [10] civitatum perscripsimus. Eloquentiæ vero, quæ et principibus maximo ornamento est [11], et qua

8. *Si tibi illa probabantur, cur non ... tenebas?* Gœr. scribit *probantur.* Unde, inquit, vulgatæ *probabantur* sit, nescimus; nam omnes Oxonn. omnesque nostri *probantur;* nec aliter editi veteres. Atque ista sane vera lectio videtur, si sic hæc intellexeris, » si cum illis sentis, cur non, ea ipsa enarrans, eadem cum illis verba adhibebas? » Vulgus dicit, « eorum quoque terminologiam sequebaris? » Quod si *probabantur* retinueris, mutata jam Catonis sentiendi ratio videbitur. VV. DD. haud dubie præsens neglexerunt, imperf. ex consecutionis ratione necessarium judicantes: sed hæc h. l. nulla est.

9. *Nescio quem illum.* Gud. 1 et Bas. *illum* ignorant, Gud. 2, *ullum.* Sed scribæ non ceperunt, pron. *illum* sic subjectum, contemptum augere; qui vel verbis *nescio quem* inhæret. Cf. de hoc usu pronominis *ille* Corte ad Divv. I, ep. 9, 21. Idem contra præmissum in laudem dicitur, pro Arch. 7, 15: » tum illud nescio quid præclarum ac singulare solere ». Quamquam etiam sic in contemptu ponitur pro Flacc. 17, 40. Nisi rectius ibi, cum Faerni codice, « iste nescio qui », malis. G.—Vulgo male interrogationis nota post *instrui posses* ponitur.

10. *Leges etiam, et instituta, ac mores. Et* ignorant Gud. 1, Bas. Monac. E. V. ξ. quorum primus pro proxima *ac*, *et* præbet. Sed amat auctor hæc accuratius distincta. Cf. in Pis. 13, 30: « qui ejus civitatis, in qua in principum numero vultis esse, non leges, non instituta, non mores ... noritis ». Neque debet mutatio copulæ offendere: sic enim sæpius auctor. Vid. Off. III, 1, 2: » Magnifica vero vox et magno viro ac sapiente digna! » Sed accurate notabis, per *ac* tum semper fere partem solere ejus, quod ante per *et* jungebatur, insigniri. Hoc loco videtur auctor *institutis ac moribus*, unum illud græcum ἐπιτηδεύματα, ut sæpe solet, expressisse. G.

11. *Maximo ornamento est. Maximo* Davis. ex solo Eliensi, pro *maxime*, dedit. Recte: sic præbent etiam Spir. et Erl. Sed nescio quid in his scribæ hæserunt; uterque enim noster *et* addunt; unde quidem, qua ratione *maximo* pravatum sit, videas, non autem, unde copula originem suam repetat; nisi substantivum excidisse,

te audivimus[12] valere plurimum, quantum tibi ex monumentis nostris addidisses[13]?» Ea quum dixissent,
quid tandem talibus viris responderes?—Rogarem te, 62
inquit, ut diceres pro me tu idem, qui illis orationem dictavisses, vel potius paullum loci mihi, ut his responderem, dares[14], nisi et te audire nunc mallem, et istis tamen alio tempore responsurus essem, tum scilicet, quum tibi.

XXIII. Atqui, si verum respondere velles[1], Cato, hæc erant dicenda, Non eos tibi non probatos, tantis ingeniis homines, tantaque auctoritate; sed te animadvertisse, quas res illi propter antiquitatem parum vidissent, eas a stoicis esse perspectas, eisdemque de rebus hos tum acutius disseruisse, tum sensisse gravius et fortius, quippe qui primum valitudinem bonam expetendam negent esse, eligendam dicant: non quia sit bonum valere[2], sed quia sit non nihilo æstiman-

atque olim, v. c. « maximo et decori et ornamento est », scriptum putaris. Hæc duo autem auctori junguntur sæpissime. G.

12. *Audivimus.* Refert Crat. *audimus :* quæ vera lectio videtur; vid. Fr. Heus. ad Off. I, 6, 5, coll. supra III, 20, 66. G.

13. *Quantum tibi ex monumentis nostris addidisses?* I. e. « Quantopere eloquentiam tuam ex scriptis nostris augere potuisses? » De Catonis autem eloquentia vide locum classicum in præfat. ad Paradoxa; unde facile patet, in ea hoc unum vituperandum fuisse, quod Stoicorum disserendi rationem redoluerit. G.

14. *Paullum loci ... dares.* Int. paullum orationem tuam interrumperes, ut iis responderem.

XXIII. 1. *Atqui, si verum respondere velles.* Spir. Erl. Gud. 1, *Atque :* quæ ad imperfecta, quæ sequuntur, suam quamdam probabilitatem habet. Gud. 2 autem et V. *Ad quæ;* et sic sæpius *atque* vitiatur. Cf. V, 3, 8. Tamen vulgatum præferendum est. Nam ad « si verum respondere velles », cogitandum est, *quod non facis.* Innui enim Cicero his urbane vult, ea, quæ Cato per ironiam amarius respondisset, e re non esse. Sic *Atqui* egregie convenit. *Verum* est *consentaneum ad rem*, ut sæpe. G.

2. *Non quia sit bonum val.* Gœr. transp. *non quia b. sit val.* Hoc, inquit, meliore positu nostri omnes, impressique vett. cum Crat. plures. Vulgo *non quia sit :* qui ordo ad proxima, non recte intellecta, accommodatus est. — Quod autem tres nostri vel *neque*, vel *nec* (sic etiam 4 Oxonn. et Mars.) offerunt, in eo audiendi non sunt: *non* est enim gravius, et structura

dum; neque tamen pluris[3], quam illis videatur, qui illud non dubitent bonum dicere. Hoc vero te ferre non potuisse, quod antiqui illi, quasi barbati, ut nos de nostris solemus dicere[4], crediderint, ejus, qui ho-

non quia... sed quia auctori consueta. Cf. pro Mil. 22, 59, etc. ubi sine justa causa Ern. ex Erfurt. cod. *non quin* correxit. Similiter *non quod...sed quod*, sæpe.—Ceterum ignorat Gud. a *valere*. Per se non male, si *valitudo* animo intellexeris.

3. *N. t. pluris, q. illis videatur, qui illud non dubitent.* Gœr. *quam* uncis includit, scribitque *videtur* et *dubitant*. Valde, inquit, in his turbatur. Vulgata *videatur* exhibet; cui accommodate Ern. *dubitent* correxit. At Spir. Erl. Crat. « plures, quam illis videtur». Gud. uterque cum Bas. et 7 Gruteri, Davisiique « pluris, quam illi videntur ». *Dubitent* Ernestius ex ingenio dedit, scriptis editisque pleno consensu *dubitant* referentibus. Davis. priorem lectionem probat, sed vel Tullii calamum, val librarii, errasse putat, quum sensus necessario non *pluris*, sed *minoris* requirat. Recte Davis. Sed hæc Cic. in refutationem breviter addit, in Catonis ore mire sonatura: iisque lineas, tamquam interlocutionis signa, addidimus (sic: æstimandum.—Neque tamen pluris... bonum dicere! — Hoc, etc.) Recte vidit etiam Davis. *pluris, quam illis*, stare nullo modo posse; modo quod eum vera corrigendi ratio fefellit. *Quam*, toties post comparativos a scribis addita, hoc quoque loco iisdem reddenda est: cancellis igitur ut spuriam notavimus. Ad *pluris* cogitandum esse *æstimandum*, per se patet. Sæpius autem, vel hoc in libro, auctor hoc urget, non pluris æstimare veteres ea, quæ secundum naturam sint, licet bona appellent; quam Stoicos, qui bona ea esse negent.

4. *Quasi barbati, ut nos de nostris solemus dicere.* Sic rasi ad cutem Romulidæ Ciceronis tempore avos proavosque suos appellabant. Sed haud putandum est, illo jam tempore Romanos communi more barbam posuisse: immo vel tum lautiores modo ad cutem radi se patiebantur, in quibus auctor ipse erat; reliqua pars breviore barba utebatur. Si igitur veteres Romani *barbati* dicuntur, inde fit, quod hi *barbam* alte promittebant, quales Græci πωγωνίας nominant. Hæc certissima esse, licet a P. Manutii inde temporibus multi secus sentiant, loci haud pauci probant: sed nunc id non agimus. Unum modo afferre liceat pro Cœl. 14, 33: « Aliquis mihi ab inferis excitandus est ex barbatis illis, non hac barbula, qua ista delectatur, sed ista horrida, quam in statuis antiquis et imaginibus videmus ». Ubi *hac barbula*, non, ut Ern. in Clave, de juvenili lanugine dicitur, sed de eleganti illa, et in artis formam redacta, qualis tum erat calamistratorum. Ceterum laudat recte Davis. pro Sext. 8, 19, et pro Muren. 12, 26. G. — *Barbati*. Quidam edunt, *barbari*: alii melius, *barbati*. Et apparet, inquit Erasmus, apud Romanos, proverbiali loco, barbatos dici consuesse, homines priscis ac simplicibus moribus, rusticanæque veritatis: quod illic sero receptum sit barbam radere aut tondere. Huc spectat, quod ait Juvenalis, Sat. IV, 103: « Facile est barbato imponere regi ». Morel.

neste viveret, si idem et bene[5] valeret, bene audiret, copiosus esset[6], optabiliorem fore vitam, melioremque et magis expetendam, quam illius, qui æque vir bonus, multis modis esset, ut Ennii Alcmæo[7],

Circumventus morbo, exsilio, atque inopia.

Illi igitur antiqui non tam acute[8] optabiliorem illam 63
vitam putant, præstantiorem, beatiorem. Stoici autem tantummodo præponendam in seligendo, non quo beatior hæc vita sit, sed quod ad naturam accommodatior; et qui sapientes non sint, omnes æque miseros esse. Stoici hæc videlicet viderunt[9]: illos autem id fugerat superiores [qui arbitrabantur], homines sceleribus et parricidiis inquinatos, nihilo miseriores esse, quam eos, qui quum caste et integre vive-

5. *Si idem et bene.* Gœr. scrib. *si idem etiam bene.* Sic, inquit, Spir. et Erl. nos scribere jusserunt : vulgatur *et*, quam, his in contextis, probare vix licet. Ven. *etiam* ante posterius *bene* refert, vel ex scribæ, vel typothetæ errore.

6. *Valeret... copiosus esset.* Tria ista cum quadam præferentia apud Stoicos posteriores, pariter atque Academicos, nominantur, « valitudo, bona fama, divitiæ ».

7. *Alcmæo.* Hanc Ennius fabulam ab Euripide sumpserat. Idem in ea argumentum tractabatur ac in nostris *Oreste*, *Sémiramis*, *Hamlet.* Neutra ad nos pervenit.

8. *Non tam acute.* Ernest. *acuti* præfert : sed tum ex Ciceronis more *acuti*, *qui* suadendum erat; sic tamen, ut vulgata haud deterior esset. Nam ut « recte, falso, scite putare », ita æque bene *acute p.* dicitur. G.

9. *Stoici hæc videlicet viderunt : illos autem id fugerat superiores [qui arbitrabantur], homines sceleribus et parricidiis inquinatos, nihilo miseriores esse.* Vulgo ante *illos* punctum maximum ponebatur, et punctum duplex post *superiores.* Præterea Gœr. scripsit *hoc* pro *hæc.* Primum, inquit, Davisio parendum fuit, qui ex tribus scriptis suis, et Victoriana *hoc*, pro vulgato *hæc* (quod ubique scribæ obtrudunt) dedit : nam nostri sic, præter Monac. omnes, impressique vett. plerique. Deinde idem recte vidit, verba *illos... superiores*, non posse nisi ad Academicos referri; ita autem his sententiam tribui disciplinæ ipsorum prorsus contrariam, et ad solos Stoicos pertinentem. Sed si hic vel cum Guyeto, qui idem offenderat, *non nihilo* legendum, vel *nihilo* in *nimio* mutandum putat; æque parum loco consulit, ac Nissen, qui *multo* corrigi malit. Si libros scriptos impressosque vett. quæris, consentiunt utrique cum vulgata, nisi quod E. et ξ. *arbitrantur* variant, et Mars. *qui*

rent, nondum perfectam illam sapientiam essent consequuti.

64 Atque hoc loco similitudines eas, quibus illi uti solent, dissimillimas[10] proferebas. Quis enim ignorat, si plures ex alto emergere velint, propius fore eos quidem ad respirandum, qui ad summam jam aquam appropinquant[11], sed nihilo magis respirare posse, quam eos, qui sunt in profundo? Nihil ergo adjuvat proce-

omittit. Inde quidem, *qui* ejecto, præsens hoc ad Stoicos applicare liceat: sed, ne vagam relationem urgeamus, parum conspirant *Stoici viderunt*, et *arbitrantur*, quum jure ad illud ironicum *viderunt*, id est, « verum esse perspexerunt », aliud verbum accommodatius requiras. Immo si accuratius consideraris, cuncta egregie coire videbis, verbis *qui arbitrabantur*, in glossemate positis. Tum enim *hoc*, ut toties solet, ad sequentia referetur, et vv. *illos... superiores*, velut ex parenthesi addita erunt; cui positus eorum optime respondet. Assequeris etiam, cur auctor *superiores* in clausula adjecerit: sic enim sententia parenthetice interposita concinne clauditur. Aptissime denique hac ratione, et plane ex auctoris scribendi more, totus locus jungitur, ironia ad sententiæ finem usque perducta. Neque sane scribis ansa defuit, ut talia de suo adspergerent, quippe qui toties in *hoc*, si ad sequentia refertur, torpeant. Quæ quum nobis satis probabilia viderentur, ad ista verba cancellos addi jussimus. G. — *Super.* [*qui arbitr.*]... *nihilo mis.* Quum hæc non Stoicis, sed Academicis tribuenda esse censeat Davisius, leg. cum Guyeto censet *non nihilo*; quam correct. improbat Pearcius. Mihi, inquit Pearcius, videntur hæc de Stoicis dicta, nihilque censeo mutandum esse, modo parenthesin sic interjiciamus sententiæ, « Stoici hæc videlicet viderunt (illos autem id fugerat superiores) qui arbitrabantur homines sceleribus et parricidiis inquinatos nihilo miseriores esse, quam eos, qui quum caste et integre viverent, nondum perfectam illam sapientiam essent consequuti ». Hoc Stoicorum placitum consequens est ejus, quod Cato dixerat in III, 14: « Ita qui processit aliquantum ad virtutis aditum, nihilominus in miseria est, quam ille, qui nihil processit ».

10. *Quibus illi uti solent, dissimillimas. Illi* sunt *Stoici:* et *dissimillimas* intelliges « a re ipsa », *i. e.* « rei comparatæ minime convenientes ». Ceterum ignorant Spir. et Erl. *uti;* unde suspicari liceat, *quibus* ex *quas* per compendium esse corruptum, ut ex intimo auctoris usu legatur « quas illi solent », sc. *proferre.* Sed lubricæ sunt tales conjecturæ. G.

11. *Qui ad summam jam aquam appropinquant.* Spir. et Erl. « qui ad aquam jam summam appropinquent », et paullo post *sint* exhibent; nec aliter Crat. nisi quod *aquam summam* transponit. At vulgata præferenda est; non modo quoad ordinem verborum, sed quoad Indicativum modum etiam, quem in ejusmodi contextis scribæ frequenter mutant. Ceterum respondetur bis et seqq. ad lib. III, cap. 14, § 48. G.

dere et progredi in virtute, quo minus miserrimus sis, antequam ad eam perveneris[12], quoniam in aqua nihil adjuvat[13]: et quoniam catuli, qui jam dispecturi[14] sunt, cæci æque et ii[15], qui modo nati; Platonem quoque necesse est, quoniam nondum videbat sapientiam, æque cæcum animo ac Phalarim fuisse.

XXIV. Ista similia non sunt, Cato: in quibus quam- 65
vis multum processeris, tamen illud in eadem causa est, a quo abesse velis[1], donec evaseris. Nec enim ille respirat, ante quam emersit, et catuli æque cæci priusquam dispexerunt, ac si ita futuri semper essent. Illa sunt similia: hebes acies est cuipiam oculorum; corpore alius languescit: hi curatione adhibita levantur in dies; alter valet plus quotidie; alter videt[2]. Hi si-

12. *Nihil ergo adjuvat... quo minus miserrimus sis... perveneris.* Gœrenz scribit *sit... pervenerit.* Ita, inquit, ante Ern. scripti editique libri omnes; nec aliter Oxonn. nostrique: hic autem ex ingenio *sis*, et *perveneris* edidit. Sed vide, quæ ad Acadd. I, 1, 2, et sæpius de tertia verbi persona, secundæ loco posita, diximus. Exempla auctoris satis sunt frequentia, v. c. infra V, 9, 24, ubi item Ern. *possis*, loco *possit*, tentat. *Aliquis* cogitandum esse, loca laudata ipsa loquuntur. Pro *ergo* refert Davis. tacite *igitur*: quod item Spir. Erl. et Gud. 2 exhibent. At Gud. 1, Mars. Crat. aliæ, *enim*. Sed *ergo* sic in refutando auctori proprie ponitur.

13. *Quoniam... adjuvat.* Sine caussa P. Manut. in suspicionem hæc adduxit. Multum, his neglectis, loci elegantiæ detraxeris. G.—Intell. Quoniam nihil adjuvare potest, quamdiu es in aqua. Hunc locum memorat et vertit *La Harpe*, *Cours de littérature*, part. I, lib. III, c. 2, sect. 3.

14. *Dispecturi.* Al. *despecturi*, et infra § 65, *dispexerunt.*

15. *Æque et ii.* Gœr. scrib. *et hi* pro more. Mars. inquit, Crat. cum aliis impressis, *ut hi;* sed scribæ æque sic *et* mutant, atque paucis post *et* in *ac* vulgo depravata erat: nam Erl. Spir. Bas. « æque cæcum animo et Ph. » scribere nos jusserunt. G. — Idem, paullo post, scribit *et Phal.* pro *ac Phal.*

XXIV. 1. *Illud... a quo abesse velis.* Hæc scilicet obscuritas, sensui communi repugnans, quam comparatione illustrare conaris, semper doctrinam vestram obsidet.

2. *Alter valet plus quotidie; alter videt.* Sc. *plus quotidie.* Gœr. transp. *valet alter.* Sic, inquit, dedimus cum Sp. et Erl. par enim vis est in *valet*, atque in *videt:* et oppositarum comparatarumque enuntiationum ordinem inverti auctori solere, sæpe docuimus. Off. II, 3, 10: « ratione utentium duo genera ponunt, deorum unum, alterum hominum ».

miles sunt omnibus[3], qui virtuti student; levantur
vitiis, levantur erroribus. Nisi forte censes[4] Tib. Grac-
chum patrem non beatiorem fuisse, quam[5] filium,
quum alter stabilire rempublicam studuerit, alter ever-
tere. Nec tamen ille erat sapiens[6]: quis enim hoc?
aut quando? aut ubi? aut unde? sed quia studebat
66 laudi et dignitati, multum in virtute processerat. Con-
feram autem avum tuum[7], Drusum, cum C. Graccho,

3. *Hi similes sunt omnibus*. Gœrenz scribit *his sim. s. omnes*. Ita, inquit, jam ex Eliensi, et ex P. Manutii editione legendum commendarat Davis. Confirmant lectionis veritatem Spir. et Erl. Vulgata, « hi similes sunt omnibus », per se ipsa offendit. *His* offerunt etiam Bas. et Gud. 1.

4. *Nisi forte censes*. Sic omnes et Oxonn. et nostri, cum Marso, Crat. Gryph. aliis, ut recte Davis. ex binis suis, et optimis prius editis. *Censeres*, quod vulgatur, quodque Ern. reduxit, hac in dicendi forma ne latinum quidem est. G.

5. *Quam filium*. Gœr. scribit *quam Ti. filium*. Ausi sumus, inquit, aliquid, si quidem audere est, quod optima ratione feceris. Addidimus *Ti.* Haud enim ullo modo credere licet, simpliciter auctorem *filium* de eo scripsisse, qui binos haberet. Adde, si vel Tib. Graccho hic unicus filius fuisset, tamen Ciceronem, pro more perpetuo suo, quum patris nomini prænomen addidisset, filii quoque prænomen positurum fuisse. *Tiberium* autem filium intelligendum putabis, quum *Caius* Gracchus paullo post separatim ponatur. *Ti.* autem facile ante *filium* excidere potuisse, non est, ut moneamus. De hoc, licet fratre melior esset, tamen sæpius Cicero scribit, affectasse eum regnum. Cf. Læl. 12, 40, seq.

6. *Nec t. i. e. sapiens: q. e. h.* Gœr. verba « Nec tamen... sapiens » diverbii signis a reliquo sermone distinguit. Hæc, inquit, sunt objicientis, hac vi, « et tamen ille non e. s. » Respondet objectioni auctor, « Quis enim hoc efficere potest, ut vere sapiens ex mente Stoicorum judicetur? aut quo tempore, quove loco talis exstitit, aut quo modo exsistere poterit, si homo erit? » Inde primum hoc patet, verba hæc non proxime ad Tib. Gracchum spectare, ut Ern. explicat, sed in universum accipienda esse. Deinde etiam *hoc* cum Davis. et Ern. offendere non debet. Nam neutrum pronominis ad totam sententiam pertinet, i. e. ad « sapiens esse » sc. *potest.* — Nobis autem omnino displicet ratio distinguendi a Gœrenzio allata, ut omnino a mente auctoris aliena. Nam sequens *sed* clarissime respondet priori membro *nec tamen*, ut non dubitari liceat ab eadem persona totam sententiam pronuntiari.

7. *Conf. autem avum tuum, Drusum*. *Autem* nesciunt Spir. et Erl. neque sane, si abfuerit, valde desiderabis. — Ceterum recte *avum*, non *avunculum*, quod reposuerat P. Manut. Fuit enim is M. Livius Drusus, qui, quum tribunus plebis C. Gracchi conatibus resisteret, *senatus patronus* appellatus est; cf. Suet. Tiber. 3. Hujus filia *Livia* Catonis Uticensis mater erat. Miscetur

ejus fere æquali. Quæ hic reipublicæ vulnera impo-
nebat, eadem ille sanabat. Sed nihil est, quod tam
miseros faciat, quam impietas, et scelus. Ut[8] jam
omnes insipientes sint miseri, quod profecto sunt,
non est tamen æque miser, qui patriæ consulit, et is,
qui illam exstinctam cupit. Levatio igitur vitiorum
magna fit iis, qui habent ad virtutem progressionis
aliquantum[9]. Vestri autem progressionem ad virtutem 67
fieri aiunt, levationem vitiorum fieri negant. At, quo
nitantur homines acuti argumento ad[10] probandum,

hic cum M. Druso, filio, qui Catonis ejusdem avunculus fuit. Ceterum malumus *M. Drusum*, prænomine addito, scribi, honoris magis, quam distinctionis, causa: de qua re sæpius monuimus. Præcedens *m* facile *M.* haurire potuit, quum in vett. codd. nomina initialibus literis non distinguantur. Simili vitio duo nostri in proximis « C. Graccho » τὸ *C.* omittunt. G.

8. *Sed nihil est, quod tam miseros faciat, quam imp. et scelus. Ut jam.* Davis. scribit: « Si nihil est, quod tam miseros faciat quam impietas et scelus; ut jam omnes insipientes sint miseri, etc. » Integritati suæ locum restituimus, inquit, opem ferentibus Par. pr. tert. et Pal. quarto, qui sic dant, ut exhibemus. Vulgo, « Sed nihil est, quod tam miseros..... scelus. Ut jam omnes, etc. » Quo modo non solum connexio sententiarum, sed et sensus ipse vitiatur. — Davisii conjecturam recipit Gœr. Huc etiam loco, inquit, Ern. Davisio, veram lect. ex tribus suis reponenti, non paruit, retinuitque vulgatam, « Sed n. est...scelus. Ut jam ». Nostri tres optimi *Si* comprobant. *Ut* pro *licet* dici, per se patet: *jam* autem in consecutione frequens est.

9. *Aliquantum.* Codd. nostri omnes et impressi vett. plerique, quod recte Davisius pro *aliquantulum* reduxit. Scribæ diminutiva adjectivorum amant, ut sæpius in *paullulum* vidimus. Cf. Acadd. II, 41, 128.

10. *At, quo nitantur...argumento ad probandum.* Gœr. præbet *nituntur.* Tres, inquit, nostri optimi vitiose, « ad quod utuntur: » nam *nituntur*, quod Bas. Monac. Gud. 1, E. ξ.V. aliique Gruteri Davisiique firmant, vel ex eo præferendum est, quod *ad probandum* additur, quippe quod abundaret, si *utuntur* verum esset. Quod autem Davis. ex uno suorum, ut dicit, *nitantur* correxit, Ernestio adstipulante, id in tanto codicum consensu necessarium non est. Utroque enim verbi modo uti hac in dicendi ratione licet. — Ceterùm ob vocem *acuti* indicativus modus adeo præferendus est. Si amplius quæris, hoc exemplum ad interrogativas indefinite positas referendum putabis, ad quas haud raro ita auctor indicativum addit. Conf. Ruhnken. ad Rutilium, II, 6, 98, et Gernh. ad Offic. I, 7, 26, qui recte, « unde verba sunt ducta », reposuit: eodem referes Acadd. II, 15, 46: « quanta luce ea referenda sunt ». Et sic item nobis ex tribus optimis nostris corrigendum

operæ pretium est considerare. Quarum, inquit, artium summa crescere potest, earum etiam contrariarum summa[11] poterit augeri. Ad virtutis autem summam accedere nihil potest. Ne vitia quidem igitur crescere poterunt, quæ sunt virtutum contraria. Utrum igitur tandem perspicuisne dubia aperiuntur[12], an dubiis perspicua tolluntur? Atqui hoc perspicuum est, vitia alia in aliis esse majora: illud dubium, ad id, quod summum bonum dicitis, ecquænam[13] fieri possit accessio. Vos autem quum perspicuis dubia debeatis
68 illustrare, dubiis perspicua conamini tollere. Itaque

erat supra II, 5, 15: « quid Epicurus loquitur ». Locus nostro simillimus est Verr. II, 53, 131: « quemadmodum in Sicilia isto prætore creati sunt, operæ pretium est cognoscere »; ubi Ern. sua solius auctoritate *sint* edidit.

11. *Earum etiam contrariarum summa*. Gœrenz scribit *contrariorum*. Sic, inquit, Lamb. jam pro vulgato, *contrariarum* suaserat, Victorio *contrariûm* præbente. Davis. *contraria* mavult, relatum ad *summa*. Alterutrum eligendum est: vulgata enim stare nequit, nec amat auctor hanc genitivi contractionem. At in *contraria* vix scribæ omnes peccassent: si *contrariorum* assequuti non sunt, mirum nihil est: nam si vel vim vocis cepissent, tamen in ejus positu hærerent, licet hic unice verus sit. Certa enim regula est genitivorum a se invicem pendentium rectum præcedere, sequi regentem. Cujus regulæ nusquam apud Ciceronem exceptio est: apud alios, maxime Corn. Nepotem, tum etiam regens præcedit, si unum vel plura verba interponuntur. Cf. Eumen. 7, 1: « corporis custos fuerat Alexandri »; ibid. § 2: « nominis simulatione Alexandri. » At Cic. « illius (Verris) adjutores improbitatis: Stoicorum conclusio rationis: fratris repulsam consulatus, etc. » Si editori Oxon. fides est, E. V. χ. *contrariorum* referunt: quod per se jam toties contextis aptissimum est, hac contextorum vi: « Quæcumque artes complexu suo perfectiores reddi possunt, eædem quoque complexu suo deteriores reddi poterunt, etc. »

12. *Utrum igitur tandem perspicuisne dubia aperiuntur, an*. Bas. et tres Oxonn. *tandem* ignorant, et Ern. tacite *ne* abjecit. Sed ut *tandem* proprie refutando urgentis est, ita hic V. D. ubique in *ne* istam, si inter *utrum* et *an* ponitur, grassatur. Cf. supra II, 19, 60: « Utrum tandem censes... tuamne de se orationem libentius auditurum fuisse, an meam...? » Plene hanc *ne* defendimus ad Acadd. II, 23, 71. G.

13. *Ecquænam*. Quod verissimum est, scribæ pro more suo misere turbant, « hac quæ jam, et si quænam, hæc quæ jam ». Proxime accedit Gud. 2, *hecquænam*. Partt. Oratt. 14, 48: « ecquonam modo, ecquonam loco artis indigent? » G.

eadem ratione, qua sum paullo ante usus[14], hærebitis. Si enim propterea vitia alia aliis majora[15] non sunt, quia ne ad finem quidem bonorum eum, quem vos facitis, quidquam potest accedere: quoniam perspicuum est, vitia non esse omnium paria, finis bonorum vobis mutandus est. Teneamus enim illud necesse est, quum consequens aliquod falsum sit, illud, cujus id consequens sit[16], non posse esse verum.

XXV. Quæ est igitur causa istarum angustiarum? Gloriosa ostentatio[1] in constituendo summo bono. Quum enim, quod honestum sit, id solum bonum esse confirmatur, tollitur cura valitudinis, diligentia rei familiaris, administratio reipublicæ, ordo gerendorum negotiorum, officia vitæ[2]. Ipsum denique illud honestum, in quo uno vultis esse omnia, deserendum est. Quæ diligentissime contra Aristonem[3] dicuntur a

14. *Itaque eadem ratione, qua sum paullo ante usus, hærebitis.* Gœrenz dat *itaque usque eadem.* Scripti, inquit, plerique omnes, non *usque*, sed *usus*: nam quod editi vett. quidam, et olim vulgata, *usi* præbent, id haud dubie ex correctione natum est. *Usus* possis quidem ortum putare, scribæ alicujus oculis ad seqq. aberrantibus. Id haud dubie sequutus Ern. *usi* cum edd. vett. nonnullis, ut dicit (nam nostri omnes alterutrum servant), abjecit. At futurum tempus *hærebitis*, tale quid, ut *semper*, *usque*, requirit: recte igitur Davisius *usque* in Paris. 2 et 3 repertum textis adscripsit.

15. *Vitia alia aliis majora.* Gud. 2 et Bas. « alia vitia aliis majora »: quod etiamsi auribus probatur, tamen præferendum non est. Nam primo auctor, « alia aliis », ut « singula singulis », jungere amat: deinde vis est in subst. non adjectivo, ut in proxime prægressis « vitia alia in aliis majora ». G.

16. *Id consequens sit.* Alii *quid* vel *quod*, alii *id quod*, alii *in* exhibent, alii denique *id* omittunt: sed vulgata verissima est. G.

XXV. 1. *Quæ est igitur causa...? Gloriosa ostentatio.* Ex Bas. enotatur *ingloriosa.* Quid? si *nisi* exciderit, quæ *ni* scribis pingitur? facile etiam *m* præcedens particulam auferre potuit. Sed sæpius Cic. ad ejusmodi interrogationes abrupte respondet. Cf. 26, 72. G.

2. *Officia vitæ.* Mars. *officium vitæ*: non inepte ad singularem eorum, quæ præcedunt, numerum; sed dubitamus, an umquam simplici numero *officium vitæ* collective dicatur; at sæpe sic cum plurium numero. G.

3. *Contra Aristonem.* Hujus disputationis Chrysippi contra Aristonem, plura Galenus lib. VII, de Decretis Hippocratis et Platonis. Morel. —

Chrysippo. Ex ea difficultate illæ fallaciloquæ, ut ait
69 Attius, malitiæ[4] natæ sunt. Quod enim sapientia, ubi
pedem poneret[5], non habebat, sublatis officiis omnibus (officia autem tollebantur, delectu omni et discrimine remoto: quæ enim esse poterant, rebus omnibus sic exæquatis, ut inter eas nihil interesset[6]?): ex his

Sic Cic. Catoni opponit Stoicorum quemdam principem, a quo eadem oppugnata esse dicit, quæ nunc Cato defendit: Stoicorumque notat inconstantiam, qui in aliis ea reprehendunt, in quibus ipsi peccant; ut suis ipsorum armis facile possint profligari.

4. *Illæ fallaciloquæ... malitiæ*. Vulgata cum Nonio *fallaciloquentiæ* præbet: scripti omnes aut *fallaciloquelæ*, ut Spir. et Erl. aut *fallacis loquelæ*, cum nostris reliquis. Paris. 2 *fallaciloquæ*; ut Ald. Lamb. et P. Man. ex suis ediderunt. Quum autem *fallaciloquentiæ malitiæ*, nisi per appositionem, quæ huc nihil pertinet, jungi non possit, Davis. *fallaciloquentiæ... novitiæ* conjicit intempestiva sane audacia: magis tamen ferenda, quam quod Ern. ad has quisquilias ne verbum quidem notat. Nos quidem omnem istam varietatem ex glossa v. *versutiloquæ* natam esse judicamus. Non enim solum Orat. III, 38, 154, *versutiloquæ malitiæ* ex vetere poeta laudantur; sed videtur etiam auctor ad hanc ipsam vocem paullo post verbis his respicere: « illa tamen simplicia; vestra versuta ». Ceterum haud semel apud Nonium monstra lectionis, vel ex auctore nostro laudata, reperiuntur: ut tanta fide homo, cujus auctoritas ex casu magis pendet, quam ut judicio stabiliatur, dignus non sit. Quantum vero in glossis turbetur, notum debet esse omnibus. G.

5. *Quod enim sapientia, ubi pedem poneret.* Gœrenz transponit *pedem ubi*, notatque: *Quod* firmant tres optimi nostri cum Mafæi cod. et Palat. 4. Reliqui *quid* cum olim vulgata: quam Davisius tum posse probari putat, si legatur: « Quid enim? sap.... Qui ea esse poterant, etc. » Sed errat, quum post *Quid enim?* semper interrogatio sequatur necesse sit; quæ in hæc non cadit. *Quod* est « ex eo quod », ut sæpe. Meliore deinde ordine nos cum nostris omnibus, *pedem ubi*.

6. *Officia... remoto... interesset?* Hæc vulgo sic distinguuntur, ut parenthesis ante *quæ enim* incipiat: sed ex ea ratione, quam nos secuti sumus, arctius contexta coeunt. Proprie sic pergere debebat in apodosi oratio: « angustiæ hæ natæ sunt, ex quibus ista evas. » Ortum sic ex hac contracta dicendi ratione, leve anacoluthon est; quæ auctori, post longiorem parenthesin, pæne ex ordine ponuntur. Contextorum tenorem et vim jam hanc habebis: « Ex eo enim, quod sapientia locum nullum habebat, officiis omnibus ab ea seclusis (secludebantur autem ab illa officia, quum eorum neque delectus, nec discrimen concederetur: quomodo enim hæc obtinere poterant, omni in rebus differentia sublata?) angustiæ hæ, quas dixi, natæ sunt, ex quibus evenit, ut ista Stoicorum deterioris etiam conditionis sint, quam illa Aristonis ». Ceterum inseri vult Davis. post *autem* ex Eliensi *omnia*, quod etiam E. et ξ. servant, sed ad-

angustiis ista evaserunt deteriora, quam Aristonis. Illa tamen simplicia[7]; vestra versuta. Roges enim Aristonem, bonane ei videantur hæc, vacuitas doloris, divitiæ, valitudo? neget. Quid? quæ contraria sunt his, malane? nihilo magis. Zenonem roges. Respondeat totidem verbis. Admirantes quæramus ab utroque, quonam modo vitam agere possimus, si nihil interesse nostra putemus, valeamus, ægrine simus; vacemus, an cruciemur[8] dolore; frigus, famem propulsare possimus, necne possimus: Vives, inquit Aristo, magnifice atque præclare; quod erit cumque visum agens[9], numquam angere, numquam cupies, numquam timebis. Quid Zeno? Portenta hæc esse dicit[10], nec ea ratione

jectivum certa ex glossa e proxime antecedentibus adhæsit. G.

7. *Illa tamen simplicia : vestra versuta.* Bini e nostris *tam* præbent. Sed non capiebant scribæ, *tamen* h. l. *sane* valere, ut sæpe. *Simplicia* autem Aristonis sunt, simpliciter omnia, quæ honesta non sint, in ἀδιαφόρεις ponentis. *Versuta* sunt proprie ejus, qui ita versatus est, ut ex re nata sibi facile consulat. Hoc loco sunt ejus, qui « quum causam non obtineat, verba verset, et in rem suam applicet ». Cf. 20, 50. G.

8. *Valeamus, ægrine simus; vacemus, an cruciemur.* Gud. 2 et Bas. *ne*. Aliter offendit Lamb. qui corrigit « valeamusne an ægri s. » Sed facile videre licet, auctorem consulto sic scripsisse, quo minus bis *ne*, *an* repetendum esset. Alias quoque sic *ne* simpliciter supra II, 12, 38 : « rerum inter eos, verborumne sit controversia ». G.

9. *Quod erit cumque visum agens.* Gœrenz addit *quum* ante *quod*. Ausi sumus, inquit, ex ingenio addere : alias enim non coit oratio. Debet enim necessario contextus sic pergere, « vives, inquit Aristo (tum modo), magnifice, quum. . . numquam angere, etc. » *Quum* autem omittitur et post *quod*, et ante *quod* compendii vitio, ut codices scriptos tractanti observare sæpe licet. *Agens* autem rectissime Davis. ex altero Mafæi scripto, altero suo dedit. Vulgatum *ages*, quod nostri quoque sequuntur, scribarum est, auctoris mentem non sapientium : nec alia causa vocem eamdem ex E. et ξ. excidere fecit. Intelligitur vero per *visum agens* illa αἴσθησις κινοῦσα κατὰ περίστασιν. Cf. Stob. Ecll. Phys. I, p. 828, et Sext. Emp. XI, 64, quæque supra ad 16, 43 notavimus.

10. *Port. hæc esse dicit.* Spir. Erl. Gud. 1 verba *hæc esse*, et Monac. E. ξ. simpliciter *hæc* ignorant : Erl. etiam *dicis* variat. Sed nihil horum valet. Offenderat forte, quod Zeno *hæc* Aristonis discipuli, *portenta* dicat, licet ista ipsa Aristo post mortem magistri palam senserit. At *Zeno* h. l. omnino pro Stoicorum philosophis, ut sæpius, ponitur; et *hæc*, pro « talis, qualia hæc », accipiendum est. G.

ullo modo posse vivi [11]; sed differre inter honestum, et turpe [12], nimium quantum, nescio quid immen-
71 sum [13]; inter ceteras res nihil omnino interesse. Idem adhuc (audi reliqua, et risum contine, si potes): Media illa, inquit, inter quæ nihil interest, tamen ejusmodi sunt, ut eorum alia eligenda sint, alia rejicienda, alia omnino negligenda, hoc est, ut eorum alia velis, alia nolis, alia non cures. At modo [14] dixeras, nihil in his rebus [15] esse, quod interesset. Et [16] nunc

11. *Posse vivi*. Abjiciunt sine jure ξ. χ. et ψ. *posse*. Exciderat forte : nam Gud. 1 transponit, « posse ullo modo ». G.

12. *Sed differre inter honestum, et turpe*. Gud. 2 at Bas. *distare* : unde videtur esse, quod Spir. et Erl. *discere* exhibent. Et sane auctor sæpe *distare* sic ponit, ut *differre* simpliciter valeat. Vid. Off. II, 4, 7 : « quibus rebus exculta hominum vita tantum distat a victu cultuque bestiarum », ubi item scripti plerique omnes peccant. Cll. Orat. I, 49, 215; ibid. II, 65, 263. Eodemque modo Læl. 20, 75 : « tanta est inter eos, quanta maxima potest, morum studiorumque distantia », dicitur.

13. *Nimium quantum, nescio quid immensum*. Sic scripti omnes editique vett. nisi quod Erl. *sit* intempestive addit. At verba, « nescio quid immensum », superflui quid habent, abruptiusque adjiciuntur : ut nihil mirum sit, si ea cum Ludov. Carrione Davis. ex glossemate nata putat; idemque sentit Gronov. ad Gell. Noett. Att. I, c. 8. Sed licet quidem sententia hæc suam quamdam probabilitatem habeat : tamen alia quædam obstare videntur, non negligenda. Nam primum verba ista per se glossatoris ingenium minime produnt : deinde videri potest auctor his additis vim discriminis illius, inter honestum et turpe, augere voluisse, ut magis appareret oppositio. Denique ante oculos fortasse auctor quædam Zenonis verba habuit, v. c. εἰς ὑπερβολὴν, vel ὑπερβολῇ ἀδιάστατον (ut ὑπερβολῇ μέγα dicitur) : Latinos enim εἰς ὑπερβολὴν per *nimium quantum* exæquare certum est. Cf. Gell. Noett. Att. XVIII, 3, ibique Gronov. Tum « nescio quid » erit, « nescio quid dicit », et omnia ex ordine procedent. G.

14. *At modo dixeras*. Scripti nostri omnes, « Ac modo dixeras ». *At* est enim proprie diverbiorum. G.

15. *In his rebus*. Gœr. dat *in istis*, deleto *rebus*, notatque : Davis. ex quatuor suis (quibus se totidem Oxonn. addunt) edidit *in istis rebus*; ut etiam Monac. refert. Gud. 2 et Bas. « in rebus istis », Spir. et Erl. simpliciter *istis* : quod sequuti sumus, quum ex his admodum probabile sit *rebus* a scribis additum esse. — Non deerunt tamen qui Gœr. temere fecisse putent.

16. *Et nunc idem dico, inquies*. Gœr. *inquiet*. Sequuti sumus, inquit, Spir. et Erl. vulgata enim *inquies* parum huc facit, quum *inquiet* ad Zenonem referatur, *inquies* ad Catonem referendum foret. Proxima sic intelliges, « sed dico ista non ad quælibet,

idem dico, inquies; sed ad virtutes et ad vitia nihil interesse. Quis istuc, quæso, nesciebat[17]?

XXVI. Verum audiamus[1]. Ista, inquit, quæ dixisti, 72
valere, locupletem esse, non dolere, bona non dico, sed dicam græce προηγμένα (latine autem producta; sed præposita, aut præcipua malo: sic tolerabilius et mollius[2]); illa autem, egestatem, morbum[3], dolorem, non appello mala, sed, si libet, rejectanea[4]. Itaque illa non dico me expetere[5], sed legere, nec optare, sed sumere; contraria autem non fugere, sed quasi secernere. Quid ait Aristoteles, reliquique Platonis alumni? Se omnia, quæ secundum naturam sint, bona appellare; quæ autem contra, mala. Videsne igitur,

immo ad (quoad) virtutes et vitia, nihil interesse ».

17. *Quis istuc, quæso, nesciebat?* Omnes nostri, tresque Oxonn. *quasi* pro *quæso*: sed sic mutant scribæ; vide supra ad Fin. II, 2, 6. G.

XXVI. 1. *Verum audiamus*. Gœr. capitis sui initium ante vv. *Quis istuc* posuit, et hæc sic distinguit: « ...interesse. — Quis istuc, quæso, nesciebat? Verum audiamus. — Ita, etc. » Hæc verba, inquit, *Verum audiamus*, sunt se ipsum reprimentis. Quæ notavimus, quoniam nuper quem in his mire errare vidimus. — Nobis melior videtur ratio quæ vv. *Verum audiamus* a præcedentibus separat: postquam Cic. ostendit nihil esse in Zenonis doctrina novi, addit: sed Stoici aliquid habent quod mihi respondeant, scilicet: *ista*, etc.

2. *Latine...mollius.* Parenth. signa addi jussimus: mire enim hæc ex Zenonis ore sonant. Solet vero auctor post *autem* in parenthesi positam, aliam *autem* subjicere; cf. sup. III, 18, 59. G.

3. *Egestatem*, *morbum*. Gœrenz transponit: *morbum*, *egestatem*. Sic, inquit, omnibus ex nostris editisque vett. præcipuis quibusque, Davisio tacite præeunte, transposuimus: negligentiæque tribuendum putamus, quod in Oxoniensi, quæ vulgatam sequitur, ex quinque codd. nulla varietas notatur.

4. *Rejectanea.* Notat pro *rejectanea* Ursinus ex suo *rejecta*. Verum est *rejectanea* hoc solo loco auctori dici; alias enim hic ubique *rejecta*. Sed causa hinc justa nulla est, probam ceteroquin vocem rejicere; idque magis, quum auctor superius positum *rejicienda* exprimere voluisse videri possit. Quamquam negari nequit, *rejecta* rectius ad ἀποπροηγμένα respondere. Sed forte addita verba, *si libet*, vocem magis interiori rei notioni, quam græco idiomati, aptatam notant. Ceterum opus non erat, ut his græcum ἀποπροηγμένα adderetur: hoc enim ex ipso latino verbo clare se prodebat; in v. *producta* non item. G.

5. *Itaque illa non dico me expetere*. Gud. 2 et Bas. « dico illa non me exp. » Sed sæpius monuimus, auctorem verba *dicendi* mediis accusati-

Zenonem tuum cum Aristone verbis consistere[6], re dissidere; cum Aristotele et illis ré consentire, verbis discrepare? Cur igitur, quum de re conveniat, non malimus usitate loqui? Aut doceat[7], paratiorem me ad contemnendam pecuniam fore, si illam in rebus præpositis, quam si in bonis duxero; fortioremque in patiendo dolore, si eum asperum et difficilem perpessu, et contra naturam esse[8], quam si malum dixero.
73 Facete M. Piso[9], familiaris noster, et alia multa, et hoc loco stoicos irridebat. Quid enim aiebat[10]? Bonum negas esse divitias, præpositum esse dicis. Quid adjuvas? avaritiamne minuis? Quod si verbum sequimur, pri-

via cum inf. inserere solere. Similiter restitues ex aliis nostrorumque binis, Off. III, 22, 11: « quam quum utilem diceret non esse, æquam fateretur »; ubi prave editur, « utilem non esse diceret, esse æq. f. » G.

6. *Cum Aristone verbis consistere.* Nostri quoque omnes cum Gruterianis, Davisianis editisque vett. multis, *consistere*: ante Grut. *consentire* vulgatum est, ut etiam Mars. refert. Nos quidem formam hanc dicendi, « consistere cum aliquo », sic ut *consentire* valeat, nusquam alibi apud auctorem legisse meminimus. At nihilo minus probum verbum judicamus, græcoque συνιστάναι aptatum. Propria vi, unde hæc ipsa pendet, ponitur in Verr. Act. I, 7, 19: « cum hoc consistit, hunc amplexatur, hunc jubet sine cura esse ». Ceterum, apte id verbo *dissidere* opponi, ipse vides. Gud. 2 minus bene *Aristonis*. G.

7. *Aut doceat. Aut* abruptius pergit, pro « Aut, hoc si nolis, certe Zeno doceat ». G.

8. *Et contra naturam esse.* Quæ his *et* præmittitur, nostris omnibus ignoratur. Omissa unde copula vix recte placebit: sed quum Spir. et Erl. *perpessi* referant, non sine magna probabilitate « perpessu, si contra » suademus. G.

9. *M. Piso.* Hic est quem in quinto libro inducit Cicero exponentem Acadd. et Peripp. opiniones de finibus bonorum et malorum: nepos erat hujus Pisonis qui cognominatus est *Frugi*. Jam mortuus erat ille Piso, eo tempore quo Cicero fingit se ea cum Catone colloquutum esse, quæ hoc libro refert. J. V. L.

10. *Quid enim aiebat?* Davis. distingui mavult « Quid enim, aiebat, bonum, etc. » Sed si certe suadere debebat, « Quid enim? aiebat, bonum ». Per se quidem non male. Possis etiam malle, « Quid enim? aiebat, bonum... dicis? » ut *bonum* pro *bonumne* accipiatur. Vel, si malis, « Quod enim, aiebat... dicis, quod adjuvas? » ut *Quod* sit, « quid attinet ad id, quod ». At vulgata facile defenditur ex paullo ante positis: « Quid sit Aristoteles? » Paullo ante scribit Lamb. *ut alia*, atque ita Crat. Male: sensus enim est, « et quoad alia multa Stoicos irridebat, et quoad hanc rem ». G.

mum longius verbum præpositum, quam bonum. Nihil ad rem. Ne sit sane : at certe gravius. Nam bonum ex quo appellatum sit, nescio : præpositum ex eo credo, quod præponatur aliis. Id mihi magnum[11] videtur. Itaque dicebat plus tribui divitiis a Zenone, qui eas in præpositis poneret, quam ab Aristotele, qui bonum esse divitias fateretur; sed nec[12] magnum bonum, et præ rectis honestisque, contemnendum ac despiciendum, nec magnopere[13] expetendum. Omninoque de omnibus istis verbis[14] a Zenone mutatis ita disputabat, et quæ bona negarentur esse ab eo, et quæ mala, illa lætioribus nominibus ab eo appellari[15], quam a nobis, hæc tristioribus.

XXVII. Piso igitur hoc modo, vir optimus, tuique, ut scis, amantissimus. Nos, paucis ad hæc additis, finem faciamus aliquando. Longum est enim ad omnia respondere[1], quæ a te dicta sunt.

11. *Id mihi magnum videtur.* Græcum μέγα τι cogita, *quid* enim omissum gravitate pronuntiationis compensandum est. Tusc. I, 49, 116 : « quos enumerare magnum est : » ut recte nuper Wolf. reposuit. Eadem ipsa res efficit, ut sensus sit, « id mihi majus videtur, quam si bonum dixeris ». G.

12. *Sed nec....nec.* Gœrenz scribit *sed neque....nec.* Ita, inquit, pro vulgato duplici *nec* nostri omnes, Oxon. E. Mars. Crat. aliæ. Cf. Off. III, 27, 4 : « neque enim caritas patriæ retinuit, nec suorum; » ibid. 29, 1 : « quia neque irasci (Jupiter) solet, nec nocere ».

13. *Magnopere.* Gud. 2, *magno opere.* Sed hic cod. ubique divisa voce; sic ut vix ter vel quater, tot in Cic. libris, quos continet, *magnopere* scriptum deprehenderimus. Neque vis est h. l. in voce, unde distinguatur. G.

14. *Omnibus istis verbis.* Gœrenz transponit « istis omnibus verbis », et v. *omnibus* uncis includit, notans : Cum vulgatæ serie nullus nostrorum facit : nam quatuor cum Marso et Crat. « istis omnibus v. » Gud. 2, « istis verbis omnibus ». Facile *omnibus*, cui tam vaga sedes est, carebis, si memineris *istis*, pro « his et talibus », cum aliquo contemptu poni : nec hoc loco non de nominibus omnino omnibus, a Zenone mutatis, sermonem esse, proxima ipsa docent. Cancellis igitur suspectam vocem notavimus. — *Verbis a Z. mutatis.* Sexcentis locis eadem Stoicis exprobrat Cic. e. c. Acad. I, 11; Fin. III, 2, IV, 1; Tusc. V, 11.

15. *Ab eo appellari.* Spir. Erl. Gud. 1, *appellari ab eo*, ordine utroque probo, et difficiliter, uter melior, h. l. dignoscendo. G.

XXVII. 1. *Longum est enim ad*

74 Nam ex iisdem[2] verborum præstigiis et regna nata
vobis sunt, et imperia, et divitiæ, et tantæ quidem,
ut omnia, quæ ubique sint, sapientis esse dicatis.
Solum præterea formosum, solum liberum, solum
civem : stultorum[3] omnia contraria, quos etiam in-
sanos esse vultis. Hæc παράδοξα illi, nos admirabilia
dicamus. Quid autem habent admirationis, quum
prope accesseris? Conferam tecum, quam cuique
verbo rem subjicias[4]: nulla erit controversia. Omnia
peccata paria dicitis. Non ego tecum jam ita loquar,
ut iisdem his[5] de rebus, quum L. Murenam, te accu-
sante, defenderem. Apud imperitos[6] tum illa dicta
sunt; aliquid etiam coronæ datum : nunc agendum est
75 subtilius. Peccata paria quonam modo? Quia nec ho-

omnia respondere, quæ a te dicta sunt. Prave exhibent tres nostri, « longum enim est ». Orat. II, 27, 119 : « Longum est enim nunc me explicare ». Addita vero his, « quæ a te dicta sunt », quum sic parum apte sententiæ clausula exeat, et ipsa per se intelligantur, auctorque sæpius hac brevitate utatur, forte in scribarum additamentis, non sine ratione putari possint. Scripti tamen nihil variant. G.—Addit Gœr. in calce libri : Non sine gravibus causis verba, « quæ a te dicta sunt », damnanda judicavimus: sed loco nondum satisfecisse videmur; etiam *respondere* adventitium dixeris. Hac enim ellipsi auctor sæpius ad *omnia* in clausula positum utitur. Cf. Tusc. III, 18, 40 : « sed non necesse est nunc omnia ». N. D. I, 8, 19: « longum est omnia ». Utroque hoc loco scribæ turbant.

2. *Nam ex iisdem*. Gœr. scribit *eisdem*. Ita, inquit, nostri omnes : vulgo *iisdem*. Cf. Heuss. ad Off. I, 17, 6; ibid. 35, 7, et III, 25, 10.

3. *Stultorum*. Ignorant nostri quoque et Oxonienses, *stultorum*, quod ex solo Mafæsuo receptum est. Crat. « omnia contraria stultis » : sed vulgata potior est multo. G.

4. *Quam cuique verbo rem subjicias*. *Rem* de *notione* rei dici patet. Cf. Fin. II, 4, 13. G.

5. *Non ego tecum jam ita loquar, ut iisdem his*, etc. Miscent in his scripti; sic tamen, ut vulgata immota maneat. Qui *jocabor* referunt, ex quibus est Bas. et Vien. hanc varietatem sciolo alicui debent, qui locum illum pro Murena, 29 et 30, non ignorabat. Spir. et Erl. *locabor*. Suspicio tamen hac ex varietate haud parva exsuscitur, *loquar* ex glossa accessisse : quum auctor hac in forma verbo suppresso scribere amet; neque, si addit, *loquar*, sed *agam* ponat. G. — Int. non loquar, eodem modo quo loquutus sum iisdem his de rebus.

6. *Imperitos*. *Imperiti* sunt *philosophiæ ignari*, quibus judices intelliguntur : ne vocem hanc ad *coronam*, id est, ad concursum hominum tribunal circumstantium, referendam putes. G.

nesto quidquam honestius, nec turpi turpius. Perge
porro : nam de isto magna dissensio est. Illa argu-
menta propria videamus, cur omnia peccata sint paria.
Ut, inquit, in fidibus plurimis, si nulla earum ita con-
tenta numeris sit[7], ut concentum servare possit, omnes
æque incontentæ sint[8] : sic peccata, quia discrepant,
æque discrepant; paria sunt igitur. Hic ambiguo lu-
dimur. Æque enim contingit omnibus fidibus, ut in-
contentæ sint; illud non continuo, ut æque incontentæ.
Collatio igitur ista te nihil juvat. Nec enim omnes
avaritias si æque avaritias esse dixerimus, sequitur
etiam, ut æquas[9] esse dicamus. Ecce aliud simile dis- 76
simile. Ut enim, inquit, gubernator æque[10] peccat, si

7. *In fidibus plurimis, si nulla earum ita contenta numeris sit.* Gœr. scribit : « in fidibus pluribus, si nulla earum ita contenta nervis sit ». *Pluribus*, inquit, nostrorum est omnium, ψ. Crat. neque, cur *permultas fides* (id enim *plurimis* valet), auctor maluerit, dispicere licet. *Nervis* deinde, ut aliorum, ita Spirensis et Erl. est, servantque idem cum Marso et Crat. impressi vett. plerique; et Gud. 2 qui *verius* refert, ex eadem voce peccat. Lambin. et *nervis* et *numeris* deleri jubet. Ernest. quum Davisius *nervis* recepisset, et *contentis* suaderet, quærit, quæ fides contentis nervis sint? *numeris* contra sic tuetur, ut hac v. « modus et gradus tensionis aptus et definitus ad efficiendum certum et aptum sonum » intelligatur. At ut numquam, hoc modo *numerum* dici, probabitur, ita Vir egregius non meminerat, *fides* instrumentum musicum quodlibet nervis instructum notare. Cf. Divin. II, 14, 33 : « Jam nervos in fidibus, aliis pulsis, resonare alios, etc. » Varietas autem ex compendio $\overline{nris}$, quod *nervis* et *numeris* notat, ortum suum repetit. Nec opus est, ut vocem in glossa ponas.

8. *Omnes æque incontentæ sint.* Particula *æque* ad nomen *omnes* referri potest, ut sit sensus, « Æque contingit omnes ut incontentæ sint », et ita non efficitur, quod Stoici volunt, peccata paria esse; sed tantum inde colligere possis, pariter esse peccata, id est, similiter peccati nomine omnia appellari. Si vero illud *æque*, ad verbum *incontentæ* pertineat, jam quod assumitur, falsum est : et ita consequens necessario verum esse non concluditur. Debet enim omnis ratiocinatio, quæ fidem factura sit, ex veris et concessis proficisci. Præclare M. Tullius hanc ἀμφιβολίαν dissolvit : qua in re quantum arte disserendi valuerit, satis ostendit. MORELLIUS.

9. *Sequitur etiam, ut æquas.* Gœr. suorum omnium jussu transponit *sequitur, ut etiam æquas.*

10. *Gubernator æque peccat.* Idem exemplum reposuit auctor Paradoxo III, quod totum conferendum est. G.

palearum navem evertit, et si auri: item æque[11] peccat, qui parentem, et qui servum injuria verberat. Hoc non videre, cujus generis onus navis vehat, ad gubernatoris artem nihil pertinere[12]; itaque, aurum, paleamne portet, ad bene, aut ad male gubernandum, nihil interesse? At quid inter parentem, et servulum intersit, intelligi et potest, et debet. Ergo in gubernando nihil, in officio plurimum interest, quo in genere peccetur. Et, si in ipsa gubernatione[13] negligentia est navis eversa, majus est peccatum in auro, quam in palea. Omnibus enim artibus volumus attributam esse eam, quæ communis appellatur prudentia: quam omnes, qui cuique artificio præsunt[14], debent

11. *Æque peccat. Peccat*, quod est in omnibus edd. abest in J. V. *Leclerc* textu, typographico sane mendo.

12. *Ad gubern.... p. aurum*, etc. Gœr. addit *id* ante *ad gub.* notatque: Ita ex Spir. et Erl. reposuimus. Vulgatur *Hæc;* cujus loco Davis. *Hunc* suadet, infinitum mirantis tempus recte agnoscens. Ern. ex binis impressis vett. *Hic* dedit. Utrumque minus bene: vide enim supra II, 10, 29: « Hoc vero non videre ». *Hoc* autem insultis locis a scribis in *Hæc* mutari, ut sæpe vidimus, ita supra 23, 63, ubi idem reposuimus. Deinde ex Spir. et Erl. *id ad gubern.* dedimus, Davisio ex suis jam ita conjiciente: ita enim sæpe auctor cum vi demonstrativum addit. Gud. 1 et Bas. cum uno Davisii *et id ad gubern.* Quinque ejusdem cum Victoriana et Crat. *et ad gub.* Mars. *ad id gub.* — *Aurum, paleamne.* Gœr. scrib. *paleamve*, notatque: Davisius dedit ex binis suis *ne*, ut e nostris Gud. 1: nec aliter editt. vett. Sed vulgata, quæ scriptorum potiorum est, relinquenda sic non erat: ubique enim *ve* scribæ in *ne* mutant.

13. *Et, si in ipsa gubernatione.* In his ne offendaris, duo notanda sunt. Primum, *et* consecutionis est, atque *et sic* notat; cf. supra 18, 51. Deinde *in* valet, « quoad, quod attinet ad », ut in præcedd. « In gubernando nihil, in officio plurimum ». Sententiæ tenor igitur hic est: « Quoad gubernationem navis nihil interest, auri navem, an palearum everterit; at quoad officium plurimum: sic, si quoad ipsam gubernationem negligentiæ culpa navem everteris; negligentia autem male curati officii sit: major culpa est in auro neglecto, quam in palea ». G.

14. *Qui cuique artificio præsunt.* Hæc satis bene se habent: *cuique* enim pro « cuicumque, cujuscumque modi », dicitur. Alias facile *qui cui*, pro *alicui*, vel *qui* deleto *cuicumque* (quod olim *quoicumque* pingebatur), scripseris. Neque indicat. offendere debet: hic enim auctori in loco adseveratiore frequens est. Sic vel tum nihil tentabis, si Gud. 2 *omnes* ignorare didiceris: nam uterque Gudianus in voce

habere[15]. Ita ne hoc modo paria quidem peccata sunt[16]. 77

XXVIII. Urgent tamen, et nihil remittunt. Quoniam, inquiunt, omne peccatum, imbecillitatis et inconstantiæ est; hæc autem vitia in omnibus stultis æque magna sunt: necesse est paria esse[1] peccata. Quasi vero aut concedatur, in omnibus stultis æque magna esse vitia, et eadem imbecillitate et inconstantia L. Tubulum[2] fuisse, qua illum, cujus is condemnatus est rogatione, P. Scævolam; et quasi nihil inter res quoque ipsas, in quibus peccatur, intersit[3];

omnis intempestive omittenda plane intemperans est. G.

15. *Debent habere*. Scilicet majorem in majore, minorem in minore artificio : ut prudentior gubernator requiratur ad navem auri, quam ad navem palearum ducendam; atque ita major culpa sit ejus, qui majorem prudentiam et pollicitus erat, et debuerat adhibere.

16. *Ita ne hoc modo paria quidem peccata sunt*. Erl. et Spir. *sint*. Sed hoc intempestive dubitantis foret. Ortus est haud dubie conjunctivus, quod scribæ eum ad *ne* necessarium putarent, quum *quidem* ab hac particula altius remotum esset. Inde forte quoque est, quod *quidem* a Gud. 2 plane abest. Sed per *quidem* post *paria* etiam extra soni locum majorem vim quamdam accepit, quam quæ est adjectivo, si simpliciter substantivo suo præmittitur. G. — In Gœr. ed. incipit cap. XXVIII a verbis « Ita ne, etc. », quamvis in aliis omnibus quas novimus edd. incipiat a verbis seqq. « Urgent tamen, etc. »

XXVIII. 1. *Necesse est paria esse peccata*. Gud. uterque et Bas. *esse paria*. Qui ordo, nisi rectam verborum collocationis rationem diligenter curaris, valde speciosus erit, quum observaris, auctorem amare verbis, *necesse est esse*, non diremptis scribere. Cf. Tusc. III, 8, 18, « eum necesse est esse constantem; » N. D. II, 13, 35 : « Quocirca necesse est esse illum ... gradum, etc. » Ibid. 30, 76 : « aliquid sit necesse est esse melius ». Nec melior structura est Marsi, Crat. aliarum, *esse peccata paria*. De qua structuræ diversitate alio loco abunde agemus. Neque ille ordo ita certus est, ut justam exceptionem non admittat. Cf. Parad. III, 1, « paris esse etiam vitia necesse est ». Divin. II, 34, 71, « peritum autem esse necesse est eum, qui, silentium quid sit, intelligat ». G.

2. *L. Tubulum*. De illo scelestissimo viro, et de Scævola, vid. sup. lib. II, c. 16, et de Nat. Deor. I, 23; III, 30.

3. *Quasi vero aut concedatur ... et quasi nihil ... intersit*. Davisius duce Th. Bentleio *aut quasi* corrigi jubet, ut bis *aut* sibi respondeat. Ex regula sane sic scribendum erat. Sed applicata post tot intertexta levi anacolutho oratio ad præcedens *quasi* est, simplici copula adjecta. Talia Latinis omnibus frequentantur. Sic ponitur

ut, quo hæ majores, minoresve sint, eo, quæ peccentur in his rebus, aut majora sint[4], aut minora.
78 Itaque (jam enim concludatur oratio[5]) hoc uno vitio maxime[6] mihi premi videntur tui stoici, quod se posse putant duas contrarias sententias obtinere. Quid enim est tam repugnans[7], quam eumdem dicere, quod honestum sit, solum id bonum esse, qui dicat, appetitionem rerum ad vivendum accommodatarum, a natura profectam[8]? Ita quum ea volunt retinere, quæ superiori sententiæ conveniunt, in Aristonem[9] incidunt:

alterius *et* vice *autem* Off. I, 40, 3, cll. Off. II, 9, 9, alterius *sive* loco *si vero* Acadd. I, 2, 7, alterius *tum* loco *et* Acadd. II, 14, 43, etc. G.

4. *Aut majora sint, aut minora.* Gœr. scribit *haud maj. s. aut m.* Miramur, inquit, non vidisse VV. DD. sententiam loci non coire; cujus aperte tenor hic est: « Quasi non solum inter peccata (ut Stoici statuunt), sed inter res, in quibus peccatur, ipsas quoque, nihil discriminis sit; ita ut non eo graviora aut leviora peccata sint, quo graviores levioresque res sint, in quibus peccetur ». Ceterum *haud*, quam scribæ *haut* pingunt, et *aut*, vice versa non raro confunduntur; cf. Off. I, 21, 2. Hoc autem loco, quum *aut* sequatur, pronus scribis in lapsum locus fuit.—Sed idem Gœr. in Addit. ad calcem libri addit: *haud* sine necessitate correximus: nam *ut* h. l. consecutionis, pro *ut inde*, et *eo* pro *eo quoque* accipi recte licet.

5. *Jam enim concludatur oratio.* Ignorant *enim* Gud. uterque et Bas. Omiserunt nempe scribæ particulam, quum parenthesin non viderent. G.

6. *Hoc uno vitio maxime. Vitio* Lamb. tolli vult: sed recte Davis. non paruit. *Vitium* enim omne, « quod jure reprehenditur », notat, et h. l. dictum est pro, « hoc uno maxime, quod vitiosum, in vitio est ». G.

7. *Quid enim est tam repugnans.* Gœr. delet *est*, qui notat: Gud. 2, Monac. E. et ξ. *est* nesciunt, et sane hoc in positu incommodum putandum: auctor enim, *quid enim tam est*, scripsisset. Nam vel Marsi ratio h. l. non placet, qui *quid est enim* refert; quum vis in *tam* sit, *quam* subjecta. Contra vero idem supra III, 9, 31: « Quid autem apertius, quam ». Off. III, 13, 8: « Quid autem tam absurdum, quam: » ubi item, paucis verbis ante, ex Gud. 1: « Quid vero stultius, quam », *est* post *vero* ejecto, scribendum videtur. Delendum igitur *est* jure putavimus.

8. *A natura profectam?* Ignorant *a* tres potiores nostri cum totidem Oxonn. editisque vett. plerisque. Insuper variant duo et nostri, et Oxonn. *perfectam.* Sed ut « appetitio natura perfecta » nihil est, ita *natura proficisci* dici nequit, nisi *ab*, *ex aliquo*, vel *ad aliquid*, etc. addatur. Sed nescio quid scribas *a* in formis, « a natura profectus, a natura tributus »; cf. supra 7, 17, et similibus, offendit. Ceterum *appetitio* hæc eadem est, de qua vidimus supra 21, 58. G.

9. *In A. incid.* In Aristonea vitia.

quum id fugiunt, re eadem defendunt, quæ peripatetici, verba tenent mordicus[10]; quæ rursus dum sibi evelli ex ordine nolunt[11], horridiores evadunt, aspe-

10. *Defendunt, quæ peripatetici; verba tenent mordicus.* Quomodo possunt Stoici Peripateticorum verba mordicus tenere, si nova verba finxerunt, et quæ illi bona appellant, hi proegmena seu producta; quæ illi mala, hi apoproegmena sive rejecta nominarunt? Omnino hic locus mendo non vacat: quod sic fortasse purgari possit, « re eadem defendunt, quæ Peripatetici et tenent mordicus: verbo non item: quæ rursus re eadem defendunt, quæ Peripatetici et tenent mordicus: verbo deserunt, quæ, etc. » Conjecturam probabiliorem faciat lector ingeniosus; mihi satis est, mendum quasi digito indicasse. LAMBINUS.—Paris. « verba sibi *tenent mordicus* ». Et revera deest simile vocabulum. Quum vero mox recurrat idem illud, forsan in eo tantum vitiosi sunt plerique MSS, quod voc. *sibi* suam non assignent sedem. Totum igitur locum sic legu: « verba sibi tenent mordicus; quæ rursus dum evelli, etc. » DAVISIUS. — *Verba tenent mordicus.* Scilicet *sua*, quod ex antecedentium oppositione facile intelligitur. Ita non opus est, ut traducendum ex seqq. cum Davisio *sibi* putes, « verba sibi tenent mordicus ». « Tenere mordicus » valet, « omni ratione tueri studere ». Sensus igitur est, « quum res, quam defendunt, non sua sit, sed Peripateticorum, verba, quæ sua sunt, omni contentione defendunt ». G. — Nobis vero Gœr. ipse verum potius prælibasse quam tetigisse videtur; nam, ni fallimur, sens. est: Quum autem id fugiunt, ne in Aristonem videantur incidere, tum confugere coguntur ad doctrinas Peripateticorum: sed quum has doctrinas re ipsa defendunt, tamen ne suarum doctrinarum transfugæ videantur, verba sua tenent mordicus: nec patiuntur sibi hæc verba eripi ad quæ, quasi ad ultimum propugnaculum confugerunt: malumtque evadere horridiores, etc.

11. *Sibi evelli ex ordine nolunt.* Miramur eos Viros Doctos, qui lectionem Eliensis, *ex ore*, quam etiam Oxonn. E. et ξ. referre videntur, quæque in pluribus, sed non melioribus, editis vett. legitur, cum Davisio tueantur et probent. Nam si vel non cures, ea urbanitatem lædi, orationisque decorum, cui auctor semper diligentissime studet: oritur etiam misera tautologia, quum « tenere mordicus », et « evelli ex ore nolle », plane idem sit. Immo reprehenduntur Stoici, quod hæc sua verba ubique intrudi volunt, nec orationis varietatem admittunt; sic ut ubique suam dicendi rationem, sua verba premant. Quod ipsum bene verba *ex ordine* notant. Volunt hi enim, ut, quo ipsorum verba (*termini technici* vulgus vocat) pertineant, eo ubique ponantur, l. e. ut quisque ubique ex suæ disciplinæ ἐτυμολογίᾳ et proprietate loquatur. Ceterum nemo non videt, *ore* per compendium *ōre* natum esse lineola neglecta: id quod eo facilius fieri potuit, quum *mordicus* præcederet; in quo ipso contra causa nulla est, cur cum Nisseno *ex ore* malis. Ern. autem nihil suadet, *oratione* conjiciens. G. — *Quæ ... sibi evelli ex ordine nolunt.* Respici Matthiæ putat ad III, 22, 74: « si una litera commota sit,

79 riores, duriores et oratione, et moribus. Quam illorum tristitiam atque asperitatem fugiens Panætius, nec acerbitatem sententiarum, nec disserendi spinas probavit; fuitque in altero genere mitior, in altero [12] illustrior; semperque habuit in ore Platonem, Aristotelem, Xenocratem, Theophrastum, Dicæarchum, ut ipsius scripta declarant. Quos quidem tibi studiose et diligenter tractandos, magnopere censeo.

80 Sed quoniam advesperascit, et mihi ad villam revertendum est: nunc quidem hactenus; verum hoc idem sæpe faciamus. Nos vero, inquit ille: nam quid possumus facere melius? Et hanc quidem primam exigam a te operam, ut audias me, quæ a te dicta sunt, refellentem. Sed memento, te, quæ nos sentiamus, omnia probare, ni quod verbis aliter utamur [13]; mihi autem vestrorum nihil probari. Scrupulum, inquam, abeunti [14]: sed videbimus. Quæ quum essent dicta, discessimus.

labare omnia », cll. IV, 19, 53. Ita quidem licet, si h. l. tenneris, Stoicos de sua disciplina agi nolle, nisi fixo statoque rationum nexu, certaque verborum terminologia, ut vocant, servata. G. in Additam.

12. *In altero genere...in altero.* Scil. in sententiis; *in altero*, scil. in disserendo.

13. *Ni quod verbis aliter utamur.* Omnes nostri quoque *ni*, præter Gud. 2, qui *in* peccat. At Manutii, Lambinus, Brutus, Davis. *nisi* dederunt. Et dubitare sane licet, an auctor umquam *ni quod* scripserit; facile etiam ex compendio sic *nisi* corrumpi potuit: sed ex quo non certum erit, *nisi* vere scriptos libros referre, in talibus nostra sponte mutare non audebimus. — Auctor hunc quoque librum acute dicto concludit: vide quæ diximus ad II, 35, 119. G.


14. *Scrupulum, inquam, abeunti.* Vertit intp. gallicus : *C'est un défi, lui dis-je, que vous me faites en partant.* Nobis hic proverbii more exprimi videtur ea responsio, quæ opponi debet iis, qui disputatione jam absoluta et finita, vires ostentare volunt quas non habent, potiusquam se victos fateantur; nec confugere dubitant ad pessima argumenta, quum jam refellendi copia adversario non supersit. Sic Cicero ironice hæc diceret, eodem sensu quo gallice, vulgari sermone, diceretur : *Vous me cherchez une mauvaise chicane lorsque vous me voyez forcé de me retirer; mais je vous retrouverai.* Ceterum de hujus loci sensu silent interpretes.

M. T. CICERONIS

DE FINIBUS BONORUM ET MALORUM,

AD BRUTUM,

LIBER QUINTUS



ARGUMENTUM

LIBRI QUINTI DE FINIBUS.

Scena hujus libri, in quo Antiochi Ascalonitæ de finibus bonorum sententia continetur, Athenas translata, fingit Cicero, audito in Ptolemæo horis antemeridianis Antiocho, convenisse inter se, M. Pisonem, Q. fratrem, T. Pomponium, L. Ciceronem et se ipsum de ambulatione in Academiam postmeridiana, ut soli ibi secum essent: gymnasium enim illud matutinis maxime horis celebrabatur. Quo quum venissent, Piso ex angusta loci memoria sermonem eo flectit, ut miretur, quanta vis in locis insit, quos magni olim viri frequentassent, indeque memoriæ artis per Simonidem inventionem facile sibi explicat. Tum omnes, qui una venerant, locorum vicinitate admoniti, horum antiquitatis virorum memoriam recolunt, ad quorum admirationem imitationemque studio quisque suo invitabatur: Piso Platonis Aristotelisque, et qui ab his insigni nomine prodierunt; Quintus Sophoclis, Pomponius Epicuri, Marcus Charmadæ, Lucius Periclis, Demosthenis, Æschinis, § 1-5. Qua occasione arrepta Piso Lucium cohortatur, ut eloquentiæ studio illud quoque philosophiæ adjungat: quumque hic, Marci exemplo, ad recentem maxime Academiam inclinaret, id ille agit, ut eum ad veterem illam, et potissimum ad Aristotelem, Peripateticosque traducat. Cujus rei causa, provocatus a Marco, veterum horum de finibus bonorum sententiam, sed ex Antiochi mente et ratione, quippe quem maxime audisset, enarrat, § 6-8.

Ingreditur orationem sic, ut primum de triplici disciplinæ forma, quantaque in singulis hujus partibus Aristoteles ejusque sectatores, in iisque maxime Theophrastus, præstiterint, exponat. Naturam illos ita investigasse, ut eam quum universam, tum partes ejus singulas quasque diligentissime persequerentur. Disserendi præcepta eorum æque oratoriam artem, atque dialecticam comprehendere: primumque instituisse Aristotelem, ut de singulis rebus in utramque partem diceretur. In tertia autem parte, quæ bene vivendi præcepta complectebatur, non modo

privatæ eos vitæ rationem, sed rerum quoque publicarum rectionem diligenter curasse: quamquam vitam in contemplatione cognitioneque positam, eamque quietam, præferrent, § 9, 10, 11. Quod autem de summo bono sibi minus constare videantur, id ex duplici librorum genere accidere, altero populari, altero scholæ scriptorum: in summa vero discrepantiam apud eorum principes esse nullam. At in de vita beata quæstione nimium tribuere Theophrastum fortunæ. Quam ob rem hunc quidem in plerisque reliquis; hac vero in re non esse sequendum, § 12, 13. Posteriores Peripateticos, Stratonem, Lyconem, Aristonem Ceum, Hieronymum, Critolaum, Diodorum, meliores illos quidem videri ceterarum disciplinarum philosophis; at quum ab illorum principum sententia ita discedant, ut vix Peripatetici videantur, hos non esse admittendos, sed in illorum auctoritate acquiescendum. Hanc sequi diligentissime Antiochum, qui Aristotelis sententiam cum ea Polemonis eamdem esse doceat. Summum autem bonum jure præ ceteris quæri, quum, id si ignores, rectam quoque vivendi rationem ignorari necesse sit. Cognito vero hoc certam et vitæ viam, et officiorum rationem teneri, § 13-15. Esse autem in summi boni quæstione ex Antiochi mente Carneadem imitandum, neque modo videndum, quot philosophorum de summo bono sententiæ fuerint, sed etiam quot esse possint. Nullam enim artem ex se ipsa nasci, sed id extra ipsam esse, quod ea comprehendat. Sic comprehendi medicinæ arte valitudinem, arte vivendi prudentiam. Id autem, in quo prudentia versetur, naturæ consentaneum esse, et appetitum animi per se allicere debere. Quod vero a primo ortu natura appetat, de hoc dissentire in summi boni quæstione vehementer philosophos. Exquirendum igitur totius hujus quæstionis esse fontem, in quo primus naturæ appetitus contineatur. Hunc primum appetitum alios in voluptate, alios in doloris vacuitate, et quæ his opponuntur, ponere: alios in primis secundum naturam, quæ virtutum sint quasi semina: ab horum trium aliquo ducere prudentiam totius vitæ exordium, quum plura non dentur, § 16-18. Hinc exsistere rationem recti honestique, quæ cum istorum trium aliquo congruere debeat. Inde fieri, ut non minor differentia in finibus bonorum malorumque sit, quam in primis naturalibus deprehendatur. Ab

iisdem principiis triplicem pariter quoque relationem esse officiorum. Ita sex prodire sententias simplices, quarum duæ sine defensore sint, quatuor defendantur. Earum autem, quæ duplex bonum jungant, plures, quam tres, neque esse, nec esse posse. Ex illis superioribus jam modo illam Carneadis, ex his eam Stoicorum in quæstionem venire. Sed illum non nisi disserendi causa summum bonum, vacans honestate, posuisse; cum quo officiorum ratio constare nequeat: horum autem sententiam cum Peripateticis Academicisque re esse eamdem. Reliquas vero, vel nihil huc pertinere, vel dudum esse explosas, § 19-23. Valere igitur hanc modo Veterum, eorumque instituto ita capi exordium. Primum argumentum omne duci a prima commendatione naturæ: quum omne animal se ipsum diligat, et statim ab ortu suo, in se conservando unice occupatum, tali modo affectum sit, quo optime secundum naturam affectum esse possit. Id initio quidem sensu fieri obscuro; sed ex quo discernere cœperit, quatenus quidque ad sese pertineat, et ex sui agnitione sensim intelligat, cujus rei causa ipsi hic se conservandi animi appetitus sit datus; tum illud incipere, apta naturæ appetere, removereque a sese contraria. Sic omni animali appetenda ea esse, quæ naturæ sint accommodata. Quum autem quodque animal suam propriam habeat naturam, finem omnium in explenda cujusque natura poni. Esse quidem homini quædam cum reliquis animantibus communia, sed finem illum summum, qui quæratur, ut in singulis animalium generibus differat, ita esse eum in homine quoque distinctum. Ita commune esse animantibus cunctis, secundum naturam vivere: sed ex naturarum diversitate, aliud v. c. equo esse natura, aliud homini. Neque id solum in animalibus valere, sed in omnibus, quæ natura alat et augeat. Sic omnium, quæ natura vigeant, similem esse finem, sed non eumdem. Quod autem in homine bonorum ultimum dicatur, secundum naturam vivere, eo hoc intelligi, « vivere ex hominis natura undique perfecta, et nihil requirente », § 24-27. Hæc ipsa cum peculiaribus quibusdam Antiochi argumentis accuratius expediuntur. Quod enim primo omne animal se ipsum diligat, id inde intelligi, quod animal, sibi ipsi exosum, cogitari nequeat: pugnare enim hoc secum, et cum illo appetitu animi, ut quis sibi sit ipsi inimicus. Neque huc pertinere, quod

nonnulli exitia sibi quærant: fieri id enim apud dolore, cupiditate, iracundia, commotos, ut in mala consulto ruentes, optime sibi consulere putent, § 27-29. Ne esse quidem quemquam, qui, quomodo se habeat, nihil sua censeat interesse: tolli enim omnem appetitum, si in neutram partem fiat propensio. Nec istam sese diligendi vim ad aliud quidquam referri, quam ad eum ipsum qui sese diligat. Non enim nos v. c. propter voluptatem nos amare; sed hanc propter nosmet ipsos. Nulla autem re magis hanc in nosmet ipsos caritatem perspici, quam metu mortis, quam vel feræ horreant; hominesque omnia durissima perferant, ut vivant. Ipsas adeo stirpes quædam sui conservandi impetum prodere, § 30-33. De hominis natura autem ipsa, hoc patere, hominem inprimis animo, deinde corpore constare. Corporis figuram præcellere aliis: animum sensibus pollere, et mente, qua tota hominis natura regatur, quæque virtutum particeps sit omnium. In corpore autem, ut totum ab omni parte ad naturam aptum sit, id opus esse, ut valeat, vigeat, omniaque in eo vel in motu, statu, sessione naturæ congruant, viteturque contrarium. In animo autem, mentis virtutes ad duo maxime genera spectare: alterum innatas et non voluntarias, ad quas docilitas, memoria et omnino quæ ingenii nomine comprehendantur; alterum voluntarias, quæ proprie virtutes appellentur, complecti; cui cum quatuor illis cardinalibus, reliquæ quoque proprie appellatæ virtutes insint, § 34-36. Inde perspicuum esse, ut, quum nosmet ipsos diligamus, cuncta animi corporisque perfecta cupiamus: hæc ipsa propter se nobis cara; in hisque ad bene vivendum momenta esse maxima. Cui enim sui conservatio cara sit, huic etiam partes sui, quo sint perfectiores, eo cariores esse. In eo igitur summum bonum ponendum esse, quod vitam expleat animi corporisque virtutibus omnibus, quum in ipso rerum expetendarum extremum contineatur. Ex his facile conjici, ea maxime esse expetenda, quæ dignitatis ex iis, quæ nostrum sint, habeant plurimum. Sic animi virtutem, virtuti corporis præferendam; animi virtutes voluntarias, non-voluntariis, § 37, 38. In bestiis quoque quædam esse simulacra virtutis: immo etiam in stirpibus quamdam perfectionem, animantibus haud absimilem cerni. Sic extremum appetendorum, a prima commendatione

naturæ ductum, multis gradibus ad summum usque escendere, ut in corporis mentisque virtutibus perficiendis, perficiatur, § 39, 40.

Sed etsi ex illa prima commendatione naturæ summum illud bonum pateat, tamen ipsam obscuram esse et incertam, primumque istum appetitum in eo modo occupari, ut salvos integrosque nos præstemus; quum sensim modo nosmet ipsos dignitatemque nostram cognoscamus. Noscere autem nos ipsos, tam grave esse, ut illud præceptum a deo tantum aliquo proficisci potuisse existimatum sit. Hanc autem cognitionem unice eo spectare, ut vim animi corporisque nostri discamus, et ad eam vitam nos applicemus, qua rebus ipsis perfrui liceat. Sic accuratius etiam perspici, si id, quod perfectissima natura requireret, adepti simus, in eo naturam ad ultimum pervenisse, idque ipsum summum bonum esse : quod sane per se ipsum expetendum sit, quum singulæ ejus partes recte expetantur, § 41-45.

Alterum argumenti genus, præter amorem nostri, inde duci, quod et corpori, et animo, sua quæque vis sit, qua in his nostra plane sponte moveamur. In corpore, affecta membra occultari, multisve doloribus curari : omniaque fieri, ut horum species a natura non alienata videatur, aut ad eamdem revertatur. Omnes enim se totos natura expetendos putare, idque solum ipsos; inde etiam partes propter se expeti. Odio item nos eos dignos judicare, qui in motu statuve naturæ legem migrent, modumque excedant; quum horum quoque curam natura desideret. Sic quoque pulchritudinem, valitudinem, vires, et cetera hæc, per se ipsa, non propter utilitatem tantum, expetenda esse, § 46, 47. In animo vero, quo facultates sint illustriores, eo clariora quoque naturæ indicia cerni. Tantum inesse homini a pueris cognitionis amorem, ut aperte ad hanc suapte sponte feratur : ad quem Homerus in Sirenibus fingendis respexisse videatur, § 48, 49. Idem apparere in Archimede, Aristoxeno, Aristophane, et in philosophis iis, qui discendi cupiditate ultimas terras adierint. Cultiores omnes et cælestium rerum et occultiorum cognitione teneri, historia delectari, et fictis etiam fabulis allici : ut negari nequeat, res ipsas invitare ad discendum, § 50-52. Veteres philosophos in beatorum insulis vitæ sapientum delectationem in solis doctrinæ studiis po-

nere : eademque esse quoque solatium miseriarum; quum multi in custodia, in exsilio, his ægritudinem suam levarint, § 53, 54.

Indicia naturæ autem plane perspicua hæc esse, quod animus, maxime hominis, semper agere aliquid appetat, idque a prima inde infantia: quare si nobis Endymionis somnus daretur, hunc nos mortis instar habituros. Hinc occupari vel inertissimos homines re aliqua certe nugatoria velle. Optimum autem quemque vivere nolle potius, quam, destitutum negotiis, vel paratissimis voluptatibus frui. Inde vel privatam rem geri, vel rempublicam domi belloque capessi, vel studiis operam dari, licet in ejusmodi vitæ ratione curæ, labores, vigiliæque sint perferendæ, § 55-57. Quum autem actionum plura genera sint, maximas esse has, quæ in cognitione rerum cælestium, et a natura occultatarum; proximas, quæ in rebuspublicis gubernandis, reliquisque virtutibus exercendis versentur, quæ ad vitæ honestatem referantur. Quarum licet parva sint initia, augeri tamen eas progressu, et ad vitam beatam perducere, § 58, 59.

Ab his initiis ad majora, et inde consequentia, transitur. Sic naturam hominem instituisse, ut ad omnem virtutem capax esset; sed virtutem in eo esse inchoatam tantum, nihil amplius: ab ipso tamen, quantum quidem valeat, perficiendam. Mentis autem inprimis appetendam esse perfectionem, eamque huic corporis tantum præstare, quantum cogitari vix possit. Hinc omnem honorem admirationemque, omne studium ad virtutem, actionesque virtuti consentaneas conferri. Hæc autem omnia honesta dici, § 59, 60. Hæc ipsa vero honesta, esse, ut ex nostri amore, ita sua sponte, expetenda : idque in puerorum studiis, velut in speculis cerni. In adultis neminem tam degeneratum esse, quin turpitudine offendatur, comprobetque honestatem, si eam in aliis viderit, audierit, legerit : idque ipsum vel fictis in fabulis fieri. Omnes hanc effectionem animi et probare, et laudare, quæ tantum absit, ut utilitatem quærat, ut potius, hac contempta, colat fidem. Hujus generis exemplis historiam maxime romanam repletam esse, § 61-64. In omni autem honesto nihil esse illustrius hominum cognitione, cujus innatus sit nobis amor: affectionemque, quæ hanc tueatur, justitiam appellari; eique pietatem, bonitatem, liberalitatem,

comitatem, et hujus generis alia, ita propria esse, ut sint virtutum reliquarum communia. Sic fieri, ut illa conjunctio quoque per sese sit expetenda; licet nec sit in fine bonorum, nec in animo corporeve posita, § 65-67. Duo igitur genera esse per se expetendorum: unum in quo sit finis ille; quæ sint aut animi aut corporis: alterum rerum extrinsecus positarum, quæ, quamvis summo bono non contineantur, tamen ad idem referantur, quum eas his officiis tueamur, quæ a suo cujusque virtutis genere proficiscantur, § 68-72. Hanc esse Peripateticæ rationis summam, ex qua ceteri omnes particulam detraxerint, quum suam quisque sententiam afferre videri voluisset, § 72-74.

Reliqua disputatio continet ea, quæ Cicero quum Peripateticæ, tum maxime Antiochianæ sententiæ objicit, tamquam parum sibi constent: ad quæ diluenda Piso respondet. Objicit ille autem, nimis festinanter dictum, beatos semper omnes esse sapientes: hoc pugnare enim vehementer secum, beatum esse, et simul multis malis oppressum, § 75-81. Deinde inter beatum et beatissimum prave distingui: minime enim probandum esse, si dicatur, esse aliquem beatum, nec tamen satis beatum, quum nemo sit beato beatior, § 81, 82. Nec recte tria bonorum genera statui, quum rectius in sola virtute beata vita dicatur, § 83-86. Reliqua ad finem usque in his a Pisone diluendis consumuntur.

M. T. CICERONIS

DE FINIBUS BONORUM ET MALORUM,

AD BRUTUM,

LIBER QUINTUS.

I. Quum audivissem Antiochum [1], Brute, ut [2] solebat, 1
cum M. Pisone [3], in eo gymnasio, quod Ptolemæum vocatur [4], unaque nobiscum Q. frater, et T. Pomponius, et L. Cicero [5], frater noster cognatione patruelis,

I. 1. *Antiochum.* Antiochum Ascaloniten, quem Plutarchus, ut hominem eruditissimum, ingeniosissimum, eloquentissimum, veteris Academiæ illis temporibus principem, in Lucullo commendat. Hic scripsit librum ad Q. Lucilium Balbum, quo contendebat Stoicos cum Peripateticis re concinere, verbis discrepare. Cic. de Nat. Deor. Mur.

2. *Ut solebat.* Hoc nobis cum Vict. parum placet. Licet enim auctor, *ut solet*, pro *ut fieri solet*, sæpe: tamen exempla desideramus, unde hic idem imperfecto sic usus esse probetur; nam qui solus locus nobis innotuit, Divv. IX, ep. 16, 15: « non ut olim solebat ... sed ut nunc fit », satis se ipse quidem, minus autem hunc defendit. Malim *ut solebam*. G.

3. *M. Pisone.* De M. Pisone, cujus personæ IV, 26, 73, apte prælusum est, cf. Brut. 67, 236, coll. ibid. 90, 310, et Orat. I, 22, 104. G. — Ille Piso jamdudum mortuus erat, eo tempore quo habebatur Ciceronis sermo cum Catone, qui præcedentibus libris refertur. Itaque hic liber, quamvis ordine posterior, tempore tamen ceteris omnibus prior est.

4. *Ptolemæum vocatur.* Male Ern. *Ptolemeum*: sed idem rectius in Clave geograph. At Dav. *Ptolemæium*; quod vix præferendum sit. Nam ut Pausanias Attic. 17, 2, Ἐν τῷ γυμνασίῳ τῆς ἀγορᾶς ἀπέχοντι οὐ πολὺ, Πτολεμαῖον δὲ ἀπὸ τοῦ κατασκευασαμένου καλουμένῳ: ita « Amaltheum, Aurelium tribunal », ejusmodique alia dicuntur. G. — *Ptolemæum* dicebatur gymnasium illud a Ptolemæo, Ægyptio rege, qui illud exstruxerat, ut testatur Pausan. hac ipsa nota.

5. *Et T. Pomponius, et L. Cicero.* Posterior copula abest a trinis Oxonn. binisque nostris; unde etiam priorem *et* syllabæ præcedenti deberi suspicamur: nam alias ex Ciceronis more vel tertia *et*, ante *Q. frater*, præmittenda foret. — *Lucium* autem *Ciceronem*, L.F.

amore germanus : constituimus inter nos, ut ambulationem postmeridianam conficeremus in[6] Academia, maxime quod is locus ab omni turba id temporis vacuus[7] esset. Itaque[8] ad tempus ad Pisonem omnes. Inde vario sermone sex illa a Dipylo[9] stadia confecimus. Quum autem venissemus in Academiæ non sine causa nobilitata spatia[10]; solitudo erat ea, quam vo-

comitem ipsi in itinere, quod ad accusandum Verrem per Siciliam fecerat, anno post morte præmatura ereptum, ob virtutes, amicitiæque fidem, acerbe Marcus luget ad Att. I, ep. 5. Ceterum hi antemeridianis horis Antiochum Ascalonitam, in Ptolemæo docentem, audierant, digredientesque de ambulatione postmeridiana convenerant. G.

6. *In Academia*. Academia, locus erat arboribus consitus, extra Athenarum muros. In eo Platonem natum referunt : in quo postea suam philosophiæ scholam constituit, unde ipsa secta, cujus Plato princeps fuit, nomen Academiæ nacta est; sed exstincto Platone quasi varios in ramos divisa est Academia : alii Platonem Socratemque post sequuti sunt, veterisque Academiæ nomen obtinuerunt; alii, duce Arcesila, nihil esse perspicui, nulla de re certum judicium haberi posse contenderunt, et nomine mediæ Academiæ signati sunt : denique venit Carneades, qui ipsam Arcesilæ doctrinam nonnihil commutavit, et princeps fuit novæ illius Academiæ quam Cicero amplectebatur. Ille Antiochus de quo h. l. agitur ad id tendebat, ut omnes Academias in gyrum veteris Academiæ reduceret.

7. *Vacuus*. Frequentabatur Academia matutinis maxime horis, ad nonam, vel decimam usque : hinc properare Socrates solebat, ut πληθούσης ἀγορᾶς in urbe redux esset. Ista autem postmeridiana ambulatio a quarta, quintave hora, id est, post cœnam, cogitanda est. G.

8. *Itaque.....omnes.* Intell. itaque omnes venimus Pisonis domum, ad tempus constitutum: et inde profecti, sex illa stadia a Dipylo ad Academiam vario sermone confecimus.

9. *A Dipylo*. Gœr. scrib. *ab Dipylo*. Codices, inquit, nostri fere « ab Dypylo, ab Hypylo, ab ypilo » : unde non dubitavimus pro vulgata *a*, *ab* reponere; Cicero enim « ab domo, ab doctissimis, ab diis, etc. » Ceterum claudebat porta *Dipylon* Ceramicum. Conf. Plutarch. Sulla, pag. 460, e. πάντα τὸν ἐντὸς τοῦ Διπύλου Κεραμεικόν· vocabaturque olim *portæ Thriasiæ* ; vide eumdem Plut. Pericl. p. 168, e. παρὰ τὰς Θριασίους πύλας, αἳ νῦν Δίπυλον ὀνομάζονται. Ex quo quidem Plutarchi loco duplex error apud Barthelemyum, *Voyage du jeune Anacharsis*, tom. II, cap. 7, init. notandus est, ubi eadem porta *Dipyle* appellatur; quippe quæ Anacharsidis tempore *Thriasiæ*, et serius constanti nomine *Dipylon* vocitaretur. — *A Dipylo*. Porta ea velut in ore urbis posita, major aliquanto patentiorque quam ceteræ est : et infra eam, extraque latæ sunt viæ : et extra, mille ferme passus in Academiæ gymnasium ferens. Liv. lib. XXXI. Muretus.

10. *Academiæ...nobilitata spatia.*

lueramus. Tum Piso, Naturane nobis hoc, inquit, 2
datum dicam, an errore quodam : ut, quum ea loca videamus [11], in quibus memoria dignos viros acceperimus multum esse versatos, magis moveamur, quam si quando eorum [12] ipsorum aut facta audiamus, aut scriptum aliquod [13] legamus? velut ego nunc moveor. Venit enim mihi Platonis in mentem; quem accepimus primum hic disputare solitum : cujus etiam illi hortuli propinqui non memoriam solum mihi afferunt [14], sed ipsum videntur in conspectu meo ponere. Hic Speusippus [15], hic Xenocrates, hic ejus auditor Polemo, cujus illa ipsa sessio fuit, quam videmus. Equidem

Academiæ firmant, bini optimi nostri cum Crat. reliqui cum aliis *Academia*. Olim vulgatum est *Academiam*, ut tres Oxonn. referunt : sed Victorius, Lambin. Davis. Ernest. rectius sequuti sunt; quorum postremus apte *Academiæ spatiis* ex Orat. 3, 12 laudat. *Spatia* autem « loca quævis dicuntur, ubi spatiari quocumque modo licet ». G.

11. *Videamus*. Gud. 2 *infideamus*. Num forte *visamus* voluit? Sic *visere statuas* Verr. IV, 3, 5; « epulum omni apparatu visendo » in Vat. 13, 31. G.

12. *Si quando eorum*. Tres etiam nostri cum edd. vett. post *quando*, *ante* adjiciunt; quod quatuor Oxonn. (si recte horum excerptor vidit) omissi *quando* loco ponunt. Sed ineptum id scribarum locum prave sapientium additamentum judicabis. G.

13. *Scriptum aliquod*. Tres Oxonn. bini nostri, et Mars. « scriptum aliquid »: *scriptum* enim et *facta*, quod præcedit, substantive ponuntur. G.

14. *Non memoriam..... afferunt*. Ernest. *offerunt* : at sæpe sic auctor, « curam, suspicionem, sollicitudinem, molestiam afferre », ut verbum hoc pro *offerre* accipi possit. *Illi* autem, quod antecedit, manu e longinquo monstrantis est. Quare non probandum est, quod Spir. et Erl. *propinqui hortuli* transponunt. Verba enim hæc idem valent, atque, « illi hortuli, quos Academiæ propinquos videtis ». G.

15. *Speusippus*. Atheniensis, Platonis sororis filius, post Platonem in Academia docuit. — De Xenocrate et Polemone in superioribus libris et in Acadd. passim jam satis dictum est. Cf. quoque inf. 3, § 7.—*Cuj. illa ipsa s. fuit*. Gœr. ser. *c. ipsius i. s. fuit*. Sic, inquit, ex Oxonn. E. ξ. et Bas. scripsimus. Vulgabatur *cujus ipsa illa*, ut bini nostri, editique veteres præbent : sed Davis. *ipsa* delevit, quum id pronomen in binis Paris. non reperisset. Ern. contra pronn. hæc cum Mead. transposuit. Recte in vulgata acquiescere liceret, nisi recepta lectio ex eo multum præpolleret, quod *illa*, æque ut superius, e longinquo monstrantis sit, sic ut colloquentes medio spatio inter Platonis hortulos et Polemonis exedram ambulare fingantur. *Exedram* autem hanc *sessionem* fuisse, patet ex § 4.

etiam curiam nostram (Hostiliam dico [16], non hanc novam, quæ mihi minor esse videtur [17], posteaquam est major), solebam intuens, Scipionem, Catonem, Lælium, nostrum vero in primis avum cogitare. Tanta vis admonitionis inest in locis, ut non sine causa ex his
3 memoriæ ducta sit disciplina [18]. Tum Quintus, Est plane, Piso, ut dicis, inquit. Nam me ipsum huc modo venientem convertebat ad sese Coloneus ille [19] locus,

16. *Hostiliam dico.* Scilic. ædem a Tullio Hostilio, tertio Romanorum rege, exstructam, in qua senatus congregari solitus est usque ad mortem Scipionis Africani. — Ad hæc intelligenda notandum est, veterem Curiam Hostiliam in Clodii funere combustam, ex senatus decreto per Faustum, Sullæ filium, in majus splendidiusque fuisse refectam. Hinc simul haud parvus ἀναχρονισμός aperitur, quem facile computabis, si L. Ciceronem 685 mortuum, deflagrationem autem veteris Hostiliæ ad 701 pertinere, videris. Sed hæc, Platonis exemplo, dialogorum scriptores sibi quasi jure licere existimant. Ceterum verba *Hostiliam ..... major* parenthesi addicenda fuerunt. G.

17. *Quæ mihi minor esse videtur.* Gœr. transposuit *quæ minor mihi.* Ita, inquit, Gud. uterq. cum Bas. ordine multo meliore, quam vulgatur, *mihi minor.* Opponuntur enim cum vi acute dicti *minor* et *major* sic, ut, transpositis enuntiatis, alterum ab initio, alterum in clausula dicatur. In his enuntiatorum inversionibus scribas turbare, ut alibi, ita Fin. III, 3, 10, et IV, 24, 65, vidimus.

18. *Ex his memoriæ ducta sit disciplina.* Innuit artem memoriæ, inventam a Simonide, perfectam a Metrodoro; de quo vid. Orat. II, 86 et 87. G.

19. *Coloneus ille locus.* Erat enim Sophocles Κολωνόθεν. Conf. Lessingii Vita Sophoclis, pag. 15; ipse autem *Colonus*, vicus paucis stadiis ab Academia remotus. Haud vero necesse est, ut cum Lessingio, Meursii auctoritate, illum inter Academiam et Athenas positum dicas: nam verba præcedd. « me convertebat ad sese », de prospectu accipi commode possunt, qui ad Academiam ex urbe accedentibus in eum locum patebat, in colle positum, ut vox ipsa monet: quem prospectum in ipsa Academia arborum, quibus ejus horti consiti erant, umbra præpediebat. Eumdem Meursium, *Colonus* conjicientem, idem Lessingius probat. Sed, ut tacemus, transponi tum quoque, *locus ille*, debere, potest *Sophocles* villam, ad Colonum sitam, possedisse, quæ his notetur: potest auctor ipsum Colonum sic designasse; quippe de quo etiam Pausan. Attic. 30, 4: χῶρος καλούμενος Κολωνὸς ἵππιος, ἔνθα τῆς Ἀττικῆς πρῶτον ἐλθεῖν λέγουσιν Οἰδίποδα. G.—Offendit in his etiam Brem. nec admittit Meursii conjecturam, ut Ciceronis mori parum aptatam. Valckenarii quoque in Callimach. p. 216, vel *Coloneus ille locus*, vel, deleto *Coloneus*, simpliciter *ille locus* suadentis rationem jure rejicit. Ipse volt legi, *Colonus ille*, *cujus incola*, etc. ut v. *locus* tamquam interpretatione

cujus incola Sophocles ob oculos versabatur : quem scis quam admirer, quamque eo delecter. Me quidem ad altiorem memoriam OEdipodis[20] huc venientis, et illo mollissimo carmine, quænam essent ipsa hæc loca, requirentis, species quædam commovit, inanis scilicet, sed commovit tamen. Tum Pomponius, At ego, quem vos, ut deditum Epicuro, insectari[21] soletis, sum multum equidem cum Phædro[22], quem unice diligo, ut scitis, in Epicuri hortis, quos modo præteribamus : sed, veteris proverbii admonitu, vivorum[23] memini; nec tamen Epicuri licet oblivisci, si cupiam[24], cujus imaginem non modo in tabulis nostri familiares[25], sed etiam in poculis et in annulis[26] habent.

addita putetur. Sed in vulgata, prout supra defenditur, omnibus et scriptis et editis firmata, acquiescendum esse judicamus. G. in Addit. — Ceterum poeta poetam curat : scripsit enim Quintus quoque tragœdias; conf. ad Q. Fratr. III, ep. 6.

20. *OEdipodis*, etc. De græca *OEdipodis* terminatione, vid. Bremius, lib. de Fato, 13, pag. 59. — Sermo vero est de elegantissima, sensuumque teneriorum plena Sophoclis fabula, quæ OEdipus Colonens inscribitur, maxime vero de ejus initio. Hæc *mollissimum carmen* dicitur, ut Demetrii Phalerei *mollis teneraque oratio*, Brut. 9, 38. — De OEdipodis vero Colonei fabula, Sophocli avo, an nepoti vindicanda, vide quæ nuper accuratissime, ut solet, disputavit Thiersch in Actis Philologor. Monacc. tom. I, fasc. III, pag. 322-330.

21. *Insectari*. Per risum nempe et jocum puta : tum enim quavis in lingua verba graviora ponuntur, oris quippe vultusque hilaritate mitiganda. Proprium autem verbum consulto positum vides. G.

22. *Phædro*, Epicureo, Pomponii amico. De eo vide ad Divv. XIII, ep. 1, et Nat. Deor. I, 33, § 93. G.

23. *Vivorum memini*. De hoc adagio vide Petron. Satir. cap. 43 et 75, ac Erasmum Adag. Chil. I, Cent. II, 52. Dav.

24. *Si cup*. Ne offendas, notandum est, post *non*, *nec*, et inter *ne quidem*, conjunct. *si*, pro *si vel etiam*, *si vel maxime*, dici. Unum locum corrigendi causa addamus in Pis. 28, 68 : « cui generi esse ego iratus, ne si cupiam quidem, non possum ». *Non* ibi cum Erl. nostro delebis : quod, vel tua sponte si feceris, recte liceat. Valent ista enim, « ne tum quidem possum, si vel maxime cupiam ». G.

25. *Cujus... in tabulis nostri familiares*. *Cujus* est nam *ejus*. Vien. « nostri in tabulis familiares ». Sed placet potius *nostri* per glossema additum putare : sunt enim h. l. *familiares*, *qui sunt ejusdem familiæ*, i. e. *sectæ* : atque sic pron. ad ambiguitatem vitandam rectius intelligitur. G.

26. *Annulis* cum nostris scripsimus,

4 II. Hic ego, Pomponius quidem, inquam, noster jocari videtur, et fortasse suo jure. Ita enim se Athenis collocavit[1], ut sit pæne unus ex Atticis, ut id etiam cognomen videatur habiturus[2]. Ego autem tibi, Piso, assentior, usu hoc evenire[3], ut acrius aliquanto et attentius de claris viris, locorum admonitu, cogitemus. Scis enim me quodam tempore Metapontum[4] venisse tecum, nec ad hospitem ante devertisse[5], quam Py-

vulgatam a simplici *n*, cum ejus derivatione respuentes. Conf. Varr. de L. L. V, init. «Tempus a bruma ad brumam, dum sol redit, vocatur annus; quod, ut parvuli circuli annuli, sic magni dicebantur anni». De etymo placet Macrob. Saturnall. I, 14. Nonius hunc locum laudans *anellis* scribit; idque receperunt P. Manutius et Lamb. Sed nullum ejus lectionis in codd. exstat vestigium; nec alibi auctor hac voce utitur. G.

II. 1. *Ita enim se Athenis collocavit.* Nescimus, unde vulgatus verborum ordo, *Athenis se*, profectus sit: nam nostri omnes, Vien. editique vett. omnes, ut dedimus. Nec aliter Davisius. At scribæ amant pronomen reciprocum verbo vicinum ponere; conveniitque contra loci sensum recepta a nobis series, quum in *ita* primaria vis sit. G.

2. *Ut id etiam cognomen videatur habiturus.* Nostrum quoque tres *cognomine*, sed vitiose; ediditque recte, quamquam tacite, exemplo Lambini, suasuque Davisii, Ernest. *cognomen*, binis illis nostris cum Crat. adstipulantibus. At in eo Lamb. non est audiendus, quum *qui id etiam*, etc. nec Davis. qui *et id etiam* suadet; sæpe enim sic *ut* auctori reperitur. G.

3. *Usu hoc evenire.* Ita, præter Spir. et Erl. qui *usu* ignorant, et *venire* exhibent, scripti omnes. Nec dubitamus, quin vox *usu* vel exciderit, vel ignorantia abjecta sit, quum talia addere scribarum non sit. At vero simplex verbum pro composito ad hæc contexta admodum placet. Nam bene tenenda est dictionum *usu venire*, et *usu evenire* diversitas. Illa enim tum ponitur, si, quæ accidunt, certis quibusdam conditionibus semper fere, et certa quadam ex regula *eveniunt*: quod secus est in verbo composito. Hoc summatim jam monuimus, alio loco accuratius exposituri; quum h. l. in hac scriptorum paucitate et ambiguitate corrigere parum liceat. G. — Jubet Brem. *usu hoc venire* scribi, laudans, quæ ad Cornel. Nep. Hannib. 12, 3, ed. 2, notavit, ubi dicendi formam *usu evenire* ne latinam quidem esse perhibet. Nobis jam quidem hoc unum quærere liceat, quum *more*, *sorte*, *casu evenire*, dicantur, quid causæ sit, cur *usu evenire* latinum esse nequeat? G. in Additam.

4. *Metapontum.* Oppidum a Pyliis conditum in sinu Tarentino, post bellum Trojanum. Postea a Samnitibus dirutum fuit: et nunc in eo loco quo constiterat, nihil superest, nisi antiqua turris, quam vocant *Torre di mare*.

5. *Nec ad hospitem ante devertisse.* Gœr. scribit *divertisse*, et *neque* pro *nec*. *Neque*, inquit, nostri om-

thagoræ ipsum illum locum, ubi vitam ediderat[6], sedemque viderim. Hoc autem tempore, etsi multa in omni parte Athenarum sunt in ipsis locis indicia summorum virorum: tamen ego illa moveor exedra[7]. Modo enim fuit Charmadas[8]: quem videre videor (est enim nota imago), a sedeque ipsa, tanti ingenii magnitudine[9] orbata, desiderari illam vocem puto. Tum Piso, Quoniam igitur aliquid omnes, quid Lucius noster, inquit? an eum locum libenter invisit, ubi Demosthenes et Æschines inter se decertare soliti sunt? suo enim quisque studio[10] maxime ducitur. Et ille, quum eru-

nes, Vien. Oxon. E. editique vett. plerique omnes. In his autem particulis ponendis scribæ fere aures suas corruptas sequuntur, ex regula illa vitiosa judicantes, qua *nec* ante vocalem requiri putatur. Pro *divertisse* autem nos nostra sponte *devertisse* scripsissemus, nisi cogitari posset, Ciceronem et Pisonem diversa hospitia Metaponti sequutos fuisse, atque ante quam digrederentur, hunc illius monitu istum ex Pythagoræ obitu celebratum locum adisse; de quo vide Menag. ad Diog. Laert. VIII, 40.

6. *Pythagoræ ipsum illum locum, ubi vitam ediderat*, i. e. finierat. Vide J. Fr. Gronov. ad A. Gellii III, 15. De re ipsa sic Justin. XX, 4: « Pythagoras autem, quum annos xx Crotonæ egisset, Metapontum migravit, ibique decessit ». Tam vero de loco, quam de modo, quo mortem Pythagoras obiit, varia tradunt auctores. Vide Menag. ad Laert. VIII, 40. DAV.

7. *Exedra*. Conf. Vitruv. V, cap. 11: « Constituuntur in porticibus exedræ spatiosæ, habentes sedes, in quibus philosophi, rhetores, reliquique, qui studiis delectantur, sedentes disputare possint ». Sunt haud dubie *exedræ* eædem fere, quæ *hemicyclia*, de quibus ad Legg. I, 3, 10 egimus: nisi sola magnitudine ab his differebant: certe æque semicirculi forma fuerunt. G.

8. *Charmadas*, et paucis post, § 6, *Charmada*, primus Valesius, Emendd. I, cap. 7, reposuit, scriptis libris, ut ubique solent, *Carneades* peccantibus; cf. Orat. I, 11, 45; II, 36, etc. G. — Cf. quoque Acadd. II, 6, 12 (nostr. ed. p. 257, not. 12).

9. *Tanti ingenii magnitudine*. Tres potiores nostri *tanta* servant, quod ante Davis. vulgatum est: quod licet per se defendi possit, tamen *tanti* firmatur optimorum editt. vett. auctoritate. Ceterum Charmadæ *ingenium* inprimis ex eloquentia laudari videtur, qua hic vir pollebat. Conf. Acadd. II, 6, 16, ubi *Charmadas* cum *Clitomacho* sic comparatur, ut hujus *ingenium* par illius *eloquentiæ* dicatur; conf. Orat. 16, 51. Divina præterea hominis memoria celebratur Tusc. I, 24, 59. G.

10. *Suo enim quisque studio*. Spir. et Erl. *unusquisque*. Quod hoc loco probari nequit, quum in *suo* enuntiati vis sit, et male ad aures sic accidat

buisset, Noli, inquit, ex me quærere, qui in Phalericum etiam descenderim : quo in loco ad fluctum aiunt declamare solitum Demosthenem, ut fremitum assuesceret voce vincere. Modo etiam paullum ad dexteram[11] de via declinavi, ut ad Periclis[12] sepulcrum accederem. Quamquam id quidem infinitum est in hac urbe : quacumque enim ingredimur, in aliquam historiam vestigium ponimus[13].

6 Tum Piso, Atqui, Cicero, inquit, ista studia, si ad imitandos summos viros spectant, ingeniosorum sunt; sin tantummodo ad indicia veteris memoriæ cognoscenda[14], curiosorum. Te autem hortamur omnes, currentem quidem[15], ut spero, ut eos, quos novisse vis, etiam imitari velis[16]. Hic ego, Etsi facit hic quidem, inquam, Piso (ut vides), ea, quæ præcipis : tamen mihi grata est hortatio tua[17]. Tum ille amicis-

oratio. Pariter peccatum est Tuscul. II, 3, 9, ubi recte nuper Wolf. ex *unaquaque*, *una* recidit. Alias quidem auctor in hac voce cum pondere addenda sibi placet. G.

11. *Ad dexteram*. Sic ex Erl. Gud. 1, Mars. pro *dextram* dedimus, quum hæc forma adjectivi, auctori familiaria, a scribis fere neglecta reperiatur. Causam puta compend. *dext'am*, quod h. l. Gud. 2 præbet. G.

12. *Periclis*. Peccat pro *Periclis* Gud. 2 *Pericii :* unde genit. *Pericli*, in nominibus græcis auctori usitatum, obliteratum suspiceris. Conf. supra II, 35, 116. Sic certe Orat. II, 23, 93 : « Omnes...retinebant illum Pericli succum ». G.

13. *In aliquam historiam vestig. ponimus*. Spir. et Erl. *aliqua historia :* quod nescio an sit rectius. *Historia* autem dicitur pro « loco memoria digno ». G.

14. *Cognoscenda* nostri omnes cum editorum veterum optimis; quod recta pro olim vulgato *cognoscendæ* ex 4 suis dedit Davisius. G.

15. *Currentem quidem*. Gud. 2 *curantem :* sed hoc ex græco illo proverbio dicitur τὸν τρέχοντα ὀτρύνειν. Conf. Erasm. Adag. edit. Gryn. pag. 594. Q. Fratr. II, epist. 14 : « Quare facis tu quidem fraterne, quod me hortaris, sed mehercule currentem nunc quidem ». G.

16. *Ut eos, quos novisse vis, etiam imitari velis*. Gud. 2 pro *eos*, *omnes* refert : utrumque forte ex glossemate accessit. Conf. Offic. II, 22, 12 : « Nam cui res erepta est, (is) est inimicus : cui data, (is) etiam dissimulat ». Deinde bini alii *imitari etiam velis*. Sed peccant ubique scribæ, si *etiam* ab enuntiati fronte pro *vel*, *adeo* dicitur. G.

17. *Tamen mihi grata est hortatio tua*. Offenderunt in hoc positu scribæ. Erl. *grata tua est hortatio*. Gud.

sime, ut solebat, Nos vero, inquit, omnes omnia ad hujus adolescentiam conferamus, in primisque ut aliquid suorum studiorum philosophiæ quoque impertiat, vel ut te imitetur, quem amat; vel ut illud ipsum, quod studet, facere possit ornatius. Sed utrum hortandus es nobis, Luci, inquit, an etiam tua sponte propensus es? Mihi quidem Antiochum, quem audis, satis belle videris attendere[18]. Tum ille timide, vel potius verecunde, Facio, inquit, equidem : sed audistine modo de Charmada? rapior illuc. Revocat autem Antiochus : nec est præterea, quem audiamus.

III. Tum Piso, Etsi hoc, inquit, fortasse non po- 7
terit sic abire[1], quum hic adsit (me autem dicebat), tamen audebo te ab hac academia nova ad veterem illam vocare; in qua, ut dicere Antiochum[2] audiebas,

2, Bas. Vien. *grata hortatio est tua.* Posterior ordo ejus generis foret, in quo notio primaria repetenda est. Pro Marcell. 8, 28 : « nec vero hæc tua vita ducenda (vita) est, quæ corpore et spiritu continetur ». Sed in talibus corruptæ scribarum aures judicant. Consulto autem *tua* cum vi clausulam facit. G.

18. *Satis belle videris attendere.* Bas. *velle :* quod etiam Gud. 1 in textu habet; sed superscriptum, ut vulgo. At scribæ in *belle*, quod ex auctoris deliciis est, ubique fere offendunt. G.

III. 1. *Hoc... non poterit sic abire.* Miscent scribæ editoresque vett. utpote in dicendi forma ipsis ignota; cf. Att. XIV, epist. 1 ; « ad summam, non posse isthæc sic abire ». *Sic* est ad græci οὕτως usum, « tam leviter, tam inulte ». Paullo post Spir. et Erl. *illam veterem :* quod nescio, an non sit præferendum, quum auctor rei personæve cum laude memorandæ pronomen hoc præmittere soleat. G.

2. *Ut dicere Antiochum audiebas.* Hæc quidem, ut omnino recentioris Academiæ, ita Antiochi maxime, et magis etiam ex quo hic ad veterem transisset, sententia erat, nihil ab antiqua Academia differre Peripateticos veteres, quos pressius ipse sequebatur; nec rebus, sed solis verbis dignosci (conf. Acadd. I, 4, 17); eorumque disciplinam duobus esse nominibus unam; ibid. § 18, cll. 6, 22. Et sane, si ultimos veteris Academiæ spectas, inprimisque Polemonem, ita illi sese, præ ceteris in ethicis, ad hos accinxerant, ut parum vel nihil admodum differrent. Inde maxime factum est, ut Antiochus utrosque, communi Academiæ nomine complecteretur; idemque faceret nonnumquam etiam Cicero. Vide nos ad Acadd. II, 44, 135, cll. Legg. I, 20, 53 : « vellem me arbitrum inter veterem Academiam et Zenonem datum »: ubi res arbitrio dirimenda Academiæ

non ii soli numerantur, qui academici vocantur, Speusippus[3], Xenocrates, Polemo, Crantor, ceterique[4], sed etiam peripatetici veteres, quorum princeps Aristoteles, quem, excepto Platone, haud scio an recte dixerim principem philosophorum. Ad eos igitur converte te, quæso. Ex eorum enim scriptis et institutis[5] quum omnis doctrina liberalis, omnis[6] historia, omnis sermo elegans sumi potest, tum varietas est tanta artium, ut nemo sine eo instrumento ad ullam

cum Peripato plane communis ponitur. Ex his plene defenditur locus a VV. DD. dudum male habitus Brut. 31, 120 : « Quod si omnia a philosophis essent petenda, (sic) Peripateticorum institutis commodius fingeretur oratio. Quo magis tuum, Brute, consilium probo, qui eorum, id est, ex vetere Academia philosophorum sectam secutus es ». Schütz. verba, *id est, ex vetere Academia*, sustulit, quum dudum ad uncos damnata essent. Perperam. Erat enim Brutus tutus Antiochius, quippe cujus fratrem audisset Acadd. I, 3, 12; atque inde veterem Academiam sequebatur, licet, Antiochi exemplo, cum Peripateticorum principibus staret. Hinc ib. infra, 40, 149 : « ut vestra, Brute, vetus Academia » dixit. G.

3. *Speusippus... Crantor*. Speusippus Atheniensis erat, a sorore Platonis ortus. Hujus opera, quamquam numero exigua, tribus talentis, id est, 16,200 fr. gallicæ monetæ Aristoteles emit. — Xenocrates Chalcedonius, rogante Alexandro, composuit librum de arte regnandi. — Polemo Xenocratis discipulus fuit et successor. — Crantor Platonis doctrinas magna vi defendit; de quo vide Acadd. II, 44, § 135.

4. *Ceterique*. Malimus *que* deletam, quæ toties a scribis sic intrudatur (cf. e. g. § 18), et h. l. auribus parum commendetur : sed hoc ea lege, si a codice aliquo abesse deprehendatur. Inferius deinde Gud. 2 *exempto* pro *excepto*. G.

5. *Scriptis et institutis*. Gud. 2 nescit *et institutis* : quod data opera omissum videtur, ignorante librario, qua vi diceretur. Differunt autem h. l. *instituta* a *scriptis* sic fere, ut Offic. I, 1, 1, eadem a *præceptis* distinguuntur : vide ibi M. Heusingerum. Similiter *disciplina et instituta alicujus* junguntur. Adde Brut. 31, 119 : « Quod si omnia a philosophis essent petenda, Peripateticorum institutis melius fingeretur oratio ». G.

6. *Omnis historia*. Super his Bremius hæc monet : Quamquam et philosophiæ et philosophorum laudes sæpissime a Cicerone celebrentur, et, quæ inde petenda sunt, commemorentur : nusquam tamen ipsum invenisse, *omnem historiam* inde sumendam esse, aut simile quid. At enim h. l. de *arte historica* sermo esse videtur, i. e. de ratione, qua recte et ornate historia scribenda sit : neque aliud his innui, quam Academicos et Peripateticos historiæ cujuscumque generis accurate scribendæ exemplo præivisse. G. in Additam.

rem illustriorem satis ornatus possit accedere. Ab his
oratores, ab his imperatores, ac rerum publicarum
principes exstiterunt. Ut ad minora veniam, mathe-
matici, poetæ, musici, medici denique ex hac, tam-
quam ex omnium artium officina[7], profecti sunt. Ad 8
quæ ego[8], Scis me, inquam, istud idem sentire, Piso:
sed a te opportune facta mentio est. Studet enim meus
audire[9] Cicero, quænam sit istius veteris, quam com-
memoras, academiæ de finibus bonorum, peripateti-
corumque sententia. Censemus autem te[10] facillime
id explanare posse, quod et Staseam[11] Neapolitanum
multos annos habueris apud te, et complures jam
menses Athenis hæc ipsa te ex Antiocho videmus[12]
exquirere. Et ille ridens, Age, age, inquit (satis enim
scite me nostri sermonis principium esse voluisti[13]),

7. *Ex hac, tamquam ex omnium artium officina*. Spir. et Erl. *ex* posteriorem ignorant. Quod tum probandum foret, si mutato ordine, *tamquam officina artium omnium* scriberetur. Sed frequentissime fit, ut repetita præpositio in scriptis desideretur. G.

8. *Ad quæ ego*. Gœr. scrib. *Atque ego*. Jam hoc, inquit Davis. ex Med. suo probat. Firmant idem Oxon. χ. et e nostris Spir. atque Erl. et supra IV, 23, 62. *Atque* eodem modo pravatam vidimus. Sæpissime autem Cicero verbis *Atque ego*, *Et ego*, ad responsionem transit. Recte etiam vidit Davis. verba *Ad quæ* sic fere refutantis reprehendentisque esse; quod huc nihil pertinet.

9. *Stud. enim meus audire Cicero*. Mavult Ern. *avet*: at non vidit vir egregius, *studet* adaucta vi ab enuntiati initio dici: ut taceamus, *studere* sæpe optandi vi auctori poni. De utroque vid. Oratt. Partt. ab init. «Studeo, mi pater, latine ex te audire ea, etc.» G.

10. *Censemus autem te*. Gœrenz transp. *te autem*. Ita, inquit, nostri omnes præter Erl. qui *te* post *facillime* rejecit; eodem errore haud dubie, quo vulgata idem post *autem* retraxit: offendunt enim scribæ in *autem* tertio loco posita; vide ad Legg. II, 7, 16.

11. *Staseam*. De Stasea, Peripatetico, conf. infra 25, 75, et Orat. I, 22, 104. G.

12. *Quod et... habueris apud te, et...videmus*. Gœr. scrib. *videamus*. Ita, inquit, necessario scribendum esse judicavimus auctoribus optimis Spir. et Erl. utque dudum ipsi in margine notaramus: nam *videmus* vulgatæ quomodo defendi possit, non assequimur. Subjunctivi autem a *quod*, *quoad* valente, pendent; vide ad Acadd. II, 20, 66.

13. *Satis enim scite..... voluisti* Quum Cicero fingeret se sola occa-

exponamus adolescenti, si qua forte possumus [14]. Dat enim id nobis solitudo. Quod si quis deus diceret, numquam putarem [15], me in Academia, tamquam philosophum, disputaturum. Sed ne, dum huic obsequor, vobis molestus sim. Mihi, inquam, qui te id ipsum rogavi? Tum Quintus et Pomponius quum idem se velle dixissent, Piso exorsus est. Cujus oratio, attende quæso, Brute, satisne videatur Antiochi complexa esse sententiam : quam tibi, qui fratrem ejus Aristum [16] frequenter audieris, maxime probatam existimo. Sic est igitur loquutus.

9 IV. Quantus ornatus in peripateticorum disciplina

sione (*a te opportune facta mentio est*) inductum, ad Pisonem rogandum ut loqueretur, Piso respondet Ciceronem ex proposito, non, ut videri vult, inscium hoc fecisse; quippe qui a Pisone sermonem incipi vellet.

14. *Si qua...possumus.* Gœr. scrib. *si quæ*. Hoc, inquit, iisdem binis nostris acceptum referimus, quum vulgatum *qua* vel ex ingenio corrigendum fuisset. Sæpius de *si quæ* monuimus; cf. v. c. Acadd. II, 48, 148. In quibus nunc acquiescimus, quum interius horum discrimen tum modo clare patebit, si omnia ista, quæ ad idem genus referuntur, *aliqui* et *aliquis; ecqui* et *ecquis; si qui* et *si quis*, *nescio qui*, et *nescio quis*, etc. ad certam regulæ normam revocata erunt : quod in hanc adnotationis brevitatem non cadit.—Int. numquam credidissem, etiam si hoc mihi deus quis prædixisset, fore ut aliquando in Academia tamquam philosophus disputarem.

15. *Quod si quis deus diceret, numquam putarem.* Offendit Ern. in imperfectis his, plusquamperfecta requirens. At talia exempla multa sunt. Conf. Tuscul. I, 37, 92 : « Cur igitur et Camillus doleret, si hæc... eventura putaret ». Cluent. 29, 78, quinque imperfecta superlativorum vice leguntur. Hoc nostro autem loco hæc imperfecta, cum ipso enuntiatorum positu, ab affectu dicentis pendent. Ceterum cuilibet attendenti sua sponte patet, esse hæc imperfecta optativorum græcorum loco, et locum ipsum suam ipsius conditionem admirantis : signum igitur exclamationis adjecimus. Ceterum hoc quoque loco *si qui deus* legendum esse suspicamur. Conf. Acadd. II, 7, 19 : « si optio naturæ nostræ detur, et ab ea deus aliqui requirat ». G.

16. *Fratrem ejus Aristum.* De Aristo Bruti magistro, vide Acadd. I, 3, 12 : « Nam Aristum (Brutus) Athenis audivit aliquamdiu, cujus tu (Varro) fratrem Antiochum ». Plutarchus in vita Bruti, pag. 984, e. hunc Bruti φίλον καὶ συμβιώτην vocat, eumque virum dicit τῇ μὲν ἐν λόγοις ἕξει πολλῶν φιλοσόφων λειπόμενον, εὐταξίᾳ δὲ καὶ πρᾳότητι τοῖς πρώτοις ἐνάμιλλον. Sed vulgo hic ibi cum Aristone confunditur. G.

sit, satis est a me, ut brevissime potui[1], paullo ante dictum. Sed est forma ejus disciplinæ, sicut fere ceterarum, triplex. Una pars est naturæ[2]; disserendi altera; vivendi tertia. Natura sic ab iis investigata est, ut nulla pars cælo, mari, terra, ut poetice loquar, prætermissa sit. Quin etiam, quum de rerum initiis, omnique mundo loquuti essent[3], ut multa non modo probabili argumentatione, sed etiam necessaria mathematicorum ratione concluderent: maximam materiam ex rebus per se investigatis[4] ad rerum occultarum cognitionem attulerunt. Persequutus est[5] Aristoteles animantium omnium ortus, victus, figuras. Theophrastus autem stirpium naturas[6], omniumque fere rerum, quæ e terra gignerentur, causas atque ratio-

IV. 1. *Ut brevissime potui.* Gœr. dat *potuit.* Melior est, inquit, et auctoris naui prorsus accommodata est lectio binorum hæc nostrorum optimorum. Divv. I, epist. 2, fin. « dignitatem nostram, ut potest in tanta hominum perfidia et iniquitate, retinebimus ». Cf. quæ collegit Fr. Heus. ad Offic. II, 79, 14, quo ipso loco nuperrime Gernhardus ex solo Gud. 1 recte *possit* dedit. Nos passim de hac verbi *posse* vi, qua *fieri posse* valet; cf. v. c. Acadd. I, 7, 29.

2. *Una pars est naturæ.* Nostri omnes, ut plerique aliorum, *natura;* quod ferri nequit. Recte igitur Lamb. primus, et deinde ex uno suo Davis. *naturæ* dedere, adjuvante, ut Ernest. vidit, Ven. 1494, et, quas nos addimus, Marsi et Crat. G.

3. *Omnique mundo loquuti essent, ut.* Ern. *ita* excidisse putat: immo potius verba *essent, ut,* tamquam ex glossemate nata dici poterant. Sed sæpe *ut* ponitur, ut *hoc consilio, ut* valeat; conf. Legg. II, 13, 33. Similiter pro *hac conditione, ut* Off. III, 10, 16: « Vas factus est alter ejus sistendi, ut, si ille non revertisset, moriendum esset ipsi ». *Omni mundo* est *omnino de mundo;* vide supra I, 19, 62. G.

4. *Rebus per se investigatis.* Notant, « rebus investigatis, quales per se, suapte ipsarum natura essent »; non quales sensibus, errori obnoxiis, apparerent. G.

5. *Persequutus est Aristoteles.* Desideratur *est* in tribus nostris: et sæpe sic post syllabam *us* verbi subst. in scriptis absentia nos offendit. Subiit inde animum nostrum opinio, pronuntiatum olim esse *persequutust':* inde certe librariorum, quibus in calamum dictabatur, aures prætervolare *est* facile poterat. Poetarum veterum auctoritas, qui, prout pronuntiabatur, scribebant, ut alia multa, huic suspicioni haud parum favere videtur. G.

6. *Stirpium naturas.* Bas. et Gud. 1 *naturam stirpium:* sed perperam. G.

nes; qua ex cognitione facilior facta est investigatio rerum occultissimarum. Disserendique ab iisdem non dialectice solum, sed etiam oratorie præcepta sunt tradita; ab Aristoteleque principe de singulis rebus in utramque partem dicendi exercitatio est instituta, ut non contra omnia semper, sicut Arcesilas, diceret, et tamen, ut in omnibus rebus, quidquid ex utraque
11 parte dici posset, expromeret. Quum autem tertia pars bene vivendi præcepta quæreret, ea quoque est ab iisdem [7] non solum ad privatæ vitæ rationem [8], sed etiam ad rerum publicarum rectionem relata. Omnium fere civitatum non Græciæ solum, sed etiam Barbariæ, ab Aristotele, mores, instituta, disciplinas; a Theophrasto leges etiam cognovimus. Quumque uterque [9] eorum docuisset, qualem in republica principem esse conveniret [10], pluribus præterea quum scripsisset [11], qui

7. *Ab iisdem*. Gœr. scribit *eisdem*. Ita, inquit, pro *iisdem* dedimus, jubentibus Gud. 2, Monac. Bas. et Marso: scribæ enim sic non mutant.

8. *Non solum ad privatæ vitæ rationem*. Non inepte ignorat Gud. 1 *rationem*: sic enim hæc ad *rectionem*, quod sequitur, referenda forent. Sæpe autem *regere vitam*, *naturam*, *semet ipsum*, auctori dicitur: ut etiam ita jungere voluisse videri possit. At causa sufficiens nulla est, unde vox ad contexta conveniens, ob ambiguam codicis, in omittendis vocibus nimii, auctoritatem elimetur. G.

9. *Quum uterque*. Ad hæc Brem. hanc scripsit legem: « Post *uterque*, si conjunctio aliqua sequatur, novam enuntiationem inchoans, ad quam ipsam hoc *uterque* non repetatur; ponendum esse pluralem verbi: hoc quidem loco eo magis necessarium quum Cicero pergat: *Hoc amplius Theophrastus* ». Qua quidem ex lege corrigi *scripsissent* jubet. G. in Addit.

10. *Qualem in republica principem esse conveniret*. Omnes nostri *esse* ignorant: quod ne mireris, vicinarum vocum compendia cogitanda sunt, *princip̄e eveniret*; et sic prorsus Gud. 2 refert. *Esse*, quod h. l. abesse nequit, Victorio debetur. Oxon. ψ. *esse* servasse videtur, quum modo reliqui quatuor id tenere negentur. G.

11. *Quum scripsisset*. Spir. et Erl. *conscripsisset*, quod utique probamus. Frequenter enim auctor *conscribere* pro simplici *scribere*: neque satis apta causa est in *quum* postposita. Iidem inferius non minus bene transponunt *rerum inclinationes*; sic enim oratio concinnior evadit. Conf. Legg. 1, 14, 40: « angore conscientiæ, fraudisque cruciatu »; Off. 1, 31, 7: « quod lenior eorum vita, et mores fuerant faciliores ». Hanc inversionis rationem, in oppositione potissimum usitatam, sæpe vidimus. G.

esset optimus reipublicæ status : hoc amplius Theophrastus[12], quæ essent in republica inclinationes rerum, et momenta temporum, quibus esset moderandum, utcumque res postularet. Vitæ autem degendæ ratio[13] maxime quidem illis placuit quieta, in contemplatione et cognitione posita rerum : quæ quia deorum erat vitæ simillima, sapiente visa est dignissima, atque his de rebus et splendida est eorum et illustris oratio.

V. De summo autem bono, quia duo genera libro- 12
rum sunt, unum populariter scriptum, quod ἐξωτερικὸν appellabant; alterum limatius, quod in commentariis reliquerunt[1] : non semper idem dicere videntur, nec

12. *Hoc amplius Theophrastus.* Legg. III. 6, 14 : « Theophrastus... habitavit, ut scitis, in eo genere rerum », i. e. *politicarum*. Magnum autem librorum ejus numerum recenset Diogen. Laert. VI, 45, ad res civiles spectantium. Ex quibus h. l. Cic. maxime quatuor illos Theophrasti libros innuere videtur, Πολιτικοὶ πρὸς τοὺς καιροὺς inscriptos. G.

13. *Vitæ autem degendæ ratio.* Crat. *eligendæ :* quod nescio an non sit præferendum : sæpissime certe *eligere* in *degere* mutari solet; et proprie Cic. « vitæ rationem, genus, eligere ». G.

V. 1. *Unum populariter scriptum ...alterum limatius, quod in commentariis rel.* Primum genus appellabatur ἐξωτερικόν· quod vulgares continebat disputationes, et quæ erant scriptæ negligentius, adque captum popularem accommodatæ; quodque omnibus legendum proponebatur. In iis autem libris prooemiis Aristoteles utebatur, ut ad Atticum scribit Cicero. Alterum genus ἀκροαματικόν, in quo philosophia remotior, subtiliorque tractabatur : id ad vulgi intelligentiam minime aptum erat. Priori generi exercendo vespertinum tempus, posteriori matutinum dabat : et quia utroque tempore ambulans disserebat, illum δειλινὸν περίπατον, hunc ἑωθινὸν nuncupabat. Quam rem latius Gellius, lib. XX, cap. 4, persequitur. Mon. — Cf. quoque Introd. Alcinoi ad Platonicam doctrinam, et Brucker. Hist. Philos. tom. I, p. 659, edit. 1742. J. V. L.—De duplici Aristotelicorum scriptorum, ἐξωτερικῶν et ἀκροαματικῶν, genere, præter alios, eleganter, ut solet, eruditeque egit nuper Wyttenbachius in epistola ad Heusdium, quæ hujus Specimini Critico in Platonem præmissa legitur, pag. 46, seqq. Laudat vir egregius Ammonii, Hermiæ filii, Comment. ad Aristotelis Categorias, pag. 4, qui scripta Aristotelis sic distinguit, « ut essent, vel συνταχτικὰ, id est, opera composita, descripta, absoluta ad editionem aliorumque cognitionem : vel ὑπομνηματικά (quæ latine dicantur commentariensia aut commentaria), quæ nondum ad editionem con-

in summa tamen ipsa aut varietas est ulla, apud hos quidem, quos nominavi, aut inter ipsos dissensio. Sed quum beata vita quæratur, idque sit unum, quod philosophia spectare et sequi debeat, sitne ea tota sita in potestate sapientis[2], an possit aut labefactari, aut eripi rebus adversis, in eo nonnumquam variari inter eos et dubitari videtur. Quod maxime efficit Theophrasti de beata vita liber : in quo multum admodum fortunæ datur[3]. Quod si ita se habeat, non possit

formata, tantummodo adversaria et materiam scribendi libri continerent ». Quæ si cum nostro loco compares, pro *limatius* legendum esse *illimatius* videbitur. Quæ suspicio augebitur, si *commentariorum* notionem naturamque tenueris, verboque *reliquerunt* negligentiæ sæpe vim adhærere intellexeris. At quantumvis speciosa sit hæc conjectura, veram tamen non putamus. *Limatius* enim auctor h. l. non de dicendi genere, sed de ipsa philosophandi ratione accepisse videtur. In popularibus enim scriptis crasso filo rationibusque ad communem captum accommodatis agendum est : at in vere philosophicis tenui filo subtili disputatione res pertexuntur; quod ipsum voce *limatius* expressum esse judicamus. Sæpe enim auctor similiter, v. c. Off. II, 10, 35 : « alia est illa, qua veritas ipsa limatur disputatione, subtilitas ». Conf. quæ notavimus ad Acadd. II, 20, 66 : « ad rationes has latiore specie, non ad tenue limatas » : ubi *ad tenue limatæ rationes* æque *subtiliorem philosophandi rationem* spectant. Adde quæ ad III, 12, 40 notavimus. Quod si ita est, de quo nihil dubitamus, *reliquerunt* indicabit, commentarios ab Aristot. et Theophr. non editos, sed post eorum mortem vulgatos. Hæc accuratius monuimus, ne locum istum aliquando emendandi pruritus sollicitaret. G.

2. *Sitne ea tota sita in potestate sapientis.* Gud. 2 *sita* ignorat. Et sane sæpissime, *esse in potestate alicujus*, dicitur; offendunt etiam aures nescio quid in *sit sita*. At altera ex parte, si reputaris, *sita in aliquo* dici, quæ naturæ alicujus consentanea, atque inde fixa stabiliaque sunt, optime hac voce oppositionem adjuvari, videbis; quumque hunc codicem toties verba temere omittentem intellexeris : nihil in vulgata mutandum statues. Conf. Acadd. II, 12, 37 : « quæ est in nostra potestate sita, reddenda assensio ». G.

3. *In quo multum admodum fortunæ datur.* De ista Theophrasti sententia nihil monet Tennemann, *Gesch. d. Philos.* tom. III, pag. 334, nisi hoc, eam non proxime cum Aristotelis sententia pugnare, quum sola virtute beatam vitam effici neget. At magnopere hæc ab illa magistri differebat. Aristoteles, cum Academicis, externa bona, eaque corporis, συμπληρωτικὰ τῆς κατὰ φύσιν τελειότητος, sed beatam vitam sine istis consistere posse, statuit, supra, IV, 18, 49. Quod si Antiochi Ascalonitæ verbis expresseris, *beatam* sine his concedebat, sed non *beatissimam*, infra

beatam præstare vitam sapientia. Hæc mihi videtur delicatior, ut dicam, molliorque ratio[4], quam virtutis vis gravitasque postulat. Quare teneamus Aristotelem, et ejus filium Nicomachum[5]: cujus accurate scripti de moribus libri, dicuntur illi quidem esse Aristotelis[6]; sed non video, cur non potuerit patri similis esse filius[7]. Theophrastum tamen adhibeamus ad pleraque, dummodo plus in virtute teneamus, quam ille tenuit, firmitatis et roboris. Simus igitur contenti his. 13
Namque horum posteri, meliores illi quidem, mea sententia, quam reliquarum philosophi disciplinarum,

24, 71. At Theophrastus, « cum fortuna adversa, cum dolore cruciatuque corporis conjungi beatam vitam nullo modo posse putavit ». Cf. infra 26, 75. Atque ita etiam reliqua loca capienda sunt Acadd. I, 9, 33; Tusc. V, 8, 24, 25. Hinc inde jure Acadd. I, 10, 35: « nervos virtutis incidisse », et constanter præceptis suis egisse dicitur, si illam sententiam laudasset, « vitam regi fortuna, non sapientia »; vid. Tusc. l. l. G.

4. *Hæc mihi ... ratio.* Intell. hæc opinio Theophrasti, secundum quam sapientia non potest vitam beatam præstare, non satis virtutis vi et gravitati concedere videtur.

5. *Et ejus filium Nicomachum.* Diog. Laertius in Eudoxi Cnidii vita videtur ejus opinionis et judicii fuisse, ut scripti de moribus libri Nicomacho tribuendi essent. Φησὶ δὲ αὐτὸν, inquit, Νικόμαχος ὁ Ἀριστοτέλους τὴν ἡδονὴν λέγειν τὸ ἀγαθόν. Ursinus. — Et Eudoxum quidem in ea fuisse sententia, ut voluptatem bonum putaret, legimus Ethic. Nicom. lib. X, cap. 2. Quum tamen, ut testatur Suidas, Nicomachus ἔγραψεν Ἠθικῶν βιϐλία ἕξ, non dubito quin Ἠθικὰ Νικομάχεια, quæ decem libris terminantur, sint Aristoteli tribuenda: fierique potest, ut quod ex Nicomacho laudat Diogenes, in ejus Ethicis revera scriptum fuerit. Qui vero contigerit, ut Tullius aliam foverit opinionem, docebit Menagius ad Laert. VIII, 88. Dav. — Hæc sententia, qua decem illi libri Moralium Nicomacho tribuuntur, vetus quidem esse, sed parum in se probabilitatis continere videtur. Ita enim omnia in his Aristotelem spirant, tantaque est et dictionis et explicationis cum reliquis Aristoteleis similitudo, ut eos ipsos Stagiritæ magis adscriptos malimus, quam reliquos ejusdem argumenti, qui eidem tribuuntur. In his nos facile acquiescimus. G.—Vide quæ disseruit de vero hujus libri auctore V. Doctiss. *Coray*, in suæ Aristoteleæ Moralis edit. Prolegomenis, quæ translata exhibuit Vir nobis amicissimus, *D. Thurot*, in gallica hujus libri versione, pag. LXXX.

6. *Aristotelis.* Præbet Erl. secundo casu *Aristoteli*: sed sic flectere hujus philosophi nomen, quod toties occurrit, auctorem nusquam vidimus, licet in aliis græcis tertiæ flexionis nominibus hanc veterem formam crebro usurpet. G.

7. *Patri similis esse filius.* Forte

sed ita degenerant[8], ut ipsi ex se nati esse videantur.
Primum Theophrasti Strato[9] physicum se voluit[10]. In
quo etsi est magnus, tamen nova pleraque, et per-
pauca de moribus. Hujus Lyco[11] et oratione locuples,
rebus ipsis jejunior. Concinnus deinde et elegans hujus
Aristo; sed ea, quæ desideratur a magno philosopho,
gravitas in eo non fuit[12]. Scripta sane et multa, et
polita; sed nescio quo pacto auctoritatem oratio non
14 habet. Prætereo multos, in his doctum hominem et
suavem Hieronymum: quem jam[13] cur peripateticum

scribi quis *patris* malit, quum Cicero secundum casum de interna similitudine ex regula ponat; neque nos valde repugnamus. Conf. Offic. I, 33, 11: « non tam potuit patris similis esse, quam ille fuerat sui ». G.

8. *Sed ita degenerant*. Ern. *degenerarunt*: ita nimirum proprie debebat. Neque quidquam facilius potuit, quam linea negligi, qua perfecta primæ conjugationis notantur. At potiores singulos recensurus, sic auctor *degenerant* dixit, ut *degenerare videtis* valeat: vel, si malis, perfecti græci vi, pro *degenerare cœperunt*, ut *desciseis* Acadd. I, 12, 43, etc. G.

9. *Theophrasti Strato*. Subaudi: *discipulus*, et sic in sequentibus. Strato, ut docet Diog. Laert. Lampsacenus erat, et filius Arcesilæ; sed certe non illius Arcesilæ qui mediæ Academiæ princeps fuit: nam, mortuo Theophrasto, in ejus locum et scholam successit. Præceptor fuit Ptolemæi Philadelphi. J. V. L.

10. *Physicum se voluit*. Gud. uterque post *se* addunt *esse*: quod verum judicamus; conf. quæ supra ad II, 32, 102 notavimus. Non tamen ausi sumus verbum substantivum recipere, quum, nisi plane fallimur, sine omni, quæ ad hanc dictionem faciat, diversitate legatur Philipp. IV, 3, 6: « Quæ (legiones) essent, si te consulem quam hostem maluissent, tuæ ». Ceterum breviter ea complexus est Plutarchus advers. Colot. pag. 1115, a. quæ Strato seorsim a magistro statuit: quem locum Philosophiæ historiæ scriptores latuisse dolemus. G.

11. *Hujus Lyco*. Incuriæ haud parvæ accusandus est h. l. Ernest. qui, Lambino Davisioque *Lyco* pro *Lysias* (quod diu vulgatum fuit) reponentibus, in vitio aperto tamen cæcutire maluit, quam verum agnoscere. Quum enim ii memorentur, qui succedente tempore Peripateticæ familiæ præfuerint, et inter *Stratonem*, ejusque discipulum *Lyconem*, nullus intercesserit: immo constanter ubique hic illius successor perhibeatur; conf. Laert. V, 58 et 65: convenit in eumdem etiam eloquentiæ laus, propter quam appellatus dicitur Γλύκων, ὅτι ἐν μὲν τῷ λέγειν γλυκύτατος ἦν. Conf. eumdem Laert. ibid. 66, qui in scribendo tamen hac virtute destitutum narrat. G. — *Et oratione*. Gœr. delet *et* ex libris suis. Davis. mutat in *est*.

12. *Gravitas in eo non fuit*. *Gravitas* est h. l. « diligentia in rationibus probandis, subtilitas ». G.

13. *Quem jam*. *Jam*, in qua nuper

appellem, nescio. Summum enim bonum exposuit[14], vacuitatem doloris. Qui autem de summo bono dissentit, de tota philosophiæ ratione dissentit. Critolaus imitari antiquos voluit[15]: et quidem est gravitate proximus, et redundat oratio. Attamen[16] is quidem in patriis institutis manet. Diodorus, ejus auditor, adjungit ad honestatem, vacuitatem doloris. Hic quoque suus est; de summoque bono dissentiens, dici vere peripateticus non potest. Antiquorum autem sententiam Antiochus noster mihi videtur persequi diligentissime: quam eamdem Aristotelis fuisse et Polemonis docet.

VI. Facit igitur Lucius noster prudenter, qui audire 15

offendi vidimus, eo referes, qood de summo bono agitur, in quo constituendo Hieronymos non erat Peripateticus: in ceteris eoim nibil differebat. G.

14. *Exposuit.* Suadet Brem. *esse posuit*, nullo jure.

15. *Critolaus imitari antiquos voluit.* Cum Pal. 4 consentit Gud. 2, *voluit* ignorans. Spir. et Erl. *voluit antiquos.* Sed illorum omissio ferri nequit (infinit. enim historicus, ut Grut. vuit, hue plane nibil facit): sed horum ordo placet, quom in v. *antiquos* (quippe qua a præcedd. distioguatur) loci vis sit. Atque ex ista transpositione factum videtur, ot *voluit* excideret. *Et quidem* est, *et sane*: recte igitur Ern. majore interpunctione distinxit. G.

16. *Attamen is quidem.* Brem. *ne* addita, *ne is quidem* corrigit. Loqui eoim Pisooem de recentioribus Peripateticis, qoi plus minusve a vera disciplina degenerarint. Inter eos Critolaum proximum quidem esse Veteribus, *attamen ne* eum *quidem* in patriis institutis manere. Et ipsum nexum, et particulam *attamen* emendatioois veritatem satis firmare. Speciose sane. At *antiqui* (quod paullo sup. *Crit. imitari antiquos*) et *patria instituta* non ad eosdem pertineot. Nec *imitari* tam ad philosophum Critolaum, quam ad hujus scribendi rationem referendum videtur: quo verba huic verbo proxime subjecta spectant, et *quidem...,oratio.* Videtur enim Critolaus ornatius scribendi genus, quod Peripatetici introduxerant, improbasse; quippe qoi rhetoricam artem ὡς κακοτεχνίαν μᾶλλον, ἢ τέχνην, rejiceret; conf. Sext. Empir. adv. Math. II, 12; atque eos antiquos scriptores imitatus esse, qui figoras illas dicendi, periodorum artem, et talia adhuc ignorabaot. Sic io *attamen* nihil offendas; nisi nobiscum *ac tamen* scribi malis; conf. infra 31, 94, et supra sæpius. G. in Additam. — *Patria instituta* sunt ea *Peripateticæ familiæ.* Ita *mos patrius Academiæ* dicitur Orat. I, 18, 84. Critolaum aotem in Peripatetica de finibos bonorum sententia perstitisse, patet ex ejos *libro.* Conf. Tusc. V, 17, 51. G.

de summo bono potissimum velit. Hoc enim constituto in philosophia, constituta sunt omnia [1]. Nam ceteris in rebus sive prætermissum, sive ignoratum est quippiam [2], non plus incommodi est, quam quanti quæque earum rerum est [3], in quibus neglectum est aliquid. Summum autem bonum si ignoretur, vivendi rationem ignorari necesse est : ex quo tantus error consequitur, ut quem in portum se recipiant, scire non possint. Cognitis autem rerum finibus, quum intelligitur, quid sit [4] et bonorum extremum, et malorum, inventa vitæ via est, conformatioque [5] omnium officiorum.

VI. 1. *Hoc enim constituto in philosophia, constituta sunt omnia.* Ex his verba, *in philosophia,* nobis de glossemate quam maxime suspecta sunt. Etsi enim auctor v. *philosophia* frequenter de « ethica, morumque doctrina », eximie ponit : tamen hoc ipsum h. l. non sine tædiosa redundantia additur. Pravus etiam eorumdem positus offendit, quum ante *constituto* poni debuissent : idque magis, quum idem verbum sequatur. Amat enim dicere auctor, « his explicatis, explicata sunt omnia; his autem intellectis, intelliguntur omnia, etc. » et omnino solet universe cum quadam ellipsi loqui, si *omnia* sic in sententiæ clausula ponitur, v. c. « in quo sunt omnia; quo referenda sunt omnia, etc. » Adde quod hæc quodammodo hyperbolice dicta, ex ipsorum natura brevitate sua maxime commendantur. Neque denique ista tamquam ἐπίμετρον enuntiato additum (qua de re supra sæpius), recte putabis : quippe quæ non explicent, sed potius ambiguitate sua langueant : neque quidquam profeceris, si ante ista virgulam traduxeris. G.

2. *Sive... sive ignoratum est quippiam.* Davis. pro *est* ex Eliensi *sit* dedit : at hoc vulgata multo deterius est. Nam bene Latini omnes ad *sive... sive* indicativum præferunt. Cluent. 44, 126 : « sive voluntas, sive opinio fuit », ubi recte Beck. § 200, *fuit* contra Ern. tuetur. Muren. 34, 72, « sive ambitio est, sive liberalitas, etc. » G.

3. *Quam quanti quæque earum rerum est. Rerum* non habet Erl. et haud dubie etiam sive Spir. sive Bas. nam in exemplari, ad quod collati sunt, v. *rerum* linea subnotata est. At sæpius vidimus post *earum*, *rerum* omissum. Cf. Off. II, 1, 2, amatque etiam Cic. v. *res* repetitam. Cf. Acadd. II, 4, 10. Sensus est, « incommodum ad singulas eas quasque res spectat, neque latius patet ». G.

4. *Quum intelligitur, quid sit.* Gœr. dat *quod sit.* Vitiose, inquit, vulgo *quid* scribitur : nam tum modo vitæ via inventa est, non si, *qualenam* summum bonum esse debeat, sed *quod* sit vere tale judicandum, intelligitur. Atque ita nos reponere jusserunt Spir. et Erl.

5. *Inv. vitæ v. est, conformatioque.* Gœr. addit *et* ante *vitæ* ex Spir. et Erl.

Est igitur, quo quidque referatur[6] : ex quo, id 16
quod omnes expetunt, beate vivendi ratio inveniri et comparari potest. Quod quoniam[7] in quo sit, magna dissensio est; Carneadea[8] nobis adhibenda divisio est, qua noster Antiochus libenter uti solet. Ille igitur vidit, non modo quot fuissent adhuc[9] philosophorum de summo bono, sed quot omnino esse possent sententiæ. Negabat igitur ullam esse artem, quæ ipsa a se proficisceretur[10]. Etenim semper illud extra est,

Non enim, inquit, scribæ videbant, per *et* ... *que* frequenter Ciceronem orationem jungere, ut sæpe vidimus. Inde etiam repetendum videtur, quod Mars. pro *que*, *et* refert. Idem quoque *vitæ* ignorat, quod nihil mirum esse debet, scribis *vitæ viam*, ut βίου ὁδὸν (cui dicendi rationi Cebetis Πίναξ ortum suum debet) de *vera vivendi ratione* dici, haud assequentibus. Cf. pro Flacc. 42, 105. Pro *conformatio* scribæ suo more *confirmatio* peccant. Similiter auctor *conformare mores* supra, IV, 2, 5 dicit.

6. *Quo quidque referatur*. Gœr. scribit *quodque*. Ita, inquit, bini illi nostri pro « unum quodque in vita agendum : » nam vulgatum *quidque* nimis vage ponitur.

7. *Quod quoniam*, ut *quod si* ponitur, pro « quod ad id attinet, quod quoniam »; vid. supra ad III, 18, 51. G.

8. *Carneadea*. Gœr. *Carneadia*. Ita, inquit, Spir. Erl. Bas. Crat. At Gud. uterque *Carneadeia*, quæ forma auctoris non est. Vulgatur *Carneadea*: sed vide nos ad Legg. II, 3, 7.—*Ille ig*. Recte vidit Dav. ex adjectivo *Carneadia* Carneadem hic intelligi debere.

9. *Quot fuissent adhuc philosophorum...sententiæ*. *Adhuc*, pro *hucusque*, ponitur, quam vim voci inesse, viri quidam Docti, nescio quo jure, negant; cf. inter sexcenta exempla supra Fin. III, 4, 12: « Quæ adhuc, Cato, a te dicta sunt, etc. »

10. *Negabat igitur ullam esse artem, quæ ipsa a se proficisceretur*. Carneades qui infenso in Stoicos fuit animo, quos semper studiosissime refellebat, ut in primis, quæ sunt secundum naturam, esse finem bonorum constitueret, negabat artem vivendi quæ est sapientia, in se conversam esse : quia ne id quidem fiat in ceteris artibus. Quod de aliis quidem artibus Stoici fatentur : sic enim aiunt, πᾶσα τέχνη καὶ δύναμις προηγουμένων τινῶν ἐστι θεωρητική. Sed addunt, ut ex eo genere sejungant sapientiam, i. e. artem vivendi, ὅταν μὲν μὴ ὁμοειδὴς τοῖς θεωρουμένοις καὶ αὐτή· alioqui ἀναγκαίως, inquiunt, καὶ αὐτῆς γίνεται θεωρητική : id est, nulla ars est, nullaque facultas, quæ non in rebus quibusdam antecedentibus versetur, ac spectetur : quod verum est, quando non est ea ejusdem generis sive formæ, cujus res illæ quas ipsa tuetur : alioqui, necessario ipsa in se converteretur, a seque proficisceretur. Quod si de effectionibus agatur, meminerimus quid lib. III dictum sit a Catone, sapientiam non foris petere extremum, id est, artis effectionem : eam enim et

quod arte comprehenditur. Nihil opus est exemplis hoc facere longius. Est enim perspicuum, nullam artem in se versari[11]; sed esse aliud artem ipsam, aliud quod propositum sit arti. Quoniam igitur[12], ut medicina valitudinis[13], navigationis gubernatio, sic vivendi ars est prudentia : necesse est, eam quoque ab alia
17 re[14] esse constitutam et profectam. Constitit autem fere inter omnes, id, in quo prudentia versaretur, et quod assequi vellet, aptum et accommodatum naturæ esse oportere, et tale, ut ipsum per se invitaret et alliceret appetitum animi[15]; quem ὁρμὴν Græci vocant.

animi magnitudinem complecti, et justitiam, et uno nomine omnes numeros virtutis continere : quod idem in ceteris artibus non fiat. Fatentur ergo id de reliquis artibus Stoici : de arte vivendi negant. Dum ergo progredietur, quasi hoc constituto, Carneades, docens in primis illis suis naturalibus versari; indeque constitui sapientiam; frustra ex minime concessis progreditur, si cum Stoicis agat. Peripatetici id libentissime amplectuntur, quibus in virtute satis esse causæ non videtur, ut beatam vitam efficiat. Omnes a recta via deflectentes, labuntur, ac in contentiosas incidunt disputationes, e quibus se non bene extricant. MORELLUS.

11. *Nullam artem in se versari.* Gœr. addit *ipsam* post *artem*. *Ipsam*, inquit, ex nostris omnibus, quibus consentiunt edd. vett. optimi quique, cum Davisio addidimus. Quod pronomen negligendum ab Ern. non erat, quum vulgo voce *artis* res ipsæ simul cogitentur, quas *ars* tractat; quumque vitandæ ejus ambiguitatis causa auctor consulto *ipsam* adjecerit. *Ipsam* autem est, « si per se ipsam spectes : » præcesserat « artem, quæ ipsa a se proficisceretur ».

12. *Quoniam igitur.* Firmant iidem nostri *igitur*, a Lamb. et Davis. ex suis repositum. Gud. 1, *ergo* ex compendio peccat. Vide bis restitutam supra Fin. II, 23, 76 et 77. G.

13. *Medicina val.* Bene confert Ursin. ad ista Ethic. ad Nicomach. l. c. 1 : ἰατρικῆς μὲν γὰρ ὑγίεια, ναυπηγικῆς δὲ πλοῖον. G.

14. *Ab alia re.* Gœr. edidit *aliqua*. Ita, inquit, ex Spir. et Erl. reduximus : nam vulgatum *alia* a scribis est, ubique hoc pronomen, si pro *alius* ponitur, obliterantibus. Vide quæ passim in superioribus voll. monuimus, v. c. ad Acadd. II, 10, 30.

15. *Appetitum animi; quem ὁρμὴν Græci vocant.* Ernest. quum accuratam latinitatem *quam* desiderare dicit, fallitur : valent enim verba hæc idem, ac si auctor dixisset, « impetum eum animi, quem, etc. » Minus vero etiam hic idem audiendus est, si *quem* abesse posse putat. Nam si ad similia loca provocat, parum attendit, quum non nisi in parenthesi sic dici et possit, et soleat. — Gœr. quamvis *appetitum* in textu habeat, *impetum* tamquam veram lect. in notis admittit, nulla allata causa, additque : *Impetum* hunc *animi*

Quid autem sit, quod ita moveat, itaque a natura in primo ortu appetatur, non constat, deque eo est inter philosophos, quum summum bonum exquiritur, omnis dissensio. Totius enim quæstionis ejus, quæ habetur de finibus bonorum et malorum, quum quæritur, in his quid sit extremum [16] et ultimum, fons reperiendus est, in quo sint [17] prima invitamenta naturæ. Quo invento, omnis ab eo, quasi capite, de summo bono et malo disputatio ducitur.

VII. Voluptatis alii primum appetitum putant, et primam depulsionem doloris; alii censent primum ascitum, doloris [1] vacuitatem, et primum declinatum,

alibi auctor *appetitionem animi* vocat; vide III, 7, 24, et paullo post *appetitum*.

16. *Quum quæritur, in his quid sit extremum et ultimum*. Gœr. hæc parenthesi includit, et pro *et* scribit *quid*. Bis, inquit, *quid* legitur in Spir. et Erl. modo quod hic *et* quoque addit. Cf. supra I, 9, 29: « Quærimus igitur, quid sit extremum, quid ultimum bonorum ». Sæpius etiam supra vidimus, a scribis huic *quid* vel *et* præmitti, vel idem in *et* mutari solere. Deinde verba hæc in parenthesi ponenda erant, ne Davisii ratio præplaceret, qui ipsa in glossemate numerat. Sed auctoris more explicandi causa adduntur, quum vox *finis* hoc sensu nove dicta Latinis esset. Cf. præter alia III, 7, 26.

17. *In quo sint*. Gœr. præbet *sunt*. Subjunctivi, inquit, ratio in his contextis nulla est. Immo asseveratio requiritur, quæ testetur, quod est; prima naturæ in quæstione de finibus, tamquam fonte, comprehendi. Secuti igitur Spir. et Erl. sumus, qui *sunt* præbent. Ceterum hæc idem valent, quod πρῶτα φύσεως; *comprehenduntur*.

VII. 1. *Primum ascitum, doloris vacuitatem*. Gœr. habet *pr. ascitum, non dolere*. Ita, inquit, ex eod. Ursini et P. Marso edendum putavimus, quum vulgo pro « non dolere, doloris vacuitatem » scribatur. Vulgatæ autem verba an ex ullo scripto hac serie profecta sint, valde dubium est. Nam in pluribus P. Manutii, 4 Gruterianis, 5 Oxoniensibus, multisque vett. edd. *dol. vac.* plane desiderantur, quum eadem in uno Pal. nostrisque omnibus ante *alii censent* collocentur. Debet aliquid offendisse librarios: nec dubii sumus, quin id sit in græco infinitivo quærendum, in quo toties alibi hærent. Noluit enim h. l. auctor v. *indolentia* uti, quam cum excusatione posuerat supra II, 3, 11. Sæpe vero idem sic, « non dolere, nihil dolere ». Cf. ibid. § 18, 19. Et infra § 19, de iisdem tribus, de *voluptate*, de *non dolendo*, et de *primis secundum naturam*; bis mentio injicitur. Dubitamus etiam, an recte *doloris vacuitas* dici *primum* ascitum possit: rectius certe, ut consequens ab *non dolere*, paucis post in *primis secundum naturam* numeratur. Quod nis

18 dolorem. Ab his alii, quæ prima secundum naturam nominant, proficiscuntur[2] : in quibus numerant incolumitatem, conservationemque omnium partium, valitudinem, sensus integros, doloris vacuitatem, vires, pulchritudinem, ceteraque[3] generis ejusdem : quorum similia sunt prima in animis, quasi virtutum igniculi et semina. Ex his tribus quum unum[4] aliquod sit, quo primum natura moveatur[5] vel ad appetendum, vel ad repellendum, nec quidquam omnino, præter hæc tria, possit esse : necesse est omnino officium aut fugiendi, aut sequendi, ad eorum aliquod referri[6]; ut illa prudentia, quam artem vitæ esse diximus[7], in earum trium rerum aliqua versetur, a[8] qua

est, cum Ernestio eædem hæ voces in seqq. jure tollentur, quum non simul in *primo ascito* et in *primis secundum naturam* poni possit. Quæ quidem reputantes, nos *non dolere* edidimus.

2. *Ab his alii, quæ prima secundum naturam nominant, proficiscuntur.* Hæc sine causa a Lamb. aliisque tentantur. *Ab his* refertur ad « primum ascitum et declinatum ; » et v. *alii*, h. l. quasi secundarii ascitus, qui sequuntur, intelliguntur. *Quæ* autem ex regula pro *quos* ponitur, quum in *primis secundum naturam*, non tam verba, quam res spectetur. Neque præferendum est, quod Crat. aliique quidam edd. vett. ordine mutato, *quæ alii*, referunt; nam πρῶτα κατὰ φύσιν, πρῶτα φύσεως, etc. philosophis græcis omnibus dicuntur. G.

3. *Ceteraque.* Gœr. simpliciter *cetera*. Sic, inquit, ex nostris omnibus reposuimus, quum *que* hæc, ut toties vidimus, ad collectiva adjectiva a scribis profecta sit.

4. *Unum aliquod.* Ignorat Gud. 1 *unum* : sed sine jure, quum Græcis ἕν τι pari cum abundantia quadam dicatur. G.

5. *Quo primum natura moveatur.* Tres nostri optimi cum binis Oxonn. *prima* referunt : sed ne quid inde extrices, non multo post eadem verba sine omni diversitate recurrunt. Scribæ non viderunt, « primum », « primo loco, prima vice » valere. G.

6. *Ad eorum aliquod referri.* Vulgatur *aliquid* : sed tacite jam Davisius rectius reposuit, idque firmant Spir. et Erl. G.

7. *Quam artem vitæ esse diximus.* Ignorant *esse* Gud. 1 et Bas. Licet utraque ratione h. l. uti. Sed si *esse* omiseris, simpliciter, ita superius § 16 dictum esse, monebitur : sin autem retinueris, simul assensus expressus erit, quod hoc dictum erat. Inde dubium non est, verbum subst. h. l. nullo modo sollicitari debere. G.

8. *A qua* valet, « ut ab hac trium rerum aliqua », et *ducat* scribitur, sic ut *prudentia* tamquam persona spectetur : ut sæpe auctor de animi facultatibus solet. Alias facili mutatione *ducatur* scripseris. Eadem ratione *sta-*

totius vitæ ducat exordium. Ex eo autem, quod sta- 19
tuerit esse, quo primum natura moveatur, exsistet etiam recti ratio[9] atque honesti, quæ cum uno aliquo[10] ex tribus illis congruere possit, ut [aut] id honestum sit[11], facere omnia aut voluptatis causa, etiamsi eam non consequare; aut non dolendi, etiamsi[12] id assequi nequeas; aut eorum, quæ secundum naturam, adipiscendi[13]. Ita fit, ut, quanta differentia est in principiis naturalibus, tanta sit in finibus bonorum malorumque dissimilitudo. Alii rursus iisdem a principiis omne officium referunt[14] aut ad voluptatem, aut ad

tuerit, quod sequitur, ad prudentiam refertur. G.

9. *Exsistet etiam recti ratio.* Gœr. transp. *recti etiam.* Hunc, inquit, meliorem positum Spirensi et Erl. debemus; vulgatus, *etiam recti*, inconciunus est, et marcet. Sic autem et *recti* bene distinguitur, et *etiam* consentanea loco ratione *insuper* valet.

10. *Cum uno aliquo.* Gœr. et hic transp. *aliquo uno.* Etiam hunc, inquit, ordinem illi vulgato, *cum uno aliquo*, auctoritate binorum illorum prætulimus. Præcedit quidem § 18, *unum aliquod*, sed recepta series ad hæc contexta melior est, quum *tribus* sequatur, quod supra antecedebat. Scribit autem auctor, *quivis unus* Brut. 93, 320; *quicumque unus* Brut. 59, 214; *nullus unus* Tusc. IV, 4, 7; *nemo unus* Provv. Css. 10, 25; *quis unus* Philipp. III, 3, 6. Et hac nostra quoque ratione sæpius. Orat. II, 75, 305: « quæ commoda sunt in aliquo judice uno, aut pluribus ». Ibid. 72, 292, « sive plura sunt, sive aliquod unum; » quo in loco auctor forte *unum* non postposuisset, nisi sic sententiæ clausulam occuparet.

11. *Ut aut id honestum sit.* Gœr. delet *aut id*, notatque: *aut* dudum a P. Manut. inde, interpretes improbarunt. Abest idem ab Oxonn. E. et V. Præter *aut*, *id* quoque Ernestio displicet. Atque revera, utraque particula a Gud. 1 et Bas. abest: nihil igitur cessantes molesta sustulimus.

12. *Etiamsi ... etiamsi.* Hæc rectius contracta voce scribuntur, valentque *etiam tum si*, ut sæpe. Scribæ quidem in hac duplici particula peccant, sed sic, ut sine ratione turbent. Repetitam vide etiam Off. I, 4, 9, ubi prave inter posteriorem *etiamsi* virgula distinguitur. G.

13. *Quæ secundum naturam, adipiscendi.* Gœr. *quæ secundum naturam sunt, adipiscendi. Sunt*, inquit, addidimus ex Spir. Erl. Ven. 1494, et Crat. eratque idem vel proprio Marte addendum, quum in his textis abesset nequeat. *Sunt* videtur a scribis male ad *adipiscendi* relatum, atque quum huic id applicare non possent, deinde deletum esse. Bas. certe *adipiscendi sunt.*

14. *Alii rursus iisdem a principiis ... off. ref. aut ad*, etc. Junctos fines bonorum exposuerunt nonnulli: alii ad voluptatem virtutem adjungentes, alii ad doloris vacuitatem; alii ad prima naturæ: quæ Varroni, ut ait

non dolendum, aut ad prima illa secundum naturam obtinenda.

20 Expositis jam igitur[15] sex de summo bono sententiis, trium proximarum hi principes: voluptatis, Aristippus; non dolendi, Hieronymus; fruendi rebus iis, quas primas secundum naturam esse diximus, Carneades, non ille quidem auctor, sed defensor disserendi causa fuit. Superiores tres erant, quæ esse possent: quarum est una sola defensa[16], eaque vehementer. Nam voluptatis causa facere omnia, quum, etiamsi nihil consequamur, tamen[17] ipsum illud consilium ita faciendi, per se expetendum, et honestum, et solum bonum sit, nemo dicit. Ne vitationem quidem doloris ipsam per se quisquam in rebus expetendis putavit, ne si etiam evitare posset[18]. At vero facere omnia, ut

Augustinus, primigenia nominabantur. Varro autem longiùs has producebat sententias. Aut enim quum ad voluptatem accedit virtus, ita accedere potest, ut præferatur, aut ut postponatur, aut ut juncta æquetur: ita tres exsistent sententiæ. Præterea ex adjunctione ejusdem virtutis cum primigeniis illis aliæ tres: et si conferatur quoque cum Epicuri voluptate, tres insuper emergent: quæ omnes in duodenarium numerum sententiarum excurrunt. Cicero eas enumerat non quæ esse potuerunt, quod Varro facit: sed simpliciter quæ fuerunt, defensoresque invenerunt inter alicujus nominis philosophos. Moss. — *Referunt.* Sp. Erl. Gud. 1, Bas. cum Ven. 1494, *referent*, Gud. 2 et E. *referrent*. Futurum h. l. admitti vix potest: mirum tamen, unde hæc varietas. G.

15. *Expositis jam igitur.* Quatuor nostri et Crat. *igitur jam*. At Oxonn. V. *igitur* ignorat: quod placet, quum auctor nondum plene colligat. Inferius hoc fit § 20: « Sed igitur hæ sunt simplices . . . sententiæ ».

16. *Una sola defensa. Sola* nesciunt Mars. Crat. cum aliis: sed defenditur ex græcismo, εἷς μόνος. Cf. Suarz. ad Tursell. p. 926. G.

17. *Quum . . . tamen.* Deceptus Davis. quum harum particularum relationem non videret, ex qua *quum*, *licet* valet, hujus vice *ut* corrigit, quum potius, si opus esset, *quo* suadendum fuisset. G.

18. *Ne si etiam evitare posset.* Ern. corrigendum *evitari* putat: propensior tamen in lectionem *evenire*, quam Eliensis præbet, receptam a Davisio. At nihil frigidius h. l. quam *evenire* dixeris. Vulgatum facile ita tueri liceat, ut ex *quisquam*, quod præcedit, *aliquis* cogites, quum hoc pronomen haud raro ad v. *posse* intelligatur. Cf. supra II, 7, 22. Sed suspicamur, et *evitare*, et *evenire*, ex glossa accessisse, quum sensum probum librarii hunc non viderent, « ne tum quidem,

adipiscamur quæ secundum naturam sint[19], etiamsi[20] ea non assequamur, id esse et honestum, et solum per se expetendum, et solum bonum stoici dicunt.

VIII. Sex igitur hæ sunt simplices de summa bo- 21
norum[1] malorumque sententiæ : duæ sine patrono, quatuor defensæ. Junctæ autem et duplices expositiones summi boni, tres omnino fuerunt : nec vero plures, si penitus rerum naturam videas, esse potuerunt. Nam aut voluptas adjungi potest ad honestatem, ut Calliphoni[2] Dinomachoque placuit; aut doloris vacuitas, ut Diodoro; aut prima naturæ, ut antiquis, quos eosdem academicos et peripateticos nominamus. Sed quoniam non possunt omnia simul dici, hæc in præsentia nota esse debebunt, voluptatem semovendam esse : quando ad majora quædam, ut jam apparebit, nati sumus. De vacuitate doloris eadem fere dici solent, quæ de voluptate. [Quoniam igitur[3] et de voluptate cum Torquato, et de honestate, in qua

si vel vitationem putare in rebus expetendis quisquam posset ». Sic enim belle Cic. dixerit, « absurdum esse, si vel putare quis velit, dolorem vitari posse ». Ceterum post *ne quidem*, *ne simplicem ex regula sequi*, alibi vidimus. G. — Hæc Brem. sic corrigit : « nisi etiam evitare posset ». Ceterum illa glossatoris esse suspicatur. Gœr. in Additam.

19. *Quæ sec. nat. sint*. Gœr. *sunt*. Ita, inquit, rectius Spir. et Erl. *sunt* : quod inter hos conjunctivos in *sint* mutatum nihil miraberis, quum scribæ in hujusmodi contextis ubique fere peccent.

20. *Etiamsi*. Ex 7 suis Davis. *etsi* : quod etiam Oxonn. E. ξ. tres nostri, et edd. vett. plures referunt. At quum eadem forma dicendi ter eodem hoc capite antecesserit, hoc etiam loco sic scribere auctorem voluisse, admodum probabile est. Bini potiores nostri *etiamsi* tuentur. G.

VIII. 1. *Summa bonorum*. Ita dedit Davis. e tribus suis, idemque ex nostris Spir. Gud. 2, Bas. Mars. Crat. aliæ præbent. Vulgata olim *summo* erat, ut reliqui nostri præbent. Similiter auctori « rerum, generum, cogitationum summa », et, ut recte laudat Davis. Acadd. II, 42, 129, « et bonorum et malorum summa », ponitur. G.

2. *Calliphoni*. Scripti editique omnes, *Calliphoni*, quum supra II, 11, 35, *Calliphontis* edendum fuisset, ubi nos sis vide. G.

3. *Quoniam igitur ..... vacuitatem doloris*. Hæc nos cum Gœr. et Schütz. uncis inclusimus tamquam hic aliena. Mirum, inquit Gœr. hæc unde huc in contexta migrarint. Esse enim hæc

una omne bonum poneretur, cum Catone disputatum: primum, quæ contra voluptatem dicta sunt, eadem
22 fere cadunt contra vacuitatem doloris.] Nec vero alia sunt quærenda contra Carneadeam[4] illam sententiam. Quocumque enim modo summum bonum sic exponitur, ut id vacet honestate : nec officia, nec virtutes in ea ratione, nec amicitiæ constare possunt. Conjunctio autem cum honestate vel voluptatis, vel non

a textis aliena, ita dubitari plane nequit, ut potius mirum sit, neminem VV. DD. ante Nissen. in istis hæsisse. Nam si vel hoc nihil moveat, auctorem ex persona Pisonis, quam induerat, excidisse, eorumque, quæ superioribus libris plus quam viginti annis post finxerat, tamquam dudum accidissent, mentionem injecisse; quippe quod aliis ejus exemplis excusari possit : restant alia graviora, quæ excusari nequeant. Ac primo quidem intempestiva Stoicæ sententiæ commemoratio, quum inferius, et ex ordine, a verbis, *Restant Stoici*, ad eam respiciatur. Deinde eadem res iisdem verbis misere repetita, « de vacuitate dol. . . . quæ de voluptate », et, « quæ de volupt. ... vacuitatem doloris : » denique *primum* illud, quod per se nihil est, nisi ad hæc supervacanea *alterum* aliquod, æque supervacaneum, de Stoicis judicium excidisse statues. Cf. præterea § 22. Ista autem non a sciolo aliquo, sed ab auctore ipso profecta esse, inde probabile est, quod, si unam, de qua ambigitur, vocem exceperis *cadunt contra* (pro qua conjic. *quadrant*, *valent*, *stabunt contra*), reliqua ex intima auctoris latinitate hausta videantur. Ut tamen nostram quamdam suspicionem addamus, unde, et quo modo, hæc verba adscripta putemus, recordandum est, quæ de duplici hujus quinti libri editione in Prolegomenis diximus. Videntur enim utriusque editionis diversa exemplaria olim exstitisse, et scribam aliquem hæc, sed manca, et curtata, quum reliqua alio filo pergerent, exemplo aliquo prioris editionis collato, adscripsisse, ubi ista cum ἀναχρονισμοῦ vitio legebantur; deleta posterius ab auctore, et sic mutata, ut nunc quidem, exceptis iis, quæ ad uncos damnavimus, leguntur. G. — Hæc Brem. quoque in prorsus delendis numerat. — Certe Cicero, quum illa scriberet, oblitus erat, non se, sed Pisonem loqui, inquit Muretus, Var. Lect. XIV, 20. Sed videtur Muretus ipse oblivisci, qui sit mos Dialogorum. Vide A. Schotti Tull. Quæst. IV, 5. Oliv. — J. V. *Leclerc* notat eumdem hic esse ἀναχρονισμόν, quem hujus libri init. notavimus, et errorem, cum Anglo *Middleton*, nimis multis negotiis, quæ tum suscipiebat Cicero, tribuit. Præterea conjicit hæc esse scriptam ab auctore notam qua lector in sequenda disputatione adjuvaretur : quæ nota, ut sæpe fit apud Veteres, textui fuit inserta. — *Quoniam*. Davis. et Gœr. *quando* ex codd.

4. *Carneadeam*. Gœr. *Carneadiam*. Ita, inquit, Spir. et Erl. præbent. Gud. 2 *Carneadem*, Oxonn. χ. *Carneadam* : ut videas librarios hæsisse.

dolendi, id ipsum honestum, quod amplecti vult, efficit turpe[5]. Ad eas enim res referre quæ agas, quarum una, si quis malo careat, in summo eum bono dicat esse[6]; altera versetur in levissima parte naturæ, obscurantis est omnem splendorem honestatis, ne dicam inquinantis. Restant stoici, qui quum a peripateticis et academicis omnia transtulissent, nominibus aliis easdem res sequuti sunt[7]. Hos contra singulos dici est melius[8]. Sed nunc, quod agimus : de illis, quum volemus. Democriti autem securitas, quæ est animi 23
tamquam tranquillitas, quam appellant[9] εὐθυμίαν, eo

5. *Efficit turpe.* Spir. Erl. repetito pronomine, *id efficit turpe :* sed ex certa glossa. Cum vi enim sic *turpe* auctor in clausula posuit, ut sensus esset, « efficit sane, ut turpe sit ». G.

6. *Quarum una, si quis malo careat, in summo eum bono dicat esse.* Offendimur in *dicat :* nam quomodo *res dicat*, nisi durissima προσωποποιΐᾳ ? Ad Carneadem autem dicat relatum velle, item non, nisi coacte licet. Amplectimur potius Gud. 2 lectionem *dicas*, quod bene cum *agas* quadrat, hoc sensu : « propter quarum unam, quicumque malo careat, eum in summo statim bono esse dicas ». Ablativum autem omisso *propter* poni, et *si quis* sæpe *quicumque* valere, abunde in superioribus notatum est. G.

7. *Easdem res sequuti sunt.* Erl. *consequuti ;* sic tamen, ut *con* deletum sit. Ac sæpe scribæ *con* in *consequi* delent, nescii, hoc pro *consectari* poni. Cf. Legg. II, 7, 18. Non male autem verbum compositum ad *omnia* convenerit. Sed simplex haud minus probum est. G.

8. *Hos contra singulos dici est melius.* Gud. 2 *esse*, Bas. *esset ;* quæ nihil sunt : sed forte *est* a scriba aliquo accessit ; quippe quod in asseverantis oratione omitti soleat : idque maxime, si in adjectivis loci vis est. Off. II, 9, 17, « tamen hæc in posterum gratiora, etc. » Ceterum ex his simul verbis apparet, illa, quæ supra § 2 cancellis inclusimus, ad illa contexta inepte accessisse, quum his verbis aperte auctor hoc agat, ut ex Pisonis persona loquatur. Quod fieri non poterat, si illa eumdem loqui fecisset. G.

9. *Quam appellant.* Gœr. scribit : *quam appellavit.* Hoc, inquit, ex Spir. Gud. 2, et Mars. *appellavit* recepimus. Davis. *appellat* suadet, laudans infra 29, 87 : « id enim ille (Democritus) summum bonum, εὐθυμίαν et sæpe ἀθαμβίαν appellat ». Recte et hoc quidem, et, si scriptorem spectas, adeo melius : sed in præsenti necessitas nulla est, ut scriptorum librorum fides deseratur ; cf. supra III, 15, 51 : *Zeno προηγμένον... nominavit*, etc. Vulgatum *appellant* ferendum non est : nam si vel Græcos intellexeris, tamen mire sic auctor negligenterque scripsisset. De εὐθυμίᾳ Democriti infra l. l. agemus.

separanda fuit ab hac disputatione, quia ista animi tranquillitas, ea ipsa est beata vita[10]. Quærimus autem, non quæ sit, sed unde sit[11]. Jam explosæ ejectæque sententiæ Pyrrhonis, Aristonis, Herilli, quod in hunc orbem, quem circumscripsimus, incidere non possunt, adhibendæ omnino non fuerunt. Nam quum omnis hæc quæstio de finibus, et quasi de extremis bonorum et malorum, ab eo proficiscatur, quod dicimus naturæ esse aptum et accommodatum, quodque ipsum per se primum appetatur: hoc totum et ii tollunt, qui in rebus iis, in quibus nihil[12], quod aut honestum, aut turpe sit, negant esse ullam causam, cur aliud alii anteponatur, nec inter eas res quidquam omnino putant interesse; et Herillus[13], si ita sensit, nihil esse bonum, præter scientiam, omnem consilii capiendi causam, inventionemque officii sustulit. Sic, exclusis sententiis reliquorum, quum præterea nulla esse possit, hæc antiquorum valeat necesse est.

IX. Ergo instituto veterum, quo etiam stoici utun-

10. *Ea ipsa est beata vita*. Gœr. delet *ea*. Hoc, inqoit, ferri nequit. Nam etsi quidem auctor ioterdum prooomina doplicat, tamen hic ejos mos non valet. Accedit, qood, *ea* deleto, *ipsa* cum poodere loco admodum accommodato pooitur. Sequuti igitur Bas. sumus, qui solus sic præbet. Mars. et Crat. *ea* qooque nesciunt, sed ordine minus commodo *est ipsa* præbent. Aote *ipse* autem a scribis *is* addi solere, sæpe ootavimus. Ven. 1494, *ipsa est ea vita b.* unde facilios etiam, *ea* παρέλκειν, patet. Davis. coojicit *re ipsa est v. b.* Per se non male, sed sine uecessitate.

11. *Non quæ sit, sed unde sit.* Vis hæc est: « oon quærimus de vita beata ipsa, sed de summo bono, a quo pendet: » nam « nisi stabili et fixo permanente bono, beatus esse oemo potest ». Tusc. V, 14, 40. G.

12. *In quibus nihil, quod aut honestum, aut turpe sit, negant.* Ioter *quod aut* scripti plerique referuot *non*, quod recte Lamb. ex duobus suis, et Davis. ex uno Paris. sustoleruot: ignoraot item oegationem præter Oxono. E. et V. Spir. qooqoe atque Erl. neque ullo modo defendi esse licet. Ne tamen vel sic hæreas, post *nihil* ex seqq. *sit* cogitandum: hoc enim qoum Lamb. non vidisset, *quod* etiam delevit. G.

13. *Et Herillus. Et* valet hic *et insuper*. G.

tur, hinc capiamus exordium. Omne animal se ipsum 24
diligit, ac simul ut ortum est[1], id agit, ut se conservet[2], quod hic ei primus ad omnem vitam tuendam appetitus a natura datur, se ut conservet[3], atque ita sit affectum, ut optime secundum naturam affectum esse possit[4]. Hanc initio constitutionem[5] confusam

IX. 1. *Ac simul ut ortum est.* Gœr. scribit : *simul et ort.* Ita, inquit, Palatt. omnes, Davisiani 6, nostri 5, cum Marso, Crat. ediditque sic Victorius. Lamb. *ac simul ut* corrigit, quem tacite sequuti sunt Gronovius et Ern. reponente Victorii sui exemplo veram lectionem Grutero. Davis. rectius agnoscens, tamen olim vulgatum, *et simul ac*, retinet.

2. *Id agit, ut se conservet.* Gud. 1 *se ut* refert ; quam seriem recepit Davis. incertum, utrum suis quibusdam commotus, an quod eadem ipsa in proximis, quæ deleta vult, deprehendatur. Nos quidem sic transposita h. l. non probamus : nam vis ista, quam tum *se* accipit, pro contextorum natura, nimia est. In seqq. *se* rectissime præmittitur. G.

3. *Quod hic ei primus ... se ut conservet.* Hæc Gœr. parenthesi inclusit. Hæc, inquit, ut extrinsecus addita, Davis. ad uncos abjecit, eademque Ern. ex seqq. huc tracta existimat. At non viderunt hi VV. DD. hæc si ex contextis tollantur, nihil relinqui, quo referantur inferius posita, « quam ob causam habet eum, quem diximus, animi appetitum : » nam nusquam nisi hoc in loco *appetitus* mentio præcessit. At parenthesis signa bis necessario addenda erant : voluit enim auctor statim ab initio ὡς ἐν παρόδῳ notatum, hunc sui conservandi impetum omnium primum (*erster Grundtrieb*) esse. Neque separatim vv. *se ut conservet* scribis tribuas : hæc enim si auctor abesse voluisset, *qui ei primus*, etc. scriberet. Dixit autem « quod hic ei primus », ut omnis vis in *se ut conservet* colligeretur. *Omnem vitam*, in quo Davis. hæret, est « vitam ab omni parte », ut sæpe.

4. *Atque ita sit affectum, ut optime secundum naturam affectum esse possit.* Hæc verba Bremius obelo digna judicat. Non enim animal, simul ut ortum sit, id agere, ut ita sit affectum, quemadmodum optime secundum naturam affectum esse possit. Id fieri demum procedente tempore, quum viribus sive animi sive corporis utatur. Sequentia satis id demonstrare, et inprimis ea, quæ legantur cap. 15. — At, quantum nos quidem sentimus, ipse hic locus, auctoris ista, non interpolatoris esse, confirmare videtur. Nam § 24 et seqq. docetur, quomodo *parvi* sensim sensimque magis *id agant*, *ut* ita sint affecti, prout optime affecti esse *possint*. Verba autem *id agit, ut* nisum modo ad rem indicant, qui nec in infantibus cessat, modo quod initio *confusus* est, et incertus, atque ad sui modo conservationem tendit. Neque *possit* prætereundum est, quod ad sententiæ vim cogitato additum est. Sed vix Vir Doctissimus de loci veritate dubitasset, nisi parenthesis signa in vulgata desiderarentur. Ceterum idem recte, ut plane ex Ciceronis more dicta tuetur, quæ Davis. ad uncos damnarat. G. in Additam.

5. *Hanc initio constitutionem.* Spir. Erl. et Cratandr. in marg. *institutio-*

habet et incertam, ut tantummodo se tueatur[6], qualecumque sit. Sed nec quid sit, nec quid possit, nec quid ipsius natura sit, intelligit. Quum autem processit paullum, et quatenus quidquid se attingat, ad seque pertineat, perspicere cœpit, tum sensim incipit progredi, seseque agnoscere, et intelligere, quam ob causam habeat[7] eum, quem diximus, animi appetitum; cœptatque et ea, quæ naturæ apta sentit[8], appetere, et propulsare contraria. Ergo omni animali illud, quod appetit, positum est in eo, quod naturæ est accommodatum. Ita finis bonorum exsistit, secundum naturam vivere, sic affectum, ut optime affici possit[9], ad naturamque accommodatissime. Quoniam autem sua cujusque animantis natura est, necesse est quoque finem omnium hunc esse[10], ut natura ex-

nem præbent; quod contemnendum non est, ut supra vidimus et infra 13, 32, videbimus. Nos tamen auribus hoc dedimus, quod non sic correximus. G.

6. *Se tueatur, qualecumque sit.* Cogitandum est: in animante nempe recens nato; in quo quidquid virium inest, δυνάμει est, ut cum Aristotele loquamur, non ἐνεργείᾳ. G.

7. *Habeat.* Gœr. dat *habet*, notatque: Lamb. Davis. Ern. correxerant *habeat*, scriptis editisque vulgatum modum defendentibus. Sed vide quæ de hoc indicativo in indefinita interrogatione monuimus IV, 24, 67. — Olivet. dat *habeat*.

8. *Cœptatque . . . quæ naturæ apta sentit.* Gœr. transponit *sentit apta*, observatque: In frequentativo hærent scribæ, ut solent. Gud. 2, *captat*, Bas. *capiat*, Ven. 1494, *tentat*. Est autem *cœptat*, quum *incipit* præcedat, « magis magisque incipit ». Vulgatæ autem positum *apta sentit*, nostrorum consensus omnium, editi veteres optimi quique, et Davisii tacita, sed haud dubie scriptis ipsis nisa auctoritas, relinquere coegit.

9. *Ut optime affici possit.* Errat Ern. quum *possis* malit: cogitandum enim ex prægressis, *omne animal.* Estque hic finis omni animali, quod appetitu præditum est, communis; sed hoc discrimine, ut, quod ratione destitutum est, instinctu ad finem istum feratur. G.

10. *Necesse est quoque, finem omnium hunc esse.* Gœr. transponit: *necesse est, finem quoque omnium h. e.* Hanc, inquit, meliorem ordinem præbent Spir. Erl. et Crat. Eumdem positum suopte ingenii acumine assecutus est Reiz, qui ita in margine exemplaris sui scribi jusserit. Offendisse in hoc positu librarios patet: nam Bas. et Mara. « necesse est quoque omnium fin. » Ven. 1494, *quoque* ignorat: et item *omnium finem*. Sed ut sententia loci vim magis in *finem*,

pleatur[11]. Nihil enim prohibet, quædam esse et inter se animalibus reliquis, et cum bestiis homini communia, quoniam omnium est natura communis. Sed extrema illa et summa, quæ quærimus, inter animalium genera distincta et dispertita sunt, et sua cuique propria, et ad id apta, quod cujusque natura[12] desiderat.
Quare quum dicimus, omnibus animalibus extremum 26
esse, secundum naturam vivere; non ita accipiendum est, quasi dicamus, unum esse omnium extremum.

quam *omnium* desiderat, ita nus anrium, et verborum collocatiunis causa receptam malumus, certo persuasi, auctorem, si part. addere noluisset, scripturum fuisse « necesse est esse finem omnium houc : » idqoe magis, qoum vv. *necesse est esse* compuoere amet. Vide nus supra ad Fin. IV, 28, 77. Ceterum euuntiati præcedentia pondus io clausula *natura est* pusitum esse, beoe teuendum est, ne iu luci sententia hæreas.

11. *Ut natura expleatur.* Brem. his *sua* addi jubet : Id enim probare euuntiatioois initium, « Quoniam autem sua cujusque animautis uatora est, etc. » Quæque sequautur, « quoniam omnium est natura communis », ea nisi supposita siut, certe parum esse subtilia. Meliusque infra § 26, « et tameu in omnibos summa cummonis ». — Iu loco priore nos quoque hæsimus, sed in eo acquievimus, quod putabamus (ut etiamuunc facimos), ex prægressis vv. *sua* et *omnium*, facile *sua cujusque* intelligi : sic enim infra : « quud cujusque natura desideret », æque *sua* ex 'proximis cogitaudum est, haud vero addendum. Jam quidem hoc addimus, simplex *sua* additum vix recte, nisi etiam, propter præced. *omnium*, *eujusque* addatur. Contenti igitur cum vulgata sumus. Verbis autem, *quoniam ... communis*, vix recte νοθείας suspiciu adhærebit, quum et optimo positu inter se juncta reperiautur, nec male, ex oppositioue apodoseus, qoæ sequitur, addantur. G. in Additam.

12. *Nihil enim prohibet, quædam esse ... Sed extrema illa ... sunt ... desiderat.* Gœr. scribit *sint*, et *desideret.* Vulgatæ, iuquit, structura semper uubis offensiuni fuit. Nun quidem, qood post *nihil prohibet* accus. com inf. sequitur; sic enim baud semel *nihil impedit* struitur : sed locus mancus et debilis videbatur, et sua quadam apodusi privatus. Ambabos igitur ex Spir. et Erl. conjunctivus accepimua *sint*, et *desideret*, quorum posteriorem, minus necessarium, nostroque *etwa* exprimendum, Gud. 1 quoque, et Bas. exhibent. Jam quidem *sed* vere fit apoduseus, et pru *si modo*, *sed modo*, vel *modo* simpliciter, ponitur. Scribarum autem hus conjunctt. esse, his in contextis uullo modo prubabile est. De bojus deuique *sed* apodoseus vi, ex contextis obique coguuscenda, sæpe egimus. Ceterum « distincta et dispertita, iu suas quæque partes et genera distiucta » sunt apud philosophos. Sic nihil opus est, ut cum Eru. pro *distineta*, *divisa* malis.

Sed ut omnium artium recte dici potest commune esse, ut in aliqua scientia versetur [13], scientiam autem suam cujusque artis esse : sic commune animalium omnium [14] secundum naturam vivere, sed naturas esse diversas, ut aliud equo sit natura, aliud bovi, aliud homini, et tamen in omnibus summa communis, et quidem non solum in animalibus, sed etiam in rebus omnibus iis [15], quas natura alit, auget, et tuetur [16]; in quibus videmus, ea, quæ gignuntur e terra, multa quodam modo efficere ipsa sibi per se [17], quæ ad vivendum [18] crescendumque valeant, et suo [19] genere

13. *Ut in aliqua scientia versetur.* Erl. *versentur* : atque ita cum Aldo Davisius correxit. Sed vulgatum verum est, quippe cui aperte contexta faveant. *Ut* est, « sic, hac ratione, ut ; » cogitandumque *id* est, ut ad *commune*, in quo auctor græcum τὸ κοινὸν imitatus est, referatur. G.

14. *Commune animalium omnium.* Ven. 1494 ordine multo meliori *animalium commune omnium* : quo de positu sæpe egimus; cf. supra II, 3, 7 : « populorum suffragio omnium ». Sic etiam oppositio *artium* et *animalium* clarius se prodit. G.

15. *Sed etiam in rebus omnibus iis.* Gud. 2 *etiam* ignorat. Per se quidem bene, et exemplo post *non solum* crebro : at h. l. si *etiam* auctor noluisset, scriberet haud dubie, « sed in rebus omnibus », vel omisso *iis*, ut in *omnibus* vis enuntiati esset, vel *iis* ante *omnibus* posito. Accedit quod in omissis vocibus Gudiano utrique parva sit auctoritas. G.

16. *Alit, auget, et tuetur.* Gœr. delet *et*. Hanc, inquit, part. melius Spir. et Erl. ignorant. Ortum copulæ vides : sic autem eam scribæ non omittunt. Magis vero h. l. quam vel alias abjicienda erat, quum sit in his verbis quædam gradatio ; in qua auctor constructionem ἀσύνδετον amat.

17. *Efficere ipsa sibi per se.* Ernestio *sibi* suspicionem afferre non debebat : quum recte vel de plantis dici possit, « eas sibi per se ad crescendum plura efficere », recipiendo in sese humores terræ cælique, etc. Sed accedit etiam, quod Aristoteles arboribus plantisque vitam, et, ut nunc loquuntur, spontaneitatem quamdam tribuebat ; cf. de Anima, II, 2, etc. Atque ita Piso quoque in Peripatetica sententia exponenda, iis quæ e terra gignuntur, vitam quamdam tribuit. G.

18. *Quæ ad vivendum.* Omnino legendum, *quo ad vivendum.* Davis.

19. *Et suo genere.* Brem. post *et* adscribi *ut* vult : mutatam esse aliquantulum orationis formam, quoniam gerundium non aptum fuisset. *Valent ad crescendum*, *et* ad id, *ut suo genere perv. ad extr.* Hoc interdum non librariis solum, sed et viris doctis imposuisse, cll. Dukero ad Livium, XXVII, 33, 9 ; Corte ad Sallust. fragm. p. 942, f. — Nos quidem locum sic capimus, ut *quæ*, notet *ea intentione*, *eo fine ut*, hoc pleniore contextu, « nam in his videre licet plantas (τὰ φυτὰ) multa, ut ita di-

perveniant ad extremum : ut jam liceat una compre-
hensione omnia complecti; non dubitemque[20] dicere,
omnem naturam esse conservatricem sui, idque ha-
bere propositum, quasi finem et extremum, se ut cu-
stodiat quam in optimo[21] sui generis statu : ut necesse
sit, omnium rerum, quæ natura vigeant, similem esse
finem, non eumdem. Ex quo intelligi debet, homini
id esse in bonis ultimum, secundum naturam vivere:
quod ita interpretemur[22], vivere ex hominis natura
undique perfecta, et nihil requirente[23]. Hæc igitur no- 27
bis explicanda sunt : sed si enodatius, vos ignoscetis.
Hujus enim ætati, et huic, nunc hoc primum fortasse
audienti[24], servire debemus. Ita prorsus, inquam. Etsi

cam, efficere ... per se, eo nisu, ut ista multa ipsis ad viv. crescendumque valeant, et ut hac ratione ad id perveniant extremum, cujus pro genere suo capaces sunt ».

20. *Non dubitemque dicere*. Gœr. scribit : *non dubitanterque dicere*. Omnes nostri, inquit, *dubitantemque*, quod ex sola Victorii editione Davis. recepit, binis ejus *dubitarem* referentibus. Sed non videmus quo jure, quum *dubitanti* scribendum esset. Et si vel auctor ita solœce positurus fuisset, certe *que* addere parceret. Sed neque vulgata auctoris videtur, quum sic laxatius oratio pergat. Ausi igitur sumus aliquid, quum hunc nostrorum consensum in tam facili verbo non fortuitu accidisse judicaremus, atque *dubitanterque* correximus. Turbant enim scribæ in adverbiis, quæ in *ter* exeunt, auctorique valde frequentantur, sæpissime; cf. supra II, 3, 10, ell. Heuss. ad Off. I, 10, 11, ibid. III, 33, 7.

21. *Quam in optimo*. Gœr. transp. *in quam optimo*. Ita, inquit, Crat. ut P. Manut. et Lamb. correxerant. Posteriores reclamanti Grutero, scriptaque impressosque vett. urgenti, nimium tribuerunt. Nam oblitus est hic ducere, quo modo vulgatæ, *quam in optimo*, probabilis sensus, integra latinitate, inesse possit, quem nullum videmus. Ceterum æque sic dicitur, atque « in tam maximis laboribus, in tam brevissimo tempore, etc. » Scribas in his stupere nihil mirum est : inde referunt Bas. et Gud. 1, *quod in*. Oxonn. E. et ξ. *in* ignorant, quam tum neglectam putabis, quum jam *quam* præmissum legeretur.

22. *Quod ita interpretemur*. I. e. « vertamus ex Græcis Antiochi ». Ceterum ex hac explicatione aperte Antiochi studium Stoicorum summum bonum cum illo Academicorum Peripateticorumque (qui in his a Polemone inde plene consentiebant), jungendi patet. G.

23. *Nihil requirente*, valent, « sibi ipsi sufficiente ». G.

24. *Et huic, nunc hoc primum fortasse audienti*. Erl. *hic* pro *hoc*, Gud. 2 *hæc :* quod ex aliis cum P. Manut. recepit Davis. probante Ern. quod

ea quidem, quæ adhuc dixisti, quamvis ad ætatem recte[25] isto modo dicerentur.

X. Exposita igitur, inquit, terminatione rerum expetendarum, cur ista se res ita habeat, ut dixi, deinceps demonstrandum est. Quamobrem ordiamur ab eo, quod primum posui; quod idem reapse[1] primum est: ut intelligamus, omne animal se ipsum diligere. Quod quamquam dubitationem non habet (est enim infixum in ipsa natura, comprehenditur[2] suis cujusque sensibus, sic, ut, contra si quis dicere velit, non audiatur): tamen, ne quid prætermittamus, rationes
28 quoque, cur hoc ita sit, afferendas puto. Etsi qui potest intelligi[3], aut cogitari, esse aliquod animal, quod se oderit? Res enim concurrent[4] contrariæ. Nam quum appetitus ille animi aliquid ad se trahere cœperit consulto, quod sibi obsit, quia sit sibi inimicus; quum

idem præcedat. At ex hoc ipso nos plurium numerum improbamus: nam prius *Hæc* ad singula doctrinæ de finibus explicanda respicit, contra vero *hoc* totius ejus complexum spectat; hoc sensu: « qui fortasse nunc primum de finibus exponentem audit ». Quod autem idem Ern. melius pronomen omitti putat, in eo minus etiam consentimus, quum ita sententia plane vaga foret. *Et* explicantis esse sponte patet. G.

25. *Quamvis ad ætatem recte.* Non male omittunt Bas. E. et V. *recte:* hoc enim abjecto, *apte*, *accommodate*, cogitari licebit. G.

X. 1. *Quod idem reapse.* Ita tres nostri; nec aliter Marsus: ut de vera lectione dubitatio nulla sit. Gud. 2: « de re ab se ». *Quod* est, *nam hoc*. Sed proximum *quod* ad totam sententiam pertinet, hac vi, « et hoc, quod primum posui, reapse primum esse ». G.

2. *Comprehenditur.* Gœrenz addit *que* post *comprehenditur*, notatque: Hoc vulgo asyndeton est; sed ita prorsus inepto loco, ut, si vulgatum tuearis, auctoris dicendi usum prodas. Recepimus igitur *que* ex Crat. quam scribæ forte ex eo, quod statim redit, neglexerunt. Nisi Cratandrinæ auctoritas fuisset, *ac* poneremus; quæ quomodo exciderit inter vv. *natura*, *comprehenditur*, ipse vides.

3. *Etsi qui potest intelligi.* Nihil mirum est, si in his librarii cum editis vett. turbant, quum in hoc *quî* ubique hæreant; *quid* (sic pleriqne), *quis*, *quidem*, hoc loco ejus vice exhibentes. G.

4. *Res enim concurrent.* Scripsit prò *concurrent* ex uno suo Davis. *concurrerent*, ut etiam χ. exhibet: sed inepte, quum contextus ipse futurum tempus tueatur, quippe quod toties inter futura alia præsentis loco ponatur; cf. ad Acadd. II, 26, 84; ibid. 33, 106. G.

id sua causa faciet, et oderit se, et simul diliget: quod fieri non potest. Necesse est quidem[5], si quis sibi ipse inimicus est[6], eum, quæ bona sunt, mala[7] putare; bona contra, quæ mala; et quæ appetenda, fugere; et quæ fugienda, appetere: quæ sine dubio vitæ sunt eversio[8]. Neque enim, si nonnulli reperiuntur, qui aut laqueos, aut alia exitia quærant, aut, ut ille apud Terentium[9], qui decrevit «tantisper se minus injuriæ suo gnato facere (ut ait ipse[10]), dum fiat miser:» inimicus ipse sibi putandus est. Sed alii dolore mo- 29
ventur, alii cupiditate; iracundia etiam multi efferun-

5. *Necesse est quidem.* Codd. peccant, partim « necesseque est », partim « necesse est quod » exhibentes: sed hæserunt in particulæ et vi, et positu scribæ, nescii sic eam *sane* valere; cf. supra III, 8, 28: « quod non possit quidem ».

6. *Si quis sibi ipse inimicus est.* Gœr. dat *si quis ipsi sibi inimicus est.* Sic, inquit, cum Spir. et Erl. pro *sibi ipsi* dedimus, ut ter eodem positu in sequentibus scribitur. Quod vero Ern. contra codd. editosque omnes *ipse* correxit, id h. l. opus non est, quum in *si quis* præcedente justa tertii casus defensio lateat: secus est in seqq.

7. *Eum, quæ bona sunt, mala putare.* Ven. 1494, et Mars. *ea*, cum olim vulgata; quod defendi potest, quum sæpe sic post *si quis*, ubi pro *quicumque* dicitur, personæ pronomen omittatur. Sed *ea* ex proximis casibus ortum videtur. G.

8. *Quæ sine dubio vitæ sunt eversio.* Alias auctor hoc in positu *est* scribit, sic ut *quæ* simplici numero *in quibus* valeat, relativo ad sequens substantivum applicando. Sed vulgatum recte ferri potest h. s. « quibus s. d. vita evertitur » v. « vera vitæ ratio tollitur ». Eadem ratione dicitur Acadd. II, 31, 99: « sequitur omnis vitæ .·. eversio ». G.

9. *Aut, ut ille apud Terentium... inimicus ipse sibi putandus est.* Davis. *aut* delet, Ernestio probante. Potest sane abesse; potest idem facillime ex præced. syllaba *ant* natum putari: quum tamen exemplum, quod sequitur, non plene ad « laqueos, aut alia exitia », quadret, non recte deleri particulam, omnibus et scriptis et editis confirmatam, putavimus. Notandum deinde est anacoluthon, quum scribendum fuisset, « inimici ipsi sibi putandi sunt », ut etiam Davis. conjecit. Sed talia auctori frequentantur, si quædam, ut h. l. Terentianus locus, interponuntur. G.—*Apud Terent.* Hic locus est ex Heaut. act. I, scen. 1, vs. 95, et alter inferius ibid.

10. *Facere (ut ait ipse) dum.* Brem. distinguit, « facere (ut ait) ipse dum », laudatque, ut *ipse* cum vi præpositum probet, Legg. III, 7, 17; ibid. 14, 32. Quod verissimum esse ita in oculos cujuslibet incurrit, ut in eo cæcitatem omnium editorum jure accusemus. G. in Additam.

tur; et quum in mala scientes irruunt, tamen se optime sibi consulere arbitrantur[11] : itaque dicunt, nec dubitant[12],

Mihi sic usus est; tibi ut opus est facto, face[13]:

velut, qui ipsi sibi bellum indixissent; cruciari dies, noctes torqueri vellent[14]; nec vero sese ipsi accusarent

11. *Et quum in mala scientes irruunt, tamen se optime sibi consulere arbitrantur.* Gœrenz scribit *tum* pro *tamen*. Ita, inquit, ex Spir. Erl. Gud. 2, reposuimus, quum vulgo *tamen* edatur: quam ferremus, si *irruant* legeretur, ut *quum* pro *licet* accipi posset : nam aliter sine vitio sic scribi nequit.—Ceterum exhibent Oxonn. V. χ. ψ. et Mars. simplex *ruunt*; atque ita ante Grut. vulgatum est. Sed proprie auctor, « irruere in » : *ruere* potius « ad interitum, ad aliquem, etc. » dicit.—Non abjiciendum denique videatur, quod Gud. 2, *re* pro *se* præbet : sed ut *re* cum reliquo verborum positu non bene convenit, ita videtur scriba in positu reciproci hæsisse, quod ex regula auctori præmittitur. Inde apud Oxonn. V. χ. ψ. *se* abjectum putabis.

12. *Itaque dicunt, nec dubitant.* Hæc non erant a VV. DD. sicco pede transmittenda : vix enim sunt, his in contextis, casta judicanda. Duplex se præbet conjiciendi ratio, vel, « itaque dicunt nec dubitantes », ut « nec dubitantes » pari exemplo cum *nec opinantes* ponatur (similiter Legg. II, 3, 6, « nec obedientem et noxium civem »), vel « dicere nec dubitant », ut *nec* pro « ne...quidem » accipiatur. Prior ratio, quum facilior sit; tum enim modo syllaba *es*, quæ solet a librariis minutis literis superscribi, neglecta putari debet; h. l. præferenda videtur. Marsus peccat *dicuntur*. G.

13. *Mihi. . . face.* Int. hic meus est mos agendi, tu fac quicquid libet, et mihi idem libere patiaris. Huc referri possunt Horatii versus in lib. I, epist. 2, vs. 10, ad Lollium : « Quod Paris, ut salvus regnet, vivatque beatus, Cogi posse negat ».

14. *Velut, qui...indixissent; cruciari...vellent.* Hanc structuram his in contextis admitti posse negamus. Si scripti consentirent, conjiceremus « velut, quasi; » ut alias « tamquam, quasi » ponitur : nam comp. *qui*, quo *quasi* notatur, cum *qui* facillime permutatur. Sed Spir. et Erl. pro *velut, qui*, præbent *equi;* traducta nempe *e* ex *face*, quum *fac* exhibeant. Inde *velut* ad contexta supplenda extrinsecus accessisse videtur : neque sane umquam sic *velut* ab initio sententiæ legere meminimus. Tum scribendum foret, « quasi ipsi sibi... indixissent, ut cruciari vellent ». Post syll. *ent* autem *ut* facile excidere potuit, et sæpe excidere. In reliquis nostris nihil opis est. Gud. 2, *vel quæ*, Bas. *qui* ignorat. Mars. « velut etiam qui sibi ipsi : » sed ex his certe scribarum turbæ patent. Ceterum ne in vv. « cruciari...torqueri », alterutrum superfluum putes, gravius v. *torqueri* additum exinde judicabis, quod, quæ animum per insomnia sollicitant, ea

ob eam causam, quod sese male rebus suis[15] consuluisse dicerent. Eorum enim hæc est querela[16], qui sibi cari sunt, seseque diligunt. Quare, quotiescumque dicetur male de se quis mereri[17], sibique esse inimicus atque hostis[18], vitam denique fugere : intelligatur aliquam subesse ejusmodi causam, ut ex eo ipso possit intelligi[19], sibi quemque esse carum. Nec vero id satis est[20], neminem esse, qui ipse se oderit; sed illud quoque intelligendum est[21], neminem esse, qui, quo modo se habeat, nihil sua censeat interesse. Tolletur enim appetitus animi, si, ut in iis rebus, inter quas nihil interest, neutram in partem propensiores simus, item[22] in nobismet ipsis, quemadmodum affecti simus[23], nihil nostra arbitrabimur interesse.

hunc magis coquere vexareque solent. G.

15. *Rebus suis*. Gœrenz transponit *suis rebus*. Hoc, inquit ordine nostri omnes, cum Marso et Crat. quod bene cum « sese ipsi accusarent » convenit : vulgo ordine transverso editur.

16. *Hæc est querela*. Pari modo ex iisdem omnibus « est hæc querela » Gœr. correxit; quæ series illi, hucusque editæ, videtur præferenda.

17. *Male de se quis mereri*. Neque negligendum est, quod Spir. et Erl. « male quis de se mereri », transponunt, quum vocis *male* vis inde augeatur. G.

18. *Inimicus atque hostis*. Sic distingues, ut ille se oderit, hic sibi bellum indixerit. G.

19. *Ut...possit intelligi*. Gœrenz transp. *intelligi possit*, notatque : Vulgatæ ordo *possit intelligi*, unde sit, nescimus : nam nostri omnes, editique vett. quos vidimus, prout edidimus; nec aliter tacite Davisius. Et si loci naturam ipsam quæras, parum probabile est, auctorem *intelligi* cum vi positum velle, quum *intelligatur* cum pondere apodosin inchoet : immo potius contextus hoc velle videtur, « unde fieri possit, ut ex eo ipso intelligatur ».

20. *Id satis est*. Gœr. delet *id*. Hoc, inquit, Bas. ignorat, Gud. uterque cum edd. vett. quos vidimus, omnibus, post *est* rejicit; ut tacite Davisius dedit. Deberet etiam *hoc* scribi, quum *illud* opponatur.

21. *Intelligendum est*. Cum Spirensi *est* putamus abjiciendum, licet Erl. idem teneat : nam Bas. et Gud. 1, ejus loco *esse* referunt. Solet autem auctor, antecedente *est*, ad sequens futuri passivi participium ex regula alterum *est* omittere. G.

22. *Item*. Bini nostri *ita*. Sed de structura *ut...item*, conf. supra III, 14, 48 (p. 387, not. 14). G.

23. *Quemadmodum affecti simus*. Gœrenz dat *sumus*. Sic, inquit, Spir. Erl. et Gud. 1, vulgo *affecti simus*. Sed receptum, unice verum putamus,

XI. Atque etiam illud, si quis dicere velit, perabsurdum sit : ita diligi a sese quemque, ut ea vis diligendi ad aliam rem quampiam referatur, non ad eum ipsum, qui sese diligat[1]. Hoc quum in amicitiis, quum in officiis, quum in virtutibus dicitur, quomodocumque dicitur[2], intelligi tamen quid dicatur, potest : in nobis autem ipsis ne intelligi quidem, ut[3] propter aliam quampiam rem, verbi gratia, propter voluptatem, nos amemus. Propter nos enim illam, non pro-
31 pter eam nosmet ipsos diligimus. Quamquam quid est, quod magis perspicuum sit, non modo carum sibi quemque, verum etiam vehementer carum esse? quis

quum *quemadmodum* indefinite interrogantis sit. Ita autem iodicat. ad *quid* II, 5, 15; *quo* IV, 24, 67; *quamobrem* V, 9, 24; *unde* Off. I, 7, 26, etc. ponitur.

XI. 1. *Qui sese diligat.* Tres nostri cum Marso *se*. At paucis ante pari ratione *sese* repetite dicitur. In præcedentibus paollo magis ambigue, « diligi a se quemque », pro « diligere se quemque : » sed variare auctor voluit in contextu facili. G.

2. *Hoc quum...dicitur.* Gud. 1, « boc enim quum ». Gud. 2, *hoc est*, sic ut *quum* omittat. Facile quidem negligi *enim* potuit : sed in pronomine contextæ jungendæ causa ante *quum* præmisso, necessaria bæc particula non est. G.

3. *In nobis autem ipsis ne intelligi quidem, ut.* Gœr. præbet *in nobismet autem ipsis intelligi quí potest, quod.* Nostri codd. inquit, cum multis aliorum *ne* et *ut* ignorant, ac pro *quidem* Gud. 2, *quid*, reliqui nostri *quod* præbent. *Quidem* quatuor Pall. et duo Daviaii servant, sic tamen, ut illi, cum Ven. 1494, aliique, æque *ne* et *ut* nesciant, bi solam *ut* retineant. Crat. « ipsis intelligi propter », reliquis, quæ interponuntur, abjectis. Vulgata an plene scripto aliquo nitatur, incertum est : ferri certe posset, nisi de *ut*, hoc nexu pro *quomodo* posita, jure dubitandum esset. At *ne* a scriptis, qui hucusque innotuerunt, abest omnibus : voces autem *quidem* et *ut*, fide sunt admodum dubia. Quod si rite perpenderis, jure probanda videbitur P. Marsi lectio, quam, nescio unde, Lambinus quoque expressit, « in nobismet autem ipsis intelligi qui potest, qood, etc. » quamque nos plene sequuti sumus. Nam sic vv. *quí potest* excidisse putanda sunt; reliqua cum optimis quatuor nostris concordabunt, quorum quintus Gud. 2, *si quid* variat, communi errore peccare putabitur. *Quí* autem ubique scribas exercet, et repetitum *potest*, quod ex frequenti auctoris more est, scribæ subinde abjiciunt. Encliticam *met* autem confirmant Elienss. Gud. uterq. Baa. Mars. Crat. Addunt eamdem Victorius et Paris. 1 et 2, nisi quod hi ex compendii errore « nobismet aut ipsis », referunt. « Quod nos amemus », i. e. « quod nos amare dicamur ».

est enim, aut quotus quisque, cui, mors quum appropinquet,

> Non refugiat timido sanguen, atque exalbescat metu[4] ?

Et si hoc quidem est in vitio, dissolutionem naturæ tam valde perhorrescere (quod item est reprehendendum in dolore): sed quia fere sic afficiuntur omnes, satis argumenti est, ab interitu naturam[5] abhorrere; idque quo magis quidam ita faciunt, ut jure etiam reprehendantur, hoc magis intelligendum est, hæc ipsa nimia in quibusdam futura non fuisse, nisi quædam essent modica natura[6]. Nec vero dico eorum metum mortis, qui, quia privari se vitæ bonis arbitrentur, aut quia quasdam post mortem formidines extimescant, aut si metuant ne cum dolore moriantur, idcirco mortem fugiant; in parvis enim sæpe, qui nihil eorum cogitant, si quando his ludentes minamur præcipita-

4. *Non refugiat... exalbescat metu?* Gœr. vocem *non*, quæ vulgo Ennii versui adscribitur, ab eo separat et Pisonis orationi addit. Vulgatam, inquit, dederant VV. DD. ex Nonio v. *sanguis*. Sed debebant simul fragmentum ex Hortensio consulere, quod Priscianus l. VI, p. 194, Bas. 1545, laudat; in quo hæc leguntur: « ut ait Ennius, refugiat timido sanguen, atque exalbescat metu ». Inde enim patet, *non* minime Ennii esse, sed Ciceronis versum hunc ad contextorum nexum applicantis. Quod magis etiam ex Orat. III, 59, 218, patet, ubi hic versus cum quinque eum præcedentibus legitur; ubi idem *Quin refugiat*. Quare hæc rectius digessimus. Ceterum male Ernest. cum aliis in illo Hortensii fragm. *albescat* scribit: nam præter veteres Prisciani editores binæ quoque vetustæ in bibliotheca Zuicav. membranæ, quarum altera certe octo seculorum est, *exalbescat* firmant. Censuit Brem. nobiscum *non* extra versum collocandum esse. — *Sanguen* neutro genere. Sic Lucretius, lib. I, vs. 838.

5. *Ab interitu naturam abhorrere.* Pal. 4 *naturam* non habet; nec admodum voce opus esse judicat Gruterus. Gud. 2 eamdem nescit; sed recte ea careri posse negamus. Nam si vel ex præc. *omnes* cogitari *eos* liceat, tamen claudicaret argumentatio, quum ex eo, quod omnes sic afficiantur, ut dissolutionem naturæ perhorrescant, concludatur, sensui a natura inesse, interitum aversari. G.

6. *Modica natura.* Id est, « nisi quibusdam certus a natura constitutus esset modus ». Sic proprie *modica* dicuntur « quæ certum suum modum sequuntur ». G.

turos alicunde, extimescunt [7]. Quin etiam feræ, inquit Pacuvius [8],

> Quibus abesi ad præcavendum intelligendi astutia,

32 sibi injecto terrore mortis horrescunt. Quis autem de ipso sapiente aliter existimat? qui etiam quum [9] decreverit esse moriendum, tamen discessu a suis, atque ipsa reliquenda luce moveatur. Maxime autem in hoc quidem genere vis est perspicua naturæ, quum et mendicitatem multi perpetiantur, ut vivant [10], et angantur appropinquatione mortis confecti homines senectute; et ea perferant, quæ Philoctetam videmus in fabulis : qui quum cruciaretur non ferendis dolori-

7. *In parvis enim sæpe...extimescunt.* Horum constructionem non coire putat Davis. et pro « in parvis », « parvi » corrigit : sed Ern. qui tum *sæpe* frigere vidit, intelligit, « inter parvos ii, qui ». Recte : est enim structura, quæ grammaticis σύγχυσις dicitur, inter Græcos Xenophonti maxime, Platonique frequentata. Debebat scribi, « in parvis enim sæpe hi, qui... cogitant, si quando iis lud. » G.

8. *Quin etiam feræ, inquit Pacuvius.* Gœrenz vv. *inquit Pacuvius* uncis includit, notatque : Nissen. verba, *inquit Pacuvius*, in spuriis refert, quum deberat esse « Quibus, ut inquit Pac. » vel *ut* omisso. Recte. Et sæpe sic poetarum nomina ad locos eorum excitatos a viro aliquo docto adscripta ex margine in texta migrarunt. Vulgata quum ferri nequeat, cancellos istis admovimus. Ceterum paullo post opportune nesciunt Spir. et Erl. *sibi.* — Postea Gœrenz in calce libri addidit : Brem. v. *quibus* poetæ abnegat. Nos nunc quidem *feræ* ut Pacuvianam vocem literis currentibus scribi, verbaque, « inquit Pacuvius », ab uncis liberare jubemus. At in hoc eidem nos quidem vix concesserimus, ubi verba quoque, « sibi injecto terrore mortis horrescunt », Pacuvio vindicat, sic ut hujus integer versus agnoscatur, uno pede minutus. Vix enim poeticum in his verborum positum esse dixeris. Singula quædam Pacuvii verba bis inesse videntur, ut infra in Attianis illis, « pinnarumque contextu faciebat ». Sed difficile sane in his est judicium.

9. *Qui etiam quum.* Alii *quin etiam.* Sed Gœrenz notat : malumus, « qui, etiam quum decr. » tum enim vis accommodatior in *etiam* foret, hac sententiæ vi, « nam hic, licet vel (adeo) consilium ei steterit, etc. » Scribas *quin etiam* proxime præcedens decipere facile potuit. Quum igitur Mars. et Crat. hoc modo referrent, edi sic curavimus. Idem Nisseno quoque placere serius vidimus.

10. *Ut vivant.* Hæc nesciunt Gud. 2 et Baa. At scribæ non intellexerunt, *ut* pro « hac conditione, ut » poni : quippe in qua structura supra 4, 9. VV. DD. quoque cæcutire viderimus G.

bus, propagabat tamen vitam[11] aucupio[12] sagittarum,

Configebat tardus celeres, stans volantes[13],

ut apud Attium est, pinnarumque contextu corpori
tegumenta faciebat[14]. De hominum genere, aut om- 33
nino[15] de animalium loquor, quum arborum et stir-
pium[16] eadem pæne natura sit : sive, ut doctissimis
viris visum est, major aliqua causa atque divinior hanc
vim ingenuit; sive hoc ita fit fortuito[17]. Videamus

11. *Propagabat tamen vitam*. Inde, ait Seneca, illud Mæcenatis turpissimum votum, quo et debilitatem non recusat, et deformitatem, et novissime acutam crucem, dummodo inter hæc mala spiritus prorogetur. « Debilem facito manu, Debilem pede, coxa: Tuber astrue gibberum, Lubricos quate dentes, Vita dum superest, bene est. Hanc mihi, vel acutam, Si das, sustineo crucem ». Ep. CI, § 10, 11 (conf. nostr. edit. in qua hæc aliter leguntur.)

12. *Aucupio sagittarum*. Spir. et Erl. *aucupio feras;* sed ex scribæ sapientia. Davis. se fatetur nescire, quid *aucupio sagittarum* sibi velit : scribit igitur *Sagitta enim*, sic ut has voces ad versum Attii numeret. Sed ut alibi auctor, *aucupia verborum* pro Cæcin. 23, 65, translate; sic hoc loco proprie dixit, genitivo instrumenti posito, i. e. *per sagittas*. G.

13. *Configebat ... volantes*. Hæc recte monet Brem. non versus ipsos esse, sed quædam versuum verba. G. — Jos. Scaliger sic versus ipsos restituit : « Configo tardus celereis, stans volatileis; Pro veste pinnis membra textis contegens ».

14. *Pinnarumque contextu corpori tegumenta faciebat*. Male hæc, pariter ut superiora, tamquam versus a Ciceronis verbis disjungebantur. — Ipse Attii trimeter, ut jam Ant. Delrius et J. G. Vossius notarunt, servatus in fragm. cum Censorino edi solito, p. 149 : « pro veste pinnis membra textis obtegit ». G.

15. *Aut omnino*. Ignorant tres ex nostris *aut*. Ita scilicet scribæ in hac part. simpliciter posita, et pro *vel potius* dicta, solent. Tusc. I, 3, 5 : « ut non multum aut nihil omnino Græciæ cederetur ». G.

16. *Arborum et stirpium*. *Et* valet *et omnino :* nam *stirpes* hoc loco, ut sæpe, omnia, quæ radicibus aluntur, notant. G.

17. *Sive... sive hoc ita fit fortuito*. Gœreuz post primum *sive* addit *enim*, et pro *fortuito* dat *fortuitu*. *Enim*, inquit, quam vulgata nescit, cum Davis. ex hujus Eliensi, aliisque, binisque illis optimis nostris reposuimus; rationem receptæ proxima nota videas. *Fortuitu*, pro *fortuito* dedimus cum Spir. et Erl. Idque magis h. l. tenendum est, quum auctor tum maxime substantivum hoc ponat, si ad aliud subst. refertur. Hinc semper « casu et fortuitu » (nam vel Divin. II, 7, 18, bini e nostris sic referunt), et recte nuper Martyni-Laguna Divv. V, ep. 8 : « repentina aliqua voluntate, ac fortuitu ». Idem quoque Beek. Agrar. II, 7, 17 (23 B), jure reposuit, nec aliter Erl. a nobis collatus : modo

ea[18], quæ terra gignit, corticibus et radicibus valida servari; quod contingit animalibus sensuum distributione[19], et quadam compactione membrorum. Qua quidem de re, quamquam assentior iis, qui hæc omnia regi natura putant; quæ si natura negligat, ipsa esse non possint[20]: tamen concedo, ut, qui de hoc dissentiunt, existiment quod velint, ac vel hoc intelligant[21], si quando naturam hominis dicam, hominem dicere me; nihil enim hoc differt[22]; nam prius poterit a

qood ibi post *fortuitu* virgnia tollenda erat. Ceterum male quoque oostrorum quatnor *sit*, nt olim voigatum est.

18. *Videamus ea.* Gœr. qui scribit *videmus*, notat: Vulgatur *videamus*, sic ut ante verbum hoc puneto maximo distingnatnr, coio ante priorem supra *sive* posito: atqne Ern. adeo hie novæ sententiæ initium statnat, distinguiqne *Videamus*, *ea*, etc. jobeat. Quo jnre, hie ipse viderit: sed Davisii, Guyetum sequentis, ratio, pari nobiscum modo ioterpungendi, marcet, marcebitqne, nisi lodicativnm cum P. Mannt. correxeris, quem e nostris Bas. Gud. 1, eum Marso servant. Ita quidem optima structura, scribisque sæpissime vexata, enascitur hæc: « sive enim.....sive ...... videmns ...... » Vim autem lo præposito *videmus* esse, ex tot passim ante monitis sua spoote ioteiiigi debet. Jam quidem vel hoc patebit, recte a nobis, ad *sive* priorem, *enim* additum, et sic demum locum eonstitotum esse.

19. *Sensuum distributione.* Abstraetum, ot vocant, concreti viee positum est, pro, *sensibus* (apte per corpus) *distributis*: sic nt oculi velut speculatores altissimo sint loco eonstituti; aures quasi latera moniant, ete. tactus per totum corpus sit diffusus; cf. N. D. II, 56, 140, seq. Sie ad v. *compactione* qnoqne *apta* cogitandum. G.

20. *Quæ si natura negligat, ipsa esse non possint. Quæ* est *quippe quæ*, ut sæpe. Prave igitur Gud. 1 et Bas. *quia si*; cf. infra ad 20, 55. *Possint* autem, quod vulgatur, cum edd. vett. optimi nostri firmant. Bas. quidem, Gud. 1, tresque Oxonn. *possit* exhibent. Quod ad contexta videtur eo melius, quum *natura* h. l. de *Deo* dicatur. G.

21. *Existiment quod velint, ac vel hoc intelligant.* Ern. *at* corrigendum esse non dubitat. Sed tum non recte *vel* adderetur: immo simplieiter sensus est, « et v. sed certe hoc teneant, me soh natura hominis, hominem ipsum velle intelligi ».

22. *Nihil enim hoc differt.* Gœr. delet pronomen *hoc*, notatque: Præterquam qnod idem proo. paucia aote his præcessit, eonseotiunt etiam in eo omittendo God. 1, Bas. Mars. et Crat. Minus hoc vel inde qooqne placebit, quod scribi proprie debebat, *hæc differunt*, v. certe *illud differt*. Cogitabis autem, *inter hæc*, utrum scil. *naturam hominis*, ao *hominem* dixeris. Eodem modo structura, « quid enim differt, utrum... an, ete. » intelligenda est; et Divin. II, 36, 76: « Solebat ex me Dejotarus percontari

se[23] quisque discedere, quam appetitum earum rerum, quæ sibi conducant, amittere. Jure igitur gravissimi philosophi initium summi boni a natura petiverunt, et illum appetitum rerum ad naturam[24] accommodatarum ingeneratum putaverunt omnibus, qui continentur ea commendatione naturæ[25], qua se ipsi diligunt.

XII. Deinceps videndum est, quoniam satis apertum est, sibi quemque natura esse carum, quæ sit hominis natura. Id est enim, de quo quærimus. Atqui perspicuum est, hominem e corpore animoque[1] constare, quum primæ sint animi partes, secundæ corporis. Deinde id quoque videmus[2], et ita figuratum corpus, 34

nostri augurii disciplinam, ego ex illo sui. Dii immortales! quantum differebat! » scilicet *inter utramque*.

23. *Poterit a se quisque discedere.* Gœr. transp. *a se poterit*. Hoc, inquit, positu unice vero omnes scripti nostri, cum Vien. Marso et Crat. Vulgo est « poterit a se : » at in *a se* loci vis est.—« Discedere a se » autem *totus mutari* valet; cf. similis phrasis Brut. 79, 273: « nescio quo modo discessu meo discessit a sese ».

24. *Ad naturam accommodatarum.* Peccant quatuor Oxonn. et edd. vett. pleræque, « a natura accommod. » unde conjici forte liceat, « a natura commodatarum ». Sed nostri, nisi quod Gud. 2, *ad naturam* ignorat, omnes vulgatam servant, cum qua auctor proprie loqui solet. G.

25. *Qui continentur ea commendatione naturæ.* Davis. legendum esse *quia* conjicit; quod minime necesse est, quum locus optime per se intelligatur. Verba enim « qui continentur » valent, « ad quos pertinet πρώτη ὁρμὴ illa, diligendi sese », § 30, quam alias auctor « primam commendationem naturæ », infra 17, 46, vel simpliciter « primam commendationem » vocat, v. c. supra II, 12, 35. G.

XII. 1. *E corpore animoque constare.* Oxonn. E. et ξ. *e* ignorant. Perperam. Auctor enim semper hac in forma præpositione utitur. Tusc. III, 1, init. « quum constemus ex animo et corpore », coll. N. D. I, 35, 98. Præpositionem ad hoc verbum a scribis negligi, vidimus ad Legg. II, 17, 44. G. — Ceterum apte comparat ad hæc Ursin. Aristotelem Politic. I, 5: τὸ δὲ ζῶον πρῶτον συνέστηκεν ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος, ὧν τὸ μὲν ἄρχον φύσει, τὸ δὲ ἀρχόμενον.

2. *Deinde id quoque videmus.* Bas. ψ. χ. et P. Mars. *denique:* at facile scribas decipere præcedens *Deinceps* potuit, quo *deinde* referendam putabant. Quod si auctor vellet, non *videmus*, sed *videamus* (ut prave Ven. 1494), vel potius *videndum est*, scripsisset. Immo post *Atqui*, quod præcedit, *primum* cogitandum est, ut sæpissime; et *videmus* variata dictione *perspicuum est* notat, vel potius *videre licet*; cf. ad Legg. II, 26, 64.

ut excellat aliis[3], animumque ita constitutum, ut et sensibus instructus sit, et habeat præstantiam mentis, cui tota hominis natura pareat, in qua sit[4] mirabilis quædam vis rationis, et cognitionis, et scientiæ, virtutumque[5] omnium. Nam quæ corporis sunt, ea nec auctoritatem cum animi partibus[6] comparandam, et cognitionem habent faciliorem. Itaque ab his ordiamur. Corporis igitur nostri partes, totaque figura, et forma, et statura, quam apta ad naturam sit, apparet: neque est dubium[7], quin frons, oculi, aures et reliquæ partes, quales propriæ sunt hominis[8], intelligatur.

Qua vi si ponitur, accusativo cum inf. nihil opus est. Quod contra Nissenum monemus, qui, « videmus, esse ita », legendum putat : qui ipse verborum ordo parum concinnus foret. De *id* vero dubitamus, anne scribis debeatur, quum Gud. uterque *quoque id* transponat : pari certe modo ad *perspicuum est* pron. omittitur. Oxon. E. et Mon. *dein* scribunt : ex compendio puta *dein*. G.

3. *Aliis.* Subaudi : corporibus ceterorum animalium.

4. *Cui*. . .*pareat*, *in qua sit*. Sensus est, « cui omnes hominis facultates parere debeant, quum in ea reperiatur ». Quod monuimus, quum interpretes gallicos in his vagos videremus. G.

5. *Virtutumque*. Est, « atque ita virt. » nam *ratione* ad *contemplandum* intenta, *scientia* paratur; quæ ad mores et agendi rationem rite adhibita, mater est *virtutum* omnium. G.

6. *Auct. cum animi partibus. Auctoritas* idem quod *vis* est. De « partibus animi » vid. sup. II, 34, 113. G.

7. *Neque est dubium*. Bas. et Gud. 1, pro *est* præbent *enim*. Quod probamus, quum explicandi particula h. l. ægre desideretur, et verbum subst. auctor crebro exemplo in brevibus enuntiatis omittat. Idque magis, quum sensus sit, « neque enim dubium esse potest ». G.

8. *Quales propriæ sunt hominis, intelligatur.* — In his hæsit Nissenus, quod nihil sit, quod ab *intelligatur* pendeat : suadet igitur, « quam propriæ sint ». At *frons* complectitur omnia, « quæ in anteriore capitis parte conspiciuntur : » inde voces, « oculi, aures, etc. » explicationis causa adduntur. Tum autem ad primarii subst. numerum ab auctore verbi numerum aptari, multis vidimus ad Acadd. II, 1, 1, cll. supra II, 7, 25.—Offendit Matthiæ in *sunt*, cum edd. vett. quibusdam *sint* præferens. Sed indicativus enim asseveratione ex more auctoris sic ponitur; cf. Acadd. II, 18, 58. Sensus est : « Corporis autem partes si dico, dubium esse nequit, eas intelligendas esse, quæ vere sunt propriæ hominis, velut frons », et in ea *oculi*, *aures*, etc. G. — Sed nobis huic loco sensum remotiorem quæsisse Gœrenz videtur : nos putamus Ciceronem idem dicere de fronte, oculis, etc. quod dixit de forma et figura; scilicet ea esse aptissima ad naturam hominis, atque

Sed certe opus est ea valere et vigere, et[9] naturales motus ususque habere, ut nec absit quid eorum, nec ægrum, debilitatumve sit : id enim natura desiderat. Est etiam actio quædam[10] corporis, quæ motus et status naturæ congruentes tenet : in quibus si peccetur distortione et depravatione quadam, aut motu, statuve deformi[11], ut si aut manibus ingrediatur quis, aut non ante, sed retro : fugere plane se ipse, et, hominem ex homine exuens[12], naturam odisse videatur. Quamobrem etiam sessiones quædam, et flexi fractique motus, quales protervorum hominum, aut mollium esse solent, contra naturam sunt : ut, etiamsi animi vitio id eveniat, tamen in corpore immutari hominis natura videatur. Itaque e contrario[13] mode- 36

hoc facile ex eorum inspectione intelligi posse; ita ut omnia fiant perspicua, si post *intelligatur* subaudieris ex præcedd. « quam hæ omn. partes ad n. a. sint ». — *Propriæ*. Ignorat Gud. 2 *propriæ* : sed scriba hoc alia serie interpolasset, non hac, qua apta cum vi ponitur. Mirum tamen est, eumdem cod. idem pari modo abjicere Divin. II, 72, 150 : « Quum autem proprium sit Academiæ, judicium suum nullum interponere ». At utroque loco scribam aliquem sciolum (non hunc codicis, qui totus ab exemplo suo pendet), ex structuræ verbi *est* cum secundo casu notitia, adjectivum otiosum putasse videtur : neutro enim loco adjectivo hoc caruerim. Nostro loco accedit, quod hæ *propriæ* hominis partes, hujus *non propriis*, sed *accidentibus*, valere, vigere, etc. opponuntur. G.

9. *Et naturales*. *Et* Ern. ex edd. primis se addidisse dicit : at eamdem jam Davis. ex binis suis, aliisque aliorum codd. reposuerat, servantque ipsam e nostris quatuor. G.

10. *Est etiam actio quædam*. Erl. et Spir. « est autem etiam », et Gud. 2 cum Ven. 1494, Crat. aliis pro *etiam*, *enim* præbet. Sed hæsere scribæ in *etiam* transitioni serviente, et pro *porro* posita. G.

11. *Aut motu, statuve deformi*. Gœrenz scribit : *ac motu*. Sic, inquit, omnes nostri, præter solum Gud. 2, præbent; idque multo est melius, quum his vv. « distortione et depravatione » explicentur. *Pravus* autem proprie de arboribus distortis dici videtur; unde scholia σκολιὸς et διάστροφος cum eo comparant. Hinc h. l. *depravatio* cum *distortione* idem valet; quare virgulam, quæ vulgo post hoc ponitur, sustulimus.

12. *Hominem ex homine exuens*. Gœr. transp. *exuens hominem ex homine*. Melior, inquit, positus est, quem Spir. et Erl. præbent. Gud. 2 utroque loco *exuens* repetitum ponit. Scribis ordinem vulgatum deberi, nemo facile dubitabit.

13. *E contrario*. Hic, nisi plane fallimur, solus apud Cic. locus est, in

rati æquabilesque habitus, affectiones[14] ususque corporis, apta esse ad naturam[15] videntur. Jam vero animus non esse solum, sed etiam cujusdam modi debet esse[16], ut et omnes partes habeat[17] incolumes, et de virtutibus nulla desit. Atqui in sensibus[18] est sua cujusque virtus[19], ut ne quid impediat, quominus suo sensus quisque munere fungatur in iis rebus celeriter expediteque percipiendis, quæ subjectæ sunt sensibus.

XIII. Animi autem, et ejus animi partis[1], quæ prin-

quo scripti, præter Gud. 2, omnes *e contrario* servant: hic enim *e* ignorat. Monnimus ad Legg. I, 19, 51, auctorem non e sed *ex contrario* dicere; cf. pro Rosc. Comœd. 16, 47; Invent. II, 8, 25, etc. Contra vero Corn. Nepos et Quintil. cum vulgata sæpius. At, teste Nolteno, Vorstius de lat. merito susp. c. 2, p. 27, etiam simplex *contrario* Ciceroni vindicat. Vorstius haud ad manum erat: sed locum Ciceronis nullum novimus, unde hoc simplex jure defendatur. Nam qui in Timæo, 12, « contrario dissedentes » legunt, hi conjectura utuntur, scriptis « contrarios dissidentes » exhibentibus. Possis *contrarie* ibi malle, quod auctor amat; possis vocem ipsam glossam super *dissidentes* olim scriptam putare. Ne certa quidem loci Corneliani fides est Eumen. 1, 5, in quo omnis vocis hujus auctoritas nititur. Fatemur nihil nobis liquere: sed monere ista nostrum putavimus. G.

14. *Affectiones.* Nonnulli scripti et vetus editi *effection*. Sed optimi sic habent. — *Affectiones ususque corporis.* Ad hæc quoque referenda sunt adjectiva verba *moderati æquabilesque*.

15. *Apta esse ad naturam.* Spir. et Erl. cum Eliensi *apti*, idque recepit Davis. Sed recte monuit Ern. neutrum propter diversa genera positum esse. G.

16. *Cujusdam modi debet esse.* Gœr. transp. *esse debet*, non admonito lectore, idemque observat: ποιόν τινα δεῖ εἶναι. Cf. supra IV, 10, 25. Peccant plures scripti *ejusmodi*.

17. *Ut et o. partes h. inc.* Sic vulgatæ. Gœr. post Davis. præbet: *partes suas hab. Suas*, inquit, addidimus e Spir. Erl. Bas. Mon. impressisque vett. plerisque omnibus. Nec aliter Davis. ex suis. Grut. illud abjecerat, quum Pal. 4 et Victorius non agnoscerent. Sed h. l. ægre eo carueris; sæpiusque idem obliteratum vidimus.

18. *Atqui in sensibus.* Spir. et Erl. *Atque.* Perperam. Respondet enim *Atqui* nostro, *Nun aber*, et solet explicationem sæpe sic ingredi, ut *primum* subaudiri possit. Inde fit etiam, ut eam *deinde* excipiat, quale exemplum paullo ante adfuit § 34: « Atqui perspicuum est... deinde id quoque videmus ». G.

19. *Sua c. virtus, ut ne q. imp.* etc. Int. in quoque sensu sua est propria virtus, qua cavetur, etc. vel potius, in eo posita ut, ne quid impediat, etc.

XIII. 1. *Et ejus animi partis.* *Et* valet h. l. *et maxime*, ut Græcis καὶ pro καὶ μάλιστα audit. G.

ceps est, quæque mens nominatur, plures sunt virtutes, sed duo prima genera[2]: unum earum, quæ ingenerantur suapte natura, appellanturque non voluntariæ; alterum earum[3], quæ, in voluntate positæ, magis proprio nomine appellari solent[4]: quarum est excellens in animorum[5] laude præstantia. Prioris generis est docilitas, memoria: quæ fere omnia[6] appellantur uno ingenii nomine; easque virtutes qui habent, ingeniosi vocantur. lterum autem genus est magnarum verarumque virtutum: quas appellamus voluntarias, ut prudentiam[7], temperantiam, fortitudinem,

2. *Sed duo prima generu. Prima* dicuntur, quod auctor sæpe ea voce *generum* exprimit, quæ generibus subjecta sunt, quasque vulgus *species*, ipse autem *formas* appellat. G.

3. *Alterum earum.* In nonnullis edd. *alter. autem ear.* Recte vulgo *autem* abest, neque per Davisium addi ex duobus scriptis ejus debebat. Supponitur enim a librariis in numerando maxime. Hoc loco parum idem contextorum vis admittit. E nostris nesciunt *autem* Bas. et Monac. et Oxonn. E. et ξ. G.

4. *Quæ, in voluntate positæ, magis pr. nomine* (virtutum) *app. solent.* Adjecimus virgulam post *quæ*, cujus ope conjecturam Davisii, ab Ern. probatam, « magis proprie eo nomine », otiosam fecimus, quæ alias arripienda foret. Sic verba « in v. pos. » ut sua sponte patet, valent, « quum sint in voluntate positæ: » estque auctoris mos in partitione scribere selectius. Ceterum in *appellari* contracte loquendi ratio notanda est, verbis dicendi communis. Cf. Wopk. LL. Tull. p. 91 seqq. cll. Mathiæ l. l. p. 8. G. — Post *nomine* Schütz. inseruit *virtutes*, vulgo omissum.

5. *In animorum.* Spir. et Erl. *majorum.* Scriba scilicet vv. *in aiorum* una voce junxit. G.

6. *Prioris generis est docilitas, memoria: quæ fere omnia.* Vox *omnia* videtur postulare, ut plures duabus res antea nominarentur. Ciceronem igitur scripsisse censeo, « prioris generis est docilitas, memoria, cetera (vel *similia*) quæ fere omnia, etc. » PEARC. — Sed Gœr. notat: « quæ fere omnia » valet « sed hæc hujus generis f. om. » Ut enim « hæc, ista, illa », sæpe pro « hæc et talia, etc. » sic *quæ* pro « et, enim, sed talia » pari jure ponitur. Hac quidem ratione *omnis* de duobus recte dici licet, de quo supra. Nihil igitur opus est, nec cum Pearc. *cetera* excidisse putare, nec cum Davis. « qualia f. om. » malle.

7. *Ut prudentiam.* Scripti plerique nostri *et* pro *ut*: sed librariis solemne est in *ut*, si *exempli causa* notat, offendere. — Jure defendit Davis. auctorem contra Lambini accusationem, non recte *prudentiam* in voluntariis virtutibus numerari. Sed quum ille hanc virtutem in sola « rerum expetendarum fugiendarumque scientia » (ex Off. I, 43) ponit, vim ejus arctius

justitiam, et reliquas ejusdem generis. Et summatim quidem hæc erant de corpore, animoque dicenda: quibus quasi informatum est, quod hominis natura
37 postulet[8]. Ex quo perspicuum est, quoniam ipsi a nobis diligamur, omniaque et in animo, et in corpore perfecta velimus esse[9], ea nobis ipsa cara esse propter se, et in iis[10] esse ad bene vivendum momenta maxima. Nam cui proposita sit conservatio sui, necesse est huic partes quoque sui caras esse, carioresque, quo perfectiores sint[11], et magis in suo genere

circumscribit quam contexta patiuntur. Est enim ante oculos his virtutes quatuor cardinales comprehendi, quarum prima in « verum cognoscendi studio » posita h. l. ut sæpius *prudentia* appellatur; cf. infra 23, 66. G.

8. *Quod hominis natura postulet.* Bene in his Brem. *quid* pro *quod* corrigit. Nam etsi quidem ante *informatum* consulto *id* omissum putari potest, ut gravior inde vis in verbum hoc, tertio loco positum, caderet; auctorque sæpe sic pron. demonstr. abjicit: tamen subjunctivus ad *quod* incommodior est; quamquam ipse, non sine exemplo, quum *quod* in tali structura non semel pro « quid sit id, quod » dicatur. G. in Additam.

9. *Omniaque et in animo, et in corpore perfecta velimus esse.* Spir. et Erl. utramque *in* ignorant. Monac. « perfecti volimus : » unde hanc componere lectionem liceat, « omniaque (quoad omnia) et animo et corpore perfecti volimus esse ». *Volimus* pro *velimus* vindicat Priscian. lib. IX, p. 286, Ciceroni ad N. D. II, 32, 81 : « quo facilius id, quod docere volumus, intelligi possit », itaque edidit Davis. Idem eidem conjectura tribuit Ernestius, Brut. 38, 142 : « nulla res magis penetrat in animos, eosque fingit, format, flectit : talesque oratores videri facit, quales ipsi se videri volunt : » suadet enim *volint.* Sed utroque hoc loco indicativus modus longe præferendus est : ut jure dubitari possit, an umquam prisca hac forma usus sit Cicero. Nos quidem vulgatam (quæ etiam inde turbatur, quod Gud. 2, *omniaque*, Gud. 1, Ven. 1494, Crat. *omnia quæ* referunt), veram judicamus; turbas autem inde natas suspicamur, quod scribæ in duplici *in* hærebant, nescii vim ejus h. l. « quod attinet ad » esse, qua vi hanc præp. sæpius vindicavimus, vindicabimusque. G.

10. *Et in iis.* Intelliguntur ea, quæ auctor alias sexcenties « prima naturæ, principia naturæ, prima naturalia, etc. » vocat. G.

11. *Caras esse, carioresque, quo perfectiores sint.* Ne putes *eo* addendum, quum facile possit inter *e* et *c* excidisse videri, dudum docuit Ruhnk. ad Rutil. I, 4, p. 17, particulam hanc, *quo* vel antecedente, vel sequente, omitti solere. Sed h. l. et similibus *eo* ne omissum quidem putari debet, quum *que* ad comparatt. « immo etiam, quid, quod » valeat. Cf. Divv. V, ep. 2 : « Maneo in voluntate, et, quoad voles tu, permanebo; citiusque amore

laudabiles. Ea enim vita expetitur, quæ sit animi corporisque expleta virtutibus : in eoque summum bonum poni necesse est, quandoquidem id tale esse debet, ut rerum expetendarum sit extremum. Quo cognito, dubitari non potest, quin, quum ipsi homines sibi sint per se, et sua sponte cari, partes quoque et corporis, et animi, et earum rerum, quæ sunt in utriusque motu et statu, sua caritate colantur[12], et per se ipsæ appetantur. Quibus expositis, 38
facilis est conjectura, ea maxime esse expetenda ex nostris, quæ plurimum habent dignitatis[13] : ut optimæ cujusque partis, quæ per se expetatur, virtus sit expetenda maxime. Ita fiet[14], ut animi virtus corporis virtuti anteponatur, animique virtutes non voluntarias vincant virtutes voluntariæ: quæ quidem proprie virtutes appellantur, multumque excellunt, propterea quod ex ratione gignuntur; qua nihil est[15] in homine divinius. Etenim omnium rerum, quas et creat natura, et tuetur, quæ aut sine animo sint[16], aut non multo

tui fratrem tuum odisse desinam, quam illius odio quidquam de nostra benivolentia detraham». Crebro id maxime exemplo in *potiusque* cernitur. Cf. Off. I, 26, 9, etc.

12. *Sua caritate colantur.* Spir. et Erl. « sua et car. » Non male. Sic enim loci vis foret, « has non solum ea caritate, qua in ipsas natura ferimur, colamus, quum adsunt, sed etiam propter se ipsas appetamus, quum desiderantur ». *Sua* tum propter vim, quæ pronomini inest, præmissum putabis; pertinebitque hic positus ad particularum transpositionem, cujus sæpius mentionem injecimus. G.

13. *Quæ plurimum habent dignitatis.* Ernest. *habeant* vult : sed satis superque cognitus est hujus mos, quo subjunctivum modum ubique sua sponte obtrudit, vel contra omnium libb. consensum, si accusativus cum infinitivo præcesserit. G.

14. *Ita fiet.* Davisio *fit* placet, quod ex uno suorum eruit. Utrumque recte stabit : sed futurum selectius est ad *ita* in consecutione positum. Cf. Off. I, 18, 2 : « Ita non iidem erunt necessitatum gradus », et ibid. III, 6, 15 : « ita semper officio fungetur ».

15. *Qua nihil est.* Bas. et Mon. *quia :* at *qua*, ut sæpe hac in structura, est hic, *nam ea*. G.

16. *Quæ aut sine animo sint, aut non multo secus.* Vulgati *sint ;* male : nam et ante est *creat, tuetur.* Ernestius. — Non licuit nobis cum Ern. *sunt* invitis et scriptis et editis

secus, earum summum bonum in corpore est: ut non inscite illud dictum videatur in sue, animam illi pecudi datam pro sale, ne putisceret [17].

XIV. Sunt autem bestiæ quædam, in quibus inest aliquid simile virtutis, ut in leonibus, ut in canibus, ut in equis [1]: in quibus [2] non corporum solum, ut in suibus, sed etiam animorum aliqua ex parte motus quosdam videmus. In homine autem summa omnis animi est, et in animo, rationis: ex qua virtus est; quæ rationis absolutio definitur: quam etiam atque
39 etiam explicandam putant [3]. Earum etiam rerum, quas terra gignit, educatio quædam et perfectio est, non dissimilis animantium. Itaque et vivere vitem, et mori

omnibus corrigere: immo potius *quæ* pro *licet eæ* dictum accipimus. Cf. Verr. II, 2, 3: « nam ipsa Messana, quæ situ, mœnibus, portuque ornata sit, ab his rebus, quibus ipse delectatur, sane vacua atque nuda est ». Tentatur ibi quoque *sit*. Alii contra, nescio quam recte, *qui* pro *quippe qui* accipiunt. Acadd. II, 26, 85: « cur non possit tibi Cotta videri, qui non sit ». G.

17. *Animam... datam pro sale, ne putisceret*. Ita ex Nonio editum est, accommodate ad N. D. II, 64, 160: « Sus vero quid habet præter escam? cui quidem, ne putisceret, animam ipsam pro sale datam dicit esse Chrysippus ». Nec aliter loquuntur Varro R. R. II, 4: « Suillum pecus donatum a natura dicunt ad epulandum. Itaque iis animam datam esse proinde ac salem, quæ servaret carnem ». Et Plin. H. N. VIII, 51: « Hoc maxime brutum, animamque ei pro sale datam non illepide existimabatur ». Neque idonea monet Davis. scriptorum lectionem defendens. Nostri cum reliquis omnibus « animum... datum... putresceret ». G.

XIV. 1. *Ut in leonibus, ut in canibus, ut in equis*. Gœr. delet secundum et tertium *ut*. Sic, inquit, ex uno suo Davis. ut dedimus, jubet; nec aliter e nostris Gud. 2, Bas. Mon. *ut* scribæ fere in his ἀσυνδέτοις iterant. Adde huc, quod nullus nec nostrorum, nec aliorum, tertium *ut* agnoscit. His rationibus in ea bis abjicienda facile cessimus.

2. *In quibus... in quibus*. Offendet horum repetitio: sed posteriora valent, *nam in his*; et in talibus, si variato sensu ponuntur, apud auctorem hærendum non est. G.

3. *Quam... explicandam putant*. Gud. 2, « quæ... explicanda », quod ex binis Parisiis recepit Davis. Habet sane ista lectio magnam probabilitatem: nam quæ proxime præcedunt, singula omnis accurate in doctrina de finibus bonorum tractanda sunt. Magis etiam vulgata a scribis repetenda, quam vice versa videtur. Sed quum in virtute, in genere explicanda hæc ipsa insint, quumque scribæ in ipso v. *explicandum* ad *virtutem* relatu hærere potuerint, vulgatam deserere ausi non sumus. G.

dicimus; arboremque et novellam, et vetulam, et vigere, et senescere[4]. Ex quo non est alienum, ut animantibus, sic illis et apta quædam ad naturam aptare, et aliena[5]; earumque augendarum et alendarum quamdam cultricem esse, quæ sit scientia, atque ars agricolarum, quæ circumcidat, amputet, erigat, extollat, adminiculetur, ut, quo natura ferat, eo possint[6] ire: ut ipsæ vites, si loqui possint[7], ita se tractandas tuendasque[8] esse fateantur. Et nunc quidem, quod eam

4. *Et vigere, et senescere.* Vulgo editur *vivere*, sed contra nostros, et, nisi plane fallimur, contra omnes omnium. Nec aliter impressi vett. editique ad Davis. usque; ne hic quidem, nisi tacite: ut id typothetarum vitium, in Ernestiana repetitum, statuendum sit. At *vigere* dicunt proprie arborum et plantarum esse, quum proxime a flore absint; atque inde glossas verbi natas ἀκμάζειν et θάλλειν! At nos vero Festi potius auctoritatem sequimur, qui *vigere* a *vi agere* repetit, atque inde reapse verbum hoc corporibus animo præditis, quum *valide agunt*, proprium addit. Ne multa: *vigere* h. l. ad *novellam arborem* refertur; et *vetula* si *senescere* dicitur, pari tropo *vivit*. G.

5. *Et apta q. ad naturam aptare, et al.* Pro *aptare* Gœr. (et post eum Schütz.) *putare*, notans: Mireris, si h. l. intt. videas, quantopere inter olim vulgatum *amputare* et serius mutatum *aptare* titubent, omniaque potius agant, quam ut cum Lambino verum agnoscant. Nostrorum quidem 3 quoque *amputare*, ex quibus Gud. 1 Mon. cum 5 Oxonn. *amputareque al.* Sed quomodo quæso « non alienum est in animantibus et stirpibus apta quædam ad naturam amputare? » quomodo contra his « aliena a natura aptare »! quum apta ad naturam nullo jure amputari, et contra aliena ab hac nullo modo aptari possint: ne miserum illud *apta... aptare* urgeamus. *Putare*, quod bini illi optimi firmant, vera lectio est. *Amputare* ex sequentibus natum est, syllaba *am* præcedentis vocis favente: *aptare* autem comp. verbi *amputare* est, quod lineola neglecta Pal 4 et Victorius exhibent. De reliqua loci grammatica ratione docte exponit Matthiæ l. l. G. — Gruterus conjic. *autumare*.

6. *Eo possint ire.* Gœr. scribit *possit*: *Possint*, inquit, est e conjectura Davisii, quod Ern. recepit. Non male. Nec per se contemnendum est, quod insuper Ern. suadet, « feratur, possit ire ». Sed nostri quoque omnes *ferat* et *possit*. Nec opus est, ut alterutrum malis, si *possit* ad « sapientiam atque artem agricolarum » retuleris. Natura autem fert arbores « ad lætos fructus faciendos, etc. » *Ea it*, id est, hoc intendit, agit, agricultura « circumcidendo, amputando, erigendo, etc. » Ceterum videtur Cic. illud ὁδῷ βαδίζειν græcorum philosophorum in animo habuisse. G.

7. *Si loqui possint.* Sic 4 nostri firmant: cujus loco Dav. male *possent*. G.

8. *Tuendasque.* Præbet Vien. *tutandasque*, et inf. Gud. 2 *potissime*. G.

tuetur, ut de vite potissimum loquar, est id extrinsecus. In ipsa enim parum magna vis est, ut quam optime se habere possit, si nulla cultura adhibeatur.
40 At vero si ad vitem sensus accesserit, ut appetitum quemdam habeat, et per se ipsa[9] moveatur, quid facturam putas? An ea, quæ per vinitorem antea consequebatur, et per se ipsa curabit? sed videsne accessuram ei curam, ut sensus quoque suos, eorumque omnium appetitum[10], et, si qua sint ei membra adjuncta[11], tueatur? Sic ad illa, quæ semper habuit, junget ea, quæ postea accesserint; nec eumdem finem habebit, quem cultor ejus habebat : sed volet secundum eam naturam, quæ postea ei adjuncta sit, vivere. Ita similis erit ei finis boni[12] atque antea fuerat, nec

9. *Per se ipsa... per se ipsa.* Bis Gœr. scrib. « per se ipsam », deletque *et* ante alterum. Ita, inquit, nostri omnes : neque discedimus a scriptis, licet priori loco etiam Ven. 1494, Crat. cum vulgata *ipsa* exhibeat, et Ern. posteriore loco sic correxerit. Non enim vult auctor vitem ratione ductam, sed impetu motam. Nam « per se ipse » dicitur, qui « sua sponte ex sese » movetur, curat, non cæco impetu abreptus. Nam h. l. *appetitus* non ea sola vi dicitur, qua apud Stoicos libro III et IV poni vidimus. Delevimus deinde cum Davis. *et* ante posterius *per se* vulgatam, quum in quinque etiam nostris, et Ven. 1494, et Mars. non compareret. Addita haud dubie est ad præcedd. normam.

10. *Eorumque omnium appetitum.* Spir. et Erl. *omnem.* Non male. Sed hoc si auctori placuisset, alio, nisi fallimur, ordine, *omnemque eorum* scripturus fuisset. G.

11. *Si qua sint ei membra adjuncta.* Gœrenz delet *membra.* Hæc vox, inquit, in scriptis vaga sede, ut solet in spuriis. Nam Spir. et Erl. « adjuncta ei membra », Gud. 1 et Bas. « ei membra sint adj. » transponunt. Neque sane assequeris, quid h. l. *membra* sibi velint; quum auctor idem dicat, quod in proximis, « quæ postea accesserint », et, « quæ postea ei adjuncta sit ». Gud. 2 et Ven. 1494, *sunt* pro *sint* : quod non est contemnendum. Atque si forte in scriptis aliquando *si quæ* reperietur, tum veram Ciceronis manum hanc dicemus, « et si quæ (pro *quæcumque*) sunt ei adjuncta ».

12. *Ita similis erit ei finis boni.* Editur vulgo « ita et similis erit et f. b. » Sed prior *et* in nostrorum nullo comparet : neque eam P. Manut. Lamb. referunt. Davis. posteriore *et* abjecta, quam cum Ascensiana (utraque) unus ejus scriptorum ignorat, priorem retinuit : quamquam in textu exhibendo typothetæ non paruerunt. Ern. hunc secutus est. Oxon. editio utramque *et* sic nescit, ut modo ξ. et χ. ex quinque ejus codd. posteriorem *et*

idem[13] tamen : non enim jam stirpis bonum quæret, sed animalis. Quod si non sensus[14] modo ei sit datus, verum etiam animus hominis : non necesse est, et illa pristina manere, ut tuenda? et inter hæc[15] multo esse cariora, quæ accesserint? animique optimam quamque partem carissimam? in eaque expletione naturæ summi boni finem[16] consistere, quum longe multumque præstet mens atque ratio? Sic et extremum omnium appetendorum, atque ductum a prima commendatione naturæ[17], multis gradibus adscendit,

exhibere dicautur. Nos qoidem *et* hanc ex *ei* corruptam judieamus, quod hoc loco parum recte aberit, quodque Ern. post *similis* iusertum volebat : atque ita edidimos. Idem Davisium quoque coujecisse serius vidimus.

13. *Nec idem*. Gœr. scr. *neque* e sex suis cum Vien. Ox. E. P. Marso, Davis.

14. *Quod si non sens.* Gœr. præbet *Quid? si non s.* Ita, iuquit, ex Spir. et Erl. dedimus, certi banc vere esse auctoris manum. Iu hac enim forma quom *si* iuterponitur, et interrogativa particula sequitur, vel suppressa cogitanda est, sæpe *quid? si* in *quod si* a scribis mutatum est. Cf. Off. III, 23, 5; Fio. II, 24, 79. *Quod si* h. l. ubi auctor quasi per grados ascendit, marcet : at *quid?* tum prorsus ex auctoris usu est.

15. *Tuenda? et inter hæc.* Spir. et Erl. *tuendas;* idque vitium ex interrogandi signo ortom putabis, quod scribæ pro re nata modo in *ur*, modo in *s* corrumpuot. Deinde nesciunt nostri omnes *et*, quæ abesse nequit. Sed scribæ bærent ubique io duplici *et*, si non « solum . . . sed etiam « valet. Eadem causa est, quare quatuor Oxonu. priorem *et* ignoraut. G.—Acute Brem. *inter* tullit, quoio *illa pristina* et « bæc quæ accesserint » opponantur. Sed volgata defenditur ex eo, quod haud ita raro Cicero proun. « ille. . . hic « ad idem relata pouit. Cf. IV, 13, 26 : « illi brevius, secuudum naturam vivere. Hoc his bonorum videtur extremum ». Ad *cariora* deiude *ea* cogitabis, quod frequente relativo sæpissime omittitor. Possis tamen *ea* aute *cariora exeidisse* putare. Sic « ioter hæc ea cariora « optime dictum erit pro « ea , his adjunctis, car. « G. iu Add.

16. *Summi boni fin.* Exhibent Monac. et Oxono. E. ξ. « summum boni finem : « quod facile esse aliquid videatur, quum *summus* sæpe idem quod *ultimus* valeat. At tum auctor « summum bonorum finem » scripsisset : nam plures *bonorum* fioes statoontor, nou *boni*. G.

17. *Sic et extremum omnium appetendorum, atque ductum a prima commendatione naturæ*. Sensus est : « Hac ratione adeo, id quod omnium appetendorum ultimom est, quodque ductum est . . . ascendit ». Nihil est igitur, cur cum Lamb. et Ern. *atque*, scriptorum editorumque fide uisam, deletam velis. Sed Spir. *sicque*, Erl. *sitque extimum*. Et saue *Sicque* delendi liceat, si « Et sic quidem « acceperis. Agrar. II, 21, 56 : « sicque agro grande vectigal imponitur ». At probabilius

ut ad summum perveniret[18] : quod cumulatur[19] ex integritate corporis, et ex mentis ratione perfecta.

41 XV. Quum igitur ea sit, quam exposui, forma naturæ; si, ut initio dixi, simul atque ortus esset, se quisque[1] cognosceret, judicareque posset, quæ vis et totius esset naturæ, et partium singularum, continuo videret, quid esset hoc, quod quærimus, omnium rerum, quas expetimus, summum et ultimum; nec ulla in re peccare posset. Nunc vero a primo[2] quidem mirabiliter occulta natura est, nec perspici, nec cognosci[3] potest. Progredientibus autem ætatibus, sen-

videtur partt. *et* ac *que* per scribas accessisse, quippe qui ignorarent, qua vi *sic* in applicatione exempli positi, et omnino in consecutione dicatur. Conf. Off. III, 10, 7. G. — Pro *atque* Nissenius *idque* suadet, non male, sed sine necessitate. Bremi, ut nos quidem suasimus, *et* post *Sic* abjici jubet. Quod autem hic ipse Vir Doctissimus, optione data, ante *et* quoque *summum* excidere potuisse judicat; in eo jure dissentire nobis videmur. Tum enim alia verborum collocatio, aut certe *illud* additum, requireretur. Ne moneamus, parum concinne dici « summum...ut ad summum perv. » G. in Addit. — *Extimum* pro *extremum* refert idem Erl. cum Gud. 2, in Timæo 5, et Somn. Scip. 9, » orbis cælestis extimus », editur. Sed nos in his rarioribus vocibus paullo sumus apud Ciceronem scrupulosiores. Cf. Festus in *extimum* et Gronov. ad Gell. Noct. Att. X, 3.—*Commendatione* denique ex verissima est Lambini emendatione. Cf. infra, 17, 46 : « ut ea (ratio) duceretur omnis a prima commendatione naturæ ». Spir. et Erl. cum Eliens. *commutatione;* reliqui scripti editique vett. *communitate* ex compendio male intellecto peccant. G.

18. *Ut ad summum perveniret.* Ad *summum* cogitabis *gradum*. Deinde non offendes quum Ern. in » perveniret : » *ascendit* enim perfectum tempus est, et respectu ad ea, quæ præmissa sunt, ponitur. Voluit auctor selectius loqui pro, « extremum...multis gradibus ascendit, ut extremum esset. » G.

19. *Cumulatur*, notat, » cumulatim, abunde, plene, perfecteque adest ». Cf. pro Sext. 40, 86 : « Hoc sentire, prudentiæ est; facere, fortitudinis : et sentire vero, et facere, perfectæ cumulatæque virtutis. » G.

XV. 1. *Si, ut...se quisque.* Gœr. scribit : *si, ut...si quisque*, notatque : De hoc duplicis *si* positu cf. Brem. de Fato, 9, p. 37, collatis iis, quæ ad Acadd. I, 2, 4 monuimus. Nihil est igitur, quod Gud. 2, prioris loco *sic*, posterioris Erl. *se* referunt.

2. *A primo.* Vide supra IV, 13, 34 : Gud. 2 igitur quum *principio* refert, glossam sequitur. G.

3. *Nec perspici, nec cognosci.* Ne repetitam *nec* eadem plane jungere putes (quod alibi ex errore VV. DD. statuunt), memineris *perspicere* ubique ad accuratam partium, *cognoscere* ad rei in universum spectatæ, notitiam pertinere. G.

sim, tardeve potius quasi nosmet ipsos[4] cognoscimus. Itaque illa prima commendatio, quæ a natura nostri facta est nobis, obscura et incerta est[5]; primusque appetitus ille animi tantum agit, ut[6] salvi atque integri esse possimus. Quum autem dispicere cœpimus[7] et sentire, quid simus, et quid animantibus ceteris differamus[8], tum ea sequi incipimus, ad quæ nati sumus. Quam similitudinem videmus in bestiis. Quæ 42
primo, in quo loco natæ sunt, ex eo se non commovent; deinde suo quæque appetitu movetur[9]. Serpere

4. *Quasi nosmetipsos cognoscimus.* Ern. se ipse decepit, quum *nosmetipsi* suaderet : suadere enim tum « nos nosmetipsi » debebat; sed vel hoc sine ulla justa causa. G.

5. *Quæ a natura nostri facta est nobis, obscura et incerta est.* Gœrenz transp. *incerta et obscura est.* Omnes nostri, inquit, ut edidimus; nec aliter Vien. et P. Mars. Transpositio inde haud dubie facta est, quod *nobis* ad sequentia referebatur virgula post *facta est* posita : tum sane *nobis incerta* minus quadrabat. Sed *nobis* utique Marsi exemplo ad præcedd. applicandum est; *obscura* autem explicandi causa additur. Similis positus ratio est pro Muren. 17, 36 : « Nihil est incertius vulgo, nihil obscurius voluntate hominum ». Sic sup. II, 17, 54, « occultus et tectus » dicitur, quamquam proprie transponenda hæc erant : et talia innumera.

6. *Tantum agit, ut.* Ernestio *id* excidisse videtur. Perperam. *Tantum* adjectivum est, non adverbium (in quo toties VV. DD. cæcutiunt). Scribit Bremi « tantum id agit; » ad hanc formulam solemnem laudans Corte ad Sallust. Jugurth. 27, 2, et Arntzen. ad Plin. Panegyr. 5, 3. G. — Possis « id tantum agit » malle, quum sic *i.* comp. facile, præcedente eadem vocali, sorberi potuerit : sed in *tantum* simplici, si adjectivum, non adverb. putabitur, causa etiam, cur h. l. verbo suo sine vi præmissum sit, patebit, quum « nec plus, nec minus » valeat. De adjectivo hoc sæpius his in libris egimus, quum causa intempestivæ correctionis esset. G. in Addit.

7. *Cœpimus.* Gœr. scr. *cœperimus*, notatque : Causa parum idonea Ern. *cœpimus*, cum Paris. Alemanni legit. Sæpius enim monuimus, *quum*, si « eo tempore, quo » valet, æque subjunctivum admittere, atque indic. Scribas in his perfectis ex compendio *cœpīmus* miscere satis cognitum est. Sic paullo inferius, « quum vero paullum firm. accesserit », Erl. *accessit* peccat.

8. *Quid simus, et quid animantibus ceteris differamus.* Davis. conjicit, « quid simus et qui : », sed conjicere potius debuisset *qui* (quales quantique *simus*, et *quid* (quantum), etc. Sed vulgata, nisa scriptis editisque omnibusque, stare potest. G.

9. *Suo quæque appetitu movetur.* Refert, eum binis Davisii, Gud. 2, « quæque suo appetitu moventur : » sed talia scribarum incuria, non auctoris usus frequentat. *Quæque* est, « singula quæq. bestia : » male igitur Davis. verbi pluralem secutus est. G.

anguiculos, nare anaticulas, evolare merulas, cornibus uti videmus boves, nepas[10] aculeis; suam denique cuique naturam esse ad vivendum ducem.

Quæ similitudo in genere etiam humano apparet. Parvi enim primo ortu sic jacent, tamquam omnino sine animo sint. Quum autem paullum firmitatis accesserit, et animo utuntur, et sensibus; connituntur-que, ut sese erigant, et manibus utantur[11]; et eos agnoscunt, a quibus educantur; deinde æqualibus delectantur, libenterque se cum his congregant[12], dantque se ad ludendum; fabellarumque auditione ducuntur; deque eo, quod ipsis superat, aliis gratificari volunt; animadvertuntque ea, quæ domi fiunt, curiosius, incipiuntque commentari aliquid et discere; et eorum, quos vident, volunt non ignorare[13] nomina; quibusque rebus cum æqualibus decertant, si vincunt[14], efferunt se lætitia; victi debilitantur, animos-

10. *Nepas.* Scripti plerique, nostrique omnes, eum olim vulgata *vespas.* Sed Gud. 1 superscriptum refert « al' nepas scorpiones ». Firmatur *nepas* scriptorum quoque binorum Lambini, unius apud Grut. et Davisii auctoritate. G.—*Nepa* est scorpius.

11. *Ut sese erigant, et manibus utantur.* Erl. *sese ut*, et Bas. cum P. Mars. et Crat. *utuntur.* Sed vulgata tenenda est, quum nulla gravior vis in *sese* h. l. lateat, et *utantur* a *connituntur* pendeat. Alia res est in *agnoscunt*, quum *et*, quæ præcedit, *porro* valeat. G.—Melius putat Brem. fore, si *utuntur* legatur, quum non apte hoc verbum e *connituntur* pendeat, sed novum sit parvorum conamen. Quam rationem, si vel probabilior sit, quam putamus, tamen ideo probari nolimus, quod ex duplici *utuntur*, eoque tam propinquo κακοφωνία vix ferenda oritur. Sed haud dubie parvulorum « connisus erigendi sese manuum usu fieri », auctor cum rei natura voluit. —*Et* (quod ante *manibus*) intelliges, « et in hanc rem, et ad sese erigendum, etc. » G. in Addit.

12. *Se cum his congregant.* Exhibent E. et ξ. omisso *se*, *congregantur.* Sed offendebant scribæ in verbi activo: quod ex Monac. patet, qui utraque ratione juncta « se...congregantur » præbet. Cf. Philipp. XIV, 6, 15: « unum se in locum...congregabant». Ceterum *que* h. l. sexies repetita, notanda est: vide ad Acadd. I, 6, 23. G.

13. *Volunt non ignorare nomina.* Mars. *nolunt ign.* Quod ne malis, animi in rem propensionem verbo *volunt* expressam notabis. Ita sæpius auctor, « volui te non ignorare, non latere, etc. » G.

14. *Quibusque rebus cum æqualibus*

que demittunt. Quorum sine causa fieri nihil putandum
est. Est enim natura sic generata vis hominis[15], ut ad 43
omnem virtutem percipiendam facta videatur : ob
eamque causam parvi virtutum simulacris, quarum
in se habent semina, sine doctrina moventur. Sunt
enim prima elementa naturæ; quibus auctis, virtutis
quasi carmen efficitur[16]. Nam quum ita nati factique
simus, ut et agendi aliquid, et diligendi aliquos, et
liberalitatis, et referendæ gratiæ principia in nobis

decertant, si vincunt, effer. Gud. 2, « quibus ex rebus ». Mars. « quibusque de rebus ». Posterius jam antea Lambinus et Davisius ex ingenio suaserant, probante Ernestio. Nos quoque hanc in lectionem propendemus : sed vulgatam ferri recte posse putamus, si ista sic acceperis : « et in quibus rebus decertant, in his efferunt se lætitia ». — Deinde vulgo *vincunt* editur, quod vix latinum est : nam tum, si vicerunt, efferuntur pueri lætitia. Verissime igitur conjecit Ern. *vicerint*, adhibito loco simili infra 22, 61 : « ut illi efferuntur lætitia, quum vicerint ». Quam conjecturam firmant auctoritate sua Spir. et Erl. G. — Et sic dedit ipse Gœrenz in edit. sua.

15. *Est enim natura sic generata vis hominis.* Davis. aut *vis* deleri, aut poni ejus loco *omnis* jubet : quorum prius probat Ern. laudans infra 23, 66 : « quum sic hominis natura generata sit ». Sed ne citius adsentiaris, notandum est, utrumque bene stare posse. Nam auctori sic *vis deorum* Divin. I, 1, 1, et *vis nascentium* ibid. II, 44, 93, dicitur, ut simpliciter *facultatem* notet. Deceptus autem est Davis. quod *natura* casum sextum esse non videbat. Variare igitur voluisse Cicero putandus est, quum scribere, « natura sic generata natura hom. » nollet hac vi, « natura communis (deus) hominis naturam talem fecit. » G.

16. *Quibus auctis, virtutis quasi carmen efficitur.* Gud. 2 *virtutis* sine justa ratione ignorat. *Carmen* autem, cujus loco J. Fr. Gron. *germen*, Davis. *cacumen*, Nissen. *lumen*, malunt, Ern. in Clave sic tuetur, ut *elementa*, quæ præcedunt, ut singulos versus, virtutem autem tamquam *carmen* ex iis compositum dicat, *virtutisque concentum* explicet. Ad reliquum contextum non male : modo docuisset, qua ratione sic vv. *quibus auctis*, capi deberent; frigent enim, si *numero* intellexeris. Placet igitur potius *carmen* pro *formula*, ut sæpe dicitur, accipere, ut summa illa *regula*, lex, qua virtus omnis nititur, indicetur. Tale quid certe verba inferius posita, « ut... ad naturæ perveniat extremum », innuere videntur. Tum vv. *quibus auctis*, valebunt « quæ si amplificata fuerint, ad eam formulam, quæ virtutem omnem complectitur, pervenire licet ». A primis enim naturæ ascensus ad summum bonum, normamque virtutis fiebat. Prima autem naturæ, quæ ad animum referuntur, sunt illa « virtutum simulacra, semina, scintillulæ » (igniculi, vid. supra 7, 18, coll. Tusc. III, 1, 2, 1; Legg. I, 12, 33), quæ in pueris conspiciuntur. G.

continueremus, atque ad scientiam, prudentiam, fortitudinemque[17] aptos animos haberemus, a contrariisque rebus alienos: non sine causa eas, quas dixi, in pueris virtutum quasi scintillulas videmus, e quibus accendi philosophi ratio debet[18], ut eam, quasi deum[19], ducem subsequens, ad naturæ perveniat extremum. Nam, ut sæpe jam dixi, in infirma ætate, imbecillaque mente vis naturæ per caliginem[20] cernitur: quum autem progrediens confirmatur animus, agnoscit ille quidem naturæ vim, sed ita, ut progredi possit longius, per se sit tamen inchoata[21].

44 XVI. Intrandum est igitur in rerum naturam, et penitus, quid ea postulet, pervidendum. Aliter enim nosmet ipsos nosse non possumus. Quod præceptum

17. *Ad sc. prud. fortitudinemque.* Gœrenz delet *que*. Hanc, inquit, part. Erl. Gud. 2 et Bas. nesciunt, et ipsæ aures deletam probant. Cf. Cato Maj. 6, 17: « consilio, auctoritate, sententia, etc. » Adde quæ Ruhnk. ad Vellei. I, 4, p. 13, horum ἀσυνδέτων exempla laudat.

18. *E quibus accendi philosophi ratio debet.* Gud. 2 transponit *ratio philosophi*. Ern. autem ad vv. *philosophi ratio* notat, « durum hoc mihi videtur, nec sanum ». Sed secundum casum, ut sæpe, pro tertio positum putabis. Cf. II, 9, 27. Neque in verbi *accendi* tropo hærendum est, quum sæpe ratio *lumen vitæ* dicatur. Sensus est: « Ab his virtutis vestigiis, in pueris conspicuis, proficisci philosophus debet, et eo usque progredi, dum ad extremum, i. e. summum bonorum finem, pervenerit ». G.—Brem. conjicit corrigendum *philosophia*, sed ita ut Gœrenzium probemus, qui Bremium non probaverit.

19. *Eam, quasi deum.* In animo auctor *solem* habuisse videtur, quocum *rationem* comparatam vellet: ita certe ex similitudine posita non exciderit. Cf. Timæ. 9: « Deus ipse solem, quasi lumen, accendit ». G.

20. *Per caliginem cernitur.* Gœr. ante hæc addit *quasi* ex Spir. Erl. Gud. 1 observatque: Scribæ consulto particulam delerunt, quum, quo vis ejus tenderet, non viderent. Sed excusare auctor dicendi rationem « per caliginem cernitur » voluit, quum *cernere* (quod « discrete distincteque videre » valet), *per caliginem*, proprie non liceat. Videatur locus similis, ubi *quasi* præponitur, Philipp. XII, 2, 3: « quod videbam equidem, sed quasi per caliginem præstrinxerat aciem animi D. Bruti salus ».

21. *Sed ita, ut progredi... inchoata.* Hæc sic capies, « non quidem per se perfectam, sed perficiendam »; vulgus dixerit, *perfectibilem*. *Sed ita* est, « sed talem, ita comparatam ». Loquitur autem auctor de *natura humana*, non de illa rerum universi, ut in proximis. Sic § 46: « partes naturæ, corpus et animus » dicuntur. G.

quia majus erat, quam ut ab homine videretur[1], idcirco assignatum est deo. Jubet igitur nos Pythius Apollo noscere nosmet ipsos[2]. Cognitio autem hæc est una, ut vim nostri corporis[3] animique norimus, sequamurque eam vitam, quæ rebus ipsis perfruatur[4]. Quoniam autem is animi appetitus[5] a principio fuit, ut ea, quæ dixi, quam perfectissima a natura haberemus[6]: confitendum est, quum id adepti simus,

XVI. 1. *Quam ut ab homine videretur.* Sc. *dictum*, quod in præcedente *præceptum* latet. Præterea sæpe Latini, » hoc a Terentio, Platone, Varrone est », pro » Terentii, Platonis, etc. » sc. dictum. Nihil igitur mutamus, licet Th. Bentlei. *ederetur*, Davis. *traderetur* malint, et Ernestio *natum*, vel *ortum* adjici placeat. G. — Vocabulum *præceptum* proprie nihil aliud est, quam participium: hanc vero participii vim spectans Cicero scripsit, quasi diceret; quod quia majus erat, quam ut ab homine videretur præceptum, idcirco assignatum est Deo. Moser.

2. *Jubet igitur nos... noscere nosmetipsos.* Pari vitio, ut supra, § 41. Ern. *nos* abjici jubet. Sensus ex contextis hic est: « Apollini inde auctori dictum hoc tribuitur, quo jubemur, etc. ». G.

3. *Ut vim nostri corp.* Sp. et Erl. « nostri ut corp. » omisso *vim*. Forte scrib. « nostri ut vim corp. » vulgatæ enim positus languet: bene autem *nostri* h. l. quum *vim* præierit. Scribæ certe tum ubique trepidant, si regens casus rectis includitur. Sic. Off. II, 8, 11: « multorum impunitates scelerum », ex Nonio, et uno nostrorum pro, « mult. impunita scelera », reponendum, quum hæc elegans lectio neque misero excerptori, nec inscio scribæ tribui possit. At E. ξ. et Mosc. « ut quum vim nostr. » Quod ipsum, *que* proxima deleto, non ineptum est. G.

4. *Quæ rebus ipsis perfruatur.* Ita codd. nostri præter unum omnes; nisi quod Erl. pro *ipsis*, *his* refert. Plures aliorum cum Mosc. et 5 Oxonn. *perficiatur*, quod Davisio placet. Sed vulgatum verum est. Vita enim, quæ e virtute vivitur, recte rebus ipsis perfrui dicitur: quum, qui non e virtute vivat, in errore versetur, inanibusque opinionibus abreptus, umbras simulacraque rerum, non res ipsas quales sunt, sectetur. « Quæ... perfruatur » valet, « qua perfrui liceat »: » res ipsas » autem sunt, ad quas « vis corporis animique tendit, quas appetit ». G.—Gœr. addit in calce libri: *rebus* delet Bremi, ut *ipsis* referatur ad « animum et corpus ». Nos quidem ad ea, quibus vulgatam defendendam esse putavimus, hoc addimus: Academicos ac Peripateticos veteres *honeste vivere* explicasse, « frui rebus his, quas natura primas homini conciliet ». Si vero vulgata rejicienda est, tum Bremii rationem unice amplectemur.

5. *Quoniam... is animi appetitus... fuit.* I. e. « quoniam animus ad id cum impetu fertur ».

6. *Ut ea, quæ dixi, quam perfectissima a natura hab.* Mss. aliquot delent *ea*. Gœrenz delet *a*, notatque:

quod appetitum sit, in eo quasi ultimo consistere naturam, atque id esse summum bonum; quod certe universum sua sponte ipsum expeti, et propter se, necesse est, quoniam ante demonstratum est, etiam singulas ejus partes esse per se expetendas. In enumerandis autem corporis commodis si quis prætermissam a nobis voluptatem putabit, in aliud tempus quæstio differatur[7]. Utrum enim sit voluptas in iis rebus, quas primas secundum naturam esse diximus, necne sit[8], ad id, quod agimus, nihil interest. Si enim, ut mihi quidem videtur, non explet bona naturæ voluptas, jure prætermissa est. Sin est in[9] ea, quod quidam volunt, nihil impedit nostram hanc comprehensionem[10] summi boni. Quæ enim constituta

Hoc recte Ernestio displicet; quamquam audacior abit conjiciens, « ut ea, quæ dixi a natura habere, quam perfectissima haberemus ». Ignorant *a* Spir. Erl. Gud. 2. *Natura* est, « naturali via, natura conciliatrice » : si auctor *a* posuisset, ex more suo *data*, *tributa*, vel tale quid, adderet. Præterea persæpe auctor, « hoc natura habemus, hoc natura nobis est ».

7. *In aliud tempus quæstio differatur.* Spir. Erl. Crat. *ea quæstio:* quod contemnendum, hoc in contextus tenore, non est, quum, post enuntiatum interpositum, idem pron. auctor vel plane superflue addat. G.

8. *Utrum enim sit.....necne sit.* Egregie errat Ernest. posterius *sit* delendum judicans. Cic. et hac in forma repetito *sit* scribit: et sine *utrum*, v. c. *sint ea, necne sint;* cf. IV, 12, 29; Nat. Deor. III, 7, 17. Neque est sine vi hæc repetitio, quum sic in verbo substantivo pondus insit. Exempla utriusque rationis observare ubique licet. G.

9. *Si enim, ut mihi... vid. non explet... Sin est in ea, q. quid. vol.* Dav. *in eis* conjecit, probante Ern. idque, si reliqua lectio ferenda est, necessario. At post *enim* inserit Gud. 2 *sit*, Bas. *est.* Inde totus locus sic legendus videtur : « si enim est (scil. in primis naturæ), ut mihi quidem videtur, nec explet bona naturæ voluptas, jure prætermissa est : si non est, quod quidam volunt, etc. » Peritis, et contexta rite consulentibus, hæc conjectura sua sponte probabitur : imperitia audaciam ejus (quæ modo videtur, non est), excusatam ne volumus quidem. Hoc modo addimus, *nc.* et *n.* compendia partt. *nec* et *non*, confundi sæpe : hoc autem loco quum sequatur *e* litera, pronius etiam in lapsum vocem pependisse. Voces *in ea* scribæ adlevere. Pro *in ea* Brem. eleganter sane *inter ea* conjecit.—*Quidam* autem sunt Stoici : qui voluptati modo « simile quiddam naturalis boni » concedebant, Legg. I, 11, 31. G.

10. *Nihil impedit nostram hanc*

sunt prima naturæ, ad ea si voluptas accesserit, unum aliquod accesserit commodum corporis, neque eam constitutionem summi boni, quæ est proposita, mutaverit.

XVII. Et adhuc quidem ita nobis progressa ratio 46
est, ut ea duceretur omnis a prima commendatione naturæ[1]. Nunc autem aliud jam argumentandi sequamur genus, ut non solum quia nos diligamus, sed quia cujusque partis naturæ et in corpore, et in animo sua quæque vis sit[2], idcirco in his rebus summa nostra sponte[3] moveamur. Atque ut a corpore ordiar, vi-

compr. Spir. *vestram hanc nostram.* Erl. *nostram hanc nostram.* Gud. 1, *vestram hanc esset.* E. ξ. et Ven. 1494, *naturam hanc.* Inde hanc conjecturam elicueris, « nihil impedit veram hanc esse nostram compreh. » nam u^{am} scribis et *veram* et *vestram* valet. Sed possis in vulgata acquiescere. *Nihil impedit* idem valebit, quod, « expedita est nostra, etc. » Accedit, quod auctor, quantum quidem novimus, semper *nihil impedit*, non cum accus. et inf. sed cum *quominus*, vel negativa alia addita; licet sine *nihil*, « pudor impedit exquirere, etc. » scribat. Tamen in vulgatæ positu offendimur: scribendum enim erat « nihil... boni impedit ». Ut igitur aperte sententiam nostram pronuntiemus: deleto utroque loco *nostram*, scribendum, « veram hanc esse comp. » videtur. Sic *esse* inter duplicem *c*, quum $\overline{ee}$ pingatur, excidere facile potuit; *nostram* autem sæpe ad pron. hoc demonstr. scribæ supplent. Accusat. autem cum inf. si exempla auctoris ignorantur, ex græcæ orationis imitatione derivarimus, cum quo οὐδὲν κωλύει frequenter jungitur. G. — *Comprehensionem* valet *comprehendendi rationem.*

XVII. 1. *Et adhuc...naturæ.* Int. Quæ argumenta hactenus explicuimus, ut ostenderemus in quo summum bonum situm esset, ea duximus e prima commendatione naturæ.

2. *Cujusque partis..... sua quæque vis sit.* Ern. in *quæque* hæret, *quædam* commendans. Perperam. Vult auctor, « quamque vim cujusque partis, etc. suam » esse, i. e. « cujusque partis propriam ». G. — Bremium non probamus, quum dicit rectius legi « sua cujusque vis sit »; ut Cicero sine vi vocem *cujusque* quæ est jam statim ante repetat. Vulgatum enim *quæque* pro *quæcumque* dictum, elegantius est, quum multiplex vis et corpori et animo insit. Parum etiam h. l. ejusdem casus repetitionem aures admittunt. G. in Additam. — *Vis* hic valet, virtus per se laudanda, per se expetenda.

3. *Summa nostra sponte.* Ern. post *summa* virgula interpunxit; idem vero, Lambini exemplo, *summa* delendum censet, prorsus tamquam alienum et sine sensu ad h. l. apto. Brutus *summe*, Davis. *consummandis* suadent. Davisii verbum Ciceronis non est, falsoque huic id Noltenus, Schellerus, alii tribuunt. Reliquos ni-

desne, ut, si qua[4] in membris prava, aut debilitata,
aut imminuta sint, occultent homines? ut etiam contendant et elaborent, si efficere possint, ut aut non
appareat corporis vitium, aut quam minimum appareat[5]? multosque etiam dolores curationis causa
perferant? ut, si ipse usus membrorum non modo
non major, verum etiam minor futurus sit, eorum
tamen species ad naturam revertatur? Etenim quum
omnes natura totos se expetendos putent, nec id ob
aliam rem, sed propter ipsos: necesse est ejus etiam
partes propter se expeti, quod universum propter se
47 expetatur. Quid? in motu et in statu corporis nihilne
est, quod animadvertendum esse ipsa natura[6] judicet?

hil moramur, sed certi sumus cum P. Manut. *summa nostra sponte* jungi debere, et licet recens dictum sit ab auctore (ejus enim in dicendo καινοτομία, ut Plutarch. vocat, oblivi-scenda non est), tamen recte dicitur. Nam vocem, quæ augeat, ad *nostra sponte* recte poni, contexta testantur: ad subst. autem *sponte*, *summa* addi, naturæ linguæ facillime patitur. Accedit, quod forte in græcis Antiochi, quæ h. l. Cicero expressit, erat, ἐκ vel ἀπὸ τοῦ πάνυ αὐτομάτου. Sed rectius huc græcum μάλιστα ἑκουσίως applicabis, quod Clericus ad h. l. laudat Art. Crit. III, 1, 11, § 21, quodque ad marginem exemplaris sui probat Reizius. G. — *Summa* Brem. quoque delendum judicat, ut adnotationem librarii, qui hanc esse *summam* eorum, quæ Piso deinceps dicturus sit, ostenderit. G. in Addit.

4. *Si qua*. Gœr. dat *si quæ*. Vulgo, inquit, *qua* legitur: sed Davisium jam Gruteriani suique monere debebant, ut *quæ* reponeret. Nam sic expresse Parisii duo. Alii, *qua si quæ*, alii, *si qua quæ*, ut etiam V. ψ. Bas. et Ven. 1494 præbent; glossa cum glossato juncta. Quatuor nostri ut edidimus; Monac. pro *ut si quæ*, *neque* peccat.

5. *Aut quam minimum appareat*. Gud. 2 *minime*. Sed *quam minimum*, pro « quantum potest minima parte », stare recte potest. Divv. III, epist. 3: « pergratum mihi feceris, si istas exiguas copias quam minimum imminueris ». G.

6. *Quid? in motu et in statu corporis nihilne est, quod animadvertendum esse ipsa natura judicet? quemadmodum... in quoque sit: nihilne*, etc. Gœr. pro primo *nihilne est* dat *nihil inest*, post *judicet* sola virgula interpungit, et post *in quoque sit* interrogationis notam ponit. Hæc, inquit, eo modo quo vulgo scribuntur, Davis. ut spuria ad uncos damnavit; de quibus Ernest. ut indubitatis, ne verbulum quidem monuit. Turbant quidem scripti: nam omnes *Quod* pro *Quid?* referunt, et *ne* vel ignorant, ut Spir. Erl. pluresque Gruteri et Davisii; vel in *non* mutant, ut Pal. 4, Paris. 1, 3, Med. cum binis Oxonn.

quemadmodum quis ambulet, sedeat, qui ductus oris, qui vultus in quoque sit: nihilne est in his rebus, quod dignum libero, aut indignum esse ducamus? nonne odio dignos multos[7] putamus, qui quodam motu aut statu videntur naturæ legem et modum contempsisse? Et, quoniam hæc deducuntur[8] de corpore; quid est, cur non recte pulchritudo etiam ipsa propter se expetenda ducatur? Nam si pravitatem, imminutionemque corporis, propter se fugiendam[9] putamus: cur non etiam, ac fortasse magis, propter se formæ

tribus nostris impressisque vett. sat multis. Sed ut *Quid* sæpissime sic corrumpitur, et plura etiam bis in libris loca, sic pravata, nobis restituenda fuerunt: ita clare cernitur, *non* tum demum accessisse, quum *Quod* scribi cœptum esset. Sed clarius id etiam inde patet, quod Elieus. et Bas. *non* ante *animadvertendum* transponunt. Jam resectis *ne* et *non*, multi scripti pro *est*, *inest* præbent, ut plerique Gruteri, Davisii, tres Oxonn. et e nostris bini illi optimi, cum Mon. idque et opportuno loco ponitur, et sæpe in simplex pravari solet; conf. IV, 7, 17. Jam si, auctorem post *Quid?* sæpe interrogandi particulam reticere, memineris: locum, ut edidimus, restitutum putabis. Nam quod *esse* tres Oxonn. in *est* mutant, et alia manu in uno horum *ducamus* superscriptum est, id nobis verbum infinitum neutiquam suspectum reddit, quum apta ad contexta vi dicatur. Paucis interjectis *esse ducamus* sequitur: hinc verbum illud a scriba repetitum putabis. — Totam hanc a Gœrenzio tentatam textus perturbationem merito damnat J. V. *Leclerc*.

7. *Odio dignos multos.* Omnes nostri cum Vien. transponunt *multos dignos*. Aut *multo* scribendum, aut potius *multos* delendum videtur, quippe quo, hoc contextu, facile careas. Sic autem et similiter scribæ adjectiva de suo addunt, ubi, relativo sequente, demonstrativum intelligendum est. G.

8. *Deducuntur de corpore.* Recte explicat Ernest. « removere homines a corpore student » (in exemplari nostro Ernestii verba sunt: « ab his liberare corpus student homines »), laudato Horat. Ep. I, 2, 48: « deducere corpore febres ». Tentat Nissen. « hæc recte dicuntur..... dicatur »: quod parum placet, pluribus de causis. Vulgatum applicate ad dicendi rationem, « deducere de summa », positum videtur. G. — Ernestii et Gœr. interpretatio, quamvis ingeniosa, ne parum vera sit veremur. Gallica versio dat: *comme toutes ces choses-là partent du corps*, quod latina verba fidelius interpretatur.

9. *Nam si pravitatem, imminutionemque corporis propter se fugiendam.* Spir. et Erl. *fugienda*. Quod probamus; quum *pravitas* in distorto, *imminutio* in mutilo corpore cernatur, hæc igitur diversa ponantur. Tum autem auctor neutra pronominum, adjectivorum, participiorumque addere amat. G.

dignitatem sequamur? Et, si turpitudinem[10] fugimus in statu et motu corporis; quid est, cur pulchritudinem non sequamur? Atque etiam valitudinem, vires, vacuitatem doloris non propter utilitatem solum, sed etiam[11] ipsas propter se expetemus. Quoniam enim natura suis omnibus expleri partibus vult, hunc statum corporis per se ipsum expetit, qui est maxime e natura : quæ tota perturbatur, si aut ægrum corpus est, aut dolet, aut caret viribus.

48 XVIII. Videamus animi partes; quarum est adspectus illustrior[1] : quæ quo sunt excelsiores, eo dant clariora indicia naturæ. Tantus est igitur innatus in nobis[2] cognitionis amor et scientiæ, ut nemo dubitare possit, quin ad eas res hominum natura nullo emolumento invitata rapiatur. Videmusne, ut pueri ne verberibus quidem a contemplandis rebus perquirendisque deterreantur? ut pulsi requirant[3], et ali-

10. *Et, si turpitudinem fugimus.* Gœr. scribit *fugiamus*, notatque : Ern. cum P. Manut. *fugimus*, quom *si...putamus* præcesserit. Per se non male quidem : sed contra scriptos omnes mutare h. l. non licet. Nam non solum ad variandam orationem auctor sic malle potuit, verum etiam discrimen est inter superius *fugiendum putamus*, et hoc *fugiamus*, quum, quod *putamus*, non continuo certum sit et exploratum. Ita certe subjunctivum tempus satis defenditur.

11. *Atque etiam... sed etiam.* Ne in repetita *etiam* offendas, meminisse necesse est, diversam in utraque vim esse, quum *atque etiam* semper *et adeo* valeat; conf. Offic. I, 41, 7: « sed etiam quid quisque sentiat; atque etiam, qua de causa quisque sentiat ». Reponit autem variata vi particulam hanc auctor sæpe; vide Legg. III, 2, 4; Acadd. II, 4, 10. Nihil igitur opus est, ut cum Oxon. χ. priorem *etiam* deleas. G.

XVIII. 1. *Quarum est adspectus illustrior.* Spir. Erl. et Crat. in marg. *conspectus* : quæ vera lectio videtur. Ponitur enim sæpe vox hæc, sic ut pro *adspectu* dicatur. Ita *in adspectum*, et « in conspectum, alicujus venire » dicitur. Adde, quod auctor h. l. facultates animi *junctas*, unoque quasi obtutu spectandas intelligit. G.

2. *Innat. in nobis.* Sic omnes nostri et Oxonn. quum ante Grut. vulgo, *in omnibus* peccaretur. Causam varietatis vides; nam *n* præcedens eadem litera hausit, et *o̅bus* ex compendio *omnibus* pingitur. G.

3. *Ut pulsi requirant.* Vulgatur *ut*, cui Ern. *et* aut *vel* addi jubet. Gœr. scrib. *aut* ex suis omnibus, tribusque Oxonn. et Mars. Nam, inquit, *pulsi* ad

quid scire se gaudeant? ut aliis narrare gestiant? ut pompa, ludis, atque ejusmodi spectaculis teneantur, ob eamque rem vel famem et sitim[4] perferant? Quid vero? qui ingenuis studiis atque artibus delectantur, nonne videmus eos nec valitudinis, nec rei familiaris habere rationem? omniaque perpeti, ipsa cognitione et scientia captos? et cum maximis curis et laboribus compensare eam, quam ex discendo capiant[5], voluptatem? Mihi quidem Homerus hujusmodi quiddam 49
vidisse[6] videtur in iis, quæ de sirenum cantibus finxerit[7]: neque enim vocum suavitate videntur, aut novitate quadam, et varietate cantandi revocare eos solitæ, qui prætervehebantur, sed quia multa se scire

præcedentia sic accommodari debet, ut, « deterriti a rebus perquirendis », valeat. Ita suo loco *aut* dici'or : quæ simplex a scribis ubique fere tentatur. Hæc et proxima si nostro arbitrio constituere liceat, sic legerimus, « deterreantur, aut pulsi requirant? ut aliquid scire se gaudeant, et aliis narrare gestiant ». Nam ista, *aliquid scire*, et, quod scias, *aliis narrare*, sua natura junguntur. Atque exhibent sane *et* posteriore loco E. et ξ. — Nos Gœr. correct. improbamus, quia hunc sensum esse putamus : ut verberum minæ eos a perquirendo non deterreant, et ut, vel postquam verberati fuerunt, nihilominus requirant, i. e. rursus quærant.

4. *Vel famem et sitim*. Prave quatuor nostri, Vien. et duo Oxonn. Mars. pro *et*, *vel* repetunt, quum *vel* vulgatæ simplex *adeo* notet. Ven. 1494, scribarum manum apertius etiam prodit, « aut famem aut sitim » exhibens. G.

5. *Quam ex discendo capiant*. Bas. *in*, Vien. *a discendo*. Possis inde *ex* a scribis additam suspicari. Sed tamen h. l. *ex* ægre carueris, quum in ipso discendo voluptas hæc inesse dicatur, *ex* autem nostrum *vermittelst* æquet. Ceterum structura hæc ejus generis est, ubi notio primaria clausulam facit; cf. Legg. I, 17, 47 : « vel ab ea, quæ penitus ... implicita insidet, imitatrix boni, voluptas »; et supra I, 7, 24, « ut non modo nullam captet, sed etiam prætereat omnes voluptates ». G.

6. *Hujusmodi quiddam vidisse*. Recte Davisium, *indicasse*, vel *prodidisse* (non *providisse*), suadentem, coercet Ern. Horatiano illo, « planius et melius Chrysippo et Crantore vidit ». Sæpe sic Cicero *videre*, ut *intelligere* notet; v. c. « multum, parum, plurimum videre in re aliqua, etc. » G.

7. *Finxerit*. Bas. et Vien. *finxit*. Sed hoc ne malis, tenendum est, auctorem sic dubium relinquere, utrum poeta fabulam istam traditam accepérit, an suopte ingenio excogitarit; quod subjunctivum requirebat. G.

profitebantur; ut homines ad earum saxa discendi cupiditate adhærescerent. Ita enim invitant Ulyssem (nam verti, ut quædam Homeri, sic istum ipsum locum[8]):

O decus Argolicum, quin puppim flectis, Ulysses[9],
Auribus ut nostros possis agnoscere cantus?
Nam nemo hæc umquam est transvectus[10] cærula cursu,
Quin prius adstiterit vocum dulcedine captus;
Post variis avido satiatus pectore musis,
Doctior ad patrias lapsus pervenerit oras.
Nos grave certamen belli, cladem que tenemus[11],
Græcia quam Trojæ divino numine vexit;
Omniaque e latis rerum[12] vestigia terris.

Vidit Homerus, probari fabulam non posse, si cantiunculis tantus vir irretitus teneretur. Scientiam pollicentur: quam non erat mirum sapientiæ cupido patria esse cariorem[13]. Atque omnia quidem scire, cujuscumque modi sint[14], cupere, curiosorum: duci vero

8. *Nam verti ... locum*. Hæc versio est ipsius Ciceronis, qui iterum obliviscitur, non se, sed Pisonem loqui. Versus Homeri sunt Odyss. XII, 184, seqq. J. V. L.

9. *Ulysses*. Gœr. scribit: *Ulixe*. Sic, inquit, dedimus Davisio jam auctore, Marso *Ulysse*, et quatuor nostris cum Vien. *Ulisses*, ut superius *Ulixem*, exhibentibus. Amat enim in græcis nominibus Cicero priscos hos vocandi casus, idque in soluta oratione, cf. Heuss. ad Off. I, 40, 8, ut magis etiam probabile sit, eosdem hunc in Homero interpretando non neglexisse.

10. *Transvectus*. Spir. et Erl. *travectus*, quod in carmine ad aures mollius accidit. Iidem inferius *astiterit*. Neque hi alias sic scribunt. G.

11. *Clademque tenemus*. Ita quoque Spir. Erl. Mars. Crat. aliæ: quod ad Homeri ἴδμεν comparatum, verum esse recte viderunt interpretes: reliqui nostri cum olim vulgata *canemus*. G.

12. *Rerum vestigia*. Sic recte Davis. cum Victorio, editisque vett. multis (in quibus etiam Mars. et Crat.); licet scripti quoque nostri *regum* peccent. Expressa enim hæc sunt Homeri, ὅσσα γένηται ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ. G. — Int. tenemus memoriam rerum omnium, quæ in remotissimis terris acciderunt.

13. *Patria esse cariorem*. Recte Ern. ex uno Davisii *esse* recepit. Idem servant Gud. 2, Bas. et tres Oxonn. nam duo modo hoc ignorare dicuntur. Neque abesse h. l. ullo modo verbum subst. *esse* potest. G.

14. *Cujuscumque modi sint*. Sic recte Davis. ex binis suis Ascens. et Victoriana, nec aliter quinque nostri, quatuor Oxonn. et Marsus. Nam *sunt*,

majorum rerum contemplatione ad cupiditatem scientiæ, summorum virorum est putandum.

XIX. Quem enim ardorem studii censetis fuisse in 50
Archimede, qui dum in pulvere quædam describit attentius[1], ne patriam quidem captam esse senserit? Quantum Aristoxeni ingenium consumptum videmus in musicis[2]? Quo studio Aristophanem[3] putamus ætatem in literis duxisse[4]? Quid de Pythagora? quid de Platone, aut Democrito loquar[5], a quibus propter discendi cupiditatem videmus ultimas terras esse peragratas? Quæ qui non vident[6], nihil umquam magna

quod ceteri referunt, hoc in contextu ferri nequit. G.

XIX. 1. *Attentius*. Davis. ex quatuor suis *attentus* affert, idque haud spernendum putat. Videtur nempe in comparativo non satis summus in Archimede studii ardor expressus. *Attentus* item præbent Gud. 2 et ψ. Mars. Crat. aliæ. Sed hi comparativi scribarum non sunt: et satis ex additis studii fervor cognoscitur. G.

2. *Quantum Aristoxeni ingenium ... in musicis?* Quippe qui omnes Musices partes scriptis suis sat multis accurate et docte explicarit (quæ laudata vide Fabric. Bibl. Gr. III, c. 10), et ipsam ad animi naturam transtulerit; cf. Tusc. I, 10, 20, coll. ibid. 18, 41. G.

3. *Aristophanem*. Intelligendus est *grammaticus*, Byzantinus, Aristarchi illius magister, et in scriptoribus veteribus censendis ac judicandis ipse alter Aristarchus; cf. Diog. Laert. III, 61; ibid. X, 13; Suidas et alii. Vide Cl. Fabricium Bibl. Græc. G.

4. *Ætatem in literis duxisse?* Lambinus scribit *traduxisse*: quod nihil opus esse, ex uno Phædri, et Virgilii binis locis pugnat Davisius. Et poetæ sane sæpe sic scribunt. Horat. II, ep. 2, 202: « adversis ætatem ducimus Austris, etc. » Sed ita non satis auctor defenditur: nam si *ætatem duxisse* simpliciter scripsisset, poetam egisset, non prosæ scriptorem. At adjectis verbis *in literis*, nihil est, quo quis offendat: idem enim est, ac si *egisse* scripsisset; modo quod verbo *ducere* indicetur, omnem illum vitam ad literarum studia disposuisse, et applicasse. G.

5. *Quid de Platone, aut Democrito loquar*. Gœr. dat *aut de Dem.* Posteriorem *de*, inquit, ex Spir. et Erl. addidimus: quæ h. l. abesse nequit, quum Democritus cum Platone, præter hoc peregrinandi studium, commune nihil habeat, et, licet hunc sequatur, tamen ætate sit prior. De auctoris autem in repetendis præpositionibus more sæpe diximus.

6. *Quæ qui non vident*. Forsan a Tullii manu fuit, « quæ qui non laudent »; vel « quæ qui non mirentur, nihil umquam magnum aut cognitione dignum amaverunt ». Codices autem nihil adjuvant. Davisius. — *Quæ qui non vident*. Addendum his *magna esse*, Ernest. judicat, idque traducendum e sequentibus, ubi *magna cognitio* sit nihili. Speciose sane.

cognitione dignum amaverunt. Atque hoc loco, qui propter animi voluptates coli dicunt ea studia quæ dixi, non intelligunt, idcirco esse ea propter se expetenda[7], quod, nulla utilitate objecta[8], delectentur animi, atque ipsa scientia, etiamsi incommoda datura
51 sit[9], gaudeant. Sed quid attinet de rebus tam apertis plura requirere? Ipsi enim quæramus a nobis, stella-

Sed tum *esse* quoque addendum post *magna* fuerit, quippe quo sic carere non possis. Potius, si hanc lubricam sane rationem tenueris, pro *vident*, *judicant* conjici debebit, quum verba hæc ex eodem compendio *iudnt* ubique misceantur. Sed redit auctor his ad universam sententiam, scil. « compensari discendi voluptate maximas curas et labores », quam § 48 proposuerat, cujusque veritatem aliquo modo Homerus *viderat*. Hæret autem in vv. *magna cognitione* sine causa Ernestius : nam recte *magna* h. l. extensive pariter atque intensive capi, pro *ampla et accurata*, potest, idque ipsum auctor, hac voce posita, intelligere voluisse videtur. G.—Post *vident* asteriscum Bremio, ut defectus notam, poni placet. Videri enim Ciceronem hoc velle : « qui non intelligunt, hæc innatum cognitionis amorem significare, etc. » Pro « magna cognitione dignum » legendum esse, « magnum ac cognitione d. » *Magna* natum esse ex comp. *magn̄ ac*. At nos quidem in vulgata acquiescimus. Attendendum scilicet ad duplex *videmus* (i. e. *videre licet*), quod præcedit; cui « quæ qui non vident » opponitur, id est, « qui hæc et talia non curant, non curæ cordique habent, non animadversione digna judicant (qua vi *videre* Ciceroni sæpe dicitur) : il numquam rem magno studio dignam amplexi consectatique sunt ». Coarctatius igitur scriptum puta, « magna cognitione dignum », effectu posito pro re efficiente. G. in Addit.

7. *Ea studia ... idcirco esse ea ... expetenda*. Vien. *esse*, et Monac. E. et ξ. *ea* ignorant : Mars. Crat. aliæ *ea esse* transponunt. Bas. utrumque nescit. Et sane carere utroque aliquo modo liceat : pronomen autem scribarum esse, quum auctor idem, si præcesserit, repetere non curet, dubitari recte nequit. Cf. supra III, 2, 6 : « neque, ut ea cognoscas, quæ tibi notissima sunt, ad te (ea) mitto ». Quum autem ejusmodi glossis vicina sæpe turbentur, *esse* relicto, *ea* modo proscripsimus. G.

8. *Nulla utilitate objecta*. Ignorant Pal. 4, et Paris. 1, et e nostris Gud. 2, *objecta* : sed recte defendit vocem Davis. contra Gruterum, laudans Off. II, 10, 13. Adde Acadd. II, 12, 38, cll. supra Fin. I, 14, 47. Accedit, quod sublata voce *sine ulla util.* scribendum foret. G.

9. *Incommoda datura sit*. Gœr. scribit una voce *incommodatura sit*. Ita, inquit, cum Lamb. et Davisio ex tribus illius, uno hujus Eliensi, binis optimis nostris, et Crat. ad marg. scripsimus. Ern. ad vulgatum *incommoda datura* rediit, sic tamen, ut « incommodum datura sit » malit : haud dubie, ut singularia numerus ab utraque parte valeat; quod sane leve est. Vix jure ambigi de receptæ

rum motus contemplationesque rerum[10] cælestium,
eorumque omnium, quæ naturæ obscuritate occultantur, cognitiones, quemadmodum nos moveant; et quid
historia delectet, quam solemus prosequi usque ad extremum; prætermissa repetimus, inchoata[11] persequimur.
Nec vero sum inscius, esse utilitatem in historia, non
modo voluptatem. Quid, quum fictas fabulas, e quibus utilitas nulla duci[12] potest, cum voluptate legimus? Quid, quum volumus nomina eorum, qui quid 52
gesserint, nota nobis esse[13], parentes, patriam, multa
præterea minime necessaria? Quid, quod homines infima fortuna, nulla spe rerum gerendarum, opifices

lectionis veritate liceat : nam eam vel Bas. et Gud. 1 firmant, *incommodatur sic*, exhibentes; et auctor, ut alios taceamus, ita quoque pro Quint. 16, 51 : « ut quum ipsi nihil alteri scientes incommodarint, nihil ipsis jure commodi cadere possit ».

10. *Contemplationesque rerum cælestium.* Desiderantur hæc in Mon. atque Oxonn. E. et ξ. nam nullo jure hæc in spuriis putabuntur. Ne hoc quidem opus est, ut *contemplationis* malis; sic ut *motus* idem secundus sit casus, et utraque vox ab seq. *cognitiones* pendeat : nam *contemplationes* idem valet, quod « assidua repetitaque contemplatio ». G.

11. *Quam solemus persequi usque ad extremum; prætermissa repetimus, inchoata persequimur.* Hanc loci inconcinnitatem licet intt. omnes taciti prætereant, tamen auctori imputatam nolumus. Præter tædiosam enim verbi *persequi* repetitionem, ita ista hiulce procedunt, ut cæcus potius casus converrisse, quam consilium disposuisse videatur. Nos hæc sic legimus, « quam quum solemus prosequi usque ad extremum, prætermissa, etc. » h. s. « porro ipsi quæramus a nobis, quantum historia delectet; nam quum eam, velut fidi comites, ad extremos ejus fines usque prosequimur, minus accurate percepta simul repetimus, atque non plene cognita absolvimus ». Tres nostri *prosequi*; E. et ξ. *sequi* præbent. G.—J. V. L. tacite *prosequi* in textum admisit.

12. *E quibus utilitas nulla duci.* Gœr. scribit *elici*. Ita, inquit, cum Pal. 4 et Gud. 1 probantibus jam Grut. et Davisio, dedimus. Reliqui nostri cum pluribus Gruteri, Davisii, et binis Oxonn. *dici* exhibent. Auctor « voluptatem, voluntatem, opportunitatem elicere; » et omnino hoc verbum valde amat. *Dicere* autem et *elicere* æque sæpe, ac *ducere* et *elucere* confunduntur.

13. *Nota nobis esse.* Hæc eo loco, quo sunt, luxam efficiunt orationem, quum proprie post *necessaria* ponenda essent. Solet auctor quidem sæpe verbum, ad primam notionem applicatum, præmittere : ita tamen, ut ubique particula addita nexum indicet. Igitur post *parentes*, *etiam* excidisse suspicamur. G.

denique, delectantur historia[14]; maximeque eos videre possumus res gestas audire, et legere velle, qui a spe gerendi absunt, confecti senectute. Quocirca intelligi necesse est, in ipsis rebus, quæ discuntur et cognoscuntur, invitamenta inesse, quibus ad discendum
53 cognoscendumque moveamur. Ac veteres quidem philosophi, in beatorum insulis, fingunt, qualis natura sit vita sapientium[15], quos cura omni liberatos, nullum necessarium vitæ cultum, aut paratum requirentes, nihil aliud esse acturos putant, nisi ut omne tempus in quærendo ac discendo, in naturæ cognitione consumant[16]. Nos autem non solum beatæ vitæ istam oblectationem videmus[17], sed etiam levamentum mi-

14. *Quid, quod ... delectantur historia.* Gœr. post *quid* notam interrogationis ponit, observatque: Recte Ern. *delectantur* de suo, ut videtur, scripsit: nam ad structuram *quid? quod* subjunctivus ferri nequit. Nec aliter tres nostri cum edd. vett. quibusque optimis.

15. *Fingunt, qualis natura sit vita sapientium.* Davis. pro *natura*, *futura* conjicit, probante Ernestio, qui idem in structura, « fingunt, qualis sit, quos... putant », hæret, ac *quum* ante *fingunt* addi suadet. Sed ut in hoc non recte offenditur, quum *quos*, *nam hos* valeat, et reliqua structuræ ratio idem polleat, ac si scriptum esset, « fingunt vitam sapientium talem, qualis natura sit: » ita quoque in *natura* ut offendas nihil est; notatur enim *sapientiæ conveniens*. Quod nisi esset, *qualis naturæ* rectius susseris. G.

16. *Nihil aliud esse act. putant, nisi ut o. t. i. quær. ac discendo, in nat. c. c.* Gœr. h. l. sic edidit: « nihil aliud acturos putant, nisi ut o. t. inquirendo, ac discendo in n. c. c. » In his, inquit, primo *esse*, quod vulgata ante *acturos* refert, ignorantibus Spir. Erl. Bas. transponentibusque Gud. utroque *acturos esse*, sustulimus. Ut enim omnino post verba sentiendi, ita maxime pôst *puto*, auctori verbum subst. omittitur. Neque vis ulla ei h. l. inest. Deinde *inquirendo* ex binis illis optimis pro *in quærendo* correximus. Recte offenderat Davis. in vulgata, modo ne « in quærendo ac apiscendo (vel *adipiscendo*) nat. cognitionem cons. » conjecisset. Rectius nuper priorem *in* Morgenstern. deleri jussit. Sed probatior a nobis recepta est. *Inquirendo* autem tuapte sponte, *discendo* per alios, *cognitione* ditaris. *Inquirimus* denique, « quod scire cupimus ».

17. *Istam oblectationem videmus.* Gœr. addit *esse* post *istam* ex Spir. et Erl. Sic, inquit, clarius cernitur, *istam* ad *naturæ cognitionem* pertinere; et omnino *esse* ad hæc contexta durius abest. Scribæ id hoc certe, quo ponitur, loco non addidissent. — Sed minime, ut nobis videtur, *istam* ad *nat. cognitionem* pertinet, sed vere ad *oblectationem*: alias illius quam

seriarum. Itaque multi quum in potestate essent hostium, aut tyrannorum; multi in custodia, multi in exsilio dolorem suum doctrinæ studiis levaverunt.
Princeps hujus civitatis[18] Phalereus Demetrius quum 54
patria pulsus esset injuria, ad Ptolemæum se regem Alexandriam[19] contulit. Qui quum in hac ipsa philosophia, ad quam te hortamur, excelleret, Theophrastique esset auditor, multa præclara in illo calamitoso otio scripsit, non ad usum aliquem suum, quo erat orbatus[20]; sed animi cultus ille erat ei quasi quidam humanitatis cibus. Equidem e Cn. Aufidio, prætorio, erudito homine, oculis capto, sæpe audiebam[21], quum se lucis magis[22], quam utilitatis desiderio moveri diceret. Somnum denique nobis, nisi requietem corporibus, et medicinam quamdam laboris afferret, contra naturam putaremus datum: aufert enim sensus, actio-

supponit Gœr. constructionis nullum afferri posse exemplum credimus; quum altera constructionis ratio frequentissima sit: et facile subaudiatur: « in rerum investigatione et contemplatione, istam, sc. quam exposui, oblectationem videmus ».

18. *Hujus civitatis*. Athenarum, in quibus a Pisone haberi hunc sermonem fingitur. — *Phalereus Demetrius*. Hic decem annos regendæ Atheniensium reipublicæ præfuit; et quum præclarissimas leges tulisset, meritus est ut sibi 360 statuæ æneæ in honorem ponerentur. Sed postea ab inimicis pulsus confugit ad aulam Ptolemæi Soteris, ibique obiit punctus ab aspide. J. V. L.

19. *Alexandriam*. Bini illi nostri Spir. et Erl. *Alexandream;* et sic sæpe scripti, ut nescias, an sit a scriba rarior forma in usitatam mutata. Nuspiam tamen in Ciceronis codd. constanter *Alexandrea* legitur. Alia res est in *Darei* infra, cap. 30, § 92, ubi nos vide. Adjectiva certe nominum græcorum in ειος auctor utroque modo effert. Notandum tamen est, in denario M. Lepidi, ejus, qui tutor Ægyptii regis fuit, *Alexandrea* scribi. G.

20. *Quo erat orbatus*. Hæc ad ea Demetrii scripta pertinere videntur, quæ politici essent argumenti, qualia plura composuit. Conf. Diog. Laert. V, 80. G.

21. *E Cn. Aufidio ... audiebam*. De hujus veritate lectionis dubitari nequit; cf. sup. I, 11, 39.—De hoc autem Cn. Aufidio, cæco, vid. Tusc. V, 38, 112. G.

22. *Se lucis magis ... diceret*. Se æquiore animo ferre, quod in variis vitæ usibus visus ope destitueretur quam quod lucis oculis hauriendæ dulcissimo spectaculo orbaretur.

nemque tollit[23] omnem. Itaque, si aut requietem natura non quæreret, aut eam posset alia quadam ratione consequi, facile pateremur; qui etiam nunc[24] agendi aliquid, discendique causa, prope contra naturam vigilias suscipere soleamus.

XX. Sunt autem clariora[1], vel plano perspicua, nec dubitanda indicia naturæ, maxime scilicet in homine, sed in omni animali, ut appetat animus[2] aliquid agere semper, neque ulla conditione quietem sempiternam possit pati. Facile est hæc cernere[3] in primis puerorum ætatulis. Quamquam enim vereor, ne nimius in hoc genere videar; tamen omnes veteres philosophi, maxime nostri, ad incunabula accedunt, quod in pueritia facillime se arbitrentur[4] naturæ voluntatem posse

23. *Aufert ... tollit.* Debebat proprie per infinitum tempus structura pergere : sed explicationis causa hæc ab ipso auctore alienæ orationi interseruntur. Exempla subinde notavimus. Ceterum sæpe auctor *sensus* de *sensuum usu*, et *actionem* de *agendi potestate* ponit. G.

24. *Qui etiam nunc.* In his turbant codices partim *etiam* ignorantes, partim *quin etiam* exhibentes. Sed *etiam* h. l. abesse recte nequit, et *quin* cum conjunct. *soleamus* non coit. Sed turba hinc nata videtur, quod scribæ non capiebant, « qui etiam nunc », pro, « quum nos vel sic » dici. Gud. uterque denique quum ante *agendi*, *in* addit, id inde ortum puta, quod olim *etiamnum* scribebatur. G.

XX. 1. *Sunt autem clariora.* Gœr. scribit *sunt autem etiam clar. Etiam*, inquit, ex Spir. et Bas. dedimus. Mars. Crat. impressique vett. plures loco *etiam*, *et* præbent. Gud. 1 *etiam* in deletæ *autem* loco ponit. Sed supra vidimus, *etiam* in transitione recte, pro *adeo*, post *autem* addi, atque tertio loco positum ubique a scribis sollicitari. His commoti, quum particulam ad gradationem quoque aptam videremus, quæ loco aperte inest, recipiendam non dubitavimus.

2. *Ut appetat animus.* Gud. uterque *appetat animo.* Sed nihil tertio casu opus est, quum ad primum æque *animalis* cogitari possit. G.

3. *Facile est hæc cernere.* Gœr. lat *hoc.* Sic, inquit, ex nostris sex, editisque vett. potioribus omnibus, pro *hæc* correximus, quod vel sine tanto scriptorum consensu vix ferendum erat. Idem ante ex tribus suis et Victoriana Davisius dedit, consentientibus quatuor Oxonn. Ern. ad vulgatum *hæc* rediit.

4. *Quod...se arb.* Gœr. qui scribit *qui* (pro *quod*) ... *se arb.* notat : Vulgo *quod* editur; unde in tribus nostris, totidemque Oxonn. *arbitrantur* scribitur. Receptam a nobis firmant Spir. Erl. Monac. Oxon. ζ.

cognoscere[5]. Videmus igitur, ut conquiescere ne infantes quidem possint : quum vero paullum processerint[6], lusionibus vel laboriosis delectantur[7], ut ne verberibus quidem deterreri possint; eaque cupiditas agendi aliquid adolescit una cum ætatibus. Itaque, ne si jucundissimis quidem nos somniis usuros putemus, Endymionis somnum nobis velimus[8] dari; idque
si accidat, mortis instar putemus. Quin etiam inertis- 56
simos homines, nescio qua singulari nequitia[9] præditos, videmus tamen et animo, et corpore[10] moveri

quam scribæ ideo reliquerunt, quod nescirent, *qui* sæpe sic pro *quippe qui* dici. Cf. Off. III, 31, 8 : « Cui quum esset enuntiatum, qui illum iratum allaturum ad se aliquid contra patrem arbitraretur, surrexit e lectulo, etc. » *Qui* ibi recte Heuss. ex melioribus; reliquis *quod*, vel *quia* peccantibus. Ita quoque supra 11, 33, et sæpe. *Se* bini nostri post *arbitrantur* locant : sed auctor, pro more, reciprocum ante verbum finitum construit. Off. III, 5, 13 : « nihil se existimat contra naturam facere »; ubi item *se* codd. plures transponunt, unus omittit.

5. *Naturæ voluntatem posse cognoscere.* Ita pro olim vulgato *voluptatem* Spir. et Erl. exhibent; ut Lamb. ex ingenio dederat, Davisio et Ern. recte sequentibus. — *Voluntas* autem *naturæ est*, « quæ natura humana vult, appetit ». G.

6. *Paullum processerint.* Gud. 1, cum tribus Oxonn. *paullulum processerint*, sed de hoc deminutivo a scribis repetendo sæpius egimus. Ad *processerint*, *ætate* non cum Lamb. addendum, sed cogitandum est : vel potius « in ætatis spatio, curriculo » intelligendum. Similiter *nox processisse* dicitur, si ex parte spatium percurrendum absolvit. — Recte laudat Davis. supra 9, 24, græcumque προβεβηκέναι comparat. G.

7. *Delectantur.* Pessime Erl. *delectentur.* Indicavit scilicet cum scriba Oxon. ψ. qui solus ita exhibet, conjunctivum ob præcedens *possint* requiri. Sed, majore interpunctione ante *quum vero* adhibita, vulgatum præferendum est. G.

8. *Ne si ... velimus.* Ante Lambin. *nolimus* vulgatum est : inde puta, quod plerique codd. *nisi* peccant, cujus loco e nostris solus Gud. 1, *ne si* superscriptum refert. Omnes tamen nostri *velimus* : in Oxoniensibus etiam solus ψ. *nolimus* superpictum offert. G.

9. *Nequitia.* Tres nostri pro *nequitia* glossam præbent *segnitia* : χ. *segnitie*, ψ. « nequitia al' segnitia ». Recte « nequitiam inertiæ junctam » Davis. laudat Catil. I, 2, 4, coll. Tusc. III, 8, 18. G.

10. *Et animo, et corpore.* Gœr. transp. *et corpore et animo.* Ita, inquit, vulgatæ ordinem et scripti nostri, et cusi potiores omnes mutare coegerunt. Et, si quæris, recte *corpore* præmittitur, quum inertia in tædio corporis exercendi potissimum insit, animus vero vel inertissimi tamen semper, quamquam non vegeta vi, moveatur.

semper, et, quum re nulla impediantur necessaria, aut alveolum poscere, aut quærere quempiam ludum, aut sermonem aliquem requirere; quumque non habeant ingenuas ex doctrina oblectationes, circulos aliquos[11] et sessiunculas consectari. Ne bestiæ quidem, quas delectationis causa concludimus, quum[12] copiosius alantur, quam si essent liberæ, facile patiuntur sese contineri[13]; motusque solutos et vagos, a natura
57 sibi tributos, requirunt. Itaque, ut quisque optime natus institutusque est[14], esse omnino nolit in vita, si gerendis negotiis orbatus, possit paratissimis vesci

11. *Circulos aliquos, et sessiunculas.* Gœr. scribit *cir. al. et semicirculos.* Ita, inquit, cum olim vulg. scribendum judicavimus, licet cum vetusto Scaligeri libro, et Eliensi, nostri quoque bini potiores *sessiunculas* referant; quod Davis. et Ern. probante jam Grutero, receperunt. Nam valde veremur, ne hi VV. DD. glossam pro glossato arripuerint. Ut enim *circulos* ex græco κύκλους, ita *semicirculos* item ex græco ἡμικύκλια, consulto verbum de verbo versum, non sine interna rei probabilitate putabis. Quum enim semel auctor *circulos* posuisset (quam vocem hic sæpius de « conventibus privatis hominum colloquendi causa » ponit; cf. Att. II, ep. 18 : « sermo in circulis dumtaxat, et in conviviis est liberior, quam fuit ». Plura collegit Ern. in Clave h. v.) quumque idem *hemicyclia* positurus esset (qua voce utitur Læl. 1, 2); præcedente voce latinam consuetudinem imitatus, *semicirculos* novavit, certus non posse non lectores *hemicyclia* cogitare, quippe quæ vox cum re ipsa dudum in Romanorum usum pariter atque linguam transisset. Ut autem *circuli* conventus hominum numerosiores erant, ita *hemicyclia* pauciorum conversationi inserviebant; vide quæ ad Legg. I, 3, 10 notantur. Nihil igitur est, quod Davis. dicit, vocem *semicirculos* non usurpari : oblitus enim erat, *sessiunculas*, quam ille vult, æque alibi nusquam dici; ut hujus ambiguitatem ne moneamus quidem. Veram igitur in reposito verbo Ciceronis manum agnoscimus; idque sine diversitate reliqui scripti et editi servant omnes.

12. *Quum*, valet *licet*, *si vel;* ut sequens *que* notat *sed potius.*

13. *Facile patiuntur sese contineri.* Spir. et Erl. *sese patiuntur* transponunt : et sane solet reciprocum auctori ante finitum verbum poni. Sed tum foret forte cum Gud. 2 et Monac. simplex *se* scribendum. G.

14. *Itaque, ut quisque ... institutusque est. Est* ignorant bini ex nostris, Vien. E. ξ. eoque facile carebis, si interpunxeris, « Itaque, ut quisque, optime natus institutusque, esse omnino nolit, etc. » Sic certe ad omnem loci structuram melius est. G. — Sed idem Gœr. in calce libri addit se immerito *est* sollicitavisse, parum memorem in structura *est*, *esse*, a scribis turbari solere. Cf. Nat. Deor. II, 30, 76.

voluptatibus[15]. Nam aut privatim aliquid gerere malunt; aut, qui altiore animo sunt, capessunt rempublicam honoribus imperiisque adipiscendis, aut totos se ad studia doctrinæ conferunt. Qua in vita, tantum abest, ut voluptates consectentur; etiam curas, sollicitudines, vigilias perferunt[16], optimaque parte hominis, quæ in nobis divina ducenda est, ingenii et mentis acie fruuntur, nec voluptatem requirentes, nec fugientes laborem. Nec vero intermittunt aut admirationem earum rerum, quæ sunt ab antiquis repertæ, aut investigationem novarum; quo studio quum satiari non possint[17], omnium ceterarum rerum obliti, nihil abjectum, nihil humile cogitant: tantaque est vis talibus in studiis, ut eos etiam, qui sibi alios proposuerunt fines bonorum, quos utilitate, aut voluptate dirigunt[18]; tamen in rebus quærendis, explicandisque naturis[19] ætates conterere videamus.

XXI. Ergo hoc quidem apparet, nos ad agendum 58
esse natos. Actionum autem genera plura, ut[1] obscu-

15. *Paratissimis vesci voluptatibus.* *Vesci* prisce pro *uti* positum est; de qua verbi vi agit Nonius, et Mencken. h. v. *Paratissimis* est, « sine negotio et labore ubique obviis ». Nihil igitur suadent bini nostri, et unus Oxonn. *paratissimus*. G.

16. *Tantum abest, ut voluptates consectentur: etiam curas ... perferunt.* Addunt Bas. Monac. et Crat. ante *etiam* denuo *ut;* sed indicativum servant. *Ut* altera consulto omissa est, quo gravior vis esset in *etiam* a fronte posita. Laudat apte P. Manut. similem structuram in Brut. 80, 279, et supra II, 17, 54. G.

17. *Quum satiari non possint.* Gœr. dat *possunt*, notatque: Ern. vulgo sic male edi statuens *possint* scripsit: nec aliter Marsus. Sed illum V. D. supra I, 4, 10, hos indicatt. sine causa sollicitáre vidimus.

18. *Utilitate, aut voluptate dirigunt.* De structura « utilitate ... dirigunt », cf. II, 22, 71, « voluptate omnia dirigentes ». *Aut* est, *vel potius*, ut sæpe, si simplex ponitur. G.

19. *In rebus quærendis, explicandisque naturis.* Davis. approbante Ern. *in rerum* conjicit, ut *rerum naturis* jungatur. Belle sane, si causa appareret, unde hic secundus casus tanta cum vi præmissus dicatur. Forte olim, « in quærendis rerum explicandisque naturis », legebatur; quali in serie scribæ plerumque torpent. Vulgata ferri nequit, nisi *res* sic acceperis, ut nostri philosophi, *Dinge an sich*, dicunt. G.

XXI. 1. *Actionum autem genera*

rentur etiam minora majoribus. Maximæ autem sunt, primum, ut mihi quidem videtur, et iis quorum[2] nunc in ratione versamur, consideratio cognitioque[3] rerum cælestium, et earum, quas a natura occultatas et latentes, indagare ratio potest; deinde rerum publicarum administratio, aut administrandi sciendique prudens[4], temperata, fortis et justa ratio, reliquæque

plura, ut. Addunt duo recentiores nostri *sunt :* sed *esse* ex præcedd. cogitandum est. *Ut* autem valet « ita ut, unde fieri, ut ». G.

2. *Iis quorum nunc.* Vien. *nunc* ignorat, in quo vix audiendus est : nam eo loco, quo ponitur, particulam scriba addiderit nullus; additam auctori sæpe abundantius. Vid. ad Acadd. II, 42, 130. G. — Præterea Gœr. *his* de more pro *iis* scribit.

3. *Consideratio, cognitioque.* Gœr. *cognitiove.* Sic, inquit, nostri quinque, sic Oxonn. (excepto ξ. qui cum Gud. 2, *cognitione*); sic denique editi veteres cum Marsn, Ven. 1494, plures. Vulgatur *cognitioque.* At Scaligeri vetus *cogitatione*, idque ipsi sic placet, ut theoriam designet. Quasi ita non rectius *cognitio* dicatur! Permutatur utraque vox scribis sæpissime; cf. Acadd. II, 47, 142. *Ve* autem sæpe leva modo vocum discrimen indicat. Orat. 40, 138 : « ut sæpe in hilaritatem risumve convertat. »

4. *Aut administrandi sciendique prudens.* Gœr. scribit *aut admistrandi scientia; tum prudens.* Miramur, inquit, Ernestium, qui in hac P. Manutii correctione ex vetere codice desumpta, comprobataque Scaligeri scripto, Pal. 6 et Eliensi, non acquieverit, sed olim vulgatam, *adm. sciendique prud.* reposuerit; pro *sciendique, gerendique*, jejune sane, suadens. Sed non videre se profitetur, quid sic absolute *ratio* velit. At non attendit, bis quatuor illas virtutes cardinales designari, auctoremque recte quidem ad vv. « temperata, fortis, justa ratio « addere *agendi* potuisse : sed quum *prudens* præmisisset, quo « veri intelligendi studium « indicatur, ut supra *prudentiam* poni vidimus; nec ad hoc nisi plane ambigue idem gerundium applicari liceret : id ipsum consulto omisisse. Ne vero tamen offendas, « prudens, temperata, etc. » *ratio* ea est, « quæ se prudentia, temperantia, etc. conspiciendam præbet ». Quum autem *sapientia*, i. e. omnibus numeris completa virtus, *perfecta ratio* sæpe dicitur, cf. Legg. I, 22, quidni partes sapientiæ et virtutis *prudens ... fortis ratio* æque recte dicantur? Ceterum noli putare, verba « aut administrandi scientia », ex glossemate adhæsisse. Nam auctor « rer. publ. administrationem » non qualemcumque, sed « veram et ad recti normam » dicit, hæc autem « administrandarum rerum pp. scientia » continetur. Recte igitur hæc explicationis causa adduntur. Receptam lectionem e nostris firmant Spir. et Erl. *scientia eum*, Bas. *scientiarum prud.* et Crat. quæ ipsam plene in margine refert. G.— Corrigit Matthiæ l. l. « aut administrandi scientia, vivendique prudens, temperata, fortis et justa ratio ». Sed *vivendique* ut addatur, vix

virtutes, et actiones virtutibus congruentes; quæ uno verbo complexi omnia, honesta dicimus: ad quorum etiam cognitionem et usum[5] jam corroborati, natura ipsa præeunte deducimur. Omnium enim rerum principia parva sunt, sed suis progressionibus usa[6] augentur; nec sine causa. In primo enim ortu inest teneritas et mollities quædam[7], ut nec res videre optimas[8], nec agere possint. Virtutis enim, beatæque vitæ, quæ duo maxime expetenda sunt, serius lumen apparet; multo etiam serius, ut plane, qualia sint, intelligantur[9]. Præclare enim Plato: «Beatum[10], cui

opus erit, si vv. *prudens ... ratio* sic, ut supra fecimus, explicantur.

5. *Ad quorum etiam cog. et us.* Gœr. scribit: *ad quorum et cog. et us.* Sic, inquit, bini nostri optimi. Vulgata, quæ *et* prioris loco *etiam* refert, probanda h. l. minime est: valet enim « et ... et, non modo, sed etiam; » qua vi priorem copulam varie tentatam sæpe vidimus.

6. *Sed suis progressionibus usa.* Gud. 1, Monac. Oxon. χ. *progressibus.* Ex compendio hoc natum est. Vulgata partim ob præsens *augentur* præferenda est, partim græcum προκοπὴ cogitandum, Laert. VII, 106, quod auctor semper *progressio* vertit; cf. supra IV, 7, 17, ibid. 24, 67. Scripserat deinde Lamb. *usu*: sed hoc, per se incommodum, nec nostrum, nec Oxoniensium ullo defenditur. G.

7. *In primo enim ortu inest teneritas et mollities quædam.* Pro vulgato *teneritas*, Gœr. præbet *temeritas*. Vulgata, inquit, quid ad hæc contexta velit, dispicere non est. Recepimus lectionem probam, quam quinque Davisii, tres nostri, quatuor Oxonn. Mss. cum aliis servant.—*Primus* autem *ortus* infantia est, et pueritia; et *temeritati* opponitur *res videre optimas*, ut *mollitiei*, *agere* easdem. G.

8. *Ut nec res videre optimas.* Ern. offenditur in v. *optimas*, mireque ejus loco *homines* legendum suspicatur. At ut *res bonæ* Ciceroni sæpe pro neutrius generis *bonis* dicuntur, v. c. Legg. I, 22, 58, cll. supra IV, 56, sic « res optimæ », valet « quæ sint optima », hoc quidem sensu: « ut, quæ sint optima, nec videre, nec consentanes his ratione agere possint ». Ad *possint* ex vv. *in primo ortu*, infantes et prima ætate pueri intelliguntur. G.

9. *Multo etiam serius ... intelligantur.* Non assentimur intp. gallico, qui vertit: *et nous commençons encore beaucoup plus tard à comprendre véritablement le bonheur et la vertu.* Hunc sensum admitti conjunct. *intelligantur* non sinit: nobis sensus idem esse videtur, ac si auctor scripsisset *serius quam ut (trop tard pour que nous les puissions bien connaître)*, sicut mos latinæ linguæ requirere videbatur.

10. *Plato: Beatum, cui.* Editi vett. fere ante *cui*, *ait* addunt; sed scripti verbum hoc nesciunt, nec quidquam eo opus est, quum, ut sæpe, *dicit* intelligi debeat.—Locus Platonis ipse est de Legg. II, p. 59, Bip. φρόνησιν

etiam in senectute contigerit, ut sapientiam, verasque opiniones assequi possit». Quare, quoniam de primis naturæ commodis[11] satis dictum est, nunc de majoribus consequentibusque videamus.

59 Natura igitur corpus quidem hominis sic et genuit, et formavit, ut alia in primo ortu perficeret, alia progrediente ætate fingeret[12]; neque sane multum adjumentis externis et adventitiis uteretur. Animum autem reliquis rebus ita perfecit, ut corpus. Sensibus enim ornavit[13] ad res perficiendas idoneis, ut nihil, aut non multum adjumento ullo[14] ad suam confirmationem indigeret[15]. Quod autem in homine præstan-

δὲ καὶ ἀληθεῖς δόξας βεβαιοῦν, εὐτυχὲς ὅτῳ καὶ πρὸς τὸ γῆρας παρεγένετο. G.

11. *De primis naturæ commodis.* Ern. *commodis* suspectum habet, quia semper simpliciter *prima naturæ* dicantur. Sed non attendit Vir Doctissimus, auctorem hoc in libro data opera vitare, ne *prima naturæ* dicat: haud dubie ideo, quod nec Antiochus πρῶτα φύσεως scripserat. Vocat «prima invitamenta naturæ», 6, 17, «primam commendationem naturæ», 14, 16, et sæpius: «res ad naturam accommodatas», 11, 33, etc. Semel dicuntur *prima naturæ* 16, 45, ex quo tamen loco hic ipse locus defenditur. Additur enim, «ad ea si voluptas accesserit, unum accesserit commodum corporis», i. e. «unum aliquod accesserit, quod ad prima naturæ, corpus spectantia, referatur». *Prima* vero *naturæ commoda* vide etiam Acadd. II, 45, 138. G.

12. *Progrediente ætate fingeret.* Scribendum forte *effingeret*: quod facile in simplex abire potuit, quum olim literæ duplices una majuscula scriberentur, atque insuper e præcedentem vocem finiret. Ita *efferre* toties in simplex pravatum reperitur. *Fingeret* enim ob præcedens *perficeret* vix ferri posse videtur. G.

13. *Ornavit.* Gud. 2 et Bas. *coronavit.* Suaderemus *coornavit*, si hæc verbi compositio in usu esset: nam *coronare* pro *ornare* ponere, elegantiarum Plinii Majoris est, minime vero Ciceronis. G.

14. *Ut nihil ... adjumento ullo.* *Ullo* facile dubium feceris: sed notat «aliquo, qualecumque illud demum sit». Hac vi vocem haud raro a VV. DD. tentatam videre licet; cf. Brut. 88, 301: «Primum memoria tanta, quantam in ullo cognovisse me arbitror». Ceterum valent ablativi, «quod adjumento aliquo quocumque esset». G.

15. *Indigeret.* *Indigerent* scribenbendum esse Bremius urget: aliud enim, nisi *sensus*, subjectum esse non posse; nec de numeri enallage hic cogitari licere. — Nobis ad *indigeret* notio totius sententiæ primaria, *natura*, cogitanda esse videtur. Nexus enim tenor, nisi plane fallimur, hic est: *Natura* corpus sic «formavit, ut non multum adjumentis externis

tissimum atque optimum est[16], id deseruit. Etsi dedit talem mentem, quæ omnem virtutem accipere posset[17], ingenuitque sine doctrina notitias parvas rerum maximarum, et quasi instituit docere, et induxit in ea[18], quæ inerant, tamquam elementa[19] virtutis; sed virtutem[20] ipsam inchoavit : nihil amplius[21]. Itaque 60
nostrum est (quod nostrum dico, artis est) ad ea principia, quæ accepimus, consequentia exquirere, quoad sit id, quod volumus, effectum : quod quidem pluris sit haud paullo, magìsque ipsum propter se expetendum, quam aut sensus, aut corporis ea, quæ diximus; quibus tantum præstat mentis excellens perfectio, ut vix cogitari possit, quid intersit[22]. Itaque omnis honos, omnis admiratio, omne studium, ad virtutem et ad eas actiones, quæ virtuti sunt consen-

uteretur : eadem etiam animum ita perfecit (perfecte formavit), ut præter sensus nihil admodum adjumenti ad eum conformandum indigeret ». Inde patet, *indigeret* variandi causa pro *uteretur* (i. e. « opus esset, ut uteretur »), positum esse. Ita quidem in singulis quibusque apodosis epidosi aptata esse cernitur. G.

16. *Quod præst. atque optimum est*, sc. virtutem.

17. *Quæ omnem virtutem accipere posset. Jam*, quod ante *accipere* vulgo additur, Davisio jubente, Ern. ex Paris. 1 sustulit. Idem quatuor nostrum nesciunt, et sæpe a scribis additur. Possis quidem pro *continuo* accipere; sed tum auctor dubie *omnem jam virt.* maluisset. G.

18. *Et quasi instituit docere, et induxit in ea.* Putes scribendum esse *inducere*. Atque ita quidem proprie : sed *et* pro *id est* accipere licet : *induxit* enim verba, « quasi instituit docere », explicat. G.

19. *Elementa.* Sunt, quæ alias auctor « semina, igniculos virtutis » vocat. G.

20. *Sed virt.* Melius Gœr. ante *sed* minorem ponit interpunctionem; nam *sed* respondet præcedenti *etsi*.

21. *Nihil amplius. Itaque.* Ex P. Manutii ingenio constituta sunt hæc, scriptis plerisque omnibus « nihil ita amplius », uno e nostris Monac. cum Oxonn. « nihil itaque amplius » exhibentibus. De verbis *nihil amplius* dubitatio nulla est. Sed relinquitur, anne potius *Ita* pro *Itaque* scribatur, quum sæpissime simplici part. si *Ita fit, ut* notat, a scribis *que* addatur : vide duodecim loca in indice Heusinger. ad Off. nosque passim in superioribus. G.

22. *Quid intersit.* Male Erl. et Bas. *quod* : sensus enim est, « quanto discrimine sit mentis perfectio, perfectioni corporis », i. e. « quantopere præcellant animi bona bonis corporis ». G.

taneæ, refertur; eaque omnia, quæ aut ita in animis sunt, aut ita geruntur, uno nomine honesta dicuntur. Quorum omnium quæque sint notitiæ, quæque significentur rerum vocabulis[23], quæque cujusque vis et natura sit, mox videbimus.

61 XXII. Hoc autem loco tantum explicemus, hæc, honesta quæ dico, præterquam[1] quod nosmet ipsos diligamus, præterea suapte natura per se esse expetenda. Indicant pueri; in quibus, ut in speculis, natura cernitur[2]. Quanta studia decertantium sunt[3]?

23. *Quæque significentur rerum vocabulis.* Davis. *queisque* mavult; cui accedit Ern. qui hoc *quæque* non solum alienum et vitiosum judicat, sed etiam *rerum*, ut spurium inclusit. Non male per se quidem Davis. sed præterquam quod hæc forma relativi contracta Ciceronis non sit, nulla etiam correctionis necessitas adest. Trinis enim his enuntiatis, mutatis modo verbis, unum idemque exprimitur; quæ enim præcedunt *notitiæ*, eæ, quoad enuntiantur, *rerum vocabula* sunt. *Rerum* autem adjecit auctor, quum genus verborum esset duplex, alterum, quibus singulis singulæ rerum notiones exprimuntur, idque hoc loco notat; alterum, quo notionum modo affectiones indicantur (Germani illa *Worte*, hæc *Woerter* vocant). Si igitur auctor *queis* vel *quibus* scripsisset, necessario *rerum* delendum foret: quod secus est, quum *quæque* recte se habeat. Cf. supra III, 1, 3: « constituantur illa rerum vocabula, quæ in arte versantur ». Neque in triplici *quæque* offendas, quorum bina priora *quæcumque*, posterius *et quæ*, valent. Sæpe sic auctor pronomina reponit. G. — Matthiæ legit, « quæ sint notitiæ, quisque significentur, etc. » *Quæ* tum recte corrigetur, si cum Davis. et Ern. *queisque* v. *quisque* scribi debebit: sed vulgata supra satis defensa esse videtur. G. in Addit.

XXII. 1. *Præterquam ... præterea.* Ern. posteriorem particulam ex priore natam, ac spuriam judicat. Et ignorat sane *præterea* Gud. 2. Sed hic idem cod. pro *præterquam*, « præter quæ » peccat; atque structura, « præterquam quod, præterea », Ciceroni familiaris est, pluraque ejus exempla dudum Tursell. et ad eum Suartz. p. 602 seq. dederunt. G.

2. *In quibus, ut in speculis, natura cernitur.* Jos. Scaliger oræ libri sui appinxerat, « ut in speculis naturæ, cernitur, quanta'st ». *Delicate*, clamat Gruterus. At nos nullum præterea palatum novimus, cui hoc sapiat. Immo sensus est: « nam in his naturam velut in speculis accurate expressam intueri licet ». Cf. II, 10, 32, « quæ putat (Epicurus) esse specula naturæ ». G.

3. *Sunt.* Hoc Gœrenz delet, qui notat: Displicet *sunt* post *decertantium* in exclamatione vulgo additum; quumque ejus loco Spir. et Erl. inepte *sint* exhibeant, hac autem in varietate haud incertam glossematis notam conspici, sæpius viderimus: obelo hoc utique dignum judicamus.

quanta ipsa certamina? ut illi efferuntur lætitia, quum
vicerint[4]? ut pudet victos? ut se accusari nolunt? quam
cupiunt laudari? quos illi labores non perferunt, ut æqua-
lium principes sint? quæ memoria est in his bene me-
rentium? quæ referendæ gratiæ cupiditas? Atque ea[5] in
optima quaque indole maxime apparent: in qua[6] hæc
honesta, quæ intelligimus, a natura tamquam adum-
brantur[7]. Sed hæc in pueris[8] [expressa]. In iis vero 62
ætatibus, quæ jam confirmatæ sunt, quis est tam dis-
similis homini, qui non moveatur et offensione tur-
pitudinis, et comprobatione honestatis? quis est, qui
non oderit libidinosam, protervam[9] adolescentiam?
quis contra in illa ætate pudorem, constantiam, etiamsi
sua nihil intersit, non tamen diligat? quis Pullum Nu-
mitorium, Fregellanum, proditorem[10], quamquam

4. *Efferuntur læt. quum vicerint?* Prorsus similia sunt supra, cap. 15, § 42: « Si vincunt, efferunt se lætitia ». — *Quæ mem. ... bene merentium?* Intell. Quam memores sunt acceptorum beneficiorum!

5. *Atque ea.* Excidit *ea* ex utraque Ernestiana; nec pronomine hoc, quod « talia, qualia dixi », notat, contexta ullo jure carebunt. G.

6. *In qua* valet, « quamquam in eadem »; cf. ad Acadd. II, 25, 79. Hanc vim relativi ne cum quibusdam in dubium voces; nam inde huic vel *tamen* subjicitur. Offic. I, 44, 1: « Atque illi, quorum studio vitaque omnis in rerum cognitione versata est, tamen ab augendis hominum utilitatibus ... non recesserunt ». G.—Tali interpretationi ullum hic esse locum minime videmus, quum nulla sit inter hæc et præcedd. oppositio.

7. *A natura tamquam adumbrantur.* Ignorant Gud. 1 et 2 *tamquam*: sed sine ratione, quippe quo verbum audacius positum excusetur. G.

8. *Sed hæc in pueris [expressa].* Gœr. delet *expressa*. Hoc, inquit, quod P. Marsus ignorat, recte Ern. damnat, quum ista potius *adumbrata* sint. Ortum dicit e glossa verborum sequentium. At librariorum est ejusmodi ellipses pro suo modulo supplere, ut nihil sit, cur ad vicina confugiamus. Cogitandum est *valent*, vel *locum habent*.

9. *Libidinosam, protervam adolescentiam?* Monac. *pratervamque*: sed ex hoc uno mutare non licet, quum auctor vel alias inter adjectiva, sensu inter se cognata, copulam omittat; vide supra Fin. II, 3, 6. G.

10. *Pullum Numitorium, Fregellanum, proditorem.* Ita expresse Erl. atque ex Spir. certe *Numitorium* notatur: reliqui nostri *Numitarum*, et Gud. 2 *jumentorum*. Recte igitur, vel ex codicum auctoritate, Ursino et Davisio suasoribus, Ern. *Numitorium* dedit, quum vulgo *Numitorem* scriba-

reipublicæ nostræ profuit, non odit? quis urbis conservatorem Codrum[11], quis Erechthei filias[12] non maxime laudat? cui Tubuli[13] nomen odio non est? quis Aristidem non mortuum diligit[14]? An obliviscimur, quantopere in audiendo, in legendoque[15] moveamur, quum pie, quum amice, quum magno animo
63 aliquid factum cognoscimus? Quid loquar de[16] nobis,

tur.— Plenum nomen est *Q. Numitorius Pullus*. Qui quum Fregellanorum princeps esset, conjurationem, ab his contra Romanos initam, L. Opimio, prætore, hac de re inquirente, prodidit. Quo facto Fregellæ oppugnatæ dirutæque sunt. Hinc idem *proditor* (nempe patriæ suæ) dicitur. Conf. Invent. lib. II, cap. 34. — *Fregellanum*. Davisius suadet *Fregellarum proditorem*, idque probat Ernestius. Perperam. Nam præterquam quod parum accurate sic Cicero scripturus fuisset, quum vel alienigena Fregellas prodere potuisset: similis quoque locus id fieri vetat, ubi hujus Numitorii filia memoratur, Philipp. III, 6, 17: « cujus pater Numitoriam, Fregellanam, proditoris filiam, habuerit uxorem ». Ibi enim æque, ex Davisii ratione, *Fregellarum* corrigendum foret. Vulgatam veram esse, apparet etiam ex pron. *nostræ* per oppositionem addito. G.

11. *Codrum*. Codrus, rex Atheniensium ultimus. Quum oraculum Apollinis Atheniensibus, qui cum Messeniensibus bellum gerebant, respondisset, hunc populum victurum, cujus rex in prælio occidisset, Codrus rustica veste indutus migravit in hostium castra, ibique rixam provocavit, in qua interfectus est: Athenienses vero vicerunt. Horat. Carm. III, 19, 2: «Codrus, pro patria non timidus mori».

12. *Erechthei filias*. Ante Davis. prave *Erichthei* vulgabatur; et ex nostris quoque bini *Erithei* præbent. Sed constans Græcis scriptura Ἐρεχθεὺς est: non recte igitur Ernest. in Clave Historica hoc nomen utraque forma effert. De hujus autem filiabus vid. Tusc. I, 48, 116, et quæ ibi laudat Davis. G.

13. *Tubuli*. De *L. Tubulo* vid. supra II, 16, 54, et IV, 28, 77; Epp. ad Att. XII, 5, IV, 28; de Nat. Deor. I, 23, III, 31.

14. *Quis Aristidem non mortuum diligit?* Pro *Aristidem* peccant Bas. et Gud. 1 *Aristotelem:* miro enim fato accidit, ut hoc nomen multis locis vel obliteratum, vel intempestive, partim aliorum loco, partim ultro ingestum deprehendatur. — Iidem illi transponunt *mortuum non diligit:* unde forte *mortuum* in dubium vocaris. Sed vis est vocis, « licet fructus justitiæ a mortuo sperari nullus possit ». G.

15. *In aud. in legendoque*. Mars. Ven. 1494, Crat. et omnino impressi meliores alteram *in* nesciunt. Prave: sic enim hæc accuratius distinguuntur. Nec opus est, ut *legendove* malis; conf. Orat. 16, 52: « qualem ego in inveniendo et in collocando summum judicarem ». De repetitione præpositionum ex Ciceronis more sæpe egimus. G.

16. *Quid loquar de nobis*. Tenta-

qui ad laudem et ad decus nati, suscepti, instituti sumus? Qui clamores vulgi atque imperitorum excitantur in theatris, quum illa dicuntur

> Ego sum Orestes[17];

contraque ab altero,

> Immo enimvero ego sum, inquam, Orestes?

Quum autem etiam exitus ab utroque datur conturbato errantique regi, ambo ergo una vivere[18] precamur:

tum nuper a Morgensternio *loquor* est: sed accurate inter formas, *Quid loquor*, et *Quid loquar*, distinguendum. Illud recte in sese corrigendo, et reprimendo, atque tum unice, dicitur: hoc est, per præteritionem transeuntis, atque huc proprie pertinet; conf. Orat. III, 8, 29; Acadd. II, 20, 67, etc. G.

17. *Ego sum Orestes.* Fabula ex qua hæc sumuntur periit. Ceterum hæc notare certamen ortum inter Pyladem Orestemque, quum sese morti invicem alter pro altero devoveret, nemo non videt.

18. *Quum autem etiam exitus... ambo ergo una vivere precamur.* Locus parum sanus. Jos. Scaliger emendabat: « quum autem etiam exitus utrique datur a conturbato erranteque rege », quod Fr. Guyeto placet. Mihi legendum videtur, « quum autem etiam exitus alterutri datur a conturbato hærenteque rege ». Dubius scilicet erat Thoas, uter Orestes esset; quapropter non utrique, sed vel huic vel illi vitam concedebat. Dav. — Priora hoc volunt, « Ex quo vel rex, hucusque dubius incertusque hærens, ex utriusque indicio verum didicisset ». Hoc sensu verba ista si acceperis, sollicitanda non videntur: nam *errat* quisque, dum dubius hæret, nec prius in viam redit, nisi dubitatione soluta. Deterius igitur erit, quod Davis. *hærentique* suadet. *Exitus* autem huic *datur*, qui devius in silvis, et quo se vertat ignarus, ab aliquo in viam perducitur. At reliquus locus, ut iutt. omnes fatentur, in mendo est. Omnes primo nostri præter binos illos, editique vett. *ambos* præbent; deinde pro *una vivere*, Fr. Gronovii cod. *sunanegamum*, Spir. et Eri. *sunaniganum*, Bas. *summa negarim*. Davis. ex Gronovii lib. « ambo ergo una necemur, precantur »: nos autem e nostris, « ambo sic una enicarier precamur »: ut *ergo*, cujus loco Vict. *igitur* refert, cuique Mars. *et* addit, glossa sit a *sic*; ita enim sæpius apud poetas hæc particula corrumpi solet. Infinitivi autem prisci turbas ubique cient. Ad hæc jam locum supra II, 24, 79: « si id non probares, quo minus ambo una necaremini, non precarere? » rectius sic explicandum putamus: « si id probabile facere non posses regi (ad id regem consentientem non haberes), nonne precarere, ut una necaremini ». Ita post *quo*, *minus* ejiciendum foret, quod non semel sic intrusum est. G. — Omnem hunc locum Bremius sic

quoties hoc agitur, quandove, nisi[19] admirationibus maximis? Nemo est igitur, qui non hanc[20] affectionem animi probet atque laudet; qua non modo utilitas nulla quæritur, sed contra utilitatem etiam conser-
64 vatur fides. Talibus exemplis non fictæ solum fabulæ, verum etiam historiæ refertæ sunt, et quidem maxime nostræ. Nos enim ad sacra Idæa accipienda optimum virum delegimus; nos tutores misimus [21] regibus; nostri imperatores pro salute patriæ sua capita voverunt; nostri consules regem inimicissimum, mœnibus jam appropinquantem, monuerunt, a veneno ut caveret; nostra in republica, et[22], quæ per vim oblatum

legendum opinatur : « Quum autem etiam exitus ab utroque flagitatur, conturbato hærenteque rege: *Ambo ergo unam necem precamur.* Quoties hoc agitur, ecquandone, nisi admirationibus maximis? » Quamquam idem non negat, in verborum collocatione aliquid duri inesse. Quum nos quoque locum tentarimus, judicium, ut par est, peritis relinquimus. G. in Additamentis.

19. *Quandove, nisi.* Gœr. scribit *ecquandone.* Scripti, inquit, nostri tres potiores, cum Gronoviano, *et quandone;* reliqui et nostri, et fere aliorum, *et quandove.* Nec aliter impressi veteres, nisi quod Crat. *et quantone* variat. Inde Davisii conjectura *ecquandone*, probata Ruhnkenio ad Vell. II, 14, pag. 113, vera judicanda est. Ubique enim scribæ syllabam *ec* in *ecquis*, *ecquisquam*, *ecquando* in *et* mutant. *Agitur* denuo cogitandum esse, per se intelligitur. Nisseni ratio, « Quoties hoc agitur! quando vero », tum quoque, si exclamatio placeat, *ecquando* desiderabit.

20. *Nemo est igitur, qui non hanc.* Gœr. dat *quin hanc.* Ita, inquit, Sp. et Erl. sed scribit Cic. ex more, « nemo est, quin » : et h. l. in pron. *hanc* vis est. Stare autem tum modo *qui non* posset, si enuntiatio, *qua non*, etc. haud addita esset. Certe auctor *non*, quæ hoc loco sine vi est, post *animi* posuisset. Scribæ autem semper fere in structura *nemo est*, *quin* hærent; conf. ad Divv. I, epist. 4, 4: « nemo est, quin existimet »; ubi codd. fere pro *quin*, *qui*, vel *qui non* exhibent. Tacemus, quod in *qui non*, et *qua non*, ex tam brevi intervallo positis, aures offendunt.

21. *Nos tutores misimus regibus.* Pertinent hæc ad argenteum denarium M. Lepidi, in cujus una parte turrita imago Ægypti signata est cum literis ALEXANDREA; in altera inscriptio M. LEPIDVS. PONT. MAX. TVTOR. REG. ex SC. Ursin.

22. *Nostra in republica, et.* Pro *et* nostrum tres, Oxonienses omnes, editique plerique, *Lucretia* referunt. Sed hoc glossema, nisi bis in contextis ex eo jam pateret, quod res sine nominibus referuntur, inde certe convincitur, quod Spir. et Erl. *Lucretia et* simul exhibent. G.

stuprum voluntaria morte lueret, inventa est[23]; et qui interficeret filiam, ne stupraretur: quæ quidem omnia, et innumerabilia præterea, quis est, qui non intelligat, et eos, qui fecerunt[24], dignitatis splendore ductos, immemores fuisse utilitatum suarum, nosque, quum ea laudemus, nulla alia re, nisi honestate duci?

XXIII. Quibus rebus breviter expositis[1] (nec enim sum copiam, quam potui, quia dubitatio in re[2] nulla erat, persequutus), sed his rebus concluditur profecto, et virtutes omnes, et honestum illud, quod ex his virtutibus exoritur[3], et in his hæret, esse per se expe-

23. *Inventa est.* Monac. *est* ignorat; quod videtur esse aliquid: nam sic mollius ex v. *inventa* ad proxima *inventus* intelligi, dixeris, quam si verbum substantivum addatur. Sed videtur modo. Ita enim sæpe auctor, ut verbum, ad bina enuntiata pertinens, medio bis loco ponat. Offic. I, 29, 6: «Neque enim ita generati sumus, ut ad ludum et jocum facti esse videamur: ad severitatem potius, et ad quædam studia graviora et severiora». Neque diversum genus, quo verbum repetendum est, ita offendere debet, ut *inventa est: inventus et qui*, malis: nam sæpe sic adjectiva, et partt. ponuntur; conf. ad Acadd. I, 4, 17, etc. G.

24. *Qui fecerunt.* Gœr. scribit *qui fecerint.* Ita, inquit, nostri sex cum tribus Oxonn. Mars. Crat. aliis. Vulgatur *fecerunt;* quod sine dubitatione verum foret, nisi, *et innumerabilia alia*, adderetur: hoc autem addito, valent ista, «quicumque sint, qui talia fecerint». Jure igitur subjunctivum reduximus, quem reliqui editores neglexerunt, quum ejus rationem ignorarent.

XXIII. 1. *Quibus rebus breviter expositis.* Gœr. transp. *exp. breviter.* Hoc, inquit, positu ex nostris quinque, tres Oxonn. Vien. Ven. 1494, Mars. utuntur. Vulgo editur *breviter expositis.* Prave. Pertinet enim parenthesis, quæ sequitur, non ad *expositis*, sed ad *breviter;* et sæpe notavimus, Ciceronem hanc sine exceptione ei voci proxime adjungere, a qua ipsa pendeat. Pessime fecit editor Oxoniensis, qui *breviter* delevit: sic enim vaga est parenth.

2. *In re nulla.* Prava serie Bas. Gud. 1 et Mars. *nulla in re.* G.

3. *Quod ex his virtutibus exoritur.* Spir. et Erl. *virtutibus.* Gud. 2 et hoc, et *ex* ignorat, simpliciter *hiis* (sic enim ubique *his* scribit) exhibens. Paris. 1, cum Gud. 2, *his:* unde Davis. vv. *ex virtutibus* pro glossemate habet. Sed, ut sæpe VV. DD. ita scribæ quoque, notionem primariam, repetitam, male concoquunt; licet auctor hujus generis exemplis plane abundet. Conf. I, 20, 69; II, 14, 44; 22, 70, etc. Præpositionem *ex* autem tum pæne ex ordine scribæ omittunt, *si* eadem in verbo recurrit. Off. III, 12, 7: «Exoritur Antipatri ratio ex altera parte, etc.» G.

65 tendum[4]. In omni autem honesto, de quo loquimur, nihil est tam illustre, nec quod latius pateat, quam conjunctio inter homines hominum, et quasi quædam societas et communicatio utilitatum, et ipsa caritas generis[5] humani: quæ nata a primo satu, quo a procreatoribus nati diliguntur, et tota domus conjugio et stirpe conjungitur, serpit sensim foras, cognationibus primum, tum affinitatibus, deinde amicitiis, post vicinitatibus; tum civibus[6], et iis, qui publice socii atque amici sunt; deinde totius complexu gentis humanæ: quæ animi affectio suum cuique tribuens, atque hanc, quam dico, societatem conjunctionis humanæ munifice et æque tuens, justitia dicitur; cui adjunctæ[7] sunt pietas, bonitas, liberalitas, benignitas, comitas[8], quæque sunt generis ejusdem. Atque hæc ita justitiæ propria sunt, ut sint virtutum reliquarum communia.

66 Nam quum sic hominis natura generata sit, ut habeat

4. *Esse per se expetendum*. Gœr. transp. *per se esse*, notatque: Vulgatum ordinem nec ullus nostrum codicum refert, omnes ut edidimus. Nec aliter Mars. Crat. aliæ: ipse Dav. sic ex suis, ut credere par est, dedit. Vis est in vv. *per se*, non in asseveratione verbi subst. quum vis conclusionis sit, « per se; non propter utilitatem aliquam, honestum esse expetendum ».

5. *Communicatio utilitatum, et ipsa caritas generis humani*. Spir. ex compend. *commutatio* peccat. Gud. 2 et Bas. *communitas* referunt: quod videatur esse aliquid, quum sæpe auctor vv. *societas et communitas* jungat; conf. III, 20, 67; IV, 2, 4. Sed vulgata vera est, et scriba haud dubie ex terminatione prioris verbi sic lapsus est. Tum *communitas* probandum foret, si *utilitatum* in glossa poneretur: sed deinde vv. *quasi quædam* sine ratione addita forent. At jam quidem ista *communicatio utilitatum* societatis cujusdam est tamquam negotiatorum communi lucro mercaturam exercentium. G.

6. *Tum civibus*. Sic nostri, præter Bas. Monac. et Vien. tresque Oxonn. ut recte P. Manut. ex conjectura, Grut. ex binis, Davis. ex trinis suis dederant. De re ipsa vide supra II, 14, 46, ubi mutatis verbis eadem habes. G.

7. *Cui adjunctæ sunt*. Cum omnibus nostris, Vien. binis Oxonn. editisque vett. plerisque, *cui sunt adjunctæ*: atque ita quoque tacite Dav. Vulgo *sunt* postponitur. G.

8. *Comitas*. Monac. Oxonn. E. et ξ. *communitas*. Vide ad Offic. III, 5, 9; Henss. et Gernh. ell. supra II, 25, 81. G.

quiddam innatum[9] quasi civile atque populare, quod Græci πολιτικὸν vocant: quidquid aget quæque virtus, id a communitate, et ea, quam exposui, caritate atque societate humana non abhorrebit; vicissimque justitia, ut ipsa se fundet usu[10] in ceteras virtutes, sic illas expetet. Servari enim justitia, nisi a forti viro, nisi a sapiente, non potest. Qualis est igitur omnis hæc, quam dico, conspiratio, consensusque virtutum, tale est illud ipsum honestum: quandoquidem honestum, aut ipsa virtus est, aut res gesta virtute[11]. Quibus in rebus vita consentiens, virtutibusque respondens[12], recta, et honesta, et constans, et naturæ

9. *Ut habeat quiddam innatum.* Spir. et Erl. *quoddam ingenitum. Quoddam* servant cum Marso bini quoque alii nostri totidemque Oxonn. Crat. *genitum*. Sed vera videtur vulgata. Nam *quiddam...quasi* rectius jungitur; et Bas. *ingenatum :* ut varietas ista ex repetito a scribis *ingeneratum* per compend. orta videatur. *Innatum* autem inde, tamquam suspectum, in glossa poni noluerim, licet quodam modo dici superfluum possit. G.

10. *Ut ipsa se fundet usu*. Spir. et Erl. *usu* ignorant, hoc discrimine, ut Erl. etiam *fundet se* transponat. Sed ut suetor pronn. *ipse se* jungere amat, et reciprocum ubique fere verbo finito præmittit : sic nos *usu* ad futurum tempus ægre caruerimus. Forte olim *visu* eum Bas. peccatum est, quod deinde scribæ abjecerunt. Tamen fatendum est, auribus hoc omissum probari, et futura non a sese, sed a prægressis pendere. At voluit suetor hoc, quod toties ponit, accuratius intelligi, « virtutes omnes, simul atque in actione cernuntur, justitis comprehendi » : unde hæc ipsa *domina et regina* reliquarum omnium dicitur Off. III, 6, 29. G.

11. *Aut ipsa virtus est, aut res gesta virtute.* Crebro Aristotelis more, τὸ καλὸν καθόλου, et κατά τι, distinguitur. G.

12. *Quibus in rebus vita consentiens, virtutibusque respondens.* Gud. 2 et Bas. « vita consentiens virtutibus his », omisso *respondens*. Sed videtur scriba nexum non percepisse, qui est : « vita, quæ his in rebus (quoad has res) consentit, atque ita virtutibus respondet ». G. — Delet Bremius *in*, ut *quibus rebus* dandi casus sit. Quem hic unice aptum dicit : nam *consentire in re* longe aliud esse. Ita nos quoque conjecimus. Sed *vita consentiens*, scil. sibi, absolute accipi potest, ut *ratio consentiens*, etc. Hoc sensu nexuque : « Si in his (quæ dixi) vitæ ratio sibi consentit, atque ita virtutibus respondet, (præcesserat conspiratio consensusque virtutum), tum ea recta, etc. » *Res* sæpe superflue dici tralatitium est. Ita certe vulgatam, quæ scriptorum editorumque veterum omnium est, defendere licet. G. in Additam.

67 congruens existimari potest. Atque hæc conjunctio confusioque[13] virtutum, tamen a philosophis ratione quadam distinguitur. Nam quum ita copulatæ connexæque sint, ut omnes omnium participes sint[14], nec alia ab alia possit separari : tamen[15] proprium suum cujusque munus est, ut fortitudo in laboribus, periculisque cernatur; temperantia in prætermittendis voluptatibus; prudentia in delectu bonorum, et malorum; justitia in suo cuique tribuendo. Quando igitur inest[16] in omni virtute cura quædam quasi foras spectans, aliosque appetens atque complectens, exsistit illud, ut amici, ut fratres, ut propinqui, ut affines, ut cives, ut omnes denique (quando unam societatem hominum esse volumus[17]) propter se expetendi sint.

13. *Confusioque*. Ita Off. II, 3, 5, *confusa*, et Tusc. I, 11, 23, *confundere* dicitur. G.

14. *Ut omnes omnium participes sint*. Cave ne cum Davisio ad *homines* referas, atque inde *ita* in *illæ* mutari velis : referendum ad *virtutes* est, hoc sensu, « ut una quæque virtus reliquarum quoque sit particeps ». G.

15. *Quum ita copul. connexæque sint...tamen*. Vitiosissime *sunt* vulgatur; nullo enim modo *quum*, si *tamen* sequente *licet* valet, indicativo jungi potest. Servant *sint* Spir. Erl. Crat. nec aliter tacite Davisius. Vitium haud dubie *sint* proxime recurrens excusavit; si quidem ejusmodi vitii excusatio datur. Sæpissime autem sic verb. substant. repetitur. G.

16. *Quando igitur inest*. Gud. 1 *quanto est*, sine *igitur*, Monac. *quoniam igitur est*, Oxonn. E. et ξ. *quoniam est igitur*, Bas. *quomodo est ig*. *Est*, pro *inest*, referunt etiam Gud. 2 et Vien. Sed vulgata relinquenda non est. Sæpissime enim *quando* a scribis in *quoniam*, propter compp. simillima $\widehat{quo}$ et $\widehat{quo}^{m}$, mutatur : ut paucis post in parenthesi Erl. *quoniam* illius loco refert. Æque sæpe etiam *inest* ab iisdem in *est* corrumpitur, ut paucis post videre licet. Si quid tamen propter istam varietatem mutandum putaris, transpones *quando inest igitur* : ita facilius videbis, quomodo ex voce male dirempta $\widehat{quom}$ *est* turbæ istæ oriri potuerint. Crebro autem *est*, ante *igitur* positum, huic a librariis subjici, passim et abunde vidimus. G.

17. *Quando ..... volumus*. Quamquam hujus parenthesis series reprehendenda non est, tamen meliorem offerunt Mars. et Crat. « quando unam societatem esse volumus hominum ». Vide eamdem structuram Off. I, 13, 9: « Est autem infima conditio et fortuna servorum ». Pertinet ea autem ad illas, ubi notionem primariam denuo subaudire licet, « quando unam soc. esse v. societatem hom. » G.

Atque eorum nihil est ejus generis, ut sit in fine atque extremo bonorum. Ita fit, ut duo genera propter 68
se expetendorum reperiantur : unum, quod est in iis, in quibus completur[18] illud extremum; quæ sunt aut animi, aut corporis. Hæc autem, quæ sunt extrinsecus, id est, quæ neque in animo sunt[19], neque in corpore, ut amici, ut parentes, ut liberi, ut propinqui[20], ut ipsa patria, sunt illa quidem sua sponte cara, sed eodem in genere, quo illa, non sunt. Nec vero quisquam summum bonum assequi[21] umquam posset, si omnia illa, quæ sunt extra[22], quamquam expetenda, summo bono continerentur.

18. *Unum, quod est in iis, in quibus completur.* Lamb. posteriorem *in* delet; Davis. hujus loco *e* suadet. Ern. illud recte præfert; conf. Tuscul. V, 14, 40 : « An dubium est, quin nihil sit habendum in eo genere, quo vita beata completur, si id possit omitti ». Ibi scripti quoque plures *in quo.* Sed licet toties apud Ciceronem hæc dicendi ratio recurrat, nusquam tamen sic, præpositione repetita : ut Lambin. in ea abjicienda probemus. Omnes tamen nostri particulam tenaciter retinent. Pro *in iis*, tres nostri non male *his :* male vero has ipsas voces Monac. E. et ξ. ignorant. Ceterum valde nos probarimus, si in codice aliquo *unum quidem est* legitur. G. — Debebat deinde oratio pergere : « alterum in his est, quæ sunt extrinsecus » : sed coarctatius, atque inde ἀνακολούθως sequuntur, « hæc autem, quæ sunt, etc. » Ita sæpe *primum*, *alterum* non sequente, poni vidimus. G. in Additamentis.

19. *In animo sunt.* Gœr. scrib. *in animo insunt.* Hoc, inquit, referunt quatuor nostri, bini Oxonn. et Virn. Atque ita quoque ex quatuor suis et Victoriana Davis. dedit, idemque servant Mars. Crat. aliæ. Et sane *bona animi*, etc. *in animo insunt*, i. e. *animi propria sunt*, non tantum *in animo locum habent;* quæ vis simplicis *sunt* foret.

20. *Ut liberi, ut propinqui.* Mars. hæc ignorat : Monac. *ut propinqui liberi.* Atque si verum fatearis, facile istis carueris : sunt enim prava serie posita; et *parentum* nomine *liberorum*, *propinquorum*, *affinium* conditio quasi ipsa continetur. His autem omissis, vera quasi per genera gradatio exsistit, quam auctor pron. *ipsa* indicasse videtur. G.

21. *Nec vero quisquam.....umq.* Gud. 1, Bas. *umquam.....quisque*, Gud. 2 *inquam...quisquam*, Spir. et Erl. bis *quisquam.* Utraque series proba est, Orat. II, 28, 128; Att. XIII, epist. 5, fin. Qua vero auctor h. l. uti maluerit, dijudicatu sane difficile fuerit. G.

22. *Quæ sunt extra*, ex Græcis, τὰ ἔξω, ad verbum expressa. Ceterum hæc propria et peculiaris Antiochi sententia fuit, quod extranea bona a summo bono segregata vellet : quam

69 XXIV. Quo modo igitur, inquies, verum esse poterit, omnia referri ad summum bonum, si amicitiæ, si propinquitates, si reliqua externa summo bono non continentur? Hac videlicet ratione : quod ea, quæ externa sunt, iis tuemur officiis, quæ oriuntur a suo cujusque genere virtutis[1]. Nam et amici cultus, et parentis, [et] qui officio fungitur[2], in eo ipso prodest, quod, ita fungi officio, in recte factis est : quæ sunt orta virtutibus. Quæ quidem sapientes sequuntur, utentes tamquam duce natura[3].

Non perfecti autem homines, et tamen ingeniis

inconstantiam Cic. infra, cap. 30, jure vituperat. G.

XXIV. 1. *Quo modo ... virtutis.* Hæc omnia Brem. spuria judicat : sed ei obstat Gœrenz longioribus argumentis, quam quæ hic referri possint, et præsertim quod sensus horum sit bene per se conveniens : quamquam externa non contineantur in summo bono, nec summum bonum per se ipsa præstare possint; tamen mediate ad summum bonum referuntur ; quia hæc externa coli iis officiis jubetur, quæ ipsa oriuntur e virtutibus : atqui virtutes præcipue summum bonum præbent. Ceterum conf. not. sequentem, fin.

2. *Nam et amici cultus* (Clerico placet *cultor*), *et parentis*, [*et*] *qui officio fungitur. Et* tertiam inclusimus : nam vulgata ferri nequit. VV. DD. varie consuluerunt : Clericus *cultor* audet, sed jejune, neque sic, ut difficultas tollatur. Ern. *ab* vel *in officio est*, excidisse judicat. Per se hic quidem non male : sed ad lacunæ suspicionem tum modo confugiendum est, si nulla præterea medicina datur. Nissen *et* a nobis inuncatam, in *ut* mutat. Sed *ut qui*, ne alia tangamus, quum *quippe qui* valet, necessario subjunctivum requirit. Nos quidem facillimam rationem sequuti sumus. Scribæ enim quum non viderent, *cultus* abstracte, pro eo, *qui colit*, dici, copulam denuo addiderunt. Abstracto autem auctor ob seq. *prodest* usus est. — Sensus est, « Qui ita amicum, ita parentem colit, ut officium jubet, per hoc ipsum sibi consulit, quod, quum officium facit, recte facit : recte facta autem e virtutum fonte proficiscuntur ». G.

3. *Sequuntur*, *utentes tamquam duce natura.* Mira in his turba est. Nam nostri omnes *utentes* ante *sequuntur* collocant, ejusdemque loco ibid. E. et ξ. *veteres* exhibent : qui duo cum Bas. et Monac. etiam *tamquam* ignorant. His quidem ducibus facile duo illa, ut ex glossemate nata, abjicias; ut modo, « sequuntur duce natura », in textis relinquatur. At quo jure *tamquam* scribis tribui possit, vix dispicere licet, quippe qui hanc part. omittant potius, quam de suo addant. Quod vero si retinueris, ægre *utentes* eo loco, quo vulgatur, carueris. Ceterum non semel auctor, « utens consilio, ratione, etc. » G.

excellentibus præditi, excitantur sæpe gloria [4] : quæ
habet formam honestatis et similitudinem. Quod si
ipsam honestatem undique perfectam et[5] absolutam,
rem unam præclarissimam omnium, maximeque lau-
dandam, penitus viderent; quonam gaudio comple-
rentur, quum tantopere ejus adumbrata opinione
lætentur[6]? Quem enim deditum voluptatibus, cupi- 70
ditatum incendiis inflammatum[7], in iis potiendis,
quæ acerrime concupivisset, tanta lætitia perfundi
arbitramur, quanta aut superiorem Africanum Anni-
bale victo, aut posteriorem Carthagine eversa? Quem
Tiberina decursio[8], festo illo die, tanto gaudio affecit,

4. *Excitantur sæpe gloria.* Ita bini illi; reliqui, ut multi aliorum, vel *spe gloria*, vel *spe gloriæ*. Vulgata ex Lambini conjectura est, sed pluribus Gruteri Davisiique comprobata, eaque verissima. Quoad particulæ positum vide supra I, 19, 63 : « e qua ipsa horribiles exsistunt sæpe formidines ». Cll. Off. III, 13, 10 : « quæ videtur utilium fieri cum honestis sæpe dissensio ». G.

5. *Perfectam et absolutam.* Gœr. scrib. *atque abs.* Ita, inquit, quatuor nostri, Vien. et Mars. Et hanc sane auctor part. inter hæc adjectiva ponere amat. Cf. Off. III, 4, 11, etsi hic quidem *et* quoque ponit Divin. II, 72, 150. Sæpe vero *atque* a scribis in *et* mutatur.

6. *Quon. gaud. c...... læt.* Eadem Plato, Phædr. 65. Locum vide sup. lib. II, 16 (p. 218, not. 4), ubi Noster similia dicit.—*A. opinione.* Dicendum proprie erat *adumbr. imagine*, sed transiit repente a rei similitudine ad rem ipsam, et ut alias *adumbratas intelligentias* dicit (cf. Legg. I, 22, 59), ita, quum externa gloriæ natura in *opinione* versetur, *adumbratam* i. e. « assimilatam honestati opinionem ». G.

7. *Cupiditatum incendiis inflammatum.* Iterum Gœr. addit *quem* ante *cup. inc.* Hoc, inquit, a nostris binis illis primum accessit. Neque putes, id hoc loco necessarium non esse; immo vero ita hoc carere non licet, ut, si exaggerationem videris, quæ enuntiato huic, quod ducit, inest, ex ingenio id addendum fuisse, sis judicaturus. Relativum autem haud raro excidit.

8. *Quem Tiberina decursio.* Ita ab Victorio inde recte VV. DD. nisi quod Davis. *descensio* ex Eliensi dedit, licet dubius hæreret, an hæc vel illa lectio prævaleat. Olim *dissensio* peccabatur, ut ex nostris Monac. ex Oxonn. quatuor. Sed Vien. Oxonn. V. *discensio*, Erl. et Spir. *descensio*. At Gud. uterq. et Bas. aliorumque multi impressique cum Marso et Crat. plures, *decursio*. Causam varietatis puta, quod olim prave *discursio* per comp. *dīssio* scribebatur. G. — Locus corruptissimus. Quid juxta Tiberim, quod tantopere delectaret et gaudio afficeret, gereretur, non mihi

quanto L. Paullum, quum regem Persen captum ad-
71 duceret, eodem flumine invectum[9]? Age nunc, Luci noster, exstrue animo altitudinem excellentiamque virtutum : jam non dubitabis, quin earum compotes homines, magno animo erectoque viventes, semper sint beati; qui omnes motus fortunæ, mutationesque rerum et temporum, leves et imbecillos[10] fore intelligant, si in virtutis[11] certamen venerint. Illa enim,

valde compertum est. Declaratur autem verbis Ciceronis, magnas omnino corporis voluptates eo loco capi solitas, et eas quidem certo quodam die, quem festum ob eam rem agebant. Existimo sane fieri posse, ut aliquis, qui majore studio diligentiaque ritus et mores antiquorum observarit, aliquid, quod hunc locum illustret, invenerit. Epigramma quoddam (ut quod ego hactenus indagavi) satis argutum et elegans, sed parum integrum et purgatum Virgilii nomine legitur; in quo significatur turpes quasdam et obscœnas voluptates prope Tiberim exerceri solitas esse, ut de eadem fortasse re hic intelligi debeat. Vict. — Vide num huic loco conveniant piscatorii ludi, de quibus Festus meminit in voce *piscatorii;* aut ludi Μαίουμα, de quibus mentio est apud Suidam. Ursinus. — Ovidii versibus adductus sum, ut pro *dissensio* legendum putarem *decursio :* hoc facilius, quod Maffei et Tertii veteres libri comprobant. Erat autem festus ille dies, quem Romani in honorem Fortunæ quotannis celebrabant. Ovid. Fast. VI, 773. P. Manutius. — Manutii conjecturæ Gœr. et J. V. L. (in not.) assentiuntur, quamvis hic in versione : *Lorsqu'il y eut un si grand concours sur le Tibre pour voir le roi Persée*, etc.

9. *Invectum*. Gœr. probante J. V. L. scribit *invectio*. Hæc est, inquit, conjectura Davisii, comprobata a Spir. et Erl. Reliqui et nostri, et omnes forte reliquorum *invecto :* vulgata enim *invectum* ingenio deberi videtur. Sed recepta lectio meliore st, quum sic *decursio* et *invectio* apte sibi respondeant.

10. *Leves et imbecillos*. Davis. tacite tertiæ flexionis terminationem *imbecilles* dedit; eamque omnino meliorem judicat Ern. Sed qua de causa hic ita judicet, nec addit, nec conjici licet. Nos certe secundæ flexionis formam in hoc adjectivo et vetustiorem, et auctori ita frequentem novimus, ut vix unus alterve locus reperiatur, ubi illa altera constanti codicum lectione nitatur. Nec facile eam tertiæ decl. apud poetas melioris ævi deprehenderis. Accedit h. l. quod eadem junctura, hac ipsa forma, Divv. IX, ep. 16, 13, *levem et imbecillam* reperitur. Sic *hilarus* pari frequentia, non tertia, sed secunda flexione apud ipsum dicitur. Cf. infra § 92. Editi quidem veteres *imbecilles*, atque ita quoque scripti reliqui nostri. At bini optimi nostri *imbecillos* firmant. G.

11. *Si in virtutis cert. ven.* Conjicit Davis. « si quum virtutibus in certamen venerint ». Sed vulgatæ ratio elegantior est, quum sensus sit, « si virtus cum iis certamen inierit ». Nec ulla plurium numeri necessitas est :

quæ sunt a nobis bona corporis numerata, complent
ea quidem beatissimam vitam, sed ita, ut sine[12] illis
possit beata vita exsistere. Ita enim parvæ et exiguæ
sunt istæ accessiones bonorum, ut, quemadmodum
stellæ in radio solis[13], sic istæ in virtutum splendore
ne cernantur quidem. Atque hoc ut vere dicitur, parva 72
esse ad beate vivendum momenta ista corporis com-
modorum[14]; sic nimis violentum est, nulla esse dicere.
Qui enim sic disputant, obliti mihi videntur, quæ ipsi
egerint principia naturæ[15]. Tribuendum igitur[16] est

nam quod et superius, et inferius *virtutum* ponitur, alia res est. G.

12. *Sed ita, ut sine illis.* Nisi plane fallimur, scribendum est « ut vel (i. e. adeo) sine illis » : aliter enim non bene vis ea in præpositionem *sine* coit, quæ ex loci tenore desideratur. Obliterari autem *vel* ex comp. *vl*, quo pingitur, facillime potuit. Hinc etiam toties eadem part. cum *ut* permutata reperitur. Cf. supra Fin. II, 6, 18. Pro *illis* exhibet Marsus *eis* : hac haud dubie causa, quod *ea* præcesserat. At superius eadem de re *Illa*. Conferas etiam Off. I, 38, 5, et quos ibi Fr. Heusing. laudat. G.

13. *In radio solis.* Gœr. scrib. *in radiis*, qui notat : Aut *radiis*, aut *virtutis* scribendum est, nisi comparationem inepte applicatam dixeris. Sequuti igitur binos illos nostros, *radiis* dedimus. Literam *s* proxima litera traxit. Cf. 3n, 90.

14. *Parva esse ad beate vivendum momenta ista corporis commodorum.* Davis. hæc ne latina quidem pronuntiat, quum certe, « in istis corporis commodis », scribendum fuisset. Sic locum corruptum pronuntians, verbis « ista corporis commodorum » in glossemate positis, corrigi reliqua sic jubet, « atque hæc ... parvi ... momenti... nullius ... ». At genitt. bene Latinis pro *in* cum sexto casu poni, vel pueris notum esse debet. Consulto autem *corporis commoda* adduntur, quum alia sint *fortunæ*, quæ auctor h. l. sejuncta volebat. *Commoda* autem ex Antiochi mente dici, quæ alias *prima naturæ* appellantur, supra sæpius vidimus, v. c. § 58. G.

15. *Quæ ipsi egerint principia naturæ.* Consentiunt VV. DD. in verbi *egerint* vitiositate. Lamb. dedit *fecerint*, Grut. *elegerint*, Davis. *dederint*, Gifanius *jecerint*. Sed hic V. D. quum ita suspicaretur, meminisse debebat, æque *agere fundamenta*, atque *jacere*, dici, pro Milone 27, 75; neque hoc verbum, nisi ab hac similitudine translatum, huc applicari posse. Et sane *principia* philosophis *fundamentorum* loco sunt : ut, auctorem eum vulgata scripsisse, nihil dubitemus. Similiter idem sæpe verba ad cognatam iis notionem transfert. III, 22, 76 : « vitam usque ad ... rogum pertulisset ». Videtur enim hoc sensu id posuisse, « quæ ipsi, principia naturæ ponendo, doctrinæ de finibus, etc. fundamenta jecerint » G.

16. *Tribuendum igitur est.* Gœr. transp. *est igitur*. Hunc, inquit, meliorem ordinem item illi bini nostri

his aliquid, dummodo, quantum tribuendum sit, intelligas. Est tamen philosophi[17], non tam gloriosa, quam vera quærentis, nec pro nihilo putare ea, quæ secundum naturam illi ipsi[18] gloriosi esse fatebantur, et videre tantam vim virtutis, tantamque, ut ita dicam, auctoritatem honestatis, ut reliqua non illa quidem nulla, sed ita parva sint, ut nulla esse videantur. Hæc est nec omnia spernentis præter virtutem, et virtutem ipsam suis laudibus amplificantis[19] oratio. Denique hæc est undique completa et perfecta explicatio summi boni. Hinc ceteri particulas arripere conati, suam quisque videri voluit afferre sententiam.

73 XXV. Sæpe ab Aristotele, a Theophrasto mirabiliter est laudata per se ipsa rerum scientia. Hoc uno captus Herillus, scientiam summum bonum esse defendit, nec rem ullam aliam per se expetendam. Multa sunt dicta ab antiquis de contemnendis ac despiciendis rebus humanis. Hoc unum Aristo tenuit: præter vitia, atque virtutes, negavit rem esse ullam aut fugiendam, aut expetendam. Positum est a nostris in iis[1] rebus,

præbuerunt, vere Ciceronianum: scribæ enim *igitur* tertio loco positam ubique cum vulgata, *igitur est* transponunt. Cf. Off. I, 14, 5: « Videndum est igitur ». Ibid. 28, 6: « Adhibenda est igitur ». 36, 9: « Curandum est igitur ». In his recte Heusingeri: sed ita quoque ibid. 35, 14, « Retinenda est igitur » scribendum erat. Regula est, positum hunc tum valere, quum tenor sententiæ asseverationem magis, quam consecutionem requirit.

17. *Est tamen philosophi.* Ern. *tamen* contextis male conveniens judicat, *enim* ejus loco suadens. Et sane *tamen* ad hæc contexta parum quadrat. Malim *autem*, quæ particula, quum ex comp. *am* scribatur, facile, attracta ex verbo subst. litera *t*, in *tamen* mutari potuit. Simile exemplum vide supra IV, 12, 28.

18. *Illi ipsi.* Scilicet Stoici.

19. *Hæc est nec ... et ... oratio.* Turbant scribæ Gud. 1, Bas. Mars. Crat. *Hoc*, iidemque præter Gud. 1 *non*, pro *nec*: sed hic pro *et*, *ut*, referunt. Gud. 2 *virtutem* posteriore loco et in fine *oratio* ignorat. Hoc videtur esse aliquid, ut legatur « Hoc est... amplificantis ». Sed creberrimus est hic cod. in verbis omittendis. In structura autem, *nec*, *et*, quæ paucis ante adfuit, scribas hærere nihil mirum est. G.

XXV. 1. *In iis rebus.* Quod tres

quæ secundum naturam essent, non dolere. Hoc Hie-
ronymus summum bonum esse dixit. At vero Calli-
pho, et post eum Diodorus, quum alter voluptatem
adamavisset, alter vacuitatem doloris, neuter hone-
state carere potuit, quæ est a nostris laudata maxime.
Quin etiam ipsi voluptarii deverticula quærunt, et vir- 74
tutes habent in ore totos dies, voluptatemque primo
dumtaxat expeti dicunt[2]; deinde consuetudine quasi
alteram naturam[3] effici, qua impulsi multa faciant,
nullam quærentes voluptatem[4]. Stoici restant. Hi qui-

ex Oxonn. quatuorque illi nostri, cum Ven. 1494, post *his* (nam hoc habent pro *iis*) *esse* addunt, id ex eo natum videtur, quod scribæ non videbant, vv. *non dolere*, quæ sequuntur, substantive cum vi, ut notionem primariam, in clausula collocata esse. Nam etsi quidem *ponere*, pro *statuere* dictum si acceperis, *esse* facile admittet, tamen non sine jure in ejus positu offendes. G.

2. *Quin etiam... quærunt... habent... dicunt.* Gœr. scribit *quærant... habeant... dicant*, notatque: Grassatur in hæc Ernest. tres indicativos de suo corrigens, Davisio ex Baliiol. *quærunt* laudante. Davis. ipse modestior est, «quærunt, ut virtutes», conjiciens. Sed nihil dubitamus, posse recte *Quin etiam* cum conjunctivo strui, ea vi, ut nostrum, *Warum sollte nicht auch*, æquet. Sic enim subjunct. non a particula, sed a reliquo loci tenore pendet, quippe qui is sit, in quo Græcis optativi ponantur. Cf. pro Milon. 24, 65: «Nimia multa audire coguntur, neque aliter facile possunt, ii, quibus tota commissa est respublica. Quin etiam audiendus fuerit popa Licinius, nescio quis de circo». Simplex quoque *quin* sic structum vide Somn. Scip. 3, «quin tu adspicias ad te venientem patrem». Nihil igitur opus est, ut ibi quoque cum Ern. *fuit* tentes. Totum autem locum veiut ex parenthesi additum putabis. — Gœr. addit in calce libri: nunc sane nobis quoque vulgatæ explicatio parum satisfacit. Omnia in orbem suum redierint, si post *quærant*, *ut* pro *ita ut*, *quo fit ut*, inserueris. Sic *et*... *que* sibi, ut sæpe, respondebunt. Præcedens autem tertia verbi persona pluralis sæpenumero *ut* hausit.

3. *Consuetudine quasi alteram naturam.* Gœr. addit *quamdam* ante *naturam*. Primo, inquit, firmant quatuor optimi nostri sextum casum, cujus loco olim quartus edebatur. Ex appositione enim hæc, ut vulgo in proverbio dicuntur, scribæ efferenda putabant. Deinde *quamdam* ex binis illis nostris reposuimus, quod jam P. Manut. ex scriptis Sigonii et Tertii ediderat, quodque item Crat. refert. Ex more enim scribarum est, hoc pron. si *quasi* antecessit, abjicere; vide nos ad Acadd. I, 6, 24. Neque mirum, quum ignorarent, tum *quidam*, ut græcum τις, *quodammodo* valere.

4. *Qua impulsi multa faciant, nullam quærentes voluptatem.* Gœr. scribit *faciunt*, notatque: Etiam h. l. Ern. suopte periculo *faciant* scripsit. *Qua*

dem non unam aliquam, aut alteram a nobis, sed totam ad se nostram philosophiam[5] transtulerunt. Atque, ut reliqui fures earum rerum, quas ceperunt[6], signa commutant: sic illi, ut sententiis nostris pro suis uterentur, nomina, tamquam rerum notas, mutaverunt. Ita relinquitur sola hæc disciplina digna studiosis ingenuarum artium, digna eruditis, digna claris viris, digna principibus, digna regibus.

75 Quæ quum dixisset, paullumque institisset, Quid est, inquit? satisne vobis videor pro meo jure in vestris auribus commentatus[7]? Et ego, Tu vero, inquam, Piso, ut sæpe alias, sic hodie ita ista[8] nosse visus es,

est, *nam ea;* atque ita per se patet, indicativum, quem scripti editique ad unum omnes præbent, esse verissimum. Prave vel ideo subjunctivus ponetur, quod hæc ex auctoris sententia adducuntur, non ex illa voluptariorum, et sæpe a Cicerone contra Epicurum adhibentur. Ante *qua* igitur pro virgula colon ponendum fuit.

5. *Non unam aliquam, aut alteram a nobis, sed totam... philosophiam.* Gœr. addit *rem* post *alteram*. Recte, inquit, viderunt VV. DD. ad hæc deesse aliquid. Lamb. post *alteram* addidit de suo *sententiam*. Davis. vel *rem* addendum, vel « unum aliquod aut alterum » cum Th. Bentleio scribendum judicat. Facile *rem* excidere post ultimam syllabam vocis *alteram* potuit, quum *rm* utrimque scribatur: nos si igitur quid sumus, ne apertum vitium relinqueremus, vocemque hanc addendam curavimus.

6. *Earum rerum, quas ceperunt.* Muret. Varr. Lectt. IX, 19, in libris scriptis *clepserunt* exstare testatur. Quod si fuerit, hoc tenendum erit. Sæpius enim hoc verbum apud auctorem legitur; maximeque huc locus e Rep. IV pertinet, quem Nonius v. *clepere* servavit: « Spartæ, rapere ubi pueri et clepere discunt ». Sed nostri quoque codd. omnes *ceperunt:* quod per se rejiciendum non est, quum Latinis *capere* dicitur, quo vel vi, vel dolo potiaris. Accedit quod facile *furto* cogitari licet. Denique furte consulto auctor verbum mediæ potestatis elegit, ne loqui videretur injuriosius. G.

7. *Pro meo jure in vestris auribus commentatus?* Mira sane dictio « in auribus commentari alicujus », nisi ista ad exquisitiorem dicendi rationem, et verborum ornatum, non ad rerum gravitatem retuleris. Vix jam ferri nobis *in* posse videtur. Hac deleta *auribus vestris* dandi casus erit, qui cui bono dicitur, intelligesque *teretibus*. Tum etiam verba, *pro meo jure*, eo pertinebunt, ut dicendi genus selectius notent, quale ab eo, qui se oratorem ferat, exspectari possit. G.— *Pro meo jure*. Hæc simplicius explicat Ern. « Libere, meum studium sequutus, et fortasse modum ut excederem ». Intelligi quoque potest: pro venia quam mihi dederatis apud vos philosophandi.

8. *Sic hodie ita ista nosse visus es.*

ut, si tui copia nobis semper fieret[9], non multum Græcis supplicandum putarem. Quod quidem eo probavi magis, quia memini, Staseam[10] Neapolitanum, doctorem illum tuum, nobilem sane peripateticum, aliquanto ista secus dicere solitum, assentientem iis, qui multum in fortuna secunda, aut adversa, multum in bonis, aut malis corporis ponerent. Est ut dicis, inquit; sed hæc ab Antiocho, nostro familiari[11], dicuntur multo melius et fortius, quam a Stasea[12] dicebantur. Quamquam ego non quæro, quid tibi a me probatum sit, sed huic Ciceroni nostro, quem discipulum cupio a te abducere[13].

Gœr. transp. *ita nosse ista*. Sic, inquit, codd. jusserunt. Spir. Erl. Gud. 2 plene sic referunt, Vien. *nosce ista;* et Monac. E. ξ quum *ita nosse* ignorent, ab *ita* ad *ista* scribæ oculos aberrasse, atque ita in ejus exemplari nostro ordine scriptum fuisse patet.

9. *Si tui copia nobis semper fieret.* Spir. et Erl. « si tui nobis potestas sæpius fieret », Crat in marg. item *potestas* refert. Dijudicatu sane difficile est, utrum horum sit præferendum. Auctoris tamen mos est pronomina jungere, bisque junctis melior, auribusque blandior verborum series enascitur. *Sæpius* quoque magis, quam *semper*, placet. Hoc enim quum sit vagum, hanc quoque sententiam continet, « si ista sic profitereris, ut Antiochus, ut quotidie in iis disputandis versareris ». Quod vix auctor voluit, quum proxima, *non multum*, cum his hanc sententiam funderent, « si tu nobis æque, atque Antiochus, quotidie tui copiam faceres, græcis doctoribus carere quidem non possemus, sed tamen iis non adeo egeremus ». Sed ita Cic. parum Pisonem laudaret: omisisset tum potius *multum*. Contra vero si *sæpius* posueris, alia erunt hæc omnia. Restat, utrum in glossa recte putetur, *copia* an *potestas*. Utrumque probum est, utrumque ex selectiore latinitate, auctorisque ex usu: tamen *potestas* minus, quam alterum, scribis imputari posse videtur. Binorum igitur hæc nostrorum lectio vulgatæ ju præferenda videtur. G.

10. *Staseam.* Staseas, Peripateticus philosophus Neapolitanus, Ciceronis coævus, Pisonem philosophiam edocuit. Illius jam facta fuit mentio supra, cap. 3, § 8, coll. Cat. lib. I, cap. 22, § 104.

11. *Nostro familiari.* Spir. Erl. Vien. transponunt *familiari nostro:* quod ad contexta rectius videtur, quum etiam Marcus in Antiochi familiaribus esset. G.

12. *Quam a Stas. dic.* Non male Grut. judicat, si verba, « quam a Stasea dicebantur », glossæ similis putat: sed possunt in apertiorem utriusque comparationem adjecta esse, atque haud raro sic auctor abundat. G.

13. *A te abducere.* Spir. et Erl. *ab te abducere.* Vide supra ad III, 21, 72, *ab vere abduci.* G.

76 XXVI. Tum Lucius, Mihi vero ista valde probata sunt: quod item fratri [1] puto. Tum mihi Piso, Quid ergo? inquit, dasne adolescenti veniam [2]? an eum discere ea mavis, quæ quum præclare didicerit [3], nihil sciat? Ego vero isti, inquam, permitto. Sed nonne meministi, mihi licere probare [4] ista, quæ sunt a te dicta [5]? Quis enim potest ea, quæ probabilia videantur ei, non probare [6]? An vero, inquit, quisquam potest probare, quod perceptum, quod comprehensum, quod cognitum non habet? Non est ista, inquam, Piso, magna dissensio. Nihil est enim aliud, quamobrem [7] nihil

XXVI. 1. *Fratri.* Cf. supra cap. 1, § 1, ubi Cic. de Lucio dicit: « Frater noster cognatione patruelis, amore germanus ».

2. *Dasne adolescenti veniam?* Scilicet, sequendi doctrinam non tuam.

3. *Quæ quum præclare didicerit.* Gir. *plane perdidicit.* Erl. *plane perdiderit.* Inde suspicari licet, scripsisse Cic. *plane perdidicerit*: simpliciter enim *plane perspicere* dicitur. Sed vix *præclare* a scribis est; quum contra ex ejus comp. *p̄lare* facile *plane* corrumpi potuerit. Dubitamus autem, an *præclare perdidicerit* dici recte possit. *Quum*, hæc notat, omissa in seqq. *tamen*. G. — *Quum didic. nih. sciat?* Hic Piso in Ciceronem cavillatur, qui novam Academiam sequebatur, cujus erat dogma, nihil percipi posse, nihil esse perspicui.

4. *Mihi licere probare.* Quia nova Academia ea, quæ percipi posse negaret, probari posse concedebat.

5. *Quæ sunt a te dicta?* Gœrenz scribit *apte*, notatque: In vulgata *a te* totus hic locus displicere debet: prava enim hæc fuerit verborum series, qua ipsæ aures offendant. Probamus igitur lectionem *apte*, quam Oxon. E. ξ. Vien. Monac. et Ven. 1494 exhibent. Intellige enim *ad rem*: quod autem « ad rem apte dicitur », id *probabiliter* dicitur; ita voci huic accommodate sequitur « probabilia... non probare? » *Sunt* cum asseveratione præmissum est.

6. *Quis enim... ei, non probare?* *Ei* misere παρέλκει, cujus loco Gud. 2 et Bas. *ea* repetunt. Hoc enim si inde defenderis, quod auctorem cavere velle dixeris, ne vv. *probabilia videantur* universa posse putentur; mirabimur, cur idem non *ipsi*, quod solet, scripserit. Addas, quod ejusmodi sententiæ circumscriptio ad hæc contexta nihil facit. Attendas denique ad κακοφωνίαν in *ea* et *ei*, vicinas enuntiationes claudentibus: ita jure suspectum h. l. pron. judicabis. G. — Malumus sic ista scribi, « quis enim potest, quæ probabilia videantur, ea non probare? » Ita cum vi, loco auctorisque mori accommodata, *ea* transponetur. Si *ea* in vulgatæ loco recte positum dixeris, transponi « quis potest enim ea » voles: quod tum, si vel rationem non videris, ipsæ aures suadebunt. G. in Additam.

7. *Quamobrem nihil percipi mihi*

percipi mihi posse videatur, nisi quod percipiendi vis ita definitur a stoicis, ut negent quidquam posse percipi, nisi tale verum, quale falsum esse non possit. Itaque hæc cum illis est dissensio, cum peripateticis nulla sane. Sed hæc omittamus; habent enim[8] et bene longam, et satis litigiosam disputationem.

Illud mihi a te nimium festinanter dictum videtur, 77
sapientes omnes esse semper beatos. Nescio quo modo prætervolavit oratio[9]. Quod nisi ita efficitur[10], quæ Theophrastus de fortuna, de dolore, de cruciatu corporis dixit, cum quibus conjungi beatam vitam nullo modo posse putavit, vereor ne vera sint. Nam illud vehementer repugnat, eumdem et beatum esse, et multis malis oppressum. Hæc quo modo conveniant, non sane intelligo. Utrum igitur tibi non placet, inquit, virtutis tantam vim esse[11], ut ad beate vivendum se

posse videatur. Gœr. transp. *mihi nihil percipi*. Vulgatæ, inquit, positus quum per se sit vitiosus, tum ex eo h. l. rejiciendus est, quod vis sententiæ in *mihi* inest, et vv. *nihil percipi posse* arcte cohærent. Recte igitur omnes nostri, Viennensisque receptum ordinem firmant. — *Perc. vis ita defin. a Stoicis*, etc. De hac Stoicorum definitione accurate agitur Acadd. II, 6, § 18; 13, § 40, 41; 26, § 83, 84.

8. *Habent enim... disputationem.* Vertit interpr. gallicus: *car ce serait une dispute à ne pas finir si tôt.* Sed veremur ut verum sensum perceperit; nam nobis Cicero videtur Academicorum librorum mentionem facere, ubi hæc longius disputantur. Cf. not. sup.

9. *Nescio quo modo prætervolavit oratio.* Omnes nostri, tresque Oxonn. *modo* ignorant: sed voce ista h. l. haud recte carebis. Linea scilicet compendio detracta *quō* ipsam, ut assolet, exsulare fecit. G. — *Oratio.* Scil. quæ habita fuit de hoc Paradoxo: Sapientem semper beatum.

10. *Quod nisi ita efficitur.* Post *ita*, *esse* excidisse certi sumus. Quum enim proprie scribendum esset, « nam nisi, hoc ita esse, efficitur », auctor, relativo posito, non potuit, quin sic, ut diximus, scriberet. Nam quod Ern. *ita* abundare statuit, id nihil est. Nec huc faciunt verba, quæ ex proximis laudat, « su, si id probas, ita fieri posse negas »: ad quæ nos vide. Hoc autem loco v. *esse*, quod toties obliteratum reperitur, recte non carebis: facile vero hoc ante *efficitur* exciderit. G.—Intellige, « Nisi probaveris hoc, nempe omnes sapientes esse beatos, crediderim ea quæ Theophrast. etc. vera esse ».

11. *Utrum igitur tibi non placet, inquit, virtutis tantam vim esse.* Gœr. scrib. « utrum igitur tibi, inquit, non

ipsa contenta sit? an, si id probas, ita fieri posse negas[12], ut ii, qui virtutis compotes sint, etiam malis quibusdam affecti, beati sint? Ego vero[13] volo in virtute vim esse quam maximam; sed, quanta sit, alias: nunc tantum, possitne esse tanta, si quidquam extra vir-
78 tutem habeatur in bonis. Atqui, inquit, si stoicis concedis, ut virtus sola, si adsit, vitam efficiat beatam; concedis etiam peripateticis[14]. Quæ enim mala illi non audent appellare, aspera autem, et incommoda, et rejicienda, et aliena naturæ esse concedunt, ea nos mala dicimus, sed exigua, et porro minima[15]. Quare si potest esse beatus is, qui est in asperis rejiciendisque rebus, potest is quoque esse, qui est in parvis malis. Et ego, Piso, inquam, si est quisquam, qui acute in causis videre soleat, quæ res agatur[16], is es

placet, virtutisne esse tantam vim». Ita, inquit, prorsus bini illi nostri. Sed in vulgata hoc primum offendit, quod *inquit* post plenum enuntiatum positum est: sæpe enim hunc perpetuum auctoris, verbum hoc medio enuntiato interponendi, morem tetigimus, v. c. Legg. II, 26, 64. — Quod deinde *ne* adjecimus, id scribarum ingenio natum esse minime potest, quippe qui hanc particulam inter *utrum* et *an* positam certatim cum VV. DD. obliterent. Refert autem eam, præter illos binos nostros, etiam Crat. Satis egisse de hac hujus vocis ratione et natura videmur ad Acadd. II, 13, 71, cll. supra II, 19, 60. — Series denique verborum, *esse tantam vim*, vulgata melior multo est; cui vel ea præferenda est, quam Monac. præbet, *tantam esse vim*, receptæ tamen non comparanda.

12. *Ita fieri p. n.* Gœr. transp. *fieri ita p. n.* notatque: Meliorem ordinem iisdem binis nostris debemus. In verbo enim *fieri* vis est; *ita* autem est «hoc modo, hac ratione».

13. *Ego vero.* Hæc verba sunt Ciceronis Pisoni respondentis.

14. *Concedis etiam per.* Ita quidem cum vulgata Spir. Erl. et Ven. 1494. Reliqui vel cum duobus Davisii et Victoriana, ut Monac. «et conc. etiam»; vel *et concedis et*, ut Vien. et Oxonn. vel *concedis et*, ut bini alii Davis. Bas. et Gud. 1, vel simpliciter *concedis*, ut Gud. 2. Putamus *et* ex seq. litera *c* intempestive natam esse. Nam *et* quidem in assumptione; sed id nihil huc pertinet. G.

15. *Sed exigua, et porro minima.* Spir. Erl. Crat. *pæne* pro *porro.* Sed ex glossemate, ut videtur: nam sic scribæ non peccant. Explicarimus, *et porro* (i. e. accuratius) *si spectes.* Ita recte particulam cum Ern. pro *atque adeo* acceperis. G.

16. *Quæ res agatur.* Id est, «qualis res sit, quæ agatur».—Lamb. vel li-

profecto tu. Quare attende, quæso. Nam adhuc, meo fortasse vitio, quid ego quæram, non perspicis [17]. Istic sum, inquit, exspectoque quid ad id, quod quæram, respondeas.

XXVII. Respondebo, me non quærere, inquam, 79
hoc tempore, quid virtus possit efficere [1], sed quid constanter dicatur, quid ipsum a se dissentiat. Quo igitur, inquit, modo [2]? Quia quum [3] a Zenone, inquam, hoc magnifice, tamquam ex oraculo, editur, « Virtus

bris omnibus invitis, *qua de re ag.* scripsit, scribique jubet. Dicitur sic quidem, et sæpe : sed inde non cogitur, hoc quoque loco, probaqua dictione, sic esse mutandum. Gud. 1 ex glossa post *res* denuo *in causis* repetit. G.

17. *Non perspicis.* Monac. « non intelligis, vel perspicis »; glossa nempe juncta cum glossato. G.

XXVII. 1. *Quid virtus possit efficere.* Scripti nostri omnes. Vien. Mars. *efficere possit.* Et sane dubitamus, anne rectius in *possit* sententiæ vis quæratur. Nimis vero etiam scribæ sæpe ex suo sensu regens verbum rectu subjiciunt. G.

2. *Quo igitur, inquit, modo?* Erl. et Bas. *igitur* ignorant. Ex Spir. nihil laudatur; nisi collator utriusque horum nomina permutavit. Sed particula hac addita vigentior est oratio. G.

3. *Quia quum*, etc. Putat excellens ingenio Sigonius, cujus acquiesco sententiæ, abundare *quum*. P. Manut. — Secundam vocem *quum* cum Sigonio Manutioque non sustulerim ; potius vero totum locum sic refinxerim, « Quia, quum a Zenone, inquam, tamquam ex oraculo editur, virtus ab beate vivendum se ipsa contenta est ; Quare? inquirenti, respondet, quia nisi quod honestum est, etc. » Davis. —Gœr. scribit *tum*, notatque : Editur *quum*, et valde se intt. ut huic lect. contexta accommodent, torquent. Rectius fecissent, si his ipsam illam lectionem aptassent. Dixerat enim Marcus, « se jamjam non quærere, quantum virtus per se ad beatam vitam valeat, etc. » Quærente Pisone, quo modo? « Quia, inquit Marcus, tum (i. e. si ita quærerem) docendum mihi esset, verissime Zenonem judicasse, quum virtutem ad beate vivendum se ipsa contentam diceret ». Atque si quidem reputaris, quantopere auctor in ejusmodi contextis part. *tum* delectetur, quodque ea ubique in *quum* depravetur, recte nos loco consuluisse, non dubitabis. Jam etiam verba, quæ sequuntur, *Quare, inquit?* (quæ Davis. in *quare inquirenti*, Ern. in *quærenti cur?* mutari jubet) recte ad Pisonem pertinebunt, cui Marcus ex Zenonis mente respondet. G. — Nobis minime hunc locum cepisse Gœrenz videtur. In eo enim vult ostendere Cicero non minus inconstantem esse Pisonis doctrinam, quam Epicuri : hoc clarum facit oppositione, qua monstrat Stoicos, si vera non profitentur, saltem sibi convenientia docere. Unde loci, ut nobis videtur, sensus hic est : Piso Ciceronem rogat quomodo sua doctrina parum sibi conve-

ad beate vivendum se ipsa contenta est : » Quare? inquit; respondet : Quia, nisi quod honestum est, nullum est aliud bonum. Non quæro jam, verumne sit : illud dico, ea, quæ dicat, præclare inter se cohærere.
80 Dixerit hoc idem Epicurus[4], «Semper beatum esse sapientem : » quod quidem solet ebullire nonnumquam. Quem quidem, quum summis doloribus conficiatur, ait dicturum, Quam suave est! quam nihil curo[5]! Non pugnem cum homine, cur tantum habeat in natura boni[6]. Illud urgeam, non intelligere eum, quid sibi dicendum sit, quum dolorem summum malum esse

niat ; Zenonis vero bene consistens sit. Quia, inquit, quum (*quum* idem valet ac *si*) Zeno dicit virtutem sufficere ad beatam vitam, si interrogetur quare, et respondeat : quia nil bonum est nisi honestum, sic sibi bene convenientia jungit : contra vero Epicurus quum dicit semper beatum esse sapientem, atque idem ille aliunde docet dolorem malum esse, non sibi ipse consentit : atqui tu Piso haud secus ac Epicurus dolorem malum esse dicis : ergo in eamdem cadis inconstantiam. — *Quare? inquit; Respondet.* Vulgo « Q. inquit. Resp. » Locus melius cohæret et intelligitur, si post *inquit* punctum maximum non posueris. — *Inquit*, supple *adversarius*; objiciendi forma notissima. — Ceterum Stoicorum illa sententia, « virtutem ad beate vivendum sufficere » quinta Tusculana et secundo Paradoxo tractatur.

4. *Dixerit hoc idem Epicurus. Idem* mutat Gud. 1 cum aliis aliorum, et cum vulgata ante Grut. in *quidem*; Gud. 2 ignorat : idque Davis. quum in Paris. 1 non reperisset, delevit. Cf. Off. II, 1, 3 : « Vellem nobis hoc idem dicere liceret ». Facile *idem* inde omitti potuit, quod per compend. *id* scribitur. G.

5. *Quod quidem solet ebullire, nonnumquam. Quem quidem... curo...* *Quod quidem* h. l. *quia sane* valet. Sed non displicet *qui*, quod Gud. 1, Oxon. χ. et Ven. 1494, præbent, ut pro *nam is* accipiatur. Mire Monac. ejus loco *hoc* : unde *in hoc*, vel *in quo*, legere liceat, sc. *sapiente*, quum præcedente litera *m*, *in* facile sorberi potuerit. *In* autem sæpe cum sexto casu, *quod attinet ad*, valet. Tum sic locus coiret, « in quo quidem solet ebullire nonnumquam, quemque idem, etc. ». Qua certe in lectione non mirum foret, si scribæ hæsissent. Quocumque vero modo hæc afficiantur, in parenthesi posita recte putabuntur. In *quidem* tamen repetite posita, per se nihil est ut hæreas, cf. Cato Maj. 14, 50 : « Atque hæc quidem studia doctrinæ : quæ quidem prudentibus et bene institutis pariter cum ætate crescunt ». G. — *Quod quidem.* Simplicius explicatur, si *quod* sit pronomen relativum accusativo casu, eo sensu : quod jactare solet nonnumquam. — De dicto hoc Epicuri vide Tuscul. V, 10, 31; 26, 73.

6. *Cur tantum habeat in natura boni.* Bas. *cui*, Monac. *quum* : unde *quo* elicere possis, pro *unde* positum :

dixerit. Eadem nunc mea adversum te oratio est. Dicis eadem omnia et bona, et mala, quæ quidem dicunt, qui numquam philosophum pictum, ut dicitur, viderunt: valitudinem, vires, staturam, formam, integritatem unguiculorum omnium, bona; deformitatem, morbum, debilitatem, mala[7]. Jam illa externa, parce 81
tu quidem[8]: sed hæc, quum corporis bona sint eorum conficientia, certe[9] in bonis numerabis, amicos, li-

ut sensus sit, « onde tantum boni in natura reperiat, quum eam omnia ad voluptatem referre dicat ». Sed *habeat* pro *putet* accipi potest : quamquam raro sine verbo substantivo sic dicitur. Ceterum *tantum* ad *boni* pertinet. G.

7. *Dicis ead. bona et mala*, etc. In bis interpretandis, ne intelligas » eadem simul bona aut mala esse », sed « eadem dicis bona aut mala, quæ bona aut mala dicit ignarum vulgus ». — *Integrit. unguic. omnium bona; def. m. deb. mala*. Gœr. omittit *bona*, et *mala* uncis includit. *Mala*, inquit, quod uncis addiximus, legitur quidem in scriptis editisqoe vett. omnibus : sed, quod tum post *omnium* necessario requiritur, *bona*, nuspiam comparet. Duplex igitur correctionis ratio hæc patet, ut vel *bona* addatur, vel *mala* recidatur. Illam, præsule Lambinu, suffragatoreque Davisio, sequutus est Ernestius. Sed præterquam quod baud dispicias, quo fato vox hæc exciderit, ipsa loci structura horridior inde evadit et coactior; et consulto verba sic collocata videntur, ut *omnium* (quod valde auctor amat) clausulam protaseos occupet. At in voce *mala* addenda scribarum ingenium facile agnoveris : quippe qui putarent scilicet, aliter hæc dignosci non posse, nisi, ad quod genus referentur, adderetur. Atque sane utraque voce sine molestia carueris, si, quæ mala adduntur, vocis modulatione gestuque diverso notata cogitaris. Accedit quod sensu aberrare non possis, quum paucis ante *bona* et *mala* præcesserint.

8. *Parce tu quidem*. Subaudi : inter bona numeravisti.

9. *Sed hæc, quum corporis bona sint eorum conficientia, certe*. Nihil mirum est, si ista VV. DD. non ceperunt, quum ipsa vitiosissima interpunctione corrumperent. Distinguunt enim, » sed hæc quum corporis bona sint, eorum conficientia certe, etc. » At structura proprie sic procedere debebat : « sed amicos, liberos... opes, hæc certe in bonis numerabis, quum corporis bona (sc. quæ tu in veris bonis numeras) sint efficientia eorum ». Hanc structuram auctor ideo reliquit, quod *hæc* præpositum vellet. — Quoad rem tenebis, Antiochum corporis quidem bona in veris bonis judicasse, sed quæ Peripateticis externa bona audiunt, ea vere bona appellari noluisse. Expetenda ea quidem esse, sed non *propter se* expetenda. Cf. supra 23, 69. Jam sensus est, » Externa porro illa parce, tu quidem bonis addis : sed quum amici, liberi... opes bona corporis conficiant et concilient, certe hæc quoque bonis (licet externa sint) annumerabis ». Nihil igitur est, ut cum Ern. in *hæc* offendas, quamquam præcedens *illa* ad idem perti-

beros, propinquos, divitias, honores, opes. Contra hæc attende me nihil dicere: si ista mala sunt [10], in quæ potest incidere sapiens, sapientem esse, non esse ad beate vivendum satis [11]. Immo vero, inquit, ad beatissime vivendum, parum est; ad beate vero, satis [12]. Animadverti, inquam, te isto modo paullo ante ponere; et scio, ab Antiocho nostro dici sic solere. Sed quid minus probandum, quam esse aliquem beatum, nec satis beatum? Quod autem satis est [13], eo quidquid accesserit, nimium est: et nemo [14] nimium beatus

neat: referendum est enim *hæc* ad seqq. et ea, quæ nuninatim de externis appellantur. — In verbis autem *eorum conficientia*, vix opus est, ut frequentem Latinis morem, quo participia præss. gignendi casum regunt, tangamus. Conf. Legg. II, 17, 43. — *Corporis* Bremi glossam habet ad v. *externa* additam, alienoque loco, ut sæpe, insertam; atque inde non dubitat, quin delendum sit. Sed nobis, hoc exempto, sensus loci nimis vagari videtur. G. — Schutz hæc ita constituit, «sed hæc, quum bonorum s. c. certe in bonis numerabis, amicos, etc.»

10. *Si ista mala sunt.* Gœrens ante hæc addit *sed* cum Bremio, notatque: *Sed* recens addidimus, ex conjectura dudum a nobis, margini ante adscriptam quam cum Gud. 2 et Bas. *sed*, pro *si*, exhibere videremus. Altera enim particula alteram extrusit. Adversandi autem voculam ab bis abesse non posse, cuilibet, qui ipse bis in rebus judicare didicit, sua sponte patet. Ernesti vult *non nihil*: sed ad hæc contexta languidius. Nuper autem conjectum est, abjecto *nihil*, et repetito *dicere*: «attende me dicere: dicere si ista, etc.» At enim quamquam sæpe auctori verbum similiter repetatur; tamen non hoc modo. Nec ulla adest *nihil* abjiciendi necessitas. *Sed* autem sæpe sic ponitur, ut præcedens verbum animo suppleatur. Sensus est: «Quod externa in bonis numerata nolis, corporis tamen bona numerans, contra hoc, quod bene teneto, nihil dico: sed, si ista, deformitatem, morbum, debilitatem, in malis numeras, tum dico, non sufficere ad beate vivendum, ut sapiens quis sit, quum in hæc incidere sapiens possit». G.

11. *Sapientem esse, non esse... satis.* Gud. uterque vv. *non esse* ignorat, et Erl. *satis* bis ipsis interponit: unde factum videtur, quod hæc part. in Oxonn. E. ξ. plane absit. Sed recte vv. *non... satis*, enuntiatum includunt: et omnino sæpe *satis* cum vi sententiæ clausulam facit. Cf. Acadd. II, 28, 91; Brut. 5, 21. G.

12. *Immo vero... ad beate vero*, *satis.* Alteram *vero* non agnoscunt Spir. Erl. neque ea valde opus est. Cf. supra II, 26, 82, «mihi quidem satis est, ipsis non satis». Admissa tamen part. fortius affirmat, sæpiusque sic repetite dicitur. G.

13. *Quod autem satis est. Autem* sine jure sollicitat, *enim* suadens, Davis. Sed sæpius de hoc communi errore VV. DD. egimus. Cf. sup. III, 5, G.

14. *Et nemo.* Brem. suadet *at ne-*

est: et nemo beato beatior. Ergo, inquit, tibi Q. Me- 82
tellus, qui tres filios consules vidit, e quibus unum
etiam et censorem, et triumphantem, quartum autem
prætorem, eosque salvos reliquit, et tres filias nuptas,
quum ipse consul, censor etiam, augurque[15] fuisset,
et triumphasset : ut sapiens fuerit[16], nonne beatior,
quam, ut item sapiens fuerit, qui in potestate hostium,
vigiliis et inedia necatus est; Regulus?

XXVIII. Quid me istud rogas? inquam : stoicos 83
roga. Quid igitur, inquit, eos responsuros putas?
Nihilo beatiorem esse Metellum, quam Regulum.
Inde igitur, inquit, audiendum est[1]. Tamen a proposito, inquam, aberramus[2]. Non enim, inquam, quæro, quid verum, sed quid cuique dicendum sit. Utinam quidem dicerent alium alio beatiorem! jam ruinas videres. In virtute enim sola, et in ipso honesto quum

mo; in quo eum Gœr. dicit oblitum esse *et* consecutionis et assumptionis esse conjunctionem, qua sæpe Cic. utitur.

15. *Quum ipse consul, censor etiam, augurque.* Gœrenz delet *etiam et que.* Utramque, inquit, ignorant part. Spir. et Erl. *et* pro *etiam* Gud. uterq. Monac. aliique aliorum ejus vice *esset* referunt. *Que* deinde, præter quatuor Oxonn. tres quoque nostrorum reliqui non agnoscunt, sextusque Bas. ejus loco *et* præbet, quam sine causa, *etiam* deleta, Davis. suadet. Editi vett. quos vidimus, «censor esset, augur fuisset». Recte igitur partt. istas abjectas putabis, si simul, scribas ubique in ejusmodi ἀσυνδέτοις hærere, memineris. Ceterum in hoc ne offendas, quod *fuisset* scribitur, quum auguratus ad dies vitæ esset; immo per zeugma hæc ad unum verbi tempus collecta putabis. G.

16. *Ut sapiens fuerit. Ut* valet *etiut, supposé que:* atque ita etiam in proximis, ubi tres ex nostris *idem* peccant; nam *item* valet *eodem modo.*—*Q. Metellus... Regulus.* Alias aptius opponuntur sibi *Metellus* et *Priamus.* De Metelli felicitate vid. Noster Tusc. I, 34, 85; Vell. Paterc. I, cap. 11; Plin. H. N. VII, cap. 45. G.

XXVIII. 1. *Audiendum est.* Valet «Stoicorum sententia vera judicanda est:» quod monemus, ne, ut vidimus, locus hic conjecturis turbetur. G. —Nobis errare Gœr. videtur. Sensus est, ni fallimur: Ergo cum Stoicis disputandum est (gall. vers. *Eh bien, écoutons les Stoïciens*): nam ego non dico nihilo beatiorem esse Metellum: tum Cic. respondet: non hæc est quæstio, quid dicas: sed quid dicere debeas convenienter principiis quæ posuisti.

2. *Tamen a proposito, inquam, aberramus.* Ita jam Davis. pro vulgato *aberravimus*, cum duobus ejus. Atque sic item duo illi nostri. Cf. inferius §

sit bonum positum, quumque nec virtus, ut placet illis, nec honestum crescat, idque bonum solum sit, quo qui potiatur, necesse est beatus sit, quum id augeri[3] non possit, in quo uno positum est beatum esse: qui potest esse quisquam alius alio beatior? Videsne, ut hæc concinant[4]? Et hercule (fatendum est enim, quod sentio) mirabilis est apud illos contextus rerum. Respondent extrema primis, media utrisque, omnia omnibus: quid sequatur, quid repugnet, vident. In geometria prima si dederis, danda sunt omnia. Concede nihil esse bonum, nisi quod honestum sit: concedendum est, in virtute sola positam
84 esse beatam vitam. Vide rursus retro. Dato hoc, dandum erit illud. Quod vestri non item. Tria genera bonorum. Proclivius currit oratio[5]. Venit ad extremum: hæret in salebra[6]. Cupit enim dicere, Nihil posse ad beatam vitam deesse sapienti. Honesta oratio: Socratica, Platonis etiam. Audeo dicere, inquit[7]. Non po-

85: «Tamen aberramus a proposito». Grut. ex Pall. 4, *erramus*.—In repetito *inquam* ne hæreas: sæpe sic Plato ἔφην et ἔφη reponit. Cf. Legg. II, 26, 64. G.

3. *Quum id augeri.* Gœrenz *quum augeri id.* Hæc, inquit, series Spirensi et Erl. debetur, melior multo vulgata, quæ languet. *Augeri* vim sententiæ continet, quum loci tenor hic sit, «quum in vita beata nulla gradatio sit, gradatio item nulla in hoc esse potest, quod uoce vitam beatam complectitur». G.

4. *Videsne, ut hæc concinant?* Scripti multi *concinnant*, vel, quod ex eodem fonte manavit, *continuant*. Et sane hæc lectio non adeo absurda fuerit, si sic acceperis, «quanta concinnitate hæc Stoici proponunt». Sed ubique scribæ in v. *concinere* sic peccant. Accedit, quod auctor post *Videsne*, *ut* subjunctiv. modum amat. G.

5. *Proclivius currit oratio.* Gœrenz scribit, *proclivi*. Ita, inquit, nostri omnes; ita Oxonienses: nam tres, qui *providi* peccant, peccant ex eodem ψ. «providi al' proclivi». Nec aliter Davis. ex Pall. et 5 suis, laudans etiam Tusc. IV, 18, «Incitata semel proclivi labuntur»; ubi nunc, dubito an rectius *proclive* scribitur. Inde Ern. ad vulgatum *proclivius* redire non debebat. Comparatur autem oratio rivo, initio proclivi et expedito cursu qui sit, deinde vero arenis et salebra remoretur.

6. *Salebra.* Proprie de arenis rivorum fluviorumque, quas aquarum impetus congessit: quæ in *proclivi* alveo non reperiuntur. G.—*Venit... dicere.* Hæc Nonius in v. *salebra*.

7. *Audeo dicere, inquit.* Interpun-

test[8], nisi retexueris illa : paupertas si malum est, mendicus beatus esse nemo potest[9], quamvis sit sapiens. At Zeno eum non beatum modo, sed etiam divitem dicere ausus est.

Dolere, malum : in crucem qui agitur[10], beatus esse non potest. Bonum, liberi : miserum[11] orbitas. Bonum patria : miserum exsilium. Bonum valitudo : miserum morbus. Bonum integritas corporis : miserum debilitas. Bonum incolumis acies : miserum cæcitas. Quæ si potest singula consolando levare, universa quomodo sustinebit? Sit enim idem cæcus, debilis, morbo gravissimo affectus, exsul, orbus, egens, tor-

gi jubet Bremi, « Honesta oratio, Socratica, Platonis etiam audeo dicere ». At tum, ni fallimur, scribendum foret : « Honesta oratio! Socraticam, Platonis etiam audeo dicere, inquit ». Sed vel tum parum lucraberis. Accedit, quod modo ex vulgata distinctione *etiam* vim habet, qua h. l. opus est. Si quid mutandum est, maluerim, «Honesta oratio, et Socratica ! Platonis etiam audeo (eam) dicere, inquit». Hanc *et*, pro *et sane* positam, scribas non cepisse, mirum nihil fuerit. Atque tum *etiam* recte secundum enuntiati locum obtinebit, quippe quæ sine vi dicatur. *Audeo dicere* (quod ex græco, τολμῶ λέγειν, imitatum est), sc. « hoc convenire Socratis Platonisque sententiæ ». G. — *Audeo dicere*, ut nobis videtur, respondet præcedentibus *cupit enim dicere*. Quum elsmet Piso, non solum cupio, sed audeo; Cicero respondet : « Non potest ». — *Inquit*. Schütz. reponit *inquis*. Quod etsi bonum sit, non tamen necessarium est; quum *inquit* per se objicientis formula sit.

8. *Non potest.* I. e. « non potest fieri, ut sic jure dicere audeas ». *Potest* autem pro *fieri potest*, dici, sæpe notavimus. Nihil igitur est, ut vel cum Lamb. *retexuerit*, vel cum Davis. *potes* legeris. Denique 3 recentiores nostri *retexeris :* scribarum scilicet dicendi more. G.

9. *Mendicus beatus esse nemo potest.* Gœr. scribit, « mendicus esse beatus nemo potest ». Hac, inquit, serie bini illi nostri : vulgo *mend. beatus esse*, etc. Offenderunt nempe scribæ in hoc positu. Hinc Monac. « potest nemo beatus esse ». Bas. *esse nemo b. p.* Ita quisque ista suis auribus accommodavit. Rectius autem *esse* ad *mendicus* refertur, ut hæc duo in unam notionem coeant.

10. *In crucem qui agitur.* Ita codex nullus : nam plerique *in cruce angitur ;* pauci, in quibus est Gud. 1, *agitur* referunt. Sed recte P. Manut. ut editur, correxit : inaudita erat enim scribis dicendi ratio, *in crucem agere*. Hinc alia via peccant Spir. Erl. et Gud. 2, *in crucem* v. *in cruce quia agitur*. G.

11. *Miserum orbitas.* Hærent iidem in quinquies repetito *miserum*, pro *miserum quid*, posito : quod sæpe

queatur equuleo: quem hunc appellas, Zeno? Beatum, inquit. Etiam beatissimum? Quippe, inquiet, quum tam docuerim, gradus istam rem non habere, quam virtutem [12], in qua sit etiam ipsum beatum [13]. Tibi hoc incredibile, quia beatissimum [14]. Quid tuum? credibile [15]? Si enim ad populum me vocas, eum, qui ita sit affectus [16], beatum numquam probabis [17]. Si ad

apud auctorem obvium, ubique a librariis sollicitatur. Quinto loco idem reposuit Ern. firmantibus veram lectionem Bas. et Gud. 1. G.—In nonnullis edd. *misera* hic et bis statim post.

12. *Quippe, inquiet, q. t. docuerim ...quam virt. Quippe* ironicum illud est, nostro *Ey freilich (oui sans doute)*, respondens. Vide supra ad IV, 3, 7. Deinde peccant, ut par est in ejusmodi structura, librarii. Sp. et Erl. *tam* ignorant, Gud. 1 ejus loco *dum* refert. Gud. 2, *dn ducium* pro *quum tam docuerim*, et in marg. scriba suum *nescio*, ut, si hæret, solet, adscripsit. Vulgata sollicitanda non est: *tam* enim cum vi præmissum est, atque inde hæc impeditior constructio. Similis locus est Att. XIII, ep. 20: «Vellem tam domestica ferre possem, quam ista contemnere». Ut enim h. l. proprie *domestica tam*, sic item *docuerim tam* scribendum erat. Sæpe vero *tam... quam* pro «æque... ac, non minus... quam» ponitur. G.

13. *In qua sit etiam ipsum beatum.* Gœr. transp. *ipsum etiam*. Ita, inquit, quinque nostri. Sæpe sic scribæ sedem hujus particulæ mutant. Acadd. II, 18, 59, «de quo jam nimium etiam diu loquor». Recte autem hoc positu vis pronominis *ipsum* augetur. *Beatum* enim substantivi vicem obtinet, ut sæpius. Cf. Tusc. V, 15, 45: «Quod si ita est, ex bonis, quæ sola honesta sunt, efficiendum est beatum»; sic enim recte ibi, Ernestio turbante, Wolf. reduxit. Græca cogites, αὐτὸ καὶ τὸ μακάριον, i. e. τὸ μακάριον εἶναι.

14. *Tibi hoc incredibile, quia beatissimum.* Hæc paene nimia brevitas obscurat. Auctor hoc vult: «tibi hæc Zenonis sententia parum fide digna videtur, quoniam inter beatam vitam et beatissimam distinguis». Igitur etiam *beatissimum* substantive positum est. Paucissimis Græci sic explicarint, διότι μακαριώτατόν τι λέγεις. Ex his apparebit, necessitatem nullam adesse, ut cum Davis. *quia* delendum putes. G. — Gallica versio, quasi *quia* abesset: *Vous ne pouvez y croire, un tel homme très-heureux!*

15. *Quid tuum? credibile?* Adhuc de his dubitamus, quum hæc quæstionis ratio auctori insolentior sit, et proxima laxius cohæreant. Forte auctor scripserat «Qui tuum credibile?» i. e. «quomodo tua de vita beatissima sententia digna est?» Sed ferri rectius vulgatum potest, si distingueris, *quid? tuum credibile?* Sæpe enim sic *ne* intelligitur. G.

16. *Eum, qui ita sit aff.* Vulgo *quia*. Omnes nostri non *quia* cum vulgata, sed *qui*, atque ita quoque P. Man. Davis. ut vel in horum libris sic scriptum videatur. G.

17. *Beatum n. probabis.* Spir. et Erl. «beatum esse numquam probabis». Sed in hac verborum collocatione *esse* addi nihil necesse est. G.

prudentes, alterum fortasse dubitabunt, sitne tantum in
virtute, ut ea præditi, vel in Phalaridis tauro beati
sint; alterum non dubitabunt, quin et stoici conve-
nientia sibi dicant, et vos repugnantia. Theophrasti
igitur, inquit, tibi liber ille placet de beata vita? Ta-
men aberramus a proposito : et, ne longius; prorsus,
inquam, Piso, si ista mala sunt, placet. Nonne igitur 86
tibi videntur, inquit, mala [18]? Id quæres? inquam :
in quo, utrum respondebo, verses te huc atque illuc
necesse est [19]. Quo tandem modo, inquit? Quia, si
mala sunt, is, qui erit in his, beatus non erit. Si mala
non sunt, jacet omnis ratio peripateticorum. Et ille
ridens, Video, inquit, quid agas. Ne discipulum ab-
ducam, times. Tu vero, inquam, ducas licet [20], si
sequatur [21]. Erit enim mecum, si tecum erit.

XXIX. Audi igitur, inquit, Luci. Tecum enim, ut 87
ait Theophrastus, mihi instituenda oratio est [1]. Omnis

18. *Nonne igitur tibi videntur, inquit, mala?* Turbant scribæ, ut solent in *inquit* altius rejecto. Erl. «Nonne igitur inquit, etc.» Gud. 2, «Nonne igitur inquit, etc.» Sed vulgata vera est. Cf. supra Fin. II, 3, 7 : «Quid? ergo istam voluptatem, inquit, Epicurus ignorat». Hoc autem loco v. *mala* inde graviorem vim accepit. G.

19. *Id quæres? inquam, in quo, utrum respondebo, verses te... necesse est.* Gœrenz virgulam ponit post *quæres*, atque interrogat. notam post *necesse est*, vulgatamque damnat interpunctionem. Præterea observat : Optima est Ernestii conjectura, «id quæris, inquam, in quo, utrum respondero, etc.» Fut. exactum ante jam suaserat Davis. idque necessario requiri videtur. Futurum *quæres* autem objicientis est, et reprehendentis; ut sæpe ex Græcorum imitatione auctor. Cf. Acadd. II, 41, 126. Neque in omissa rogationis particula offendaris. Vid. ibid. 45, 140 : «Tu, quum honestas in voluptate contemnenda consistat, sic honestatem cum voluptate, tamquam hominem cum bellua, copulabis?» — Schutz ex emendatione Davisii, rescripsit *respondero*. G.

20. *Abducam... ducas licet.* Bas. Gud. 1, *abducas* : quod necesse non est, immo simplex selectius est. G.

21. *Si sequatur.* Exhibent Spir. et Erl. *si sequetur.* Quod non improbaremus, si, *si quidem sequetur* legeretur. At sine hac part. conjunctivus multum præferendus est. G.

XXIX. 1. *Tecum enim, ut ait Theoph. mihi inst. oratio est.* In plerisque edd. verba «ut ait Theophr.» uncis includuntur. — Quis non videt, verborum ordinem hic esse perturbatum? Quo modo enim potuit Theo-

auctoritas philosophiæ consistit in beata vita comparanda. Beate enim vivendi cupiditate incensi omnes sumus. Hoc mihi cum tuo fratre convenit. Quare hoc videndum est[2], possitne nobis hoc ratio philosophorum dare. Pollicetur certe. Nisi enim id faceret, cur Plato Ægyptum peragravit, ut a sacerdotibus barbaris numeros et cælestia acciperet? cur post Tarentum ad Archytam? cur ad ceteros Pythagoreos[3], Echecratem, Timæum, Acrionem[4] Locros, ut, quum Socratem expressisset, adjungeret Pythagoreorum disciplinam, eaque, quæ Socrates repudiabat[5], addisceret? Cur ipse Pythagoras et Ægyptum lustravit, et Persarum magos adiit? cur tantas regiones barbarorum pedibus

phrastus, qui multis annis, atque adeo sæculis, ante Lucium Ciceronem natus est, de eo cogitare, aut loqui? Sic igitur videtur legendum, « Tecum enim, Luci, mihi instituenda oratio est. Omnis auctoritas philosophiæ, ut ait Theophrastus, consistit in beata vita comparanda, etc. » LAMB.—Gœr. scribit *inst. est ratio*. Ita, inquit, eum Gud. utroq. et Bas. scribere maluimus, quam vulgatam, *oratio est*, cum nostris sic servare, ut vv. « ut ait Theophrastus », cum VV. DD. uncis addiceremus, quum, unde ea nata dicas, prorsus nescias. Calculum enim quasi ducit jam Piso : id quod optime cum seqq. convenit. Forte Theophrastus in dialogis, quos scripserat, aliquam hujusmodi dicendi formam frequentarat. Ceterum bene sic *ratio* in clausula : quippe qua in voce sententiæ vis sit.

2. *Quare hoc videndum est.* Gœr. vocem *hoc* uncis damnat. Hic verborum positus, hac in contexta, Ciceronis non est : quippe cujus scribendi mos h. l. vel verbum substant. omiserit, vel pron. transposuerit, « quare videndum hoc est ». Sed quum *hoc* statim et præcedat, et sequatur, medium istud scribarum esse recte judicabis, uncosque adjectos probabis.

3. *Cur ad ceteros Pyth.* Gœr. dat *reliquos*. Ita, inquit, omnes nostri, 4 Oxonn. Vien. editique vett. cum Mars. et Crat. plures, Davisii exemplo nos scribere jusserunt : qui ita ex 4 suis, et Victoriana. Cf. supra IV, 18, 51, ubi eadem diversitas. Suspicor tamen posse vv. *reliquos Pythagoreos* aliena manu accessisse.

4. *Acrionem* De *Acrionis* nomine merito dubitatur : nam Val. Maximus VIII, 8, ext. 3, eumdem *Arionem*, vocat, et nostro loco scripti valde fluctuant. Nam Erl. *Arrionem*, Gud. uterque *Atrionem*, Monac. *Acionem*; ex Spir. et Bas. nihil notatur. Præter hæc duo autem loca, hunc Pythagoreum citari non meminimus. G.—Quidam *Eurytum* ponunt, sed sine justa causa.

5. *Repudiabat.* Gud. 1 et Bas. *repudiaret*. G.

obiit, tot maria transmisit? Cur hæc eadem Democritus? qui (vere falsone, quæreremus[6]) dicitur oculis se privasse: certe, ut quam minime animus a cogitationibus abduceretur, patrimonium neglexit, agros deseruit incultos, quid quærens aliud, nisi beatam vitam? Quam si etiam in rerum cognitione ponebat, tamen ex illa investigatione naturæ consequi volebat, ut esset bono animo[7]. Id enim ille[8] summum bonum, εὐθυμίαν et sæpe ἀθαμβίαν[9] appellat, id est, animum

6. *Vere falsone, quæreremus.* Ita pertinaciter scripti; nisi quod alii, et in his Gud. 2 et Bas. *ve* referunt. Ex Spirensi notatur quidem *quæremus*: sed haud dubie collator compendium non animadvertit, quod Erl. exhibet, *quære'mus*, quoque ipso *quæreremus* signatur. Nobis hæc corrigendi ratio succurrit, « vere, falso, ne quæramus », scribitur enim Latinis, « recte, prave, nihil differt; juste, injuste, ipsi perinde est ». Similiter etiam in verbis, ut « velis, nolis; scias, nescias, etc. » Lambin. et ante hunc Victorius Varr. Lectt. XV, c. 9, *quæremus* delet; Davis. « vere falsone non quæremus ». Sed in his auctoris manum non agnoscimus. Ciceronem autem alteri sententiæ favisse, patet ex Tusc. V, 39, 114: « Democritus, luminibus amissis ». Non enim amittimus, quibus nostrâ sponte nos privamus. Neque tu ipse dubitabis, hoc, ut tot alia, Abderitarum more huic esse viro affictum. G. — Tollit Brem. *quæreremus*, ut additamentum librarii ellipticam locutionem supplentis. Quod unice sequeremur, nisi similis structuræ locum ignoraremus, paremque ellipsin reperiri posse desperaremus. G. in Additam.

7. *Ut esset bono animo.* Gœrenz transp. *bono ut esset anim.* Hunc, inquit, verborum ordinem, vulgatæ multo præstantem, binis illis nostris debemus. In *bono* enim sententiæ vis omnis inest.

8. *Id enim ille.* Gœr. scribit: *ideo enim ille.* Ita, inquit, iidem nostri, quum vulgo *id enim*, ad hæc contexta inepte, scribatur. Vidit hoc Davis. et *etenim* conjecit, probante Ernestio. Bene, per se quidem; sed melior est hæc proborum codicum lectio. Facile vero particula hæc curtari potuit, quum librariis iō scribatur.

9. Εὐθυμίαν, *et sæpe ἀθαμβίαν appellat, id est, animum terrore liberum.* Non nihil dubitare liceat, anne verba hæc, « et sæpe ... liberum », a Viro aliquo Docto olim appicta judicentur. Non binis enim modo verbis his Democritus summum ejus bonum expressit, sed idem etiam εὐεστὼ (qua voce librum ipsum inscripsit, cf. Laert. X, 46), ἀταραξίαν, ἀθαυμαστίαν, ἁρμονίαν, συμμετρίαν appellavit. Sed si fragmenta Democriti, quæ Stobæus passim servavit, consulueris, has reliquas voces rarius, illas sæpe recurrentes videris. Neque cum P. Manut. et Davis. vel hæc « id est, animum terrore liberum » glossemati adscripta velis. Ut enim εὐθυμίαν auctor *bonum animum* interpretatus est (supra 8, 23, interiorem græci verbi notio-

88 terrore liberum. Sed hæc etsi præclare, nondum tamen et perpolita. Pauca enim, neque ea ipsa enucleate ab hoc, de virtute quidem, dicta [10]. Post enim hæc in hac urbe [11] primum a Socrate quæri cœpta : deinde in hunc locum delata sunt. Nec dubitatum, quin [12] in virtute omnis, ut bene, sic etiam beate vivendi spes poneretur. Quæ quum Zeno didicisset a nostris, ut in actionibus præscribi solet [13], de re eadem alio modo.

nem expresserat, καθ' ἣν γαληνῶς καὶ εὐσταθῶς ἡ ψυχὴ διάγει, cf. Laert. IX, 45. Sed h. l. verbum de verbo vertit): sic ἀθαμβίαν quoque, pro more suo, latinis expressit. Neque denique cum Gulielmio *errore* scribi malis : est enim Democriti ἀθαμβία eadem prorsus cum ἀταραξίᾳ Epicuri. Ceterum tres nostri expresse *athambiam*, reliqui parum voce distorta peccant; ut de lectione dubius esse nequeas, ignoresque, unde editi vett. multi ἀχαχίαν peccent. Inde haud dubie edit. Oxoniensis ἀταραξία scripsit : sed sine omni vera causa, et justa. G.

10. *Sed hæc etsi præclare ... de virtute quidem, dicta.* Hæc corrupta quisque sentiet : nulla enim modo auctori sunt imputanda. Et omnino hoc notandum, a cap. 29, scriptos libros omnes multo depravatius pergere; prout fere in cujusque scripti veterum fine observari licet : scribis scilicet eo magis properantibus, quo propius a colophone absint. Hoc locu nostri nihil mutant, nisi ut omnes, præter unum Monac. *et* ignorent : Spir. autem et Erl. *ab hoc enucleate* transponant. Ex his locum sic legendum putamus : « Sunt hæc, etsi præclare quidem dicta, nondum tamen perpolita : pauca enim neque ea ipsa ab hoc enucleata de virtute ». *Sed* enim, quum *Set* scribatur, facile ex *Sunt* pravari potuit; quum scribæ ubique fere in verbo substantivo, si cum vi ab initio ponitur, turpent. Supra III, 6, 22, *sed* cum *sit* permutatum vidimus. Verba autem *quidem dicta*, quum exciderint, in margine posita, ad scribarum arbitrium ordine his complacente reposita putabis. Virorum certe Doctorum conjecturæ, vel *præclara*, vel *perpolite* mutantium, neutiquam satisfaciunt. Verba autem *de virtute* ὡς ἐπίμετρον sententiæ complendæ, qua de re sæpius egimus, adjecta recte statues. G.

11. *Post enim hæc in hac urbe.* *Post* est *postea*. *Hæc* ad fines honorum pertinent; ne cum duobus nostris, et uno Oxon. *hoc* malis. *In hac urbe*, ad quam nempe ex Academia prospectus patebat. Nihil igitur in his tentandum est, ut nuper factum vidimus. G.

12. *Nec dubitatum, quin*. Sic Pal. et Elieus. referre dicitur : atque ita Crat. in margine. Reliqui et aliorum, et nostri *dubitant*. Neque est, ut cum P. Manut. *dubitantes* malis : facilis est enim compendiorum *dubitant*, et *dubitatum* confusio. G.

13. *Ut in actionibus præscribi solet, de re eadem alio modo. Præscribi*, quod Davis. ex antiquo nescio quo libro recepisse se dicit, 5 nostri firmant : solus Gud. 2 *perscribi* cum olim vulgata. Recte Davis. Sed quum ille *præscribere* ex JCtorum more pro

Hoc tu nunc in illo probas. Scilicet vocabulis rerum mutatis, inconstantiæ crimen ille effugit, nos effugere non possumus[14]? Ille Metelli vitam negat beatiorem, quam Reguli; præponendam tamen : nec magis expetendam, sed magis sumendam; et, si optio esset, eligendam Metelli, rejiciendam Reguli[15]. Ego, quam ille præponendam, et magis eligendam, beatiorem hanc appello : nec ullo minimo momento[16] plus ei vitæ

excipere dictum putat, in eo valde veremur, ne verbi vim, quæ seriorum temporum fuit, ad ea Ciceronis transtulerit, apud quem nos quidem eam non deprehendimus. Immo JCti veteres *præscribere* et *prohibere* opponunt, et recte horum formulas distinguere sic licet, ut vel *præscribentes* vel *prohibentes* dicantur.—Deinde auctore Davisio cum Ern. *fecit* abjecimus, quod in scriptis editisque ante *alio* additur : ubique enim auctor formulas sic unde ponit, ut verbum, quo ad contexta accommodentur, omittat. Neque *fecit* auctor, ut recte illi monent, sed *egit* scripsisset. Ceterum jubet ista formula, ut exceptiones, quæ rem variant, rite curentur. G.

14. *Sc.... mutatis... non possumus?* Gœr. punctum exclamantis ponit, notatque : Male ad hæc interrogandi signum ponitur, sunt enim cum ironia indignantia, et illud exclamationis requirunt. — Deinde refert Gud. uterq. pro *mutatis*, *imitatis*, quod fere a scribis ex *immutatis* corrumpitur : ut hi ipsi compositum in simplex mutant. Ita recte nuper Schütz. Orat. 27, 92, *immutata* dedit, exhibentibus. Atque ita sane scribit auctor, hac in dicendi ratione. Cf. Legg. I, 13, 38 : « rebus non commutatis, immutaverunt vocabula »; Acadd. II, 6, 16: « Zenoni ... emendanti superiores im mutatione verborum ». Similiter auctor etiam Orat. II, 249 : « verbi ad literam immutati similitudo ». N. D. II, 26, 66 : « paullum primis literis immutatis ». Orat. 63, 214 : « verborum ordinem immutata ». Quod quidem eo magis notavimus, quum in his similibusque dicendi formis nusquam nos simplex verbum apud auctorem legere meminimus.

15. *Eligendam Metelli, rejiciendam Reguli.* Gœr. transp. *Reguli rejiciendam*. Ita, inquit, cum nostris omnibus transposuimus. Nec aliter Vien. Mars. aliæ. Deceperunt haud dubie Viros Doctos aures ad verum auctoris loquendi usum non satis purgatæ. Hunc enim enuntiata, quæ sibi opponuntur, inverso ordine ponere, pluribus vel horum librorum locis docuimus. Cf. Fin. I, 1, 2; 8, 27; II, 20, 65; III, 3, 10; IV, 24, 65; V, 1, 2, etc. Quibus ipsis in locis haud semel nobis vera auctoris manus revocanda fuit.

16. *Nec ullo minimo momento.* Dubitantibus nobis, an sic recte diceretur, quum certe *vel minimo* scriptum desideraremus, intercessere bini illi nostri, qui « nec ullo omnino » referunt; quod verum judicamus. Nam *nec ullus* Latinis numquam dicitur, nisi vi in *ullus* quærenda : eaque ipsa causa est, cur sic pro *nullus* scribunt. Quod si est, *minimo* hoc sequi proxime nequit, ut idem cum pondere dicatur;

89 tribuo, quam stoici. Quid interest, nisi quod ego res notas notis verbis appello; illi nomina nova quærunt, quibus idem dicant? Ita quemadmodum in senatu semper est aliquis, qui interpretem postulet : sic isti nobis cum interprete audiendi sunt. Bonum appello, quidquid secundum naturam est; quod contra, malum. Nec ego solus; sed tu etiam, Chrysippe, in foro, domi: in schola desinis[17]. Quid ergo? aliter homines, aliter philosophos loqui putes[18] oportere, quanti quidque sit[19]? aliter doctos, et indoctos? Sed quum consti-

nisi *vel* tua sponte adjeceris : quod secus est in *omnino*, quo negatio absolvitur. Ceterum alterum facillime ex altero nasci potuit. G.

17. *In sch. desinis.* Gœr. et Schütz sic scrib. probante J. V. L. qui tamen hanc correct. in textum admittere non ausus est. Ita, inquit Gœr. tres optimi nostri; ita quoque Lamb. Dav. et Alemannus ex suis. Vulgatur *definis*, quod in textu suo repositum Ern. explicat, « incipis verbo subtilius uti ex definitione ». At, ut explicationis hujus ambiguitatem mittamus, affingitur verbo hæc vis, non inest. Immo scholæ, ut definiat, proprium est. Quoquo igitur te verteris, nullam ex verbo isto probabilem ad hæc contexta vim elicies. *Desinis* verum videtur, sic ut intelligendum sit, « bonum sic appellare » : alias facili conjectura *desciscis* scribere liceat, quod ubique fere a scribis corrumpitur.

18. *Quid ergo? aliter ... putes.* Gœr. delet notam interrog. post *Quid ergo* positam, notatque : Si hanc servare velis, tum forent Spir. et Erl. audiendi, qui *putas* exhibent : nam post *Quid ergo? Quid igitur?* indicat. ex regula est. Neque vero h. l. subjunctivi ratio obtinuerit : si enim hæc cum affectu objicientia auctor dicta voluisset, haud dubie hoc ordine scriberet, « aliter homines putes, etc. » Sed rectius interrog. signum delevimus. Ita sensus est, « Cur ergo... putare malis? »

19. *Quanti quidque sit.* Hæc verba, quum paullo post redeant, cancellis addixerunt Davis. et Ern. Sed primo ista verbis paullum mutatis repetuntur; neque sola repetitio glossematis suspicionem movet, quum sæpius auctor notiones plenas reponat, si iis sententiæ vis continetur. Cf. Brem. de Fato, 7, p. 29, etc. Deinde, quod rem dirimit, non vult auctor hoc, ut in genere philosophi sic, ut homines in vita communi, loquantur; immo vero ipse bene norat cujusque artis, atque ita philosophiæ quoque, sua quædam propria verba esse, suamque loquendi rationem. Cf. supra III, 1, 4, seqq. Sed sic contexta pergunt : « Omne, quod secundum naturam est, communi sermone bonum dicitur. Nec aliter Chrysippus in reliqua vita : in schola tamen hic secus. Quasi aliis verbis in vita communi, aliis in philosophia, quanti quidque sit (πόσου ἕκαστον εἴη), dicendum sit! » Quum enim quæritur, an ea, quæ secundum naturam sunt, bona sint, nec ne sint; nihil aliud quæritur, nisi quanti sint illa, quæ secundum naturam sunt. Ita

terit[20] inter doctos, quanti res quæque sit (si homines essent, usitate loquerentur[21]); dum res maneant, verba fingant arbitratu suo.

XXX. Sed venio ad inconstantiæ crimen, ne sæpius dicas[1], me aberrare : quam tu ponis in verbis; ego

demum haud mirum est, si eadem notio brevi post recurrit, quum in ea sententiæ vis sit.—Ceterum Davisiani, Oxonn. et tres nostrum recentiores, *quidquid* pro *quidque* : at ita sæpe scribæ peccant.—In proximis *aliter d. et ind. et* pro *ac* dicitur, ut sæpe. Cf. Tursell. p. 77, n. 17. G.

20. *Sed quum constiterit. Sed* est h. l. cum conditione concedentis, ut ad alia transeat oratio; *quum* valet *ex quo. Dum* denique, quæ sequitur, pro *dummodo*, conditionem illam ipsam interserit. Hæc monuimus, ne, ut solet, in locis a VV. DD. addubitatis, vel in facilibus offendas. G.

21. *Si homines essent, usitate loquerentur.* Hæc quoque Davis. et Ern. ad uncos damnarunt. Atque facile sane, si rem obiter modo consideraris, ad horum sententiam abripieris. Nam præterquam quod incommodius interjecta videri possunt, ingesta etiam ex oppositione *hominum* et *philosophorum* intempestive repetita dixeris : quales oppositiones haud raro scribæ intrudunt. Forte etiam *erunt*, et *loquentur* males, ut *constiterit* fut. exactum putetur. Sed hæc omnia cadunt, si, parenthesi adhibita, auctoris loquendi usum tenueris. Hanc enim auctor sæpe interruptius ponit (vide ad Legg. I, 7, 21), idque maxime *si* ab ejus fronte posita; cf. Acadd. II, 22, 68; ibid 27, 88, etc. Huc accedit singularis notio, qua auctor vocem *homo* ponere amat, huc apprime quadrans; cf. Att. II, ep. 2 : « Ἡρώδης si homo esset, eum (Dicæarchum) potius legeret, quam unam literam scriberet ». Ibid. IV, ep. 15 : « Si vis homo esse, recipe te ad nos, ad quod tempus confirmanti ». Ibid. X, ep. 11 fin. « sed quoniam homo est, et nos diligit, ipse quoque a nobis diligatur ». Cll. Terent. Adelph. I, 2, v. 27 : « et illum tu tuum (filium), si esses homo, Sineres nunc facere, dum per ætatem licet ». His in locis *homo* is dicitur, « qui humaniter sese prudenterque ad alios accommodat ». Quam belle autem hæc vocis vis ad nostrum locum conveniat, docere nihil opus est. Imperfectis vero istis Stoici spectantur, quos prius auctor in Chrysippi persona reprehenderat : cujusmodi repentinæ transitionis exempla tertio quartoque libro plura notavimus. Postremo ne *sed* offendat, quum paullo post recurrat; vid. Tusc. I, 36, 88, cll. Off. I, 18, 60, ubi eodem modo repetitur. G. — Quum Morgensternius *si philosophi essent*, etc. corrigendum, et enuntiationem hanc ipsam retrahendam post *philosophos* censuisset, Bremi, correctionem hanc approbans, in transponendo diversus abit : vult enim eadem post *arbitratu suo* rejecta. Nos quidem in nostra vulgatæ distinctione et explicatione facile acquiescimus. G. in Addit.

XXX. 1. *Ne sæpius dicas.* Spir. et Erl. pro *ne*, *ut* præbent : unde forte *ut ne* legendum : nam scribæ creberrime *ut* ante *ne* abjiciunt; vid. ad Acadd. II, 18, 56. Ita sane verba, « ut ne sæpius ... aberrare », optimo jure parenthesis signis includentur. G.

positam in re putabam. Si satis erit hoc perceptum, in quo adjutores stoicos optimos[2] habemus, tantam vim esse virtutis, ut omnia, si ex altera parte ponantur, ne appareant quidem[3]: quum omnia, quæ illi commoda certe dicunt esse, et sumenda, et eligenda, et præposita, quæ ita definiunt, ut satis magno æstimanda sint[4]; hæc igitur quum ego tot nominibus a stoicis appellata, partim novis et commentitiis, ut ista producta et reducta, partim idem significantibus: quid enim interest, expetas an eligas? mihi quidem etiam lautius videtur, quod eligitur, et ad quod delectus adhibetur[5]: sed, quum ego ista bona omnia[6] dixero, tantum[7] re-

2. *Stoicos optimos hab.* Gœr. uncis includit *optimos*. Hoc, inquit, ignorant Gud. uterque et Bas. Et pravo utique positu dicitur, sic ut ad *Stoicos* proxime referendum videatur, quum ad *adjutores* pertineat : nec facile auctor voci *adjutor* adjectivum addit. Hæc sat gravia nos moverunt, ut illud cancellis includeremus. Davis. tacite ordine mutato, scribit *Stoicos adjut. opt.* Sed quo jure nescimus; nam nostri editique vett. cum vulgato faciunt.

3. *Ne appareant quidem.* Vix hæc clare intelligentur, nisi memineris, Stoicos statuisse, tantopere virtutem præstare iis, quæ sumenda sint, quantopere solis lux lucernæ lumini, Ægæum mare stillæ muriæ. Cf. Fin. III, 14, 45. Antiochus vero hanc rem similitudine etiam aptiore, *solis lumen*, cum *stellarum lumine* comparans, notabat. Cf. supra 24, 71. Ad istas similitudines auctorem in his ponendis respexisse, dubitari jure vix potest. Nam nec stellarum, nec lucernæ sic lumen, nec stilla muriæ *apparebunt*, ἀφανεῖς erunt, i. e. pæne nihili, tam exigua judicabuntur. Sed hæc ad finem huj. § omni dubitationi eripiuntur. Infra 31, 93 : « ut ea ne in conspectu quidem relinquantur ». G.

4. *Quæ ita definiunt ... sint.* His parenthesis signa addidit Gœr. quibus carere locum non posse dicit. Inde saltem locus facilius intelligitur.

5. *Quid enim interest ... adhibetur.* Hæc etiam Gœr. parenthesi includit, notatque : Ern. signa ista, a Davisio recte posita, neglexit. Tam expressa autem παρεμβολῆς vestigia utroque loco cernuntur, ut orationem, his neglectis, plane hiulcam relictam mireris. Anacolutha vero auctori post parentheses pæne ex regula esse, sæpe vidimus.—De re ipsa cf. Excursum III ad Acadd. I.

6. *Ista bona omnia dixero.* Gœr. transp. *ista omnia bona*. Verum, inquit, ordinem exhibent quinque nostri : nec sextus reliquus Gud. 2, ut vulgo : sed serie pæne æque proba, « omnia ista bona ». Restituti ordinis veritas per se loquitur.

7. *Tantum refert.* Ern. *tamen ref.* suadet : at non vidit ille, *tantum* h. l. non adject. esse, sed adverbium. *Hoc*, ut sæpe solet, cogitandum est. G.

fert, quam magna dicam; quum expetenda[8], quam valde. Sin autem nec expetenda ego magis, quam tu eligenda, nec illa pluris æstimanda ego, qui bona, quam tu, qui producta appellas: omnia ista necesse est obscurari, nec apparere, et in virtutis, tamquam
in solis radios[9] incurrere. At enim, qua in vita est ali- 91
quid mali, ea esse beata non potest[10]. Ne seges quidem igitur spicis[11] uberibus et crebris, si avenam uspiam videris[12]; nec mercatura quæstuosa, si in maximis lucris parum aliquid damni[13] contraxerit. An hoc us-

8. *Quum exp.* Nostri omnes, *quum exp.* ut recte primus pro diu vulgato *quam exp.* Lamb. reposuit. G.

9. *In virtutis, tamquam in solis radios.* Ita primus, pro *virtutes*, apte conjecit Davis. ediditque deinde Ern. recteque id factum Marsi probat auctoritas. Ut hæc autem distincte intelligantur, meminisse oportet, quæ paucis ante notavimus (p. super. n. 3). Clarius expressus locus tum foret, si in proxime antegressis auctor scripsisset, « omnia ista necesse est, tamquam stellarum lumen obscurari; nec app. quum in virt. incurrant ». G. — Idem Gœr. interpungit: « in virtutis, t. in solis, radios, inc. » Certe melius interpungit, quum virgulam post *solis* ponit, qua carere non possumus: sed omnino supervacua est altera virgula quam ponit post *radios*.

10. *Ea esse beata non potest.* Gœr. transp. *ea beata esse.* Hoc, inquit, ordine nostri omnes: nam Monac. qui *bona esse*, ex simili compendio, peccat, huic ipsi ordini favet. Nec aliter Vien. Mars. Crat. reliquæque vv. edd. pleræque. Vulgatus positus, *esse beata*, pravus per se est, quum in *beata*, et *non potest*, enuntiati vis sit.

11. *Ne seges quidem igitur spicis.* Gœr. addit *est* ante *spicis.* Hoc, inquit, abesse nequit. Bas. et Gud. 1, *respicis.* Inde conjecimus, *est* eo loco, quo posuimus, obliteratum esse, sic quidem, ut olim ex *igitur* ultima litera compendio ejus *e.* adhæserit. Abest quidem *igitur* in Gud. 1, sed scribæ in hac part. tam alte reposita offendunt. Cf. supra I, 18, 61, ell. Tusc. I, 34, 82: « Ne in animo quidem igitur sensus remanet ». Respondet h. l. græco γοῦν, ut sæpe. — Ceterum si *est* non addas, subaudiendum erit, eo sensu: Ergo ne seges quidem est beata.

12. *Si avenam uspiam videris.* *Uspiam*, quod Davis. ex binis suis, cum Victorio, Lamb. P. Manut. pro *ipsam*, quod nihili est, reposuit, referunt Spir. Erl. Mars. et Crat. in marg. Reliqui nostri *usquam* peccant. — De avena autem segeti nociva, cf. Plin. H. N. XVIII, 17, et quæ collegere ibi intt. G.

13. *Parum aliquid damni.* Binis notis damnat Ern. *parum*, altera simpliciter, altera ejus loco *parvi* conjiciens. Sed *parum* sæpe adjective cum secundo casu dicitur; et *aliquid* additur accommodate ad græcum ὀλίγον τι ζημίας. G. — *Parum aliquid* Brem. nihil esse dicit, nec usquam legi, ejusque loco *paullum aliquid* (sequente Schutz.) commendat, quo et Cicero,

quequaque aliter in vita[14]? et non ex maxima parte de tota judicabis? An dubium est, quin virtus ita maximam partem obtineat in rebus humanis, ut reliquas obruat[15]? Audebo igitur cetera, quæ secundum naturam sunt[16], bona appellare, nec fraudare suo veteri nomine, quam aliquid potius novum[17] exquirere; virtutis autem amplitudinem quasi in altera libræ lance
92 ponere. Terram, mihi crede, ea lanx, et maria deprimet[18]. Semper enim ex eo, quod maximas partes

et alii interdum utuntur, cll. Orat. I, 21, 95. Si correctione opus est, *parvuli quid damni*, conjicere licet : ita certe oppositio magis senetur. G. in Additam.

14. *An hoc usquequaque aliter in vita?* Hæc sententia est : An hoc usquequaque, id est, in omni re, judicabis, nempe unumquidque esse appellandum ex majore parte? Verbi gratia, bonum id dicimus, quod plus habet boni, quam mali : et id dulce dicimus, quod plus in se continet dulcedinis, quam amaroris, et ita de ceteris. Aliter autem in vita se habere existimabis, et non de tota vita ex majore parte vitæ judicabis? id est, non judicabis eam vitam beatam esse, in qua plus sit boni, quam mali? LAMBINUS. — Gœr. pro puncto interrog. post *vita* posito, solam virgulam ponendam esse dicit.

15. *Ut reliquas obruat.* Forte *reliqua* scribendum, ut sive bona, sive commoda, præposita, etc. intelligantur : nam minus bene *res* intellexeris, quum ista quoque ad *res humanas* referantur. Ita continuo post, « quæ secundum naturam sint », et superius, « ista omnia ... obscurari ». Junctim autem de eisdem III, 14, 45, « obscurari et obrui » ponitur, G.

16. *Audebo igitur cetera, quæ sec. nat. sunt.* Gœr. delet *cetera*, et scribit *sint*. Ita, inquit, cum Davisio edidimus. Nam *cetera* in hujus tribus, aliisque Lambini et P. Manutii, itemque in Gud 1, Bas. Monac. Marso non legitur : nec tam omitti a scribis, quam, ut *reliqui*, addi solet. Facile etiam voce carebis, ex reliquis contextis supplenda : in primis, si, ut suasimus, in prægressis *reliqua* legeris. Causa autem adjectæ vocis in proximo enuntiato cernitur, quippe cujus relatio magis vaga scribas invitaret. Sed sæpe sic auctor, ut ad omissum *ea* sequentia applicentur.—*Sint* autem ut in Davisianis tribusque Oxonn. ita in nostris exhibetur omnibus. Nec aliter Vien. et Mars. Conjunctivum autem inde positum putabis, quod auctor ex Antiochi ratione loquitur, non ex sua : quæ enim iste « secundum naturam esse » dicebat, ea ipse *bona* appellari mavult.

17. *Quam aliquid potius novum exquirere.* Ern. Davisii rationem probat, qui transposite, « potius, quam aliquid », de suo scripsit. Sed hi non viderunt, *aliquid* valere *aliud*, prout Gud. 2 ex glossa præbet; ita Græci sæpissime ἢ ἄλλο τι μᾶλλον. G.

18. *Terram ... ea lanx, et maria deprimet.* Lanx, quæ gravior est, leviorem non deprimit, sed elevat. Sic

continet[19], latissimeque funditur, tota res appellatur. Dicimus aliquem hilare vivere. Igitur, si semel tristior effectus est, hilara vita amissa est[20]? At hoc in eo M. Crasso[21], quem semel ait in vita risisse Lucilius, non contigit, ut ea re minus ἀγέλαστος, ut ait idem, vocaretur. Polycratem Samium felicem appellant[22]. Nihil acciderat ei, quod nollet, nisi quod annulum, quo delectabatur, in mare abjecerat[23]. Ergo infelix una molestia : felix rursus, quum is ipse annulus in præ-

tamen loquutus est Noster Tuscul. V, 17. Pariter Gratius Cyneg. vs. 298 : « Illius ex manibus vires sit cura futuras Perpensare : leves deducet pondere fratres ». At quod præponderat, leviora, non *deducit*, sed attollit. Julianus autem Orat. III, pag. 119, A, de re ponderosiore καθέλκειν τὸν ζυγὸν merito dixit. Vide J. Fr. Gronov. Observ. lib. II, cap. 13, pag. 319. Dav. — Accommodavit hæc auctor ad Critolai libram Tusc. V, 17, 51 : « Quæro, quam vim habeat libra illa Critolai : qui quum in alteram lancem animi bona imponat, in alteram corporis, et externa ; tantum propendere illam lancem putet, ut terram et maria deprimat ». G.

19. *Maximas partes cont.* De vi virtutis dictas putabis, quæ latissime patet : atque ita paullo ante hujus *amplitudo* dicitur. G.

20. *Igitur, si semel tristior effectus est, hilara vita amissa est ?* Spir. et Erl. pro *igitur* præbent *ergo*. Et sane nos locum ignoramus, ubi *igitur*, cum interrogatione, ab initio ponatur. *Ergo* proprie sic : sed hæc tum quum futuro jungitur, et si quæ loca excipiuntur, ea scribit, non auctori imputanda videntur. Nos igitur mutare non audemus. — Deinde noli *effectus es* scribi : nam *aliquis* sæpe unde auctori intelligitur, hoc autem loco *aliquem* præmissum est. G.

21. *M. Crasso.* De Marco Crasso ἀγελάστῳ, prætore anno U. C. 648, et Crassi divitis avo, summi illius oratoris patre, cf. Tusc. III, 15, 31, et Plin. H. N. VII, 18, 19, qui ex hoc agnomine eum numquam risisse negat. G.—De eo auctorum suffragia collegit Fr. Douza ad Lucilii Fragm. p. 20. Hunc Crassum alii numquam risisse confirmant. Vide insuper Solin. cap. 1. Dav.

22. *Polycratem Samium felicem appellant.* Gœr. scrib. *appellabant.* Ita, inquit, Spir. et Erl. Recte. Nam vulgatum *appellant*, nec ad tempora, quæ sequuntur, « acciderat, abjecerat », convenit ; et sensus est, « Polycratem, ante miserrimum ejus interitum, homines tum temporis felicem prædicabant ». — De Polycrate, celeberrimo Samiorum tyranno, sexto ante Chr. n. sæculo, qui an. 521 ante Chr. n. obiit, ab Orœta, Lydiæ pro Persarum rege prætore, proditus et captus, omnia nota sunt ex Herodot. lib. III, capp. 22 et 39.

23. *In mare abj.* Gœr. scribit *in mari.* Omnes nostri, inquit, Vien. et Crat. adsentientibus, sextum casum referunt ; atque ita quoque quatuor Oxonn. Unice recte. Tum Polycrates

cordiis piscis inventus est. Ille vero, si insipiens (quod certe, quoniam tyrannus), numquam beatus : si sapiens, ne tum quidem miser, quum ab Orœte prætore Darei[24] in crucem actus est. At multis malis affectus. Quis negat? sed ea mala virtutis magnitudine[25] obruebantur.

93 XXXI. An ne hoc quidem peripateticis concedis, ut dicant, omnium virorum bonorum, id est, sapientum, omnibusque[1] virtutibus ornatorum, vitam omnibus

in mare annulum abjecisset, si ipse in terra fuisset, quod secus est : nam « profectus navigio in altum, annulum mersit » Plin. H. N. XVIII, c. 1, coll. Valer. Max. VI, c. ult. Vere igitur *in mari* abjecit. Æque vere nuper Orat. I, 7, 28 : « ut se abjiceret in herba », probante Ernestio, Schütz dedit : erat enim in herba, quum se in ea abjiceret. Hos sextos casus VV. DD. nisi ipsos corrigunt, pro quartis poni statuunt : at nos in tot, pæne infinitis, apud auctorem locis, ubi sic præcipitur, nullum deprehendimus, ubi hoc vere obtineat; immo ubique inter utrumque præpositionis positum justa, et diversa, ratio intercedit. Unum hic tangere liceat, in quo multis locis peccatur : recte, sed diverse, dicitur « in rationibus, tabulis, codices », et « in rationes, etc. referre »; in illo cogitandum est *positum*, vel potius *relatum*, N. D. I, 12, 29 : « in deorum numero refert », res facta notatur; hoc actio ipsa indicatur. Recte ergo Rosc. Com. 2, 5, « in codice accepti et expensi relatum ». Cf. Verr. IV, 13, 39; Divv. V, ep. 20, 9, etc. — Correctionem *in mari* probavit quoque et in textum recepit Schütz, quamvis simul agnoscat recte etiam dici posse eum, qui est in navi, annulum *in mare* abjicere.

24. *Ab Orœte prætore Darei. Orœtis* nomen Victorius Varr. Lectt. II, 4, ex Herodoto et Athenæo restituit. Quibus trina alia ex Luciano addit Davis. alia Maximi Tyrii, et Dionis Chrysost. item corrupta docens. Nostri quoque scripti omnes *Orontes* : ut nescias, anne forte auctor ipse in nomine hominis errarit; nam hoc idem satis solemne apud Persas veteres nomen est. *Darei* deinde clare ex nostris præbent Erl. Gud. 1, nec diversitas ex Spir. et Bas. notatur. At Gud. 2, Monacens. et ξ. *Dareii*, reliquique Oxonn. sic peccant, ut hæc ex lectione corruptio orta videatur. Sed Cicero græcam ει per e effert, non distincte expressam, et hoc quoque rarius in peregrinis nominibus, quam in horum adjectivis. Hoc autem loco maxime duplicis *i* concursum vitasse videtur. G.

25. *Virtutis magnitudine.* Si scilicet Polycrates sapiens erat, ex virtute illa, quæ in sapiente esse debet, ista facile perferebat. Quum enim virtus reliqua vitæ bona facile compenset, compensare eadem æque mala debet, sic ut his vita beata nihil turbetur. Ita hæc nempe auctor intelligi voluit. G.

XXXI. 1. *Sapientum*, *omnibusque*. Gœr. dat *sapientium*, et delet *que*.

partibus plus habere semper boni, quam mali? Quis hoc dicit? Stoicis licet[2]. Minime. Sed isti ipsi, qui voluptate et dolore omnia metiuntur, nonne clamant, sapienti plus semper adesse, quod velit, quam quod nolit? Quum tantum igitur in virtute ponant ii[3], qui se fatentur[4] virtutis causa, nisi ea voluptatem acciret[5], ne manum quidem versuros fuisse: quid facere nos oportet, qui quamvis minimam animi præstantiam omnibus bonis corporis anteire dicamus, ut ea ne in conspectu quidem relinquantur? Quis enim est[6], qui hoc cadere

Expressimus, inquit, binorum e nostris optimorum lectionem, quum auctor *sapientium* ita amet, ut loca ea, quæ vulgatam genitivi formam tuentur, scribis deberi videantur, quippe apud quos hæc sola in usu esset. Hinc est, quod, si ad ejusmodi loca plures codices simul inspexeris, ubique fere eamdem varietatem deprehendas; vid. supra I, 18, 61. Copula autem *que* a librariis sæpissime intruditur.

2. *Stoicis licet*. Gœr. scribit *Stoici scilicet*. Ita, inquit, conjecit Lamb. probantibus Davisio et Ern. Recte: nam vulgata, *Stoicis licet*, ferri his in contextis nequit. Stoicis enim non solum sic dicere licet, sed hi non possunt etiam, quin sic dicant. Fallitur igitur Nissen, et quum *Stoicis licet minime*, jungi vult, et quum Lambinum *St. scilicet minime* jungi voluisse dicit. Illi vero ipsi VV. DD. conjecturam hanc in texta recipere nihil dubitassent, si diverbium vidissent, cujus signa posuimus.—*Minime* autem, quod continuo sequitur, elliptice, ut in concitata oratione solet, ponitur, pro « Minime hi soli hoc dicunt ». Pergit constructio, « sed (immo vero) nonne ... clamant: » et *clamant* ponitur invidiose pro *dicunt*. — Schutz quoque recipit correct. *stoici scilicet*. Intp. gallicus in vertendo Gœrenzii emendationem sequutus est, qua sine nullum sensum in his inveniri videmus.

3. *Igitur in virtute ponant ii. Igitur* abest ab Gud. utroque. G.

4. *Se fatentur*. Tres potiores nostri prave transponunt, *fatentur se*: nam auctor pronomina ex more huic verbo ejusque compositis præmittit. Ita peccatur Catil. II, 8, 17: « Cur tam diu de uno hoste loquimur, et eo hoste, qui jam fatetur se esse hostem? » Corriges ex binis optimis nostris « qui se fatetur esse hostem ». G.

5. *Nisi ea voluptatem acciret*. Ita vett. impressi: sed scripti turbant. Tres potiores nostri cum Pal. 6, « voluptate maceret »: reliqui inde aliorum « voluptatem maceret, voluptatem maderet ». Gud. 1, *voluptatem accreet*, Vien. *maneret*, Monac. *voluptate marceret*, prout Guyetus suasit. Sed etsi quidem « deliciis, luxuria marcere » recte dicitur: tamen verbum hoc hæc ad contexta parum quadrat. At facile videre est, quomodo scribæ, ex quo semel litera *m* verbo adhæsisset, in omnia alia abierint, idque maxime in verbo ipsis ignoto. G.

6. *Quis enim est, qui hoc cadere*

in sapientem dicere audeat, ut, si fieri possit, virtutem
in perpetuum abjiciat, ut dolore omni liberetur? Quis
nostrum dixerit, quos non pudet ea, quæ stoici aspera
dicunt, mala dicere[7], melius esse turpiter aliquid facere
94 cum voluptate, quam honeste cum dolore? Nobis Hera-
cleotes ille Dionysius flagitiose[8] descivisse videtur a
stoicis propter oculorum dolorem[9]: quasi vero[10] hoc
didicisset a Zenone, non dolere, quum doleret. Illud
audierat, nec tamen didicerat, malum illud non esse,
quia turpe non esset, et esse ferendum viro[11]. Hic[12]
si peripateticus fuisset, permansisset, credo, in sen-
tentia, quoniam dolorem dicunt malum esse[13]. De
asperitate autem ejus fortiter ferenda præcipiunt ea-

Gœr. transp. *Quis est enim*. Ita, inquit, bini illi nostri, conf. II, 6, 16. — Deinde iidem *hoc*, quod recte Davis. ex Paris. recepit : refertur enim pron. ad sequentia. Ceterum meliore positu Gud. 2, *cadere hæc*.

7. *Quos ... mala dicere*. Hæc Gœr. parenthesi includit, ne in loci sensu hæreremus.

8. *Dionysius flagitiose*. Abest hæc ultima vox a Marsi ed. sed ea prorsus ex mente auctoris additur.—De *Dionysio* vero hoc vide quæ ad Acadd. II, 22, 71 notavimus. G.

9. *Propter oculorum dolorem*. Aut *oculorum* depravatum est, aut Cicero sibi non constat : nam Tusculana II, cap. 24, *renum* dolore Dionysium hunc laborantem memorat. P. Manutius. — In Tusculanis Ciceronem memoria lapsum putarim; quum Dionysium hunc propter ὀφθαλμίαν a Stoicis descivisse tradit etiam Laertius, lib. VII, § 37, 166. Davisius.

10. *Quasi vero*, quod Lamb. ex binis suis eruisse dicit, nostri quoque omnes, *quis vero*, cujus loco jejune sane Davis. *qui* suadet, nisi etiam *hoc* sustuleris. Nos sane, *quasi* auctoris esse, nihil dubitamus. G.

11. *Quia turpe non esset, et esse ferendum viro*. Gœr. scrib. *et esset fer.* Ita, inquit, codd. omnino omnes : sed Ern. ex P. Manutii conjectura *et esse* scripsit. Perperam : nam denuo *quia* cogitandum est. Duplici enim ratione Zeno dicitur docuisse, dolorem malum non esse : primo quia malum nihil sit, quod non item sit turpe; dolor autem turpe non sit. Deinde, quod malum sit fugiendum; dolor autem fortiter ferendus sit viro. Complicatius hæc auctor, mediis, quos schola vocat, terminis omissis.

12. *Hic* ad Dionysium Heracleotem spectat, et verba, « permansisset in sententia », valent, « Peripateticus mansisset, nec ad Epicureos descivisset ». Nam Peripatetici concedebant dolorem malum esse.

13. *Quoniam dolorem dicunt malum esse*. Spir. et Erl. pro *quoniam*, *qui* referunt : quod malim, pro *nam hi* dictum, ut sæpe. Sed potest pronomen ex correctione ejus esse, qui transitum hunc repentinum ad plu-

dem, quæ stoici: et quidem Arcesilas tuus[14], etsi fuit in disserendo pertinacior, tamen noster fuit: erat enim Polemonis. Is quum arderet podagræ doloribus, visitassetque hominem Carneades[15], Epicuri perfamiliaris, et tristis exiret: « Mane, quæso, inquit, Carneade noster; nihil illinc huc pervenit ». Ostendit pedes, et pectus. Attamen hic mallet[16] non dolere.

XXXII. Hæc igitur est nostra ratio, quæ tibi videtur 95
inconstans: quum propter virtutis cælestem quamdam, et divinam, tantamque præstantiam, ut, ubi virtus sit, resque magnæ, sumendæ, laudabilesque, virtute gestæ[1], ibi esse miseria et ærumna non possit,

rium numerum emollire vellet, quum *Peripateticus* idem sit, quod *unus ex Peripateticis*. Vulgata item defendi ex communi regula potest, qua post collectiva toties pluralia ponitur. G.

14. *Et quidem Arcesilas tuus*. Prave ante hæc vulgo colo distinguitur. *Et quidem*, h. l. *Atque adeo* notat. G.

15. *Carneades*. Solus Davis. ad hujus nominis inconvenientiam attendit: vidit enim, quum Epicurus Olympiade CXXVII, 2, et Carneades Olymp. CLXII, 4, denati essent, inter ipsorum fata annos 142 (prave 162 computat) intercedere, de horum igitur familiaritate cogitari non licere. Adde, quod Arcesilas 37 annis ante ex vita cesserat, quam Carneades natus est. Nec alius aliquis *Carneades* præter illum Cyrenæum huc statui potest, quum Laertius, sedulus in colligendis cognominibus viris, in illius vita modo poetam ejusdem nominis numeret, qui huc nihil pertinet. Erl. *Carmides* scribit, et paullo post *Carnde*; unde extricari nihil potest: nec ex Spir. quidquam diversæ lectionis enotatur, nec alius nostrorum a vulgata discedit. Admodum igitur probabile est, quod idem Davis. ex Plut. II, p. 1089, e. *Corniadem*, et inferius *Corniade* scribi jubet: aperte enim Epicuro coævus, quum ei eadem cum hoc amica, Leontium, esset, et ipse Epicureus fuit; quod ex his, quæ de ejus scriptis monentur, patet. G. — Schütz correct. *Corniades* in textum admisit.

16. *Attamen hic mallet*. Gœr. scrib. *ac tamen*. Vulgatum, inquit, auctoritati binorum illorum nostrorum cedere jussimus. Supra plus semel eodem modo corrigendum fuit. Sic in *tamen* vis est, ut debet; in vulgata secus.

XXXII. 1. *Resque magnæ, sumendæ, laudabilesque, virtute gestæ*. Gœrenzius, pro *sumendæ laudabilesque*, scribit: *et summe laudabiles, virt.* Ita, inquit, plene exhibet Spir. a quo Erl. in hoc modo discrepat, quod *et* ignorat. Hanc *et* autem referunt item, cum aliis editis vett. Marsus et Cratandria, quæ in margine, pro *sumendæ*, *summæ* refert. Vulgatur nempe, « magnæ, sumendæ laudabilesque ». Sed dudum hæserat in his P. Manut. ut vel sacramento, Ciceronem aliter scripsisse, se contenturum, veterum more promitteret.

tamen labor possit et molestia[2]; non dubitem dicere, omnes sapientes semper beatos esse, sed tamen fieri posse, ut sit alius alio beatior.

Atqui iste locus est, Piso, tibi etiam atque etiam
confirmandus, inquam. Quem si tenueris, non modo
meum Ciceronem, sed etiam me ipsum abducas lice-
96 bit. Tum Quintus, Mihi quidem, inquit, satis hoc
confirmatum videtur. Lætor quidem, philosophiam,
cujus antea supellectilem pluris æstimabam, quam
possessiones reliquorum (ita mihi dives videbatur,
ut ab ea petere possem, quidquid in studiis nostris
concupissem): hanc igitur[3] lætor etiam acutiorem re-

Et salva quidem religione : nam Gruteri modo palatus, in veteri philosophia parum admodum sapiens, his in contextis *sumendæ* ferre poterat : describitur enim his (ut cuique in aperto esse debet, qui in Stoicis non plane hospes fuerit), plene perfecta sapientis κατορθοῦντος sentiendi agendique ratio. Nihil igitur dubitari posse putavimus, quin ita recte a nobis receptum sit. Inde nihil quoque dicit Davis. si ex codd. vestigiis, « resque magni æstimandæ laudabilesque », conjicit. *Laudabile* enim Stoicis modo *honestum* dicitur, non ea, quæ ab his in *mediis* relinquuntur, *sumenda* et « majoris minorisva æstimanda ».

2. *Tamen labor possit et molestia.* Gœr. scrib. *lab. possit, possit mol.* Hoc, inquit, modo exhibent Spir. et Erl. Vulgo legitur, « tamen labor possit et molestia ». Sed recepta lectio in hac commotiora oratione multum præferenda est. Auctor enim verbis sic repetitis sæpe. Vide supra II, 21, 68 : « sed tamen aliquid, quod nobis non liceat, liceat illis ». Tusc. III, 31, 75 : « quamdiu vixit, vixit in luctu ». Att. II, ep. 24 : « quod ad te aliqua admonitione aut objurgatione scripsi, scripsi propter diligentiam cautionis meæ ». Cf. Off. I, 10, 3 ; II, 22, 12, etc. Facile etiam videre est, altero verbo omisso, *et* a scribis sua sponte esse illatam. Omitti autem repetitum verbum solere, scriptos libros tractanti ubique observare licet.

3. *Lætor quidem, philosophiam ... hanc igitur.* Nos cum Gœr. verba *ita mihi ... concupissem* parenthesi includimus ; quippe quæ, quamvis a J. V. L. omissa, loco bene intelligendo prorsus est necessaria. Gœr. ad hæc notat : Non sine causa Ernest. Davisii conjecturam, « lætorque eam phil. » prædicat. Pronomine quidem facile caruerimus, quum, quæ adduntur, satis doceant, non de philosophia in universum sermonem esse. At copula ægre carebis. Sed hanc alia tutiore via acquires, si reputaris, præcedens *videtur* scribis *videt'* pingi : sic enim facile *et* excidere potuit. In activis certe hoc modo sæpe *et* vel prave adhærentem, vel obliteratam vidimus. Quod autem Ern. *eam* propter sequens *igitur* necessarium judicat, hactenus valet, quatenus paren-

pertam, quam ceteras; quod quidam ei deesse dicebant. Non quam nostram quidem, inquit Pomponius jocans[4]. Sed mehercule pergrata mihi oratio tua. Quæ enim dici latine posse non arbitrabar, ea dicta sunt a te, nec minus plane, quam dicuntur a Græcis, verbis aptis[5]. Sed tempus est, si videtur : et recta[6] quidem ad me. Quod quum ille dixisset, et satis disputatum videretur, in oppidum ad Pomponium perreximus omnes.

thesin neglexit, quam *igitur*, ut sæpe solet, exeipit : cujus signa revocavimus.—Ceterum *possessiones* opponuntur *supellectili*, ut *domus*, aut *villa* iis rebus, quas ad usum ineolarum complectuntur. — *Possess.... reliquorum.* Hæc ad reliqua philosophiæ συστήματα spectant. Unde errasse videtur gall. interpr. qui : *Cette philosophie... dont j'estimais..... les richesses plus que tous les trésors du monde.*

4. *Non quam nostram quidem, inquit Pomponius jocans.* I. e. « non acutiorem, quam, etc. » Hoc librarios non vidisse haud mirum est : unde, præter binos illos, reliqui nostri omnes, ut ceteri aliorum, *numquam*. *Quidem* Ignorant Bas. et Gud. uterque; sed sine ulla justa causa. G. — Ceterum Gœr. transposuit cum Gud. 1 et Marso *Pomponius inquit;* quum, inquit, ex certa auctoris regula, *inquit* enuntiatum non ducat, sed aut medio interponatur, aut idem claudat.

5. *Ea dicta sunt a te, n. m. p. q. dicuntur a Græcis, verbis aptis.* Hæc, quoties legimus, displicuerunt : nam quocumque voces, *verbis aptis*, retuleris, tædiose redundant. Sive enim ea sic construxeris, ut ad illa, *dicta sunt a te*, interpositis seorsim acceptis, referantur; jure quæremus, quomodo *plane* dici quid possit, nisi *verbis aptis :* sive *plane verbis aptis* junxeris, ut *plane*, *prorsus* notet, et structuram nimium contortam mirabimur, et quod auctor non *prorsus* ipsum maluerit, ambiguitatem declinans. Quibus si vagam lectionem trium potiorum nostrorum comparamus ; Spir. enim et Erl. « plane verbis ... a Græcis aptis ». Gud. 2, « a verbis Græcis aptis : » probabile sane nobis videtur, istas binas voces ex glossemate ad particulam *plane* adscripto in texta venisse. Accedit etiam quod, quum primaria sententiæ notio sit, *dici latine*, jure exspectes secundariam, *dicuntur a Græcis*, in ejusdem fine positam : quæ enim collocationis ratio singularum enuntiationum est, eadem est etiam integrarum sententiarum. — Schützio vv. *verbis aptis* genuina videntur, sed transponenda post *dicta a te*. Cf. Fin. I, cap. 3, ubi de Epicuro Noster : « Complectitur verbis quod vult, et dicit plane quod intelligam ».

6. *Et recta... ad me.* I. e. recta ad domum meam tendamus.



TABULA

RERUM QUÆ IN CICERONIS TERTIÆ PARTIS SECUNDO VOLUMINE CONTINENTUR.

FINIS SECUNDI VOLUMINIS.



Conditions de la Seconde Souscription.

La collection complète des *Classiques Latins* se compose de 150 gros volumes grand in-8 beau papier, imprimés par Didot, et entièrement publiés, à 4 fr. 50 c. le volume; total : 675 fr. au lieu de 1981 fr. 50 c., prix de la première souscription.

Les livraisons seront de 2 ou 4 volumes tous les dix jours, ou d'un plus grand nombre, au choix des souscripteurs. On versera, en souscrivant, 9 fr. imputables sur les deux derniers volumes. Pour les départements et l'étranger, chaque ballot de 10 volumes coûtera en sus pour l'emballage 50 c., et 75 c. pour 20 volumes; le port à la charge du souscripteur.

En prenant dès à présent livraison de toute la collection, les 150 volumes ne coûteront que 625 fr. y compris emballage et port pour la France; 330 fr. pour chaque moitié, et 170 fr. pour chaque quart de la collection.

Après les 25 premiers souscripteurs le prix sera porté à 6 fr. le volume.

Vu le petit nombre d'exemplaires on ne servira que les 50 premiers souscripteurs à la collection complète.

Quelques exemplaires des divers auteurs se vendent séparément au prix de :

vol.		fr.		fr.	vol.		fr.		fr.
1	Catulle,	6	au lieu de	16.	1	Properce,	8	au lieu de	16.
20	Ciceron,	100	—	305.	3	Quinte-Curce,	17	—	50
3	Claudien,	11	—	37.	7	Quintilien,	35	—	94.
1	Florus,	6	—	13.	10	Sénèque, phil. et trag.	50	—	146.
3	Horace,	18	—	38.	2	Silius Italicus,	10	—	32.
1	Justin,	6	—	16.	4	Stace,	20	—	61.
3	Juvenal et Perse,	16	—	49.	2	Suétone,	14	—	36.
2	Juvénal seul,	12	—	32.	3	Térence,	16	—	38
3	Lucain,	16	—	38	1	Tibulle,	6	—	16.
3	Martial,	16	—	48	13	Tite-Live,	65	—	163.
10	Ovide,	60	—	125.	2	Val. Flaccus,	10	—	27.
1	Les Métamorphoses en grec,	6	—	16.	3	Val. Maxime,	13	—	33.
2	Phèdre,	12	—	37.	1	Vell. Paterculus,	6	—	16.
4	Plauté,	24	—	61.	8	Poetæ minores,	36	—	113.
13	Pline l'ancien,	65	—	196.	4	César.			
2	La zoologie avec notes de Cuvier.	12	—	30.	1	Corn. Nepos,	Ne se vendront pas séparément.		
2	Pline le jeune,	10	—	25.	1	Salluste,			
					6	Tacite,			
					9	Virgile,			

SOUS PRESSE ;

T. LUCRÈCE, servant de complément à la Collection.

2 VOLUMES, qui seront livrés aux souscripteurs à la collection complète, au prix des autres volumes.

N. B. Quelques volumes incomplets de la première souscription circulant dans le commerce, on ne garantit que les exemplaires revêtus de la présente couverture et provenant de la seconde souscription

Imprimerie de H. Fournier et comp., rue de Seine, 14.

